
Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/aurifodinaunive04robe




13704

AUG 26 1947

# AURIFODINA UNIVERSALIS

# SCIENTIARUM DIVINARUM

## ATQUE HUMANARUM



### RAPINA.

S. ANSELM. *Definitio.* Rapina est, quando quilibet alienam rem per violentiam sibi usurpat, quæ sibi non competit. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. 2.

S. ANTONIN. Rapina est rei alienæ non sacræ in loco non sacro illicita per violentiam ad lucrum facta usurpatio. Part. 2, tit. 1, cap. 12, § 8.

HUGO A S. VICTORE. Rapina est ex avidæ mentis proveniens impetu, violenta alienarum rerum direptio. *De Fructibus carnis et spiritus*, cap. 8.

S. THOMAS AQUINAS. Rapina est quædam violentia et coactio, per quam contra justitiam alicui aufertur quod suum est. 2, 2, quæst. 66, art. 8.

S. ANTONIN. *Differentia.* Differt furtum a rapina, quia furtum occultam, rapina vero violentam usurpationem importat. Part. 2, tit. 1, cap. 12, § 8.

JOAN. GERS. Rapina et furtum inter se differunt. Rapina est violenta contrectatio rei alienæ invito domino : furtum vero est occulta contrectatio rei alienæ domino non consentiente. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Temperantia.*

S. THOMAS AQUINAS. Furari et rapere inter se differunt; quia primum latenter, secundum hostiliter. Super II *Cor.*, cap. 12, lect. 1.

Furtum et rapina inter se sunt distincta : nam furtum est quando dolo et clanculum : rapina vero, quando aperta et manifesta vi, sua cuipiam bona, nulla premente necessitate per injuriam auferuntur. 2, 2, quæst. 66, art. 1, in axiomate.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nullus rapiendi modus, ubi nulla mensura est cupiendi. Lib. 1, *de Cain et Abel*, cap. 5.





2. Rapere iis, qui non læserint, plerique sibi existimant gloriosum. Super *Psalm.* xxxv.

3. Qui injustum bellum agunt, in omnibus quæ auferunt ab eis contra quos præliantur, rapinam faciunt. Part. 2, tit. 1, cap. 12, § 4. S. ANTONIN.

4. Rapina quinque modis committitur : usurpatis dominiis, in publicis bellis, in manifestis latrociniis, in pædagiis, et gabellis indebitis, in injustis talliis et damnis. *Ibid.*, cap. 12, § 3.

5. Quidquid ab invito sumitur, injuriose aufertur. Epist. 54, *ad Macedonium.* S. AUGUST.

6. Cruciantur quibus auferuntur temporalia, quia diligunt ea, illi autem qui auferunt gaudent : sed talis lætitia, cæcitas est, et summa miseria : ipsa enim magis implicat animam, et ad majora tormenta perducit. *Prosec.*

7. Gaudet et piscis quando hamum non videns, escam devorat : sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur : sic sunt omnes qui de bonis temporalibus beatos se esse putant; hamum enim acceperunt, et cum illo sibi vagantur; veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint.

8. Illi qui auferunt bonis temporalia, nihil nocent, quia hoc eis auferunt, quod non diligunt : nam quod diligunt, et unde beati sunt, auferre illis nemo potest. *De Agone christiano*, cap. 7.

9. In homine interiore animus res est, rapina actus est. *De Perfect. justitiæ.*, cap. 2, ratiocinat. 4.

10. O piscis male! prædam vis de parvo, præda efficieris majori. Super *Psalm.* LXIV, vers. 6.

11. Rapere vis? quid invenis? quid perdis? o

lucra damnosa! invenis pecuniam, perdis justitiam. *Prosec.*

12. Pauper sum, non habeo : ideo rapere vis? quid rapias vides, a quo rapiaris non vides. Nescis circuire inimicum tanquam leonem rugientem, et quærentem quid rapiat. Super *Psalm.* LI, vers. 10.

13. Subtrahuntur tibi quæ Deus dedit, numquid subtrahitur quid dedit? Super *Psalm.* XXXIV, vers. 3 : *Salus tua ego sum.*

14. Adam et Eva rapere voluerunt divinitatem, perdiderunt felicitatem. Super *Psalm.* LXVIII, conc. 2, vers. 6.

15. Qui aliena quomodolibet injuste percipit, ipse sibi regni cœlestis aditum claudit. *De Conflictu vitiorum et virt.*, cap. 18.

16. Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, putas ubi mittendus est, qui invasit alienam? *Prosec.*

17. Si cum diabolo ardere habet, qui nudum pauperem non vestivit, putas ubi arsurus est, qui expoliavit? *De Verbis Dom.*, serm. 20.

18. Rides, quia pecuniam rapis : ride, ride, veniet qui exigat. *Ibid.*, serm. 24.

19. Pœnale est occulte auferre, multo majoris pœnæ est visibiliter eripere. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 14, quæst. 5, can. *Pœnale.*

20. Multi rapiunt res alienas donaturi suas. Tract. 45, super *Joan.*

21. Quantumcunque cupiditas rapiat, necesse est in una hora totum dimittat. Homil. 48, *ex* LIII *Homil.*, cap. 1.

V. BEDA. 22. Raptores alienarum rerum, ipsi quandoque rapientur ad interitum. In suis *Proverb.*, verbo *Raptores.*

S. BONAV. 23. Non solum debet esse cura, ne nostra homines rapiant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Super *Luc.*, cap. 6, in illud: *Qui aufert quæ tua sunt.*

24. Mirum est quod non timent homines, quod post buccellam, quam de rapina acquirunt, intret in eos Satanas. Serm. 1, *Dom.* 3, *Quadrag.*

25. Heu? hodie quidam perdiderunt simplicitatem columbæ, et assumpserunt ferocitatem aquilæ, quæ parvas et magnas aves suo substernit dominio per rapinas, et quas non potest contingere rostro, saltem conturbat imperio. Serm. *de S. Catharina.*

26. Quæ animalia viventia de rapina sic insudant rapinæ et prædæ, ut nostri temporis homines? *Prosec.*

27. Nam leo accepta præda, quiescit ad tempus, sed nunquam quiescit homo : unde bestia nunquam habet memoriam prædæ, nisi fame necessitatis urgente; tunc enim cum nimium famescit, prædam quærit, qua accepta mox prædandi perdit memoriam.

28. O confusio humana! ut non prædetur bestia fera, nisi necessitate vitæ urgente; et prædetur nobilissima creatura sola libidine avaritiæ inducente. Serm. 1 *de Sanctis Apostolis.*

CASSIODOR. 29. Non potest crimen rapinæ indigentia tollere, nec quod vindictæ subjacet, excusare. Super *Psalm.* LXI, vers. 10 : *Et rapinas nolite concupiscere.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 30. Non rapias aliena, et cessabit rapina. *Catech.* 2.

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 31. Rapaces substantias et labores hominum, tanquam infernus insaturabiliter deglutiunt. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 32. Quid damnationis erit spoliasse pauperem, quem summum crimen est non pavisse? Hom. 10 *ad Monachos.*

FRANCISCUS TITELMAN. 33. Mollibus et delicatis hominibus, qui in luxu simul et otio vitam transigere volunt, familiare esse solet, rapinis incumbere. In *Annot.*, super cap. I *Job.*

34. Qui abstulit injuste alteri quod habebat charissimum, dignus est et ipse quod habet charissimum male perdere. In *Elucid.*, super cap. XXXI *Job.*

S. GREGOR. MAGNUS. 35. Subito exitu urgente invisibiliter rapitur, qui visibiliter rapiebat : vidit ipse quos rapuit, sed quis illum in morte rapiat, non videt. Lib. 25 *Moral.*, cap. 3.

36. Domum pauperis confringit, qui eum quem per potentiam conterit, spoliare quoque per avaritiam non erubescit. *Ibid.*, lib. 15, cap. 12.

37. Is qui rapere sinitur, cæcatus mente culpam auget : is vero qui rapinam patitur, jam in ejusdem rapinæ damno pro alia quam ante perpetravit culpa feritur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 2.

38. Si tanta pœna mulctatur, qui non dedisse sua convincitur : qua pœna feriendus est, qui redarguitur aliena abstulisse? *Ibid.*, lib. 15, cap. 12, super illud Job XX : *Quoniam confringens nudavit.*

39. Quanta damnatione plectendi sunt, qui rapiunt aliena, si tanta animadversione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt? Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 21.

40. Occasio rapiendi subtrahitur, si bene prius jus possidendi disponatur. *Ibid.*, admonit. 22.

41. Qua pœna mulctandus est, qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur? Hom. 40 super *Evang.*, super illud *Luc.* XVI : *Homo quidam induebatur purpura.*

42. Plerumque, quod est gravius, sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Homil. 1 super *Evang.*

43. Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore alienas invadere non oportet. Lib. 2 in *Regist.*, ind. 11, cap. 81, epist. 43, *ad Bonif. episc. Regitan.*

S. GREGOR. NAZ. 44. Opes ex rapina collectæ, nocentissimæ sunt, et impiissimæ. Super *Ecclesiasten.*, cap. 5.

S. HIERON. 45. Amico quippiam rapere, furtum est : Ecclesiam vero fraudare, sacrilegium est. Epist. 2, *ad Nepotian.*

46. Accepisse quod pauperibus erogandum sit, et esurientibus plurimis vel cautum esse velle, vel timidum : aut, quod, apertissimi sceleris est aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. *Ibid.*

47. Omnis rapina mixta violentiæ est : nisi enim vis fuerit illata, rapina non proficit. Lib. 6 super *Ezech.*, cap. XVIII, super illud : *Per vim nihil rapuerit.*

HUGO CARD. 48. Quidam quanta largiuntur respiciunt, sed quanta rapiunt non attendunt : et ideo quæ largiuntur, in sacco pertuso reponunt. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXIV.

49. Officiales potentum parva rapiunt, quia majora non possunt. Super *Levit.*, cap. 11.

S. JOANNES CHRYSOST. 50. Rapere et invadere violenter aliena, non humanæ mansuetudinis, sed immanitatis est belluarum ; quin imo ipsis quoque deteriores sunt, qui in alienum transeunt affectum. Homil. 22 super *Matth. Oper. perf.*

51. Non tua rapi, sed aliena te rapere, tibi malum est : si rapuisti, acerrime teipsum accusa, et restitue : sin vero alius tua rapuit, non parva tibi sedulitate orandum est pro illo, qui sibi maxime profuit. *Ibid.*, homil. 32.

52. Pejor multo quam cædes, rapina est, paulatim pauperem consumens. *Ibid.*, hom. 53.

53. Lex est ut alterius non tollas, et si tuum non des : gratia autem ut alterius non tollas, et tuum des. Hom. 12 super *Matth. Oper. imperf.*

54. Nihil turpius rapina, nihil scelestius. Hom. 12 super *Joan.*

55. Quidnam rapacis hominis oculis impudentius? quid pervicacius? quid cani similius? non enim tam impudens canis visus est, quam hic, cum undique omnia diripit; quid hujus manibus scelestius? Hom. 9 super I *Cor.*

56. Raptores ferinas non tantum manus habent, sed feris longe sæviores immanioresque : ursi namque et lupi, cum ad satietatem ederunt, cibo abstinent, hi autem nunquam satiantur. *Ibid.*

57. Tu, si pecudem fera lacerat, ægre fers : cum autem in proximum tuum id tu facis, nihil mali te facere arbitraris. *Ibid.*

58. Nihil omnino est quod Deum sic exacerbet sicut rapere et violentia opprimere, et fraudare proximum. Hom. 23 super II *Cor.*

59. Perjurat quisque ut rapiat. Hom. 7 super II *Tim.*

60. Cæde pejor est rapina, paulatim pauperem devorans. Hom. 33, *ad Popul. Antioch.*

61. Nihil animam ita fœdam reddit, sicut rapina. *Ibid.*, hom. 36.

62. Rapax fur est et latro; illo longe deterior, quanto et violentior. *Ibid.*, homil. 68.

63. Quomodo justus, qui aliena rapit? Lib. 5 *advers. Hæres.*, cap. *Traductis.* S. IRENÆUS.

64. Magnum scelus est, res pauperum præstare divitibus, et de sumptibus inopum acquirere favores potentum. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 64, sent. 18. S. ISID. HISP.

65. Qui aliena quolibet modo injuste præripit, ipse sibi regni cœlestis aditum claudit. *De Conflictu vitior. et virtut.*

66. Cupidi bonis artibus assequi non possunt, malis assequuntur, fraudant, rapiunt, spoliant, insidiantur, abjurant. Lib. 6 *de Divin. Inst.*, cap. 1. LACT. FIRM.

67. Non mediocre inter cætera cognoscitur esse delictum, cum quis res furtive diripit alienas. *De Regim. prælat.*, cap. 12. S. LAURENT. JUSTIN.

68. Nunquam pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt eventus auspicium. Epist. 112, *ad Aurelian. episcopum.* PETRUS BLESENS.

69. Nihil calamitosius, nihilque miserius eo, quem locupletem fraudes faciunt ac rapinæ. Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 13. S. PROSPER.

70. Interrogo qui sint, qui spoliantibus adversariis cedant? immo qui sint, qui adversariossuos non spoliare conentur? *Prosec.* SALVIANUS.

71. Tam procul enim abest, ut cum tunicis etiam alia relinquamus, ut si quo modo possumus, pallium simul adversariis, tunicasque tollamus.

72. Tam devote enim mandatis Dominicis obedimus, ut non sufficiat nobis, quod adversariis nostris, etiam minima vestimentorum nostrorum parte non cedimus, nisi eis quantum in nobis est, si res sinat, cuncta rapiamus. Lib. 3 *de Gubern. Dei.*

73. Cur tibi injustitia nil amicius? cur avaritia nil jucundius? cur rapacitate nil charius? cur nil judicas pretiosius, cur nil præstantius, quam rapinam? *Ibid.*, lib. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

74. Detrahere alteri sui commodi causa magis est, contra naturam, quam mors, quam cætera cuncta quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Lib. 3 *de Offic.* CICERO.

75. Suum cuique incommodum ferendum est

potius, quam de alterius commodis detrahendum. *Ibid.*

76. Homo justus, quem sentimus bonum virum, nihil cuiquam quod in se transferat, detrahet. *Ibid.*

SENECA. 77. Nihil eripitur, nisi retinenti. *De Divina Provid.*, cap. 5.

78. Nulli cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti duravit in posterum. Epist. 74.

79. Gaudemus, miseri, si quid invasimus, invadendique aliquos spes vana delusit : vilem prædam, magno aliquo incommodo luimus, at inde fallimur. *Ibid.*

80. Non facias tui juris, quod alieni est. Epist. 77.

81. Raptor late possidet, sed multum debet : habet domum formosam, sed alienis nummis paratam. Epist. 87.

SIXTUS PHILOSOPH. 82. Si quæcunque in hoc mundo habes, aliquis auferat tibi, ne indigneris. *Sententia* 12.

83. Omnia auferenti a te cede, præter libertatem. *Ibid.*, sent. 14.

84. Nihil pretiosum ducas, quod auferre a te possit homo malus. *Ibid.*, sent. 122.

85. Quod non posuisti, ne tollas : sed sufficiant tibi, quæ tua sunt. *Ibid.*, sent. 254.

Vide etiam tit. *Ædificium*, sent. 38; *Avaritia*, sent. 46; *Fames*, sent. 52; *Militia*, sent. 93; *Panis*, sent. 37; *Pecunia*, sent. 97, 134, *Restitutio*, sent. 23; *Vita æterna*, sent. 156.

## RARITAS.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Usu etiam pretiosa et rara degenerant, quorum autem difficilis possessio, eorum grata fruitio. *Prosec.*

2. Ipse sol post noctem est gratior, ipsa lux post tenebras splendidior, et post vigilias sopor dulcior. *De Helia et jejunio*, cap. 9.

S. AUGUST. 3. Cum res quædam rara est, causa est admirationis. Epist. 101.

4. Nullum corpus crescit. nisi rarescat. Lib. 10 *de Genesi ad lit.*, cap. 26.

5. Quæ sunt rara, ipsa sunt mira. Lib. 21 *de Civit. Dei*, cap. 8.

6. In hoc errant homines, quod subdunt, pretiosa vilioribus. *De Mendacio*, cap. 18.

S. BERNARD. 7. Omne rarum pretiosum est. Epist. 1, *ad Robertum nepotem suum.*

8. Id quod est venustius, studiosissime quæritur; et quod rarius invenitur, pretiosius emitur. In *Apolog. ad Guillelm. abbat.*

S. BONAV. 9. Omne quod est melius, est etiam rarius in mundo. Lib. 2 *de Profectu relig.*, cap. 45.

GLOSS. ORD. 10. Illa quæ rara sunt mirantur homines, et non consueta. Super *Ecclesiastic.*, cap. 31.

11. Rarum est omne, quod magnum est. In *Decret.*, dist. 60, can. *Si officia.* GRATIANUS.

12. Ardentius appetitur quidquid est rarius. *Prosec.* S. HIERON.

13. Rara est virtus, nec a pluribus appetitur. Epist. 6, *advers. Vigilant.*

14. Omne quod rarum est, plus appetitur. Epist. 45, *ad Evagrium.*

15. Pretiosum dicitur omne, quod rarum est. Lib. 5 super *Isaiam*, cap. XIII, super illud : *Pretiosior erit vir.*

16. Quod raritate dulce est, assiduitate in amaritudinem vertitur. Lib. 3 super *Oseam*, cap. XIII, super illud : *De manu mortis.*

17. Rarum omne, pretiosum est. Hom. 17 super I *Tim.* S. JOANNES CHRYSOST.

18. Res pretiosa vili pretio non comparatur. Hom. 35 super *Matth. Oper. imperf.*

19. Contractum ac rarum, est bonum. Lib. 3 *Parall.*, cap. 67. S. JOANNES DAMASC.

20. Quæ vilisssima sunt, cum pretiosissimis sociari natura non patitur. In *Encomio Calvitii.* S. SYNESIUS EPISCOPUS.

## RATIO.

*Definitio.* Ratio est quidam animi motus, visum mentis acuens, veraque a falsis distinguens. *De Spiritu et anima*, cap. 1. S. AUGUST.

Ratio est animi aspectus, quo per seipsum verum intuetur. *De Spiritu et anima*, cap. 1.

Ratio est animi aspectus, quo bonum et malum discernit, virtutes eligit, Deum diligit. Part. 3 *Centiloquii*, sect. 22. S. BONAV.

Ratio nihil est aliud, quam in corpus humanum pars divini Spiritus mersa. Epist. 66. SENECA.

*Differentia.* Inter mentem et rationem hoc differt. Mens est animæ pars præstantior. a qua procedit intelligentia : ratio vero est motus quidam animi visum mentis acuens, veraque a falsis distinguens. Lib. 2 *de Differentiis*, different. 19. S. ISIDORUS HISPALENS.

### SENTENTIÆ PATRUM.

1. Habeat caput in omnibus rationem, et finis modum. Lib. 1 *Offic.*, cap. 22. S. AMBROS.

2. Si appetitus rationi obediat, facile id quod deceat in omnibus officiis conservari potest. *Ibid.*, cap. 24.

3. Nihil est magis, quo homo cæteris animantibus præstet, quam quod rationis est particeps, *Ibid.*, cap. 26.

4. Plerumque dum animus exagitur, amittitur ratio. *Ibid.*, cap. 47.

5. Bona est ratio, quæ et hostilem plerumque affectum exuit, et dolorem injuriæ sequestrat Lib. 1 *de Jacob*, cap. 2.

6. Ratio evidens exemplis non indiget. Lib. 3

super *Luc.*, cap. XVIII, in illud : *Interrogavit eum quidam.*

7. Sicut est bestiarum nihil velle cum ratione, ita hominum debet esse nihil velle sine ratione. *De Conceptu virginali*, cap. 10.

S. ANTONIN. 8. In rebus dubiis et incertis ratio non debet proferre judicium absque inquisitione rationis præcedente. Part. 4, tit. 2, *de Prudentia*, cap. 1, § 4.

9. Debet homo bonum rationis præponderare omnibus bonis extrinsecis. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 15.

S. AUGUST. 10. Ad cœlestia arcana penetranda. ratio per se non sufficit, nisi a Deo adjuta fuerit. *De Spiritu et anima*, cap. 37.

11. Ratio vis est animæ, super corporalia et infra spiritalia collocata : secernit enim vera a falsis, quod est logicæ : virtutes a vitiis, quod est ethicæ : et per experimenta rerum investigat naturas, quod est physicæ, in his vero tribus tota philosophia consistit. *Ibid.*

12. Cum in rebus ipsis fallacibus ratione totum agere homines moliantur, quid sit ipsa ratio, et qualis sit, nisi perpauci, prorsus ignorant. Lib. 2 *de Ordine*, cap. 11.

13. Disciplinarum omnium excogitatrix est ratio. *Ibid.*, cap. 12.

14. Maxima multitudo est hominum, qui si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facillime decipiuntur. *De Quantitate animæ*, cap. 7.

15. Motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo, dicendus est. Lib. 1 *de Lib. arbit.*, cap. 8.

16. Ratio ad intellectum, cognitionemque perducit hominem. *De Vera Religione*, cap 24.

17. Aspectus animæ, ratio est Lib. 1 *Soliloq.*, cap. 6.

18. Recta ratione male uti nemo potest. Lib. 2 *de Lib. arbit.*, cap. 18.

19. Sensus rationi vicinus est. *De Genesi ad lit. imperf.*, cap. 15.

20. Ut est optimi propositi, laudandique consilii facile ad veriora traduci : ita improbi obstinatique judicii est, nolle citius ad tramitem rationis inflecti. *Ibid.*, lib. 2, cap. 16.

21. Ratio operibus, et opera ratione indigent : ut quod mente concipimus, opere perpetremus. Habet. in *Glossa*, super *Lev.* VIII : *Cumque lavisset eos.*

22. Sana ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem et exempla concordant. *De Civit. Dei*, lib. 1, cap. 23.

23. Melior est ratio nostra, quam corpus nostrum. *De Immort. animæ.*, cap. 2.

24. Nihil est ipsa ratione potentius. *Ibid.*, cap. 6.

25. Non extingui animus potest, nisi a ratione separatus ; separari autem non potest, non potest igitur interire. *Ibid.*

26. Omne quod scimus, ratione scimus. *De Quant. animæ*, cap. 29.

27. Ratio est legis anima. Lib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 6.

28. Res qua homo excellit, ut ei nulla bestiarum, ipse autem multis imperare possit, ratio dici solet. *Ibid.*, cap. 7.

29. Qui scit se vivere, ratione non caret. *Ibid.*

30. Quidquid scimus, id ratione comprehensum tenemus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3.

31. Seipsam cognoscit ratio quæ cognoscit et cætera. *Ibid.*, cap. 19.

32. Ratione fit quisque præcepti capax, cui fidem debet. *Ibid.*, lib. 3, cap. 24.

33. Ipsa ratione homo melior est quam pecus. Lib. 2 *de Gen. contra Manich.*, cap. 11.

34. Distinguere, et discernere, nonnisi ratio potest. *Ibid.*

35. Difficilis est ratio, qua intelligit homo in seipso aliud esse rationale quod regit, aliud animale quod regitur *Ibid.*

36. Nihil in Ecclesia catholica salubrius fit, quam ut rationem præcedat auctoritas. *De Moribus. Eccles.*, cap. 25.

37. Ab inferioribus ratio ad superiora conscendit. Lib. 12 *de Gen. ad lit.*, cap. 11.

38. Ratio cum ratione confligat. *De Utilit. cred.*, cap. 1.

39. Recte factum est, quod a recta ratione proficiscitur. *Ibid.*, cap. 12.

40. Quando quisque nascitur, antequam uti possit ratione, non regitur nisi sensibus carnis. Tract. 15 super *Joan.*

41. Cum cœperit anima capax esse rationis, aut a sapiente mente regitur, aut ab errore : sed error non regit, sed perdit. *Ibid.*

42. Dedit tibi Deus oculos in corpore, rationem in corde. Homil. 36 *ex* LII *Homil.*, cap. 2.

43. Tristitiæ medicus est ratio. Conc. 5 *de Gratiar. actione.* S. BASILIUS MAGN.

44. Quanto caro humana inferior est viribus corporis, tanto superior est supellectile rationis. Homil. 10 *in Hexam.*

45. Ratio humana quot perversis cogitationibus renititur, tot coronas cœlestes promeretur. In suis *Prov.*, verbo *Ratio.* V. BEDA.

46. Ipsis bestiis quodammodo bestialior est homo ratione vigens, et ratione non vivens. Serm. 35 super *Cant.* S. BERNARD.

47. Quid magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere ? Epist. 90, *ad Innoc. papam.*

48. Intellectus rationi innititur. Lib. 5 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

49. Ratio data est voluntati, ut instruat illam, non destruat. *De Grat. et lib. arbit.*

50. Ratio aspectus animi est, quo per seipsum, non per corpus, verum intuetur, aut ipsa veri contemplatio. *De Vita solit.*

51. Habet ratio suos quosdam tramites certos, et directas semitas, quibus incedit. *Prosec.*

52. Ratio per id quod non est, in id quod est videtur proficere. *De Natura et dignit. amoris*, cap. 8.

53. Ratio docet amorem, et amor illuminat rationem : et ratio cedit in affectum amoris, et amor acquiescit cohiberi terminis rationis. *Ibid.*

S. BONAV. 54. Bestialius nihil est homine rationem habente, et ratione non utente, et ideo quasi bestia reputatur. Serm. 4, *Dom.* 3, *post Pent.*

55. Ita ratio cæca est in anima, quod nec cognoscit seipsam, cum ipsa sit ex iis, quæ oculis carnis videri non possunt : et sic non solum cæca est, sed etiam stulta. Lib. 1 *de Profectu relig.*, cap. 8.

S. BRUNO. 56. Sicut ratio in Adam perfecta creata, per ejus peccatum debilitata est : sic et unaquæque anima perfecte rationalis creatur, quæ postea per ipsius carnis vitiosæ, cui conjungitur, oppressionem debilitatur. Super *Psalm.* XXXIX.

DIDYMUS. ALEX. 56 *bis.* Omnis particeps rationis factus est homo, ut esset probus et non pravus. Lib. *contra Manich.*

DIONYSIUS CARTHUS. 57. Tunc robustius ratio contra peccata erigitur, dum ira subita rationi famulatur. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. IV, art. 4.

EVAGRIUS. 58. Vitæ a ratione adversæ dux et gubernator dæmon est. Habet. apud Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 24.

GLOSS. INT. 59. Aditus cordis contra pravos motus ratione munitur. Super illud *Genes.* XIX : *Clauserunt ostium.*

GLOSS. ORD. 60. Ubi non est ratio, ibi non est nisi confusio. Super *Josue*, cap. VIII.

61. Omnia ex utilitate, et nihil sine ratione. Super *Psalm.* CXXXIV.

S. GREGOR. NAZ. 62. Cum ratione prædití sumus, ratio nobis curæ sit, rationique inserviamus. Orat. 17, *de Paupert.*

S. HIERON. 63. Quomodo equi absque rectore præcipites ruunt, ita corpus sine ratione et imperio animæ in suum fertur interitum. Lib. 2 *advers. Jovian.*

HUGO A S. VICTORE. 64. Sunt quædam infra rationem, quædam juxta rationem, quædam supra rationem. Infra ationem sunt, quæ sensu percipimus, sicut dua et mollia, calida et frigida, candida et nigra : juxta rationem sunt, et pervia rationi, quæ ratione percipimus, sicut commoda et incommoda, vera et falsa, justa et injusta : supra rationem sunt, quæ nec sensus docet, nec ratio persuadet ; sed aut divina revelatione comprehenduntur, aut Scripturarum auctoritate creduntur. Lib. *de Anima*, cap. 7.

HUGO CARD. 65. Ratio est vir, voluntas caro, corpus mancipium : ratio famelica est veritatis, voluntas charitatis, corpus fortitudinis. Super *Genes.*, cap. XII.

66. Deficit ratio præ ignorantia veritatis, unde cæcitas provenit cordis. *Ibid.*, cap. 48.

67. Ratio est rex in regno animæ, quæ omnes motus bestiales cogitationum, affectionum stare facit ut non procedant ad consensum vel ad opus. Super *Prov.*, cap. 19.

68. Reprobat ratio malum, et approbat bonum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VII.

S. JOANNES CHRYSOST. 69. Similes omnes sumus, non secundum virtutem, sed secundum formæ rationem. Homil. 23 super *Gen.*

70. Si contendis irrationabilem rationem placare : et illum non placas, et teipsum subvertis. Homil. 38 super *Matth. Oper. imperf.*

71. Nihil pejus est, quam humanis rationibus, spiritualia subjicere. Homil. 24 super *Joan.*

72. Nihil quod rationem requirit, per id quod ratione caret, geri potest. Homil. 17 super *Acta Apostolorum.*

73. Pejus est comparari bestiis, quam nasci : nam naturaliter non habere rationem, tolerabile est : sed rationis decoratione decoratum irrationabili naturæ comparari, voluntatis est crimen. Serm. *de Ascens.*

74. In peccatoribus corrupta est ratio. Homil. 11 super I *Cor.*

75. Ratione reges efficimur, si voluerimus absurdis imperare cupiditatibus : nam is regnat qui talis est, et verius quam qui diademate redimitus est. Homil. 3 super II *Cor.*

76. Equus homine est bellicosior, aper robustior, lepus velocior, pavo formosior, cygnus canorus magis, elephas major, aquila visu acutior : omnes denique volucres ditiores, sed illas homo superat ratione ; quando enim ratione non utitur ut oportet, illis pejor est. Serm. 7 super *Epist. ad Phil.*

77. Nihil temere, nihil stulte, sed omnia recto rationis judicio exequenda sunt. Lib. *contra Gentiles.*

S. JOANNES DAMASCEN. 78. Natura comparatum est, ut pars ea, in qua ratio inest, ei quæ rationis expers est, dominetur. Lib. *de Fide orthod.*, cap. 12.

79. Homo, qui rationis est particeps, qua ex

parte animal, cum sensu appetit : qua rationis particeps, rationem ducem in appetendo sequitur, liberosque habet appetitus. *De duabus Christi volunt.*

S. ISID. HISP. 80. Interpone tibi in omnibus rationem, prævaleat tibi ratio, tempera animum ratione, omnem vim reprimat ratio. Lib. 1 *de Synonym.*

81. Tu es dux vitæ, o ratio, tu magistra virtutis, tu es quæ tanquam regula directum ducis, tu es quæ a recto nunquam descedis, tu es quæ a veritate nunquam averteris. *Prosec.*

82. Tu nutrix bonorum, magistra morum, indagatrix virtutum, sine qua nihil vita hominis nosse potest.

83. Per te cunctis vivendi regula datur, per te de vitæ pravitate ad meliorem vitam homines adducuntur.

84. Præceptis tuis formantur animæ ; si quid distortum est, tu corrigis : si quid corrigendum est, tu emendas.

85. Nihil te charius esse debet, nihil te dulcius. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 17.

LACT. FIRM. 86. Quidquid est, quod habet rationem, ratione sit ortum necesse est. *De Ira Dei*, cap. 10.

87. Pravissimum est, cum ratio corporis recta sit, quod est temporale ipsum vero animum, qui est æternus, humilem fieri. Lib. 2 *de Divin. inst.*, cap. 1.

88. Majoribus nulla ratione reddita, rationis est credere. *Ibid.*, cap. 7.

89. Vera lex est recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocat ad officium, jubendo, vetando. *Ibid.*, lib. 6, cap. 8.

S. LAURENT. JUSTIN. 90. Dedit Deus rationis judicium, ut quid præstantius sit, intelligere valeamus. *De casto connub.*, cap. 13.

S. LEO I. 91. Facilis ad exhortandum est ratio, et efficax ad suadendum. Serm. *in Natali S. Laurentii.*

PHILO JUD. 92. Quidquid ratione caret, turpe est : sicut decorum quidquid cum ratione conjunctum. Lib. 2 *Legis allegor.*

93. Recta ratio, quæ legis vicem obtinet, non est corruptibilis. *De Temulent.*

94. Sicut vir ædes, sic intellectus rationem inhabitat, proinde snos conceptus in ratione, tanquam in domo propria dispositos ostendit. *De migrat. Abrahami.*

95. Recta ratio perennis virtutum fons est. Lib. *de Plant. Noe.*

96. Sicut vir ædes, sic intellectus rationem inhabitat. *De migrat. Abrahami.*

97. Est vera lex recta ratio, non hujus aut illius mortalis institutum in tabulis cantulisve scriptum inanimis : sed immortalis ipse stylo naturæ sempiternæ in mente immortali exarata. Lib. *Quod probus liber sit.*

98. Omnia ea turpia sunt, quæ rationem comitem non habent : quemadmodum contra, ea quæ cum ratione conjuncta sunt, honesta ac laudanda. Habet. apud Joannem Damascenum, lib. 1 *Parall.*, cap. 63.

99. Ratio est acies mentis. Lib. 3 *de Vita contemplat.*, cap. 27. S. PROSPER.

100. Lux rationis etiam lucet in tenebris, id est, in conscientia illorum, qui male agendo tenebræ facti sunt. Lib. 1 *Et lux in tenebris lucet.* RUPERT. ABB.

101. Proprium est rationalis, ut rationi subdatur. *Hecatontad.* 2, sent. 5. THALASS.

102. Seipsum falsis rationibus palpans, seipsum seducit. *Ibid.*, sent. 86.

103. Qui rationis honore sunt præditi, eos ratione oportet uti ad id quod convenit. Super IV *Reg.*, quæst. 28. S. THEODOR.

104. Ratio lux est, quæ ducit hominem ad ea quæ sunt facienda. Super *Joan.*, cap. 1 in illud : *Et vita erat lux hominum.* THEOPHYLACT.

105. Bonum hominis, est secundum rationem esse et malum hominis, est præter rationem esse. 1, 2, quæst. 71, art. 2. S. THOMAS AQUINAS.

106. Ratio in homine habet locum dominantis, et non subjecti dominio. Part. 1, quæst. 96, art. 2.

107. Rationis regula est radix boni honesti, quam transcendit immoderata tristitia. 1, 2, quæst. 39, art. 2.

108. Omnium humanorum operum principium, ratio est : et quæcunque alia principia humanorum operum inveniantur, quodam modo rationi obediunt. 1, 2, quæst. 58, art. 2.

109. Ratio est regula humanorum actuum, et totius vitæ lumen. Serm. 4 *post Pascha.* S. THOMAS A VILLANOVA.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

110. Homo mente, magna ex parte vivit, et ratione. Sect. 30 *Problem.*, quæst. 11. ARISTOTEL.

111. Homo solus rationem habet. Lib. 7 *Polit.*, cap. 13.

112 Non Sinamus hominem dominari, sed rationem : qui id facit, fit tyrannus. Lib. 5 *Ethic. ad Nicomach.* cap. 6.

113. Vitium est non parere rationi. Lib. 4. *Tusc. quæst.*, num. 39. CICERO.

114. Ratione nihil potest esse præstantius. Lib. 2 *de Natura deorum*, num. 16.

115. A Deo rationem habemus : bonam autem rationem, aut non bonam, a nobis habemus. *Ibid.*, lib. 3, num. 71.

116. Efficiendum est ut appetitus obediant rationi : eamque neque præcurrant propter temeritatem, nec propter pigritiam aut ignaviam deserant. Lib. *Offic.* 1.

117. Illud præstantissimum est, appetitum obtemperare rationi. *Ibid.*

118. Munus animi est, ratione bene uti : et sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur. Lib. 3 *Tuscul. quæst.*

119. Adhibita ratio, cernit quid optimum sit : neglecta, multis implicatur erroribus. *Ibid.*, lib. 4.

PLATO. 120. Strenue te rationi, veluti medico, curandum præbe. Sizygia 3 *de Rhetor.*

SENECA. 121. Ratio ipsa, cui fræni traduntur tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus. Lib. 1 *de Ira*, cap. 7.

122. Nihil rationis est, ubi semel affectus, inductus est. *Ibid.*, cap. 8.

123. Tanta animorum imbecillitas est, ubi ratio discessit. *De Constantia sapient.*, cap. 17.

124. Si vis tibi omnia subjicere, te subjice rationi : multos reges, si ratio te rexerit. Epist. 37.

125. Sola recta ratio immutabilis, et judicii tenax est : non enim servit, sed imperat sensibus. Epist. 66.

126. Ama rationem : hujus te amor contra durissima armabit : qua valentius nihil est, casum doloremque et injuriam subigit. Epist. 74.

127. Ratio perfecta, proprium hominis bonum est. Epist. 76.

128. Nunquam immodica durarunt, nisi illa moderatrix ratio compescuerit. Epist. 74.

129. Quid stultius turpiusve, quam bonum rationalis animi ex irrationalibus nectere ? Epist. 92.

130. Nisi ubi rationi locus est, bonum non est. Epist. 124.

131. Cætera quidem in sua natura perfecta sunt, non tamen vere perfecta, a quibus abest ratio. *Ibid.*

132. Mira ratio est, quæ non vult prædicari, quod gaudet intelligi. *De Moribus.*

SIXTUS PHILOSOPH. 133. Non verbum, sed ratio præcedat actus tuos. *Sent.* 66.

134. Ratio, quæ in te est, vitæ tuæ lux est. *Ibid.*, sent. 115.

Vide etiam tit. *Auctoritas*, sent. 15, 16, 17, 18, 19; *Delectatio*, sent. 86; *Homo*, sent. 47, 61, 66; *Juventus*, sent. 29; *Liberum arbitrium*, sent. 102; *Tractio*, sent. 14.

## RATIONEM REDDERE.

*Vide* REDDERE RATIONEM.

## RECIDIVATIO.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non fiat voluntatis tuæ recidiva infirmitas. Non ullus intercursus criminum. Lib. 3, epist. 11, *ad Irenæum.*

S. ANTON. 2. Semel culpa remissa, recidivo dolore iterum ad animum revocari non debet. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 13, § 3.

S. AUGUST. 3. Nullum scelus coram Deo tam abominabile fit, quam præterita peccata unicuique nostrum reminiscendo gaudere, et inde exultare. *De salutar. docum.*, cap. 11.

4. Nemo retro respiciat, nemo pristinis suis delectatur. Super *Psalm.* LXXXIII.

5. Noli retro redire, retro redit qui ad ea revolvitur unde jam abscesserat. *De Verbis Apostoli*, serm. 15.

6. Multi post juramentum sanctæ professionis, revertuntur ad venenum pravæ consuetudinis. *Prosec.*

7. Quibus melius fuisset veritatem non agnovisse, quam post agnitionem retrorsum abire.

8. In hoc uno prudentiam imitari debemus serpentis, quia venenum deponit, sed non quia iterum venenum resumit. Serm. 4 *ad Fratres in eremo.*

9. Vulnus iteratum sanatur tardius : frequenter peccans et lugens, vix veniam meretur. *Prosec.*

10. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata.

11. Nihil valet veniam a malis poscere, et denuo iterare. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2 *de Pœnit.*, dist. 3, can. *Inanis.*

12. Iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit. Lib. *Meditationum*, cap. 3.

S. BERNARD. 13. Recidere quam incidere deterius est. Serm. 54, super *Cant.*

14. Vide ne patiaris recidivum, quia pro certo non tam facile denuo poterit inveniri remedium. Epist. 131, *ad Mediolanenses.*

BOETIUS. 15. Si ad priora deflexeris, extra ne quæsieris ultorem, tu te ipse in deteriora detrusisti. Lib. 4. *de Consol. philos.*, prosa 4.

S. BONAV. 16. Ubi non est sepes pœnitentiæ, quæ animam claudat contra recidivum, facile dirumpitur possessio virtutum. Titul. 2 *Diætæ*, cap. 1.

17. Si in te redierit gratia, multo amplius timendum est, ne forte contingat pati recidivum : recidivare enim, quam cadere, pejus est. Tit. 6 *Diætæ.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 18. Gravi damnatione iterantur crimina, postquam Christi sanguine sunt redempta. Homil. 4.

19. Si peccatores posteaquam redimere peccata cœperint, iterum ad criminum volutabra redierint; efficiuntur eorum posteriora pejora prioribus. Homil. 16.

20. Sicut canis quando revertitur ad vomitum suum, odibilis fit : ita et peccator, quando revertitur ad peccatum suum. *Ibid.*, homil. 35.

21. Omnia crimina vel peccata cito ad nos revertuntur, si non quotidie bonis operibus expugnantur. *Ibid., Epistola ad quosdam.*

YPRIAN. 22. Nullum malum difficilius extinguitur, quam quod faciles reditus habet. *De Spectaculis*, cap. 1.

RILLUS LEX. 23. Turpissimum est ac perversissimum, ad priorem stultitiam reverti, atque ad impietatis morbum iterum redire, postquam spiritalem valetudinis firmitatem adepti sumus. Homil. 12 *de Festis Paschal.*

NYSIUS THUS. 24. Peccata, quæ recidivando et post recidivum committuntur, enormiora sunt peccatis ante recidivum commissis. *Prosec.*

25. Nam vulnera repetita sunt magis periculosa : et recidivatio propter ingratitudinem sibi annexam, qua quis de priore remissione, illuminatione, et gratia, Deo ingratus est, valde auget et gravat peccata sequentia. Super *Epist.* II *Petri*, cap. II, art. 2.

26. Sicut id quod per vomitum est ejectum resumere, est valde abominabile, fœtens ac turpe : sic peccata pœnitendo deleta reiterare. *Prosec.*

27. Dum post pœnitentiam quis recidivat, quod salubriter evomuit, damnabiliter repetit. *Ibid.*

28. Sicut ex lotione in volutabro efficitur porcus sordidior, quam fuerat ante : ita ex recidivo gravius homo coinquinatur. *Ibid.*

OROTH. 29. Nisi peccata radicitus quis avulserit, sed summitatem tantum abraserit, denuo pullulabunt. *Doctrina* 12.

30. Nihil in te diligas, quod pristunum hominem redoleat. *Ibid.*, doctrina 24.

SEBIUS SENUS. 31. Quamdiu nova delicta adjiciuntur, vetera non curantur. Serm. *contra Vitia.*

ICISCUS LMAN. 32. De præterito quod jam dimissum confidimus, cogitandum nobis est, nihilominus ut a recidivo caventes, non iterum in illud ipsum incidamus, vel in aliud sive simile, sive majus. In *Annot.* super *Psalm.* XXXVII, vers. 19.

REGOR. GNUS. 33. Frontem cordis in impudentiam atterit culpa frequens, ut quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur. *Homil.* 10 super *Ezech.*

34. Leviter veniens recidiva febris, occidit. *Homil.* 35 super *Evangelia.*

YMO. 35. Ipsa districti Judicis ira agitur, ut qui peccatum commissum manu pœnitentiæ cito non tergunt, in aliud commissum cadant. Super *Apocalypsin.*, cap. 16.

HIERON. 36. Qui post fidem Christi revertuntur ad vomitum peccatorum, canes sunt. Lib. 1 super *Matth.*, cap. 7, can. 10, num. 52, super illud : *Nolite sanctum dare canibus.*

GO CARD. 37. Recidivantes in peccatum, contradicunt titulo crucis Christi ad simitudinem Hebræorum. *Prosec.*

38. Recidivantes in peccatum negant Christum passum fuisse. Super *Psalm.* LV.

39. In peccata ante facta recidivantes, pejores quam ante fiunt. Super *Hierem.*, cap. VII.

40. Qui post pœnitentiam, quam fecerunt, iterum relabuntur, tales tardius et difficilius revertuntur. *Ibid.*, cap. 46.

41. Satis miserum est, ut cum debeas ad perfectionem tendere, incipias ad inferiora recidere. Lib. 4 *de Cœnob. inst.*, cap. 36. JOAN. C...

42. Tamdiu sibi patiens quis videtur et humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio : ad naturam pristinam mox revertitur, cum interpellaverit eum cujuslibet commotionis occasio. *Ibid.*, lib. 8, cap. 17.

43. Iterum in eadem peccata recidere, hominis plurimum mos est. Homil. 18 super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

44. Cogita, o homo, graviorem culpam esse post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. *Prosec.*

45. Indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat : sanitate indignus est, qui post curam semetipsum vulnerat : nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Homil. 2 *de Lapsu primi hominis.*

46. Non repetas factum ; quia cum repetis, ad peccatum redis. Homil. super *Psalm.* LXXXIV.

47. Peccato si accesserit impudentia et temeritas, in illud denuo decidatur necesse est. Homil. 31 super *Epist. ad Hebr.*

48. Peccatorum consuetudo lapsum in pejus trahit. Homil. 22 *ad Populum Antioch.*

49. Quod quispiam post actam pœnitentiam, idem rursum scelus admittat, argumentum est primam illius peccati causam minime repurgatam esse. Lib. 1 *Parall.*, cap. 14. S. JOANNES DAMASC.

50. Qui in Dei amore imperfecti sunt, sæpe se a vitiis separare disponunt, sed pondere vitiorum gravati, rursus ad ea vitia, quæ optant relinquere, revolvuntur. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 3, sent. 9. S. ISIDORUS HISPALENS.

51. Iteratio peccati gravissima est : sicut est, si morbus super morbum veniat, sicut si imber super imbrem occurrat : mora peccandi, immanitatem facit sceleris. *Ibid.*, cap. 23, sent. 11.

52. Labor sine fructu est, et spes vanissima valde : sic peccata plangere, ut non desinatur peccare ; quasi quis instructa destruat, diruta reformet, si quod lavat hodie, polluat et sordidet cras : sic non lotus habetur, sed semper immundus. In *Exhort. ad Pœnit.*

53. Semper ad id quod reliquit consuetudo re- S. LAURENT.

JUSTIN. flectitur : more quidem fluminis defluentis in alveum hæc repetit, et quamdam necessitatis legem redeundi ad pristina suo imponit possessori. *De Casto connubio*, cap. 7.

54. Quanto gravius est delictum, et crebrior recidivatio, tanto amplius assidua sit confessio. *Ibid.*, cap. 13.

55. Spei contrarius est frequens casus, et peccati recidivatio. *De Ligno vitæ*, tract. 8, *de Spe*, cap. 4.

S. LEO I. 56. Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Serm. 1 *de Nativit.*

57. Qui serit, non ad id respiciat, quod reliquit : nemo in id recidat, unde surrexit. Serm. 1 *de Resurr. Dom.*

PETR. BLES. 58. Erat tolerabilius non arripuisse propositum pœnitentiæ, quam post pœnitentiam retroire. Epist. 131, *ad Quemdam priorem.*

S. PETRUS CHRYSOL. 59. Nemo sic de ægritudine gratuletur, ut velit in vulnere permanere. *Prosec.*

60. Ingratus medico, inimicus est curæ; qui semper curari æstuat, nec unquam desiderat sanari.

61. Et ita Dei gratiam suis cupit exuberare peccatis, ut sibi cupiat peccata cumulari.

62. Fugienda est dementia ista, fugienda : quæ etiam post curam captiva tenetur amore morborum; recidiva enim lethalis sæpius ægritudo. Serm. 113.

63. Illuc vitia redire nequeunt, ubi Christus cum suis virtutibus commoratur. *Ibid.*, serm. 71.

S. THOMAS A VILLANOVA. 64. Recidivum peccati pejus est propter tria : propter ingratitudinem, propter consuetudinem, propter diaboli dominium. Serm. *fer.* 6, *post Dom.* 1, *Quadrag.*

IN VIT. PAT. 65. Omnem causam, quam non abscidit a se homo, iterum in ipsa implicatur. In *Sententiis in fine positis*, sent. 67.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 66. Inconstans non perseverat in eo quod proposuit, sed transilit : et in ea quæ deseruit ac damnavit, redit et revolvitur. Epist. 20.

SIXTUS PHILOSOPH. 67. Fidelis volens esse, præcipue quidem hoc nitere, ne pecces : quod etiamsi forte acciderit, saltem cave ne iteretur id ipsum. *Sent.* 238.

Vide etiam tit. *Confessio*, sent. 69; *Peccatorum remissio*, sent. 82; *Pœnitentia*, sent. 51, 191, 192, 193, 194, 195, 196; *Satisfactio*, sent. 18.

## RECONCILIATIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Si in veritate vis ut vincatur diabolus inimicus tuus, cito tibi reconcilietur proximus tuus. Serm. 1 *Vigil. Ascens.*

2. Non alia salus animæ est, quam reconciliatio auctori suo. *De Quantitate animæ*, cap. 3.

3. Nemo reconciliatur, nisi ex inimicitiis. Tract. 41 super *Joan.*

4. Non reconciliamur, nisi allato quod in medio est. *Prosec.*

5. Non reconciliamur Deo, nisi solvatur quod inter nos et ipsum separat. *Ibid.*

6. Grandis offensa, nolle placare quem offenderis. In suis *Prov.*, verbo *Grandis.*

7. Sola virtus humilitatis est læsæ reparatio charitatis. Serm. 2 *de Nat. Dom.* B. BERNA[RD.]

8. Reconciliati nobis, reconciliati etiam proximo, fiducialiter per munditiam cordis reconciliamur Deo. Serm. 1 *Omnium Sanctorum.*

9. Reconciliatio cordis parum valet sine satisfactione operis. Serm. 2 *Dom.* 12, *post Pent.* S. BON.

10. Ille cui injuria facta est, non debet reconciliationem quærere ex debito necessitatis : sed si facit, complet debitum perfectionis. Lib. 5 *Compend. theol. verit.*, cap. 32.

11. Qui peccando factus est Deo inimicus, nisi satisfaciendo non potest reconciliari, ut fiat amicus. *Prosec.* S. ELIGI[US.]

12. Reconciliatio namque eorum est, qui antea inimici fuerunt : et conciliantur amici, reconciliantur inimici. Homil. 4.

13. Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciente eo, qui contristavit, acerrimis maceretur inediis, usque dum gratanti animo satisfactionem recipiat. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 90, can. *Si quis.* S. FABIA[N.] PAPA.

* 14. Quid est reconciliatio, nisi iterata amorum dissidentium conciliatio? Serm. 32 super *Cant.* apud D. Bernard. GILLEBE[RT.] ANGLI[CUS.]

15. Debemus ad proximum quamvis longe positum, longeque disjunctum, saltem mente ire, eique animum subdere, humilitate illum, benevolentia, ac reconciliatione placare. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 60. S. GREG[ORIUS] MAGN[US.]

16. Ille recte sui delicti veniam postulat, qui prius hoc quod in ipso delinquitur, relaxat. *Ibid.*

17. Plerumque ipse homo qui irascitur, discordanti sibi reconciliari appetit, sed ire ad satisfaciendum prior erubescit. Homil. 32 super *Evang.*

18. Difficilis est reconciliatio criminosorum. Lib. 3 in I *Reg.*, cap. 4, super illud I *Reg.* : *Facietis similitudines.*

19. Quid agemus nos in die judicii, super quorum iram, non unius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit? Epist. 36, ad Castorinam, super illud : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* S. HIER[ON.]

20. Ante tribunal Dei reconciliata, seu scissa concordia, aut præmium recuperabit, aut pœnam. *Ibid.*

21. Qua conscientia ad Eucharistiam Christi accedam, et respondebo Amen, cum de charitate dubitem porrigentis, scilicet non reconciliati? Epist. 16, *ad Theophil.*, super illud : *Si offers munus tuum ad altare.*

22. Grandis offensa est, nolle placare offensum. In *Regula*, cap. 21, *de Patientia.*

23. Grandis offensa est, nolle placare quem offenderis. Lib. 1 super *Hierem.*, cap. II, super illud : *Videte verbum Domini.*

24. Pacem labiis promittis, et corde venenum tenes. Super *Psalm.* CXLIX, vers. ultimo.

[...GO A S. ...CTORE.]

25. Appropinquo ad osculum pacis, qui prius reconciliatus accedere debuissem ad osculum fratris. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 23.

26 Sicut ex injustitia, pax et concordia cunctorum solvitur : ita per justitiam universa reconciliantur. Lib. 1 *Miscellan.*, codic 1, tit. 2.

[...JOANNES ...RYSOST.]

27. Ante omnia reconciliari cum iis qui nos injuria affecere, peccatorum nostrorum absumptio quædam est. *Prosec.*

28. Tam officiosi in eos simus, qui nos offendere, quam sumus in eos qui vere nobis benefaciunt. Homil. 27 super *Gen.*

29. Cum adhuc tempus est, si quis ex vobis est, qui inimico in quempiam sit animo, operam det ut officiose reconcilietur. *Ibid.*

30. Officiorum assiduitate inimici conciliandi sunt. *Ibid.*, homil. 58.

31. Sacrificium Deo gratum est fratrum reconciliatio. Homil. 16 super *Matth. Oper. perf.*

32. Reconciliatio post inimicitias, vim morbi jam obtinentis e medio tollit. *Ibid.*

33. Si injuriatus cuipiam es, satisfacias abunde, reconcilia te illi : et ne magis oratione tua Deus irritetur, deterge linguam oraturus. *Ibid.*, homil. 52, in illud *Matth.* XV : *Omne quod intrat in os.*

34. Si rogatus reconciliaberis, non mandato Dei, sed studio illius lædentis reconciliatus sis, bravia illi reliquisti. *Ibid.*, homil. 80.

35. Nescimus insani, nescimus quanta in reconciliatione voluptas sit : quam in ipsis inimicitiis intelligere non possumus. *Ibid.*

36. Quanto suavius sit amare injuriam, quam odisse, post depositas inimicitias optime percipies. *Ibid.*

37. Qualis præcessit offensio, talis debet sequi reconciliatio. *Prosec.*

38. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare : si verbis offendisti, verbis reconciliare : factis læsisti, factis reconciliare : alioquin nisi quem factis læsisti, factis placaveris, sine causa oras ad Deum. Homil. 11 super *Matth. Oper. imperf.*

39. Si is qui reconciliat, filius Dei dicitur, quo nomine appellandus est, qui eos, qui reconciliantur, amicos facit? Homil. 37 super *Acta Apost.*

40. Non iracundos tantum et malitiæ memores punit Deus, sed et eos qui irascentes aut offensos fratres placare negligunt et contemnunt. Lib. 1 *de Compunct. cordis.*

41. Reconciliationem dissimulari ac differri non patitur Deus. *Ibid.*

42. Ingruente vespera reconciliato proximo, malum adhuc recens extingue. *Prosec.*

43. Etenim si nox illud deprehenderit, non poterit quod nocte accessit ventura dies extinguere malum.

44. Sed etiamsi majorem forte illius partem amputaveris, universum vero non potueris, fiet ut rursus accepto quod relictum est, vehementius incendium operetur nox altera. Serm. 14 super *Epist. ad Ephes.*, in illud IV : *Sol non occidat super iracundiam.*

[S. ISIDORUS HISPALENS.]

45. Qui fratrem sibi tardius reconciliat, Deum sibi tardius placat. *Prosec.*

46. Frustra enim propitiari sibi Deum quærit, qui cito placari in proximum negligit. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 27, sent. 7.

47. Si offenderis quemquam, repropitiare eum prece : perge velociter ad reconciliationem tuam, offensionis tuæ cito veniam postula. *Prosec.*

48. Non dormias, nisi prius revertaris ad pacem : non requiescas, nisi reconciliatus fueris fratri. Lib. *de Synonym.*, cap. 7.

[S. ISIDORUS PELUS.]

49. Antequam sol in occasum vergat, naturam agnoscite, furorem extinguite, arrogantiam comprimite, cognationem ac propinquitatem, quæ etiam foris dominatur, complectimini, ne nox interjecta morbum immedicabilem efficiat. Lib. 2, epist. 189, *ad Ammonium.*

[S. MAXIMUS MART.]

50. Propera, ut cum ipso quamprimum reconciliatus in gratiam redeas, ne præcepto charitatis excedas. Centur. 4, *de Charit.*, cap. 19.

[PRUDENT.]

51. Nil placitum sine pace Deo, non munus ad aram.
Cum cupias offerre probat, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro.

In *Psycom. de Concord. et discord. pugna*, vers. 103.

52. Non inflata tumet, non invidet æmula fratri,
Nunquam læsa dolet, cuncta offensacula donat ;
Occasum lucis venia præcurrere gestit
Anxia, ne stabilem linquat sol conscius iram.

*Ibid.*, vers. 110.

[IN VITIS PATR.]

53. Culpa est Monachi, si læsus a fratribus, primus in charitate purgato corde non occurrit. Lib. 7, cap. 37, num. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 54. Inimicis te placabilem, amicis implacabilem præbes. Lib. 4, *de Rhetor. ad Herenn.*

SENECA. 55. Reconciliatio tua et facilis sit et certa. Epist. 105.

56. Dissensio ab alio incipiat, a te autem reconciliatio. *De Moribus.*

## RECREATIO.

*Vide* REMISSIO ANIMI.

## RECTITUDO.

S. BONAV. *Definitio.* Rectum est, cujus medium non exit ab extremis. Super 2, *Sent.* in Proœmio.

CICERO. Rectum est, quod cum virtute et officio sit. Lib. 3, *de Arte rethor. ad Herennium.*

SENECA. Recte factum est, quod irritum nulla vis efficit. Lib. 1, *de Benefic.*, cap. 5.

S. AUGUST. *Divisio.* Tres sunt species rectitudinis : aliud est regi, aliud dirigi, aliud corrigi, res inanimata proprie dicitur regi : res sensata per rationem dirigitur : res rationalis corrigitur. Serm. 55, *ad Fratres in eremo.*

Tres sunt species rectitudinis : reddere tibi quod tuum est; reddere proximo quod proximi; reddere Deo quod Dei est. Super *Psalm.* LXXXVII.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quando mens sibi recti est conscia, gratulatur, vel infusione quadam spiritali repletur animus gaudio. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 6.

2. Nihil liberius recta voluntate, cui nulla vis aliena potest suam auferre rectitudinem. In *Dialogo de lib. arb.*, cap. 9.

S. AUGUST. 3. Pravitate nostra a rectitudine Dei longe sumus : unde rectum amando corrigimur, ut recto recti adhærere possimus. Epist. 52, *ad Macedonium.*

4. Non est amicus recti, quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est, non juberi. Super *Psalm.* LXVII, vers. 14.

5. Male erigitur, quod non primo corrigitur. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 3.

6. Vere novit recte vivere, qui recte novit orare Homil. 4, *ex* LIII *Homil.*

7. Rectus Deus perverso non placet : vis ut placeat tibi rectus? esto rectus, noli tibi placere. Serm. 2, *Dom.* 19, *post Trinit.*

8. Ubi virtus nulla est, nihil rectum est. Epist. 29.

9. Sic factus est homo rectus, ut et manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino. In *Enchirid.*, cap. 107.

10. Recte vivit, qui obtemperat præcipienti Deo. Lib. 17, *de Civitate Dei*, cap. 4.

11. Omne factum, si recte factum non est, peccatum est. *De Utilitate credendi*, cap. 12.

12. Recte factum est, quod a recta ratione proficiscitur. *Ibid.*

13. Totum recte fit, quando fit propter Deum. Lib. 5, *contra Julian.*, cap. 3.

14. Homo ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. *De Corrept. et gratia*, cap. 6.

15. Amas quod dulcis est Deus, time quod rectus est. Tract. 33, super *Joan.*

S. BERNA[RD]. 16. Quomodo rectus est, cujus fides mortua, cujus opus mors, cujus nulla dilectio, amaritudo multa? Serm. 24, super *Cantica.*

S. BONA[V]. 17. Nihil recipias, nihil retineas, nihil pronunties nisi rectum. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 5, vers. 5, art. 3.

18. Servus Dei est rectus, in declinatione criminis; rectior, in operatione virtutis; rectissimus, in intentione amoris. Serm. 1, *Dom.* 17, *post Pent.*

19. Nihil continuatur recto, nisi rectum : cum ergo virtus nostra summæ potestati continuatur, absque dubio rectificatur, et ex hoc homo non solum rectus, sed etiam rector et rex efficitur. Super lib. 2, *Sent.*

20. Tria sunt, quæ recte hominem deducunt : mansuetudo cordis, veritas oris, et justitia operis. Tit. 7, *Diætæ*, cap. 2.

S. EPHR[EM]. 21. Si rectam vivendi rationem expetis, te in humilitate exerce; sine qua recta vitæ ratio consistere nequit. *De recta vivendi ratione*, cap. 1.

S. GREG. MAGNU[S]. 22. Ea ipsa, quæ recte nos agere credimus, an in districti Judicis examine recta sint, ignoramus. Lib. 5, *Moral.*, cap. 4, super illud : *Viro, cujus abscondita est.*

23. Male se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. *Ibid.*, lib. 5, cap. 26, super illud : *Aut factore suo purior erit vir.*

24. Rectitudo accedens increpat, quod oculus deceptus approbat. *Ibid.*

25. Nequaquam veraciter rectus est, qui adhuc a pravitatis desiderio liber non est. *Ibid.*, lib. 9, cap. 32, super illud : *Loquar et non timebo eum.*

26. Nemo rectitudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit. *Ibid.*, lib. 24, cap. 6.

27. Reprobi recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala recurrunt. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12.

28. Pravi nil rectum, nisi quod ipsi senserint, putant. *Ibid.*, lib. 10, cap. 2.

29. Recta stat anima, cum superna desiderat, et nequaquam flectitur ad ima. Homil. 31, super *Evang.*

30. Mentis judicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit. *Ibid.*

31. Terram semper intuetur, qui curvus est. *Ibid.*

32. Cor hominis dirigitur, quando humana voluntas, divinæ voluntati conformatur. Super *Psalm.* CXVIII, cap. 71.

33. Non est aliquis rectus, si recte non dividat. *Prosec.*

34. Non est rectus, qui linguam Deo, animam offert diabolo.

35. Non est rectus, quem avaritia contrahit, quem torquet ambitio, quem voluptas incurvat.

36. Rectus est, cujus melior est vox operis, quam vox oris : qui bene loquitur, sed melius agit. Super *Job*, cap. 1.

37. Necesse est rectum fieri, quidquid applicatur ad sanam regulam. *De Gigant.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

38. Qui parum a recto exorbitat, non carpitur, sive ad defectum, sive ad exuperationem se flectat : qui vero multum, vituperatur; non enim latet egressus, facile autem non est excipere ratione, quousque et quantum a recto quispiam egressus, carpendus est. Lib. 2, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 9.

39. Id quod recte sese habet, a virtute emergit. *Ibid.*, lib. 4, cap. 2.

40. Voluntas ipsa rectum petens, laudanda est. Lib. 5, *de Benefic.*, cap. 2.

41. Ex rectis actionibus, verum bonum oritur. Epist. 23.

42. Beata vita constat ex actionibus rectis, ad actiones rectas præcepta perducunt : plurimi etiamsi recte faciunt, nesciunt facere se recte. Epist. 95.

43. Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas : voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit. *Ibid.*

44. Sapiens stat rectus sub quolibet pondere. Epist. 71.

45. Multi quid rectum sit, sciunt; sed id facere negligunt. Lib. 4, *Dictor. memorabilium*, cap. 5.

Vide etiam tit. *Cordis rectitudo*, per totum; *Dilectio Dei*, sent. 100; *Judicii corruptio*, sent. 26.

## RECTITUDO CORDIS.

*Vide* CORDIS RECTITUDO.

## REDDERE in genere.

*Etymologia.* Reddere est quasi rem pro re dare. Lib. 6, *de Benefic.*, cap. 5.

*Definitio.* Reddere est, id quod debeas, ei cujus est volenti dare. *Ibid.*, lib. 7, cap. 19.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Si homo dicitur injustus, qui homini non reddit quod debet : multo magis injustus est, qui Deo quod debet, non reddit. Lib. 1, *Cur Deus*, cap. 24.

2. Reddite quod vovistis, quia vos ipsi estis, et ei vos redditis a quo estis. *Prosec.*

3. Reddite, obsecro; neque enim quod redditis, reddendo minuetur, sed potius servabitur, et augebitur.

4. Benignus enim exactor est, non egenus, et qui non crescit ex redditis, sed in se crescere faciat redditores.

5. Huic ergo quod non redditur, perditur : quod autem redditur, reddendo additur : imo vero cui redditur, ipse reddens servatur : id ipsum quippe erit redditum et redditor, quia id ipsum erat debitum et debitor. Epist. 45, *ad Armentarium.*

6. Deo seipsum debet homo, eique reddendus est, ut beatus sit, a quo accepit ut sit. *Prosec.*

7. Ad compellendum non potest esse molestus exactor, quando ad reddendum devotus est debitor. *De quinque hæres.*, cap. 1.

8. Vellem ut nihil aliud agerem, quam reddere me mihi, cui me maxime debeo. *De Quantit. animæ*, cap. 28.

9. Quæ redduntur translegando, ei redduntur, qui translegaverat : et quod creditorum justis successoribus redditur, ipsis utique redditur, quibus isti jure succedunt. Aliter non redditio sed cessio vel admissio, vel si quid aliud hujuscemodi nominanda est. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 15.

10. Anima aut reddit bene utendo quod accepit, aut reddit amittendo quo bene uti noluit : itaque si non reddit faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam. *Ibid.*

11. Anima si non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. *Ibid.*

12. Si res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Epist. 54.

13. Redditur charitas, cum impenditur, nec cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur. Epist. 62.

14. Reddere mala christianus non debet pro malis. *Enchirid.*, cap. 72.

15. Malum malo non male redditur, et ei cui redditur, malum est, quia supplicium est : ei vero a quo redditur, bonum est, quia recte factum ejus est. Lib. 2 *ad Bonifac.*, cap. 7.

16. Reddet Deus et mala pro malis, quoniam justus est; et bona pro malis, quoniam bonus est : et bona pro bonis, quoniam bonus et justus est : tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniam injustus non est. *De Grat. et lib. arb.* cap. 23.

17. Quæ redduntur, data dici possunt. Lib. *Locut.*, locut. 4.

18. Da mihi pro malis bona reddere. Lib. *Medit.*, cap. 1.

19. Deus te divitem fecit, ideo redde illi quod suum est. Hom. 47 *ex* LIII *Homil.*

V. BEDA. 20. Bis gratum tribuit, qui quod debet, cito reddit. In suis *Proverbiis*, verbo *Bis*.

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Qui reddit mala pro malis, bonus non est: qui non reddit bona pro bonis, ingratus est: qui autem reddit mala pro bonis, iniquus est. Super VII *Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* III, vers. 1.

HUGO CARD. 22. Injustus nec Deo, nec sibi, nec proximo, nec carni, nec mundo, nec diabolo reddit quod suum est. Super *Psalm.* XXXI.

S. JOANNES CHRYSOST. 23. Cum quis debitum justitiæ suæ reddiderit, Deo nihil præstat, sed sibi lucrum salutis acquirit. Hom. 3 super *Matth. Oper. imperf.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SIXTUS PHILOSOPH. 24. Quæ mundi sunt, mundo: et quæ Dei sunt, reddantur Deo. *Sent.* 17.

## REDDERE RATIONEM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Grave malum, ut aliquis ore suo condemnetur: etenim si pro otioso verbo reddet unusquisque rationem, quanto magis pro verbo impuritatis et turpitudinis? *Prosec.*

2. Si pro otioso verbo ratio poscitur, quanto magis pro sermone impietatis? Lib. 1 *Offic.*, cap. 2.

3. Si pro otioso verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus et pro otioso silentio. *Ibid.*, cap. 3.

4. Ampliores pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. *De dignit. Sacerd.*, cap. 3.

5. Mihi credite, ita vivamus in hoc sæculo, ut corpore moriamur: ita moriamur, ut rationi reddendæ vivamus. Serm. 3.

S. ANTON. 6. Omne tempus tibi impensum a te exigetur, qualiter fuerit expensum: et sicut capillus a capite non peribit, ita nec momentum a tempore, de quo non exigatur ratio. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 14, § 1.

S. ANTONIUS ABBAS. 7. Nullus recipit memoriam Dei, nec quisquam se rationem redditurum Deo post mortem æstimat. Serm. *de Vanitate mundi.*

S. AUGUST. 8. Pro omnibus tibi subjectis, qui in domo tua sunt, rationem Domino reddes. *De Salutar. docum.*, cap. 29.

9. Nos excepto quod christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra; sumus etiam pastores, unde rationem reddemus Deo de dispensatione nostra. *De Pastorib.*, cap. 1.

10. Irremediabile periculum est, sic aliquem vitiis et cupiditatibus fræna laxare, ut se rationem Deo non meminerit redditurum. Serm. 1, *Fer.* 3, *post Dom. Palmar.*

11. Quanto præ aliis major dignitas in honore est, tanto major difficultas in reddenda ratione. Serm. 39 *ad Fratres in eremo.*

12. Non cogito in ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transire, sed cogito me principi pastorum omnium rationem de commissis redditurum. Epist. 203.

S. BASILIUS MAGNUS. 13. Non solum quomodo ipse accepisti, sed etiam quomodo a te exigetur quod acceperis, cogita. Super *Psalm.* XIV, conc. 4, vers. 6.

14. Pro certo habe, accuratum eorum, quæ quisque in vita gesserit, examen fore. Apud *D. Joannem Damascenum*, lib. 1 *Parall.*, cap. 15.

S. BERNAR. 15. Si de omni, vel otioso verbo Deo reddituri sunt homines rationem, quanto districtius de verbo mendaci, mordaci, et injurioso, de elato vel lascivo, de adulatorio aut detractorio? Serm. *de Triplici custodia linguæ.*

16. Cum scienter et ex deliberatione in verba otiosa lingua laxatur, contra regulam usurpat veritatis: unde ratio reddenda est in futuro judicio, judice ipso terrifice admodum comminante. *De Præcepto et dispens.*

S. BONAV. 17. Nihil debemus loqui vel agere, de quo non possumus reddere rationem. Serm. 3 *in Hexam.*

18. De tribus reddenda est ratio: de malorum admissione; de bonorum omissione; de subditorum commissione. Serm. 2 *Dom.* 8, *post Pent.*

S. CYRILL. HIEROSOL. 19. Oportet nos reddere rationem de omnibus in corpore factis. *Cateches.* 18.

20. Majora recipienti, ratio major reddenda crescit. *Prosec.*

21. Quot ovium Christi, vel negligentia episcopi, vel exemplo in peccata deviant, de tot tenetur Domino reddere rationem. Epist. *ad Augustin. de Miraculis D. Hieron.*

DIONYSIUS CARTHUS. 22. Quo religiosus plura et aptiora habet media proficiendi in omni gratia et virtute, eo coram judice summo culpabilior ac damnabilior invenitur. *Prosec.*

23. Quo etiam plura atque majora omnipotenti promisit, et ad sublimiora sua professione se obligarit, eo major ratio a summo Judice requiretur. *De Profess. monast.*, art. 7.

S. EUSEBI. CÆSARIEN. 24. Qui scit et solum facit, et alios non docet, tenebitur Domino reddere rationem. Epist. *ad Damascenum Papam de morte D. Hieron.*

25. Exigere habet ab homine rationem, qui seipsum pro homine dedit, et confixus clavis legem mortis fixit. Hom. 3 *Epiph.*

26. Ille pro commissa nobis salute rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Hom. 1 *de Symbolo.*

GLOSS. OR. 27. Rectitudinis pavore concutitur, qui se red-

dendis rationibus conspicit non esse idoneum, si districte judicetur. Super *Job*, cap. XXIII.

28. Quanto majus est æs alienum, tanto major timor, scilicet de reddenda ratione. Super *Psalm.* XCVIII.

29. Si pro otioso sermone redditurus est unusquisque rationem, quanto magis verba sacrilega gravibus suppliciis expiabit? Super *Malach.*, cap. 3.

EGOR. NUS. 30. Penset qui regendis hominibus præfertur, quia ad satisfaciendum districto Judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit : et quot regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet, quæ nimirum cogitatio si assidue mentem excoquit, omnem superbiæ tumorem premit. Lib. 24 *Moral.*, cap. 15, num. 30.

31. Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. *Prosec.*

32. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Serm. 9 super *Evang.*

33. Qui nostrorum operum rationem reddere vehementer expavescimus, de eo quod aliis præsumus etiam Deo reddere rationem debemus. Lib. 5 in I *Reg.*, cap. II.

RON. 34. Perclarum est, ut non modo sermonis et actionis, sed etiam omnis temporis, atque adeo momentaneæ ac tenuissimæ partis horæ, rationem nobis reddendam existimemus. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1, *Parall.*, cap. 15.

35. Mens Christo dedita, æque in majoribus, et in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem. Epist. 3, *ad Heliodor.*

A S. DRE. 36. Prælatus non tumeat de dignitate, sed timeat de reddenda ratione. In *Annot.* super *Ep. ad Rom.*, in illud : *Qui præest.*

ARD. 37. Non ita scrupulosi erant antiqui, nec suspiciosi, quin omnia sua fidei servorum committerent; sed modo prælati volunt audire etiam de minimis rationem. Super *Gen.*, cap. XXIV.

38. Dum vivis, cogita qualiter debeas operari et regere gregem tuum : alioquin in die judicii oportet te reddere computum et rationem vitæ, et administrationis tuæ. Super *Luc.*, cap. XVI, in illud : *Redde rationem villicationis tuæ.*

39. Unusquisque christianus, pro suo peccato reddet rationem : sacerdotes autem non tantum pro suis, sed et pro omnium subditorum peccatis *Ibid.*, cap. XIX.

NNES SOST. 40. Melius est propter misericordiam Deo rationem reddere, quam propter severitatem. Hom. 43 super *Matth. Oper. imperf.*

41. Non solum dives, verum etiam pauper suæ paupertatis Deo rationem redditurus est. *Prosec.*

42. Sicut a divite beneficentiæ, sic a paupere tolerantiæ ratio reposcitur. Hom. 20 *ex Divers. in Matth.*

43. Magistratus et judices rigide in judicio Dei examinantur, si justitiam non corruperunt, si neque in odium, neque in gratiam litigantium sententiam tulerunt, si non obsequiis deliniti, præter jus et æquum suffragati sunt, si non privatæ injuriæ memores, pœnas sumpserunt de insontibus. *Ibid.*

44. Cui episcopatus obligit, quanto altius dignitatis fastigium conscendit, tanto gravior ab eo ratio reposcitur. *Ibid.*

45. Non operum tantummodo, sed etiam verborum : nec dictorum tantum, sed et auditorum ratio reddenda est. *Ibid.*

46. Unusquisque nostrum de seipso reddet rationem, quam ut justam et probabilem afferamus nostram formemus vitam : scientes hanc solam nobis parari posse excusationem, si nos recte fecisse ostenderimus. Hom. 21 super I *Cor.*

47. Considera quantum periculi sit, per singulos subditorum discuti, rationemque pro omnibus reddere, quantumvis illi honoris impendas, quantumlibet obsequii deferas, nihil his periculis referre par poteris. Hom. 2 super II *Tim.*, in illud : *Quasi rationem reddituri.*

48. Omnium quos regis, mulierum, puerorum, atque virorum, tu rationem redditurus es : tanto igni tuum subjicis caput; miror si potest salvari aliquis rectorum, post tantam comminationem. Hom. 34, super *Epist. ad Hebr.*, in illud : *Ipse enim vigilant.*

49. Horrendum illum ac tremendum diem memoria tenete, in quo omnes ad Christi tribunal sistentur, ut eorum quæ in vita gesserint, rationem reddant. *Prosec.* S. JOANNES DAMASC.

50. Quemadmodum nos a famulis nostris non modo exitus, sed etiam introitus rationem exposcimus, eodem quoque modo Deus a nobis, non modo impensæ, sed etiam adoptionis rationem exacturus est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 15.

51. Omnium periculorum maximum est, cum separata per mortem a corpore anima summo pastori Deo, pastor terrenus ad rationem ponendam fuerit præsentandus. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 6. JOAN. TRITH.

52. Sciant præsules, quod de veritate sint redituri rationem, pro eo quod conticescunt de plebibus sibi commissis. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 45, sent. 3. S. ISIDORUS HISP.

53. Cui plus committitur, plus ab eo exigitur, etiam cum usura pœnarum. *Ibid.*, cap. 50, sent. 5.

54. Nullus est homo absque peccato, nec quisque potest de Dei securus esse judicio, cum etiam et de otiosis verbis reddenda sit ratio. *Ibid.*, cap. 62, sent. 10.

LACT. FIRM. 55. Semper ita vivamus, ut rationem nobis reddendam arbitremur. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 24.

56. Putemus momentis omnibus nos desuper spectari ab eo, qui et judex et testis ipse futurus est, cui rationem vitæ reposcenti actus nostros inficiari non licebit. *Ibid.*

ORIGENES. 57. Principes non solum pro suis propriis arguuntur delictis : sed et pro populi peccatis coguntur reddere rationem. Hom. 20 in cap. XXV *Num.*, super illud : *Et iratus est furore Dominus.*

PETRUS BLESENS. 58. Salus animarum, quarum custodiam suscepisti, de tuis manibus in districto et summo examine requiretur. Epist. 157, *ad Vicarium suum.*

59. Quot graduum culmen ascenderitis, tot rationum vinculis estis alligati. *Ibid.*, serm. 40.

60. Adest jam judex, positum est tribunal, circumstant senatores, profligant ligatores, percurrunt allegationes; Serve, dic, age, redde rationem. *De Panibus*, cap. 15.

S. PETRUS DAMIANUS. 61. Villicus quanto in commissa largiori possessione beatior, tanto est in reddenda ratione miserior : tantoque debet plura cum reddit, quanto gloriatur ampliora cum accipit. Opusc. 13, cap. 15.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 62. In illo tremendi judicii examine uniuscujusque testimonium vix sibi soli sufficiet, quanto minus sibi et proximo? *Prosec.*

63. Quid dicet homo dormiens, cum ratio erit reddenda? quid homo negligens, homo nec sibi nec suis providens? Lib. 1, epist. 24 *ad Guidon. prior. Carthusiæ.*

S. REMIGIUS 64. Unusquisque pro se rationem est redditurus, non solum operum et sermonum, sed etiam cogitationum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 14, can. 12.

ROBERTUS A SORBONA. 65. Si de verbis otiosis oportet reddere rationem, quid de verbis luxuriosis, et de perjuriis, et de blasphemiis, et de omnibus malis? Lib *de Conscientia.*

66. Sicut de omni verbo otioso oportet reddere rationem, ita de omni silentio. *Ibid.*

THALASSIUS MONAC. 67. Verborum et operum ac cogitationum, rationem reddituri sumus in die judicii. *Hecatontad.* 3, sent. 2.

S. THOMAS AQUINAS. 68. Hoc est maximum periculum, hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 13, lect. 1.

THOMAS A KEMPIS. 69. Certe adveniente die judicii, non quæretur a nobis quid legimus, sed quid fecimus; nec quam bene diximus, sed quam religiose viximus. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 3, sect. 5.

S. THOMAS VILLA-NO... 70. Felices, qui solum de seipsis in die judicii reddituri sunt rationem. Serm. *Dom.* 3, *Advent.*

S. VALER... EPISCOP... 71. Non est unde rationem in posterum præstet, qui de die in diem Domino bonorum operum fructus justus justo labore ditatus obtulerit. Hom. 4 *de Promiss.*

IN VIT. PA... 72. Coram cœli et terræ Domino rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, et tu rides? Lib. 5, libel. 3, num. 23.

S. ZENO EPISCOPU... ET MART... 73. Genus insaniæ est, eum rationem secreti naturæ disquirere, qui vitæ suæ non possit rationem reddere. Serm. 2 *de Genesi.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 74. Nihil est minus ferendum, quam rationem ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere. Orat. 4 *pro Cæcilio.*

75. Multi legem sibiipsi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt. Orat. 8 *in Verrem*, lib. 3, act. 4.

PLATO. 76. Certissimum est unumquemque nostrum, animum immortalem habere, eumque ad Deum proficisci oportere, rationemque vitæ redditurum. Sizygia 4, lib. 12 *de Legib.*

Vide etiam tit. *Abbas*, sent. 6; *Dignitas*, sent. 76; *Eleemosyna*, sent. 75; *Exemplum*, sent. 10, 79; *Imperator*, sent. 64; *Justitia Dei*, sent. 17; *Judicium extrem.*, sent. 125; *Judicii corruptio*, sent. 62; *Munus*, sent. 15; *Pastor*, sent. 135, 140; *Princeps*, sent. 69; *Resurrectio humana*, sent. 64; *Sacerdotis dignitas*, sent. 65.

## REDEMPTIO CAPTIVORUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBRO... 1. Summa liberalitas captivos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, et maxime fœminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ restituere. Lib. 2 *Offic.*, cap. 15.

2. Præcipua est liberalitas, redimere captivos, et maxime ab hoste barbaro, qui nihil deferat humanitatis ad misericordiam, nisi quod avaritia reservaverit ad redemptionem. *Ibid.*

3. Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur : ornatus sacramentorum, redemptio captivorum est. *Prosec.*

4. Tunc vas Dominici sanguinis agnosco, cum in utroque videro redemptionem, ut calix ab hoste redimat, quos sanguis a peccato redemit. Lib. 2 *Offic.*, cap. 28.

S. ANTONI... 5. Eos, qui detinentur in carceribus pro debitis redimere, pro eis solvendo creditoribus, magna eleemosyna est. Part. 2, tit. 1, cap. 24, § 2.

AUGUST. 6. Ubi redemptio sonat, intelligitur et pretium. Lib. 3, *contra Julianum*, cap. 3.

T. FIRM. 7. Proprium justorum opus est, alere pauperes ac redimere captivos. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 12.

8. Quæ in supervacua impensurus es, ad meliora convertas : unde bestias emis, hinc captivos redime : unde feras pascis, hinc pauperes ale. *Ibid.*

9. Redimere ab hoste captivos, magnanimi opus est. In *Epitome*, cap. *Dixi*.

LEO I. 10. Quidquid in pretia captivorum impenditur, non minuitur, sed augetur. Serm. 1 *de Jejun. Pentec.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 11. Redemptum a prædonibus eum, qui ipse redemit, redimere vicissim oportet, quicunque is sit. Lib. 9 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 2.

12. Redimere patrem potius, quam se etiam redimere, filium oportet. *Ibid.*

## REDEMPTIO HUMANA.

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Vilesceret redemptio sanguinis Christi, si justificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis. Lib. 1 *de Vocat. gentium*, cap. 5.

2. Christus carne suscepta maluit in hunc mundum redemptor venire, quam judex. *De obitu Theodosii imperat.*

3. Liber est, qui sapiens est, pretio emptus oraculorum cœlestium, illo auro, illo argento, pretioque emptus sanguinis et gratiæ Christi. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum.*

4. Qui fideliter et scienter intelligunt, quo pretio sint redempti, nolunt de mundi hujus sapientibus, nollunt esse de fortibus. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem.*

5. Passio Christi nostra redemptio est. Serm. 56 *de Cruce Christi.*

6. Pretio sanguinis Christi redempta est Ecclesia. Lib. 2 *de Abraham*, cap. 11.

7. Creati ad laborem sumus, redempti ad quietem. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 14, vers. 3.

8. Plus me redimendo mihi Christus contulit, quam creando : tunc enim sine sensu natus sum, nunc vero cum voluntate servatus. *Ibid.*, serm. 16, vers. 7.

9. Plus, Domine Jesu, injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus, quod creatus sum : non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Lib. 2 super *Luc.*, cap. II, in illud : *Impleti sunt dies ut pareret.*

10. Bonum aurum sanguis est Christi, dives ad pretium, profluus ad lavandum omne peccatum. Super *Psalm.* XXXV.

S. ANSELM. 11. Non emit nos Christus, quia per naturam ipsius semper fueramus : sed redemit, quia captivi peccato tenebamur. *Prosec.*

12. Qui enim aliquem redimit, suum docet fuisse quem redimit : ita Christus nos redemit, quia ejus eramus. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 3, in illud : *Per redemptionem, quæ est in Christo.*

S. AUGUST. 13. Miser ego ! quantum deberem diligere Deum meum, qui me redemit cum perieram ! *Prosec.*

14. Perieram, et ad mortalitatem descendit, mortalitatem suscepit, passionem sustinuit, mortem vicit, et sic me restauravit.

15. Perieram, et abieram, quoniam in peccatis meis eram venumdatus ; venit ille post me, ut redimeret me, et tantum dilexit me, ut sanguinis sui pretium appenderet pro me, talique pacto reduxit me de exilio, et redemit de servitio. *De Spiritu et anima*, cap. 17.

16. Magna est miseria, superbus homo ; sed major misericordia, humilis Deus. *De Catechiz. rudib.*, cap. 4.

17. Idem in divinitate auctor est rerum, qui in carne redemptor est hominum. *Contra Felicianum*, cap. 10.

18. Fusus est sanguis medici, factus est medicamentum phrenetici. *De quinque hæres.*, cap. 7.

19. Per passionem Filii omnes gentes redemptæ sunt ad salutem. Super *Psalm.* XCIII, vers. ult.

20. Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei : discedite a me in ignem æternum. *Prosec.*

21. Festinet unusquisque cum vivit, ut vivat : currat ut ejus pretioso sanguine redimatur : ne cum non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum. Lib. 2 *de Symbolo*, cap. 8.

22. Copiosa redemptio nobis data est in vulneribus Jesu Christi, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, et perfectio virtutum. In *Manuali*, cap. 21.

23. Agnoscat homo quantum ab illo expectet Deus et quem tanta dignatione habuit charum, quam velit esse in conversatione pretiosum. *Prosec.*

24. Agnoscat homo quantum valeat, et quantum debeat ; et dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat.

25. Custodiamus ergo sollicite quod tanti sui cruoris commercio Christus redemit.

26. Reus erit non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violat et maculat animam Christi sanguine et passione mundatam.

27. Reus erit æternæ mortis, qui vilem in se habuerit sanguinem Redemptoris. Serm. 1 *Fer.* 3, *post Domin. Palmarum.*

28. Pretium redemptionis nostræ sanguis est Christi. *Epist.* 57, in solut., quæst. 6.

29. Passio Domini pretium est orbis terrarum : passus enim totum orbem redemit. Epist. 171.

30. Christi redemptio multa delicta dissolvit, quæ peccato originali abundantia prævaricatricis iniquitatis adjecit. Epist 89, quæst. 3.

31. Si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est. Epist. 157.

32. Natura humana post peccatum Redemptore indiget. Epist. 95.

33. Omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo est ; non tamen omnis qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est. Lib. 1 *de Conjug. adult.*, cap. 15.

34. Pretium meum non aurum, sed sanguis Christi est. *De quinque hæresibus*, cap. 7.

35. Condidit Ecclesiam, qui fratres humiliter redemit occisus. Lib. 2 *contra Crescon.*, cap. 13.

36. Christus mortuus est potestate, et hoc est pretium nostrum, quo nos a morte redimeret. *De Nat. et grat.*, cap. 24.

37. Ubi redemptio sonat, intelligitur et pretium. Lib. 3 *contra Julian.*, cap. 3.

38. Omnis humana natura redimi nullo modo potest, nisi per sacramentum sanguinis Christi. *De Nat. et grat.*, cap. 2.

39. Noli minorem facere Filium in eo quod fecit te, quia ideo minor factus est ut redimeret te. *De Cantico novo*, cap. 7.

40. Solo Agni sanguine homines redimi potuerunt. Tract. 7 super *Joan.*

41. Si sanguis Christi non funderetur, mundus non redimeretur. *Ibid.*, tract. 37.

42. Foras misso invasore habitet Redemptor, quia ipse redemit qui creavit. Tract. 4 super *Epist. Joan.*

43. Venales nos petamus, ut Christi sanguine redimamur. Tract. 41 super *Joan.*

44. Christus pretium dedit, non argentum, sed sanguinem suum. *Ibid.*

45. Ille emit, qui pretiosum sanguinem fudit. *Ibid.*, tract. 47.

46. Non habet frater, habes tu : unum est pretium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis. Tract. 5 super *Epist. Joan.*

47. Liberat a servitute solus Dominus, qui illam non habuit. Tract. 41 super *Joan.*

48. O inæstimabilis charitas ! ut liberares servum, Filium tradidisti. Lib. *Meditationum*, cap. 15.

49. Cum justitia te judicabit, qui cum misericordia te redemit. Hom. 36 *ex* LIII *Homil*

50. Nemo liberat venumdatos sub peccato a vinculis captivantis, nisi gratia redimentis. Epist. 105.

51. Christus apparuit nobis, non in forma Dei, ne id quod debile est consternaret : sed in forma servi, ut id quod in servitutem redactum erat, liberaret. Conc. 24 *de Nativ. Christi.* S. BASILIUS MAGNUS.

52. O intolerabilia mala ! quos in libertatem crux asseruerat, diabolus iterum raptat : quos Christus sanguine liberavit, captivos iterum tyrannus ostentat. Orat 27. S. BASILIUS SELEUC.

53. Vehementissimo tui amore inflammata divina majestas redemit te. *Prosec.* S. BERNARD.

54. Triginta et tribus annis operatus est salutem tuam in medio terræ, affixus cruci, addictus morti, ludibriis deputatus : quid ultra debuit facere, et non fecit ? cujus vel saxeum pectus tanta et talis a tanto et tali collata beneficiorum multitudo non emolliat ?

55. Quidquid igitur es, quidquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti. Serm 2, *Non est regnum Dei esca et potus.*

56. O duri, et indurati et obdurati filii Adam ! quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit. *Prosec.*

57. Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abunde, quia largiter : quid ultra debuit facere, et non fecit ? Serm. 2 *Pentec.*

58. Quidquid es, quidquid potes, debes creanti, redimenti te. Serm. 2 *de Verbis Apostoli.*

59. Mors a morte redemptio, mors Christi a morte, vita ab errore, peccato gratia liberavit. *Serm. ad Milites templi*, cap. 11.

60. Hoc est quod me plus movet, plus urget, plus accendit, quod super omnia te mihi reddit amabilem, Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. *Prosec.*

61. Hoc est quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. Serm. 20 super *Cant.*

62. Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo, mundum reconcilians sibi. *Ibid.*, serm. 61.

63. Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est : gravis animæ casus, quæ nonnisi Christi cruce potuit reparari. Epist. 54 *ad Haymericum Romanæ Sedis cancellarium.*

64. De malo proditionis Judæ fecit Deus bonum redemptionis nostræ. Serm. 2 *in Cœna Domini.*

65. O inæstimabilis dilectio charitatis, ut servum redimeres, Filium tradidisti ! Super *Sap.*, cap. XV. S. BONAV

66. Suffecisset ad redemptionem humani gene-

ris minima gutta sanguinis Jesu Christi : sed data est copia ut ex inundatione beneficii virtus innotesceret diligentis. Serm. 6 *Dom.* 1, *Advent.*

67. Magna liberatoris potestas, et benefica liberationis pietas, et ingenua liberatorum nobilitas. Collat. 43 in cap. VIII *Joan.*

[…]IODOR. 68. Ipse fideles redimit, qui suum Filium pro humano genere inæstimabile pretium dedit. Super *Psalm.* VII, vers. 2 : *Dum non est qui redimat.*

69. Christus non aurum dedit, ut nos liberaret : sed sanguinem suum pretiosum, nullis divitiis, nullis opibus conferendum. Super *Psalm.* XXXI, vers. 9.

70. Nulla oblatio, nulla placatio potest compensare, quod nos divinitas est dignata redimere *Psalm.* XLVIII, vers. 7.

71. Quæ major misericordia, quam propter nos creati Creatorem, servire Dominatorem, vendi Redemptorem, humiliari Exaltatorem, occidi Vivificatorem ? Super *Psalm.* L, vers. 1.

72. O inæstimabile pretium, quod redemit genus humanum ! quamvis multorum martyrum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio fuit redemptio peccatorum. Super *Psalm.* LIV.

73. Salus humani generis, quæ in Adam perierat, redintegrata est per Dominum Christum. Super *Psalm.* LXI, vers. 6.

74. Si multitudinis misericordia non fuisset, nequaquam redimi poteramus obnoxii. Super *Psalm.* LXVIII, vers. 17.

75. Dominus Salvator peccatores obnoxios pretioso sanguine suo a diaboli redemit imperio. Super *Psalm.* CV, vers. 2 : *Et redemit eos.*

76. Redemit nos Christus diversis injuriis, et passionibus suis, alapis cæsus, flagellis verberatus est : redemit nos utique sanguine suo pretioso : hoc enim fuit pretium, quod pretium non haberet. Super *Psalm.* CXXXV, vers. 24 : *Et redemit nos.*

[…]ILLUS […]EX. 77. Quoniam pretio empti sumus, nec sumus nostri, serviamus Emptori pro viribus, carnis rebelles motus edomando. Homil. 17 *De Festis Paschal.*

[…]SEBIUS […]SSEN. 78. Nimium ingratus est Liberatori, qui in patria degens, loquitur dolore captivi. Homil. *in Litaniis.*

79. Qui se cœlesti pretio vident redemptos, ad cœlestia non dubitent præparatos. Homil. 2 *de Pascha.*

80. Qui militiæ christianæ mancipatus, dicere se præsumit ingenuum, pene est ut neget se Christi sanguine comparatum. *Prosec.*

81. Quid aliud est dicere, Liber sum, quam ipsi Domino clamare, Nihil tibi debeo ? Non bene ingenuus comprobatur, qui misera vitiorum servitute deprimitur. Homil. 3 *ad Monachos.*

S. GREGOR. MAGNUS. 82. Tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus indigna suscepit. Homil. 6 super *Evang.*

83. Ille omnes redemit, qui omnibus excellit. Lib. 1 in I *Reg.*, cap. 11, super illud : *Non est sanctus, ut est Dominus.*

84. Quo pretio sit redemptus non meminit, qui ima quærit. Homil. 31 super *Evang.*

85. Terram semper intuetur, qui curvus est : et quo pretio sit redemptus non meminit, qui ima quærit *Ibid.*

HAYMO. 86. Qui se cœlesti pretio vident redemptos, ad cœlestia non dubitent præparatos. Serm. 1 *fer.* 4, *Pent.*

S. HIERON. 87. Mysterium est quod passio Christi redemptio est salutis humanæ. Super I *ad Timoth.*, cap. III, in illud : *Habentes mysterium fidei.*

HUGO CARD. 88. Mysterium humanæ liberationis ignotum est. Super *Epist. ad Romanos*, cap. I.

S. INNOC. III 89. Disposuit cœlestis altitudo consilii, ut per mortem suam genus humanum Christus redimeret : quatenus inimicos ad charitatem accenderet, superbos ad humilitatem reduceret. Serm. 1 *Dom.* 1, *Advent.*

90. Redemptio proprie dicitur, liberatio quæ sit dato pretio : homo namque seipsum vendere potuit in servitutem diaboli, sed redimere non potuit seipsum a servitute diaboli : unde ad redemptionem ipsius necessaria fuit misericordia Domini copiosa. Super *Psalm.* CXXIX, vers. 7.

S. JOANNES CHRYSOST. 91. Mors per Adam, vita per Christum : per Christum redimitur quod per Adam fuerat captivatum. Serm. *de Genesi.*

92. Non Judæ traditio, sed sapientia Christi, atque potentia salutem peperit universis. Homil. 82 super *Matth. Oper. perf.*

93. Ultimæ amentiæ est, quæ Christo pretiosissima sunt, et talia ut eorum gratia mortem obire non recusaverit, ita despicatissima arbitrari. Homil. 20 super I *Cor.*

94. Redemptio nostra non est nummi, sed gratiæ : non est corporis, sed animæ. Homil. super *Psalm.* XXV.

95. Cogita quantum illum esse necessarium sit, quem tantus Christus ita appretiatus est, ut nec sanguini suo pepercit. Homil. *de Profectu Evangelii.*

96. Filium suum unigenitum, non servum, non angelum, non archangelum : nemo unquam pro filio tantam præ se tulit charitatem, quantam pro servis, et ingratis servis, Deus. Homil. 26 super *Joan.*, super illud : *Ut Filium suum unigenitum daret.*

JOAN. TRITH. 97. Qui dedit semetipsum pro te, nihil aliud præter teipsum quærit a te. In cap. 4 *Regul. S. Bened.*, verbo *Quidquid.*

S. IRENÆUS. 98. Memor esto, dilectissime, quoniam carne Domini redemptus es, et sanguine ejus. Lib. 5 *advers. Hæres.*, cap. *Traductis.*

S. LEO I. 99. Causa reparationis nostræ non est, nisi misericordia Dei. Serm. 1 *de Jejunio decimi mensis.*

100. Sicut nullum Dominus a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Serm. 1 *de Nativit.*

101. Effusio pro injustis sanguinis Justi, tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula detinerent. Serm. 12 *de Passione.*

S. MACHAR. ÆGYPT. SEN. 102. Perpende dignitatem tuam, quam sis pretiosus : nam angelis te fecit Deus præstantiorem, cum ille ipse redemptionem tuam subiit in terra. Homil. 15.

S. PROSPER. 103. Immortalis anima creata nisi sanguine redempta fuerit, eam in æternam pœnam cum carne victuram, evangelica fides annuntiat. *De Promiss.*, part. 1.

S. REMIG. 104. Ejus voluntati obedire debemus, cujus sanguine redempti sumus. Super 1 *Cor.*, cap. VI, cant. 19.

RICHARD. A S. VICTORE. 105. Misericordia nostræ redemptionis in hoc insinuatur, Christus sola charitate, nostræ miseriæ compassione, Patri obediens mortem pertulit, et in hoc ipso apud Deum Patrem multum meruit, omneque meritum suum suis membris concessit : et sic in passione sua eum, qui mortis habebat imperium, destruxit, et hominis reatum expiavit, et peccatorem Deo Patri reconciliavit. Part. 1, serm. *in die Paschæ.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 106. Magni est homo pretii animal, magni, inquam, pretii : cum pro eo sit Christus in cruce suspensus. Epist. 57 *adversus Andronicum.*

THOMAS A KEMPIS. 107. Felix anima, quæ sacramenta nostræ redemptionis studiose recolit, affectuose diligit, digne veneratur., In *Soliloq. animæ*, cap. 25, sect. 9.

108. O felix et beata hora ! qua homo redemptus est ab æterna morte. *De tribus tabernaculis*, cap. 31, sect. 7.

S. VINCENT. FERRAR. 109. Noli te servituti diaboli subjicere, quia pretium tuum sanguis Christi est, qui misericordia te redemit. *Prosec.*

110. Ergo ex quo pretium nostræ redemptionis est tam magnum, et tanti valoris, caveamus ne vendamus nos iterum diabolo modico pretio. Serm. *de Circumcisione.*

111. Lapis pretiosus seu margarita est anima nostra, quæ plus valet, quam aliquid corporale quæ est empta pretioso sanguine Jesu Christi. *Ibid.*

112. Si pro redemptione unius animæ non sufficit totus mundus, quanto magis pro omnibus animabus ; ideo nullum erat pretium sufficiens, nisi sanguis Christi infiniti valoris. *Prosec.*

113. Unde si in statera divinæ justitiæ in una parte essent omnes animæ, et in alia minima gutta sanguinis Christi, plusquam omnes animæ ex conjunctione divinitatis. Serm. 1 *post Pascha.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

114. Volo intueri pretia sanguinis animarum vestrarum. Lib. 7 *de Beneficiis*, cap. 9. SENECA.

115. Perierat totus orbis nisi iram finisset misericordia. Lib. 1 *Controvers.* 1.

Vide etiam tit. *Damnatio*, sent. 15 ; *Debitum*, sent. 7, 39 ; *Pœna*, sent. 67 ; *Recidivatio*, sent. 18 ; *Reddere rationem*, sent. 26 ; *Servitus*, sent. 28.

## REGIMEN.

*Definitio.* Gubernare, est rem ad debitum finem convenienter perducere. Part. 1 *Summæ*, quæst. 103, art. 1. S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Stultus regere se non potest, et nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum.* S. AMBROS.

2. Stulto et imperare servitus est, et quod pejus est, cum paucioribus præsit, pluribus dominis et gravioribus servit. *Ibid.*

3. Difficilius quispiam se, quam alterum regit. *Prosec.*

4. Animum regendo vincere, iracundiam, cohibere, compugnantesque leges carnis et mentis in unum cogere, immortalis cujusdam est viri, quem inferni porta non susceperit. Lib. 1 *de Cain et Abel*, cap. 6.

5. Grave est præsertim insipientibus, non habere rectorem *Ibid.*, lib, 2, cap. 9.

6. Mens nihil sibi arroget, quia se regere non potest, nisi divino favore suffulta. Lib. 2 *de Abraham.*, cap. 8.

7. Ampliores pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. *De Dignit. sacerd.*, cap. 3.

8. Tanta debet esse præcellentia vitæ rectoris ad vitam subditorum, quantum pastor excellit conditionem suarum ovium. Part. 1, titul. 3, cap. 7, § 1. S. ANTONIN.

9. Quemadmodum corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur : ita omnia corpora reguntur per spiritum vitæ, et spiritus vitæ irrationalis per spiritum S. AUGUS.

vitæ rationalem, et spiritus vitæ rationalis desertor atque paccator, per spiritum vitæ rationalem, pium et justum, et ille per ipsum Deum. Lib. 3 *de Trinit.*, cap. 4.

10. Ipsa est optima gubernatio, ut omnia suis temporibus distributa ex ordine generantur, ne animum humanum turbulentis implicationibus involuta perturbent. *De Opere monachorum*, cap.18.

11. Plerumque dum nimium servatur humilitas, regendi frangitur auctoritas. In regula 3, *ad Clericos*.

12. In domo justi viventis ex fide, qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare. Lib. 19, *de Civitate Dei*, cap. 14.

13. Fastus regius non disciplina putata est regentis, vel benevolentia consulentis, sed superbia dominantis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 12.

14. Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. *Ibid.*, lib. 19, cap. 19.

15. Spiritus regit, caro regitur : ille imperare debet, ista servire. Nam ubi caro imperat et spiritus servit, perversa domus est. *Prosec.*

16. Recta domus est ubi vir imperat, fœmina obtemperat : rectus ipse homo, ubi spiritus imperat, caro servit. Tract. 2, super cap. 1, *Evang. Joan.*

17. Regat te præpositus, ut possit a te regi subjectus. *De utilit. jejunii.*

18. Debes regi, ut possis regere. *De verbis Dom.*, serm. 43.

19. Mens regit, caro regitur : et magis sum ego n eo quod rego, quam in eo quod regor. *De Verbis Apost.*, serm. 5.

20. Necesse est ut talis sit grex, qualis sit et rex. Serm. 42, *ad Fratres in eremo.*

21. Quod totum potest regere : etiam partem regit. Lib. 3, *de Libero arbitrio*, cap. 12.

22. Aliud est quod regit, aliud quod regitur : animus rationalis regit, irrationalis cupiditas regitur. Lib. 14, *de Civit. Dei*, cap. 22.

23. Intellectus animam regit. Tract. 15, super *Joan.*

24. Vir non bene regit fœminam suam, nisi cum a superiore regitur. *Ibid.*

. BEDA. 25. Qualis rector est civitatis, tales inhabitantes. In suis *Proverb.*, verbo *Qualis*.

BERNARD. 26. Bene non regis, si bene non regeris. Epist. 289, *ad Reginam Hierosol.*

. BONAV. 27. Ad hoc pessimum invigilare debet sollicita cura rectoris, ut in commisso grege meritum virtutis accrescat, claudatur via vitiis, et detur moribus disciplina. Epist. *ad Quemdam provincialem.*

. DIONYS. 28. Qui seipsum rexerit, alterum etiam reget : et qui alterum, etiam domum, et civitatem : qui civitatem, etiam nationem reget. Epist. *ad Demophilum monach.* AREOPAGIT.

29. Nihil est miserabilius, nil quod citius expugnari queat his, qui nullos duces, nullos rectores habent ad viam Dei. *Doctrina* 5. S. DOROTE.

30. Beata navis, quæ a peritis gubernatur : væ autem navi, quæ ab imperitis regitur ; nam navis confringetur propter imperitiam gubernatorum. *De Virtute*, cap. 1. S. [illegible]

31. Magna insolentia ; remigare enim antequam sciamus, gubernare tentamus. *De timore Dei.*

32. Imperio animæ, carnis conditio obsecundet, ne effrænata licentia, ancilla ejiciat dominam suam. Tract. *de Machab.* S. GAU[illegible]

33. Nullus potest esse bonus rex in regimine sui et aliorum, nisi abjiciat a se superbiæ vitium. Super I *Reg.* xv. GLOSS. [illegible]

34. Justum est, ut qui non novit moderamina vitæ suæ tenere, non subito fiat rector alienæ. Super *Judith*, cap. 10.

35. Quanto reges plurium rerum regimen habuerunt, tanto majoribus suppliciis succumbent. Super *Psalm.* xcviii.

36. Moderati viri carnem regunt, et spiritui subdunt. Super *Psalm.* cxxxvii. GLOSS. [illegible]

37. Non regunt, sed regere videntur, qui male præsunt. Super *Daniel.*, cap. 13.

38. Unusquisque superbus rector, toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatus, honoris sui singularitate lætatur. Lib. 24 *Moral.*, cap. 14, num. 29. S. GREGOR. MAG.

39. Ne impietatis dux, per officium pietatis existat : non enim debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, neque ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, qui quod resecare debuit, ipse committat. *Ibid.*, cap. 15, num. 30.

40. Unusquisque rector quoties extollitur in eo quod cæteros regit, toties per lapsum superbiæ a summi rectoris servitio separatur. *Ibid.*, cap. 14, num. 29.

41. Rectori provido cogitatione sollicita potestas, quæ accepta est, non honor, sed onus æstimatur. *Ibid.*, cap. 16, num. 30.

42. Potestas regiminis ministrari non potest sine studio curæ temporalis : idcirco omnipotens Deus onus regiminis, duris ac laboriosis cordibus injungit. *Ibid.*, lib. 25, cap. 16, num. 22.

43. Locus regiminis cum regendus offertur, in se prius necesse est ut quisque discutiat, si loco vita congruit, si ab honore actio non dissentit. *Ibid.*, num. 23.

44. Qui summa regit, etiam extrema non deserit : quia sic impenditur maximis, ut tamen hæc

eadem cura regiminis non præpediatur a parvis. *Ibid.*, lib. 27, cap. 11.

45. Pensandum est valde, ad culmen regiminis qualiter quisque veniat : atque ad hoc rite perveniens, qualiter vivat, et bene vivens qualiter doceat, et recte docens infirmitatem quotidie quanta valet consideratione cognoscat; ne aut humilitas accessum fugiat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. In Prologo *Pastoralis curæ.*

46. Est ars artium regimen animarum. Part. 1, *Pastor.*, cap. 1.

47. Cum cuique regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus et aliis prosit, ex corde debet fugere, et invitus obedire. *Ibid.*, cap. 6.

48. Rectori necesse est ut interiora possit infundere, cogitatione innoxia etiam exteriora providere. *Prosec.*

49. Sollicitudo quæ subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur. Part. 2, *Pastor.*, cap. 7.

50. Erga subditos suos inesse rectoribus debet et juste consolans misericordia, et pie sæviens disciplina. *Ibid.*, part. 2, cap. 6.

51. Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Lib. 6, *in Registro,* indict. 15, cap. 169, epist. 5, *ad Cyriacum episc. Constantinop.*

52. Tanto pondera majoris tribulationis quis sentit, quanto super se regendorum populorum curam susceperit. *Ibid.*

53. Ducatum animarum sæpe impudenter assumunt illi, quibus via omnis ignota ductoris est : et quo vel ipsi gradiuntur, ignari sunt. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 114, epist. 114, *ad Theodoric. et Theodebert. reges Franc.*

54. Quæ erit districtio iniquitatis propriæ, si irremediabilis culpa est negligentia curæ alienæ? *Prosec.*

55. Si subditorum peccata incorrepta perenni reatu prælatos obligant, audacia iniquitatis propriæ, quibus eos pœnis ligat? Lib. 2, in I *Reg.*, cap. 3, super illud : *Prædixi enim.*

56. Summus locus non bene regitur, nisi rectoris mens divini muneris summa gratia repleatur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5, super illud : *Immutavit ei Deus cor.*

57. Nullus debet subire culmen regiminis, qui robur non habet magni operis : scilicet contemplationis scientiam, et fervorem charitatis. *Ibid.*, lib. 6, cap. 3, super illud : *Ipse ei enim.*

58. Si dux exercitus non nisi labore et sollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debent? Lib. 7, in *Registro,* indict. 2, cap. 114, epist. 115, *ad Theodoric. et Theodebert. reges Francor.*

59. Sit rector operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet; et grex qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Part. 2, *Pastoral.*, cap. 3.

60. Sit rector discretus in silentio, utilis in verbo; ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. *Ibid.*, cap. 4.

61. Sit rector singulis compassioni proximus, præ cunctis contemplatione suspensus; ut et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat. *Ibid.*, cap. 5.

62. Sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, et bonis in nullo se præferat, et cum pravarum culpa exigit, potestatem sui prioratus dignoscat. *Ibid.*, cap. 6.

63. Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat : virtutibus vacuus, nec coactus accedat. Part. 1 *Pastoral.*, cap. 9.

64. Petri vicem et ligando et solvendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide et moribus tenent. Lib. 2 *Dialogi,* cap. 23, verbo *Numquid.*

65. Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Homil. 26, super *Evang.*

66. Nullus ex laico habitu quisquam repente audeat ad locum sacri regiminis pervenire. Lib. 7, in *Registro,* indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagrium episcopum.*

67. Nulla dispensatione indigni ad culmen regiminis venire permittantur. *Prosec.*

68. Cum in plerisque sanctæ Ecclesiæ negotiis salubris sit dispensatio, lethalis profecto et mortifera est, ubi aut cæci per ignorantiam, aut irreligiosi sapientes, aut ad sæcularia negotia projecti, ad aliorum primatum venire permittuntur.

69. Hi enim ignorando, illi sciendo et non faciendo, subditorum animas perimunt, illi negligendo spiritualia, sequendo carnalia et terrena.

70. Horum finis desiderium est, fulciri divitiis, honoribus extolli, potentum hujus sæculi familiaritatibus sublimari.

71. De quibus omnibus reprobæ mentis affectibus oriri potest negligentia animarum subditorum, contemptus Christi, et Ecclesiæ dilapidatio facultatum.

72. Quæratur ergo ut nulla dispensatione indigni præferantur, quia quod lethiferum est, nunquam permitti debet. Lib. 6, in I *Reg.*, cap. 3.

73. Mihi revera ars artium, et scientia scientia- S. GREGOR.

NAZ. rum esse videtur, hominem regere, omnium animantium versutissimum, simul ac moribus diversissimum. In *Apologet. de sua fuga.*

S. HIERON. 74. Familiam tuam ita rege et confove, ut te matrem magis tuorum, quam dominam videri velis, a quibus benignitate potius quam servitute exige reverentiam : fidelius et gratius semper obsequium est, quam quod a metu proficiscitur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

75. Rectorum est, ut laborantium noverint sudorem, vel lapsis manum porrigere, vel errantibus viam ostendere. In *Regula monachorum*, cap. 6, *de Correctione.*

76. Boni rectores ex sua infirmitate, infirmitates aliorum pensantes, magis per humilitatis et mansuetudinis levamentum student peccantes ab erroris laqueo eruere, quam per austeritatem in foveam perditionis nutantes propellere. Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 1, dist. 45, can. *Recedite.*

HUGO A S. VICTORE. 77. Qui locum tenet regiminis, mala inferre non debet, sed tolerare, ut ex sua mansuetudine iracundos valeat mitigare. Super *Regul. D. Aug.*, cap. 11.

78. In periculo magno versatur, quisquis in regiminis loco sublimatur. *Ibid.*

JOAN. CASS. 79. Bene regere, vel regi, sapientis esse pronuntiant : summumque donum et gratiam sancti Spiritus esse definiunt. *Prosec.*

80. Neque salutaria præcepta quempiam posse obtemperantibus præstituere, nisi eum qui prius universis virtutum disciplinis fuerit instructus.

81. Nec obedire quemquam seniori posse, nisi eum qui consummatus timore Dei, et humilitatis fuerit virtute perfectus. *De Cœnob. inst.*, lib. 2, *de Noct. orat.*, cap. 3.

S. JOANNES CHRYSOST. 82. Qui amat, magis capescere imperium, quam imperare gaudet; sit licet imperare jucundum. Homil. 32, super I *Cor.*, in illud *Joan.* 21 : *Si me amas, oves meas pasce.* Alia versio sic se habet :

83. Qui diligit, non tam lætatur si imperet, quam si ei imperetur : etiamsi imperare sit jucundum. *Ibid.*

84. Nihil eum qui imperium gerit, æque indicat, ut amor atque indulgentia, ergo eos quibus præest. Homil. 15, super II *Cor.*

85. Imperare ars est, et non solum dignitas : imo ars est artium omnium summa. *Ibid.*

86. Qui amat, nec præcipere vult, nec imperare : sed gratius habet magis ut sibiipsi imperetur ac præcipiatur. Homil. 2, super I *Thessal.*

87. Non decet indignum regere, sed potius regi. Homil. 10, super I *Timoth.*

88. Eum qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis cæteros, veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. *Prosec.*

89. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam atque compositam, ut omnes in illum, et in ejus vitam veluti in exemplar aliquod excellens intueantur. *Ibid.*

90. Melius est a nullo, quam a pessimo regi. Homil. 34 super *Epist. ad Hebræos.*

91. Qui cum ambitione petit principatum, si male sui regiminis administraverit officium, hujusmodi homo sibi locum veniæ claudit. *Ibid.*

92. Quantalibet quisque animi virtute polleat; cum tamen clavum, et Ecclesiæ gubernacula suscipit, insperatis fluctibus quatitur, et varii undique negotiis actus, pene submergitur. Homil. 1 super II *Tim.*

93. Omnes qui recte subesse ac parere didicerunt, recte quoque imperio fungi scient, cum ad potentiam pervenerint. Lib. 1 *Parall.*, cap. 21. S. JOAN. DAM.

94. Votis, etsi non re, plures numero sunt rectores, quam illi quos regunt. Nam qui regi velint perpauci sunt, cum quisque ut emancipetur a jugo rectoris proprii, totis viribus quærat. Lib. 7 *de Nugis curial.*, cap. 19. JOAN. SAR.

95. Quis non mallet pascere porcos rusticorum, quam regimen tenere animarum ? In cap. 2 *Regulæ S. Bened.*, verbo *Durus.* JOAN. TRITH.

96. Heu ! quomodo ducatum præbere poterit, qui nunquam sub eo fuit ? *Ibid.*

97. Regimen qui suscipis animarum sis forma vitæ quam subditos sequi velis. *Ibid.*, verbo *Hinc.*

98. Res difficilis est regimen animarum propter periculum regentium : quia cum nullus seipsum bene ad plenum regere valeat, quomodo alios regere præsumit ? *Ibid.*, verbo *Res.*

99. Ardua res regimen animarum, et multis tribulationibus quatitur, qui ad eas gubernandas præficitur. *Ibid.*

100. Corpora malus medicus, animas imperitus rector occidit. *Ibid.*

101. Quid hoc regimine ferocius, quid sceleratius, ubi non Deus, non ratio, non intellectus, sed bestia principatur ? Part. 1 *de Regione claustral.*, tract. 1, reg. 1, art. 3.

102. Tutius est regi quam regere : quoniam quanto quis in eminentiori constitutus est loco, tanto majori versatur in periculo. Lib. 2 *de Tent. relig.*, cap. 5.

103. Maxima sollicitudine curandum est, ut is qui rector aliorum constituitur sapientia simul et religione decoretur. Orat. 4 *in Conventu abbat. habitæ.*

104. Omnium actionum difficillima et periculosissima est animarum custodia : quæ non pueris,

non rudibus, non carnalibus : sed viris prudentibus et spiritualibus est committenda : neque enim parva res est, animas regere. *Prosec.*

105. Si vero rudi, carnali, et inexperto regimen animarum committitur, cito disciplina dissipatur. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 106. Non sunt promovendi ad regimen Ecclesiæ, qui adhuc vitiis subjacent. *Prosec.*

107. Non debet honoris ducatum suscipere, qui nescit subjectis tramite vitæ melioris præire.

108. Neque enim quisquam ad hoc tantum præficitur, ut subditorum culpas corrigat, et ipse vitiis serviat. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 34, sent. 1.

109. Heu me miserum inexplicabilibus nodis astrictum ! si enim susceptum regimen ecclesiastici ordinis retineam, criminis conscius timore concutior : si vero deseram, ne deterior sit culpa susceptum gregem relinquere, amplius formido, undique miser metuo, et in tanto rei discrimine quod sequar, ignoro. *Ibid.*, sent. 3.

110. Pro meritis plebium, disponitur a Deo vita rectorum. *Ibid.*, cap. 39.

111. Qui præficitur ad regimen, taliter erga disciplinam subjectorum præstare se debet, ut non solum auctoritate, verum etiam humilitate clarescat : sed tamen ita sit in eo virtus humilitatis, ne dissolvatur vita subditorum in vitiis; atque ita auctoritas adsit potestatis, ne per tumorem cordis severitas existat immoderationis. *Ibid.*, cap. 42, sent. 1.

112. Quidam ipsum nomen regiminis ad immanitatem transvertunt crudelitatis. *Ibid.*, cap. 48, serm. 8.

S. LAURENT. JUSTIN. 113. Qui ad regimen vocantur animarum, summa cum diligentia observare debent, a quo vocentur, quove ad illud moveantur affectu, quoniam ministerium difficillimum accepturi sunt. *Prosec.*

114. Ad quod non elate pro adipiscenda gloria, non lætanter pro adimplendis voluptatibus, non cupide pro aggregatione divitiarum accedendum est, sed humiliter, sed devote. *De Regim. prælat.*

115. Grande prorsus onus, negotium multarum vigiliarum, pavendumque ministerium est regimen animarum : et heu ! pene reperiuntur innumeri, qui se ad hoc arbitrantur idoneos. *Ibid.*, cap. 16.

S. PETRUS DAMIANUS. 116. Regimen Ecclesiæ, onus est onerum. Lib. 1, epist. 20 *ad Cadal. antipap.*

RICHARD. A S. VICTORE. 117. Ille est dignus alios regere, qui ad perfectionem sanctitatis curat pertingere, Part. 2, lib. 1 super *Apoc.*, cap. 8.

SALVIANUS. 118. Regimen esse non potest, nisi fuerit jugiter in rectore judicium. Lib. 1 *de Gubern. Dei.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 119. Si imperare regium est, imperat is qui in subditos tales quales esse decet, dominatum exercet, ex eodem studiorum vivendi genere, quo ii utuntur qui dominandi peritiam habent. *De Regno ad Arcadium imperat.*

S. THEODOR. 120. Decet eum, qui in imperio constitutus est, de subditis omnem curam gerere. Super *Psalm.* XXIV.

121. Quanto plurium rerum impii regimen habuerunt, tanto majoribus suppliciis succumbent. Super *Psalm.* XCVI, vers. 5.

122. Multa mala conciliat, nullum habere rectorem. Super lib. *Judic.*

S. THOMAS AQUINAS. 123. In quolibet genere minora per majora reguntur : sicut corporalia reguntur per spiritualia, et inferiora corpora per superiora. 2, 2, quæst. 185, art. 3, argum. 3.

S. URB. I PAP. ET MART. 124. Quis tam arrogans, tam impudens invenitur, qui in cœlesti militia, quæ propensius ponderanda est, statim dux esse desideret, cum tyro ante non fuerit. In *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 60, can. *Si officia.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 125. Sæpe pravi pro optimis dominantur. Lib. 8 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 10.

126. Non jam fiunt imperia ob virtutem, sed ob divitias et potentiam. *Ibid.*

127. Omnis domus regitur a seniore. Lib. 1 *Polit.*, cap. 1.

128. In re familiari imperium est unius : nam ab uno regitur omnis domus. *Ibid.*, cap. 4.

129. Is, qui imperat, perfectam virtutem habere debet moralem : nam ejus opus est simpliciter præcipientis et præsidentis, ratio autem præcipit atque præsidet. Lib. 1 *Polit.*, cap. 8.

130. Recte dicitur neminem bene imperare posse, qui non prius sub imperio fuerit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 3.

131. Administratio domus, alia mulieris, alia viri est, nam viri est acquirere, mulieris servare, *Ibid.*

132. Qui imperare velit recte, oportet ipsum prius sub imperio fuisse. *Ibid.*, lib. 7, cap. 14.

CICERO. 133. Sine imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Lib. 3 *de Legibus.*

134. Qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est : et qui modeste paret, videtur qui aliquando imperet, dignus esse. *Ibid.*, num. 5.

135. Ad rem gerendam qui accedit, caveat ne id modo consideret, quam illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. Lib. 1 *Offic.*, num. 73.

136. Non viribus, aut velocitate aut celeritate corporum res magnæ geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia. *De Senect.*

137. Quomodo, e cui libero imperabit, qui non potest suis cupiditatibus imperare? *Prosec.*

138. Refrænet primo libidines, spernat voluptates, iracundiam terat, coerceat avaritiam, et cæteras animi labes repellat : tunc incipiet imperare, cum ipse improbissimis dominis dedecori, aut turpitudini parere desierit. *De Paradox.*, cap. 5.

139. Nec imperia expetenda, ac potius non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam. Lib. 1 *Offic.*

SCA. 140. Nemo regere potest, nisi qui et regi. Lib. 2 *de Ira*, cap. 15.

141. Excogitare nemo quidquam poterit, quod magis decorum regenti sit, quam clementia. Lib. 1 *de Clemen. ad Neron.*, cap. 19.

142. Quomodo regere potest, qui regi non potest? Epist. 40.

143. Regi debet animus, dum incipit posse se regere. Epist. 94.

US OPH. 144. Gaudet rex super his quos regit, gaudet Deus super sapiente. Inseparabilis est ab his, quos regit ille qui regit : ita et Deus ab anima sapientis, quam regit. *Sent.* 405.

Vide etiam tit. *Auctoritas*, sent. 60; *Dissimulatio*, sent. 23; *Familia*, sent. 4; *Hypocrisis*, sent. 66; *Regnum terrenum*, sent. 22.

## REGNUM CŒLESTE.

### SENTENTIÆ PATRUM.

UST. 1. Tantum emit regnum cœlorum vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium : regnum Dei tanti valet, quantum habueris. Super *Psalm.* XLIX, vers. 7.

2. Regnum Dei omni fama majus est, omni laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria (quæ putatur) excellentius. *De Diligendo Deo*, cap. 18.

3. Regnum Dei plenum est, lucis ac pacis, charitatis et patientiæ, honestatis et gloriæ, dulcedinis et dilectionis, lætitiæ et beatitudinis perennis, et omnis boni ineffabilis, quod nec dici, nec cogitari potest. *Ibid.*

4. Regnum cœlorum, o homo, aliud non quærit pretium, nisi teipsum; tantum enim valet, quantum es : te da, et habebis illud. In *Manuali*, cap. 18.

5. Nihil in regno Dei desideratur quod non inveniatur, nihil enim invenitur nisi quod placet et delectat et satiat. *De triplici habitaculo*, cap. 1.

6. In regno æterno erit vita sine morte, veritas sine errore, felicitas sine perturbatione : omne bonum in regno Dei abundat, et nullum malum. *Ibid.*

7. Ad appetenda cœlorum regna plus valet mentis humilitas, quam præsentium divitiarum temporalis paupertas. *De duodecim abusion.*, cap. 8.

8. Regnum cœlorum non divitum, sed pauperum est : si est regnum cœlorum pauperum, restat ut infernus sit divitum. *De Contemptu mundi*, cap. 7.

9. Infelix commercium, pro tam brevi gaudio, cœlesti privari regno ! *Ibid.*

10. In regno cœlesti nulla erit tristitia, nullus ibi labor, nullus dolor, nullus timor, nulla mors, sed perpetua semper sanitas perseverat. *Prosec.*

11. Ibi nulla consurgit malitia, nulla carnis miseria, nulla ægritudo, nulla omnino necessitas.

12. Non erit ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo jejunii, nec ulla tentatio inimici, non peccandi voluntas, non delinquendi possibilitas, sed totum lætitia, totum exultatio possidebit.

13. Nihil hoc regno magnificentius, nihil gloriosius, nihil charius, nihil pulchrius, nihil verius, nihil illa bonitate sincerius, nihil illa abundantia copiosius. *De vanitate sæculi*, cap. 2.

14. Regnum Dei crescente possessorum numero non minuitur, quia non dividitur : unicuique integrum est, quod concorditer habetur a multis. *De verbis Dom.*, serm. 18.

15. Regnum Dei venale est, eme si vis, nec multum exæstues de re magna propter pretii magnitudinem; tantum valet, quantum habes : noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista et valet, quantum es tu; te da et habebis illum : sed malus sum, inquies : dando te illi, bonus eris. *Ibid.*, serm. 64

16. Quam parvo constat regnum cœlorum, quam vili pretio tanta possessio proponitur ! *Prosec.*

17. Proponitur enim in terra, quod possideas in cœlo : proponitur in tempore quod possideas in æternum.

18. Non potes dicere : Non habeo unde emere possim, quia tanta est illa possessio, quod ad eam pretium congruum invenire non possim : nonne tantum valet, quantum habere potueris ? an forte nihil habes ? sufficit tibi coram Deo voluntas bona. Homil. 8 *ex L* *Homil.*

19. Ad regnum cœlorum non conducit nos gloria mundi, non multitudo divitiarum, non nobilitas generis, non scientia, non sapientia, non

facundia verborum; sed solum gratia, virtutes, et opera. Serm. 23 *ad Fratres in eremo.*

20. Nullus locus medius est, ut non sit in supplicio, qui non erit in regno. Hab. in Glossa ord. super illud 5, *ad Galat* : *Regnum Dei non consequentur.*

21. Non intratur aliter in regnum cœlorum, nisi baptismo, ex quo instituit Christus, ut sic intretur. Lib. 13 *Conf.*, cap. 21

22. Non admittitur in regnum cœlorum, qui christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit. *De Nat. et grat.*, cap. 8.

23. Honores vanos qui quærit, non vult cum Christo regnare. In *Psalmo contra partem Donati.*

24. Deus in regnum suum non est recepturus omnes in quibus invenerit aliquam veritatem, sed in quibus invenerit veritati congruam charitatem. *De unico baptismo*, cap. 7.

25. Tantum amo regnum Dei, ut hominis magnam judicem pœnam, si eo nunquam possit intrare. Lib. 5, *contra Julian.*, cap. 1.

26. Natos ex Adam tranferri renatos oportet ad Christum, ne a regno Dei pereant. *Ibid.*, cap. 15.

27. Non putetis indignum, ut qui non admittuntur in regnum Dei, sint sub illo qui cecidit de regno Dei. *Ibid.*, lib. 6, cap. 9.

28. O regnum vere beatum! carens morte, vacans fine; cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus. Lib. *Medit.*, cap. 22.

29. Sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitæ nemo sine Christo. Epist. 157.

30. Perire a regno Dei tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari. In *Enchirid.*, cap. 112.

31. Homines perversos, etiamsi intrent parietes ecclesiæ, non arbitreris intraturos in regnum cœlorum : quia suo tempore separabuntur, si se in melius non commutaverint. *De Catechiz. rud.*, cap. 27.

32. Non alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis. Lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 30.

33. Optare et orare ut veniat regnum Dei, nihil est aliud quam optare ab illo ut dignos nos faciat regno suo, ne forte, quod absit, veniat, et non nobis veniat : quid est ut nobis veniat? ut bonos nos inveniat. Hom. 42 *ex* LIII *Homil.*, cap. 2.

S. BASILIUS SELEUC.

34. Regnum cœleste amantem gloriæ, sui cupitorem repellit, ambitiosa desideria rejicit; humilitatis est merces, non ambitionis diversorium. Orat. 28.

S.BERNARD.

35. Regnum Dei tantum valet quantum habes; Deus a te non requirit quod tibi non dedit : ergo tu hoc da illi, quod ille dedit tibi, scilicet mentem sanctam, castam, mundam, pudicam, religiosam, timoratam, ac bonis moribus ornatam. Serm. 8 *ad Sororem.*

36. Regnum Dei tantum valet quantum tu es; trade teipsum Christo, et compara regnum ejus ab illo. Non turberis de pretio : pretium non te turbet, non tibi videatur difficile, non tibi sit grave, quoniam Jesus Christus Rex cœlorum semetipsum dedit pro te, ut te Deo Patri acquireret. *Ibid.*

S. BONA

37. Labore et dolore, cum gemitu et fletu acquiritur regnum Dei : deliciis autem et honoribus perditur paradisus. In *Alphab. religiosor.*, lect. 11.

38. Regnum Dei, tanto est utilius, quanto fecundius : tanto securius, quanto sublimius : tanto jucundius, quanto lucidius : tanto nobilius, quanto a nobilioribus possidetur. In *Regula novit.*, cap. 14.

S. CYPRI

39. Ad regnum pervenire non poterit, qui eam Ecclesiam, quæ regnatura est, derelinquit. *De unit. Eccles.*, cap. 8.

40. Non regnum cœleste consequitur quisquis nisi recti et justi itineris observatione gradiatur. *Ibid.*

GLOSS. OI

41. Iter Dei regni est obedientia. Super *Matth.*, cap. VII.

42. Qui bonis operibus merentur sibi regnum cœli, tanto Deo sunt viciniores, quanto sanctiores. Super I *Paralip.*, cap. 18.

S. GREGO MAGNI

43. Neque maledici regnum Dei possidebunt : pensa itaque quam gravis culpa est, quæ separat a regno cœlestis vitæ. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 15, verbo *De hoc.*

44. Qui post terrenam potestatem, regni cœlestis gloriam cupit acquirere, ad faciendum lucrum Creatori suo debet enixius laborare. Lib. 9 in *Registro*, ind. 4, cap. 59, epist. 59, *ad Aldibergam Regin. Anglor.*

45. Post diem judicii regni janua lugentibus claudetur, quæ modo quotidie pœnitentibus aperitur. Homil. 12 super *Evang.*

46. Regnum cœlorum nullus murmurans accipit, nec ullus qui accipit, murmurare potest. *Ibid.*, hom. 19.

S. HIERO

47. *Regnum cœlorum vim patitur*; nisi tibi vim feceris, cœlorum regna non rapies. Epist. 22, *ad Eustoch.*

48. Ad cœleste præmium, cœlestem vitam para. Epist. 1, *ad Demetriad.*

49. Dispares sunt in regno cœlorum per singulorum merita mansiones : diversitas enim operum, diversitatem facit præmiorum ; quantum-

que aliquis hic in sanctitate fulserit, tantum ibi fulgebit honore. *Ibid.*

50. Apud christianos fœcunda captivitate regnum quæritur. Epist. 6, *ad Amicum.*

51. Dilatio regni sanctorum, patientiæ comprobatio est. Super *Daniel*, cap. XII.

HILAR. 52. Regnum cœlorum sola verborum officia non obtinent. Super *Matth.*, cap. 6.

GO A S. CTORE. 53. Regnum cœlorum tantum valet, quantum habes : nihil vilius, cum emitur, nihil cariuscum possidetur. Super *Regul. D. August.*, cap. 1, in illud II *Cor.* IX : *Hilarem datorem.*

54. Excute torporem, qui cœli quæris honorem :
Non dabitur segni cœlestis gloria regni.
Serm. 54 *de Divers. in Quadrag.*

O CARD. 55. Venale habeo, et quid? Regnum cœlorum. Quibus emitur? Quinque denariis : Qui sunt illi? Paupertate regnum, fame satietas, labore requies vilitate gloria, morte vita. Super *Gen.*, cap. 20.

56. Pauperibus datur regnum cœlorum, quia minus non possunt habere, quam id quod est commune omnibus bonis, et omnium præmium generale. Super *Matth.*, cap. V.

57. Omnia quæ sunt in regno cœlorum, possidet pietas : quia quidquid possidet pietas, pauperum est. *Ibid.*, cap. 5.

N. CASS. 58. Finis christianæ professionis, regnum Dei, seu regnum cœlorum est. Collat. 1, *Abbat. Moysis*, cap. 4.

59. Ubi nobis nostri domestici non adversantur, ibi et regnum Dei tranquillitate mentis acquiritur. Collat. 18, *Abb. Piammon.*, cap. 16.

IOANNES RYSOST. 60. Gratiæ illa benignitas est, ut pro rebus minimis et vilissimis cœleste regnum homini tribuatur. Homil. 80 super *Matth. Oper. perf.*

61. Regnum cœlorum est beatitudo cœlestis Janua ejus est sacra Scriptura : clavicularii, sunt sacerdotes : clavis est verbum scientiæ Scripturarum : adapertio, est interpretatio vera. Hom. 44 super *Matth. Oper. imperf.*

62. Ubique alacritate opus est, et multo fervore : regnum enim non aliter acquiritur, nisi per crucem. Hom. 31 super *Acta Apost.*

63. Esto dives, hoc enim et ipse volo : posside, affatim diripe, nulla hic culpa est. Hic non abundare, crimen est ; hic non diripere, culpa est. *Prosec.*

64. Esto illic violentus, esto rapax : non minuitur quod rapitur, sed virtus tunc augetur, dum rapis. Hom. 10 super II *Tim.*, in illud *Matth.* XI : *Regnum cœlorum vim patitur.*

65. Divitiæ Dei sunt, si plures sint, qui cœlesti regno fruantur. *Ibid.*

AURENT. USTIN. 66. Sine martyrio, scientia, facundia, facultatibusque possunt homines cœlorum adipisci regna; sine proximi vero dilectione, nunquam. In *Fasciculo amoris*, cap. 2.

67. Non dormientibus provenit regnum cœlorum; nec otio desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur. Serm. 5 *de Epiphan.* S. LEO P.

68. Quanto quisque spirituale regnum amplius dilatat, fidelius dispensat, districtius regit, prudentius disponit; tanto potentior efficitur, tanto major judicatur. Part. 1, lib. 1, *de Erud. hom. inter.*, cap. 6. RICH. A S. VICT.

69. Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cœlestia. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 1. THOMAS A KEMPIS.

70. Non obtinet regnum promissum, corporis delicata custodia. Hom. 17, *de Bono martyrii.* S. VALER. EPISCOPUS

Vide etiam tit. *Honor*, sent. 77; *Paupertas voluntaria*, sent. 23, 24; *Via*, sent. 20; *Vocatio Dei*, sent. 12.

## REGNUM TERRENUM.

*Definitio.* Regnum est gubernatio alicujus provinciæ per unum, ad bonum commune. COLLECTOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Sine justitia, omnia sunt mera tyrannis ; beata ergo regna, ubi regnat justitia. Part. 3, serm. 14, regina 9, cap. 23. B. ALANUS DE RUPE.

2. Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia et ipsa latrocinia quid sunt nisi prava regna? *Prosec.* S. AUGUST

3. Manus ipsa hominum ex imperio principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda dividitur : hoc malum intantum crescit, ut et loca teneat, sedes constituat, civitates occupet, populos subjuget, evidentius regni nomen assumit. Lib. 4 *De Civitate Dei*, cap. 5.

4. Divina providentia, regna constituuntur humana. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

5. Veraces regnant, sapientes regnant, prudentia regnat, pura cuncta regnant. Lib. 4 *de Musica*, cap. 11.

6. Dominus ad tuendam Ecclesiam suam, jugo suo in gremio ejus toto orbe diffuso omnia terrena regna subjecit. Epist. 169.

7. Martyribus pro fidei veritate morientibus persequentia regna ad Christum conversa sunt. *De Catechiz. rud.*, cap. 24.

8. In potestate Dei est, regnum dare et auferre. Lib. 1 *de Consens. Evang.*, cap. 12.

9. Deus temporalia regna atque terrena quibus voluerit, et quamdiu voluerit distribuit. *Ibid.*

10. Malus etiamsi regnet, servus est; nec unius hominis, sed, quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum. Lib. 4 *de Civit. Dei*, cap. 3.

11. Non sine Dei providentia, in cujus potestate est, ut quisque bello aut subjugetur, aut subjuget : quidam sunt regnis prædili, quidam regnantibus subditi. *Ibid.*, lib. 18, cap. 6.

12. Populos sibi non molestos, sola regni cupiditate bellis subdere, grande latrocinium nominandum est. *Ibid.*, lib. 4, cap. 6.

13. Cum diu fuissent regna Orientis illustria, voluit Deus et Occidentale fieri, quod tempore esset posterius, sed imperii latitudine et magnitudine illustrius. *Ibid.*, lib. 5, cap. 12.

14. Regnum terrenum et piis et impiis dat Deus, sicut ei placet, cui nihil injuste placet. *Ibid.*, lib. 5, cap. 21.

15. Ibi sunt regna felicia, ubi omnium pleno consensu regibus obeditur. Lib. 21 *contra Faust.*, cap. 14.

S. BERNARD. 16. Regna terræ et jura regnorum; tunc sane sana suis dominis atque illæsa persistunt, si divinis ordinationibus ac dispositionibus non resistunt. Epist. 255, *ad Ludovicum regem Francorum.*

17. Mobile regnum possidet, qui cor suum possidet. *Prosec.*

18. Non regnat, qui in corde suo deditus servitutibus vitiorum, præsidet urbibus et turbis populorum.

19. Solus is regnat, qui deposito cordis imperio, ad leges rationis ordinat totam familiam motuum interiorum et exteriorum : si insurgit rabies leonina, premitur per patientiam : si petulantia hirci, per abstinentiam : si ferocitas apri, per mansuetudinem : si superbia unicornis, per humilitatem. *De Inter. domo*, cap. 24.

20. Sapientes latent, et delitescunt, pueri regnant et principantur. *De Natura et dignitate amoris*, cap. 14,

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Quanto cæteros homines regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna regni vestri culmen excellit. Lib. 4 in *Registro*, indict. 14, cap. 106, epist. 106, *ad Childebertum regem Francorum.*

22. In regni regimine virtus justitia, et potestas eget æquitate ; nec ad hoc alterum sine altero potest sufficere. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 181, epist. 121, *ad Brunichildam reginam Francorum.*

23. Tunc regnum bene regitur, cum regnandi gloria animo non dominatur. *Ibid.*, cap. 126, *ad Rechared. regem Visigot.*

24. Regnum stabiliri creditur, cum culpa quæ cognoscitur, citius emendatur. *Ibid.*, lib. 9, indict. 4, cap. 64. *ad Brunichildam reginam Francorum.*

S. JOANNES CHRYSOST. 25. Nihil prodest regnum ei, qui superno auxilio destituitur, et nihil potentius est eo, qui manu Dei adjuvatur. Hom. 35 super *Gen.*

26. Et si nihil regno in terris est firmius, facile tamen destruitur seditione dissipatum. Hom. 42 super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. GER. 27. Nullum regnum est tam opulentum, quod non dissolvatur. Tract. *de Temperant. et vestitu prælator.*

S. ISIDOR. HISPALEN. 28. Qui recte utitur regni potestate, ita se præstare omnibus debet, ut quanto magis honoris celsitudine claret, tanto semetipsum mente humiliet. *Prosec.*

29. Qui recte utitur regia potestate, formam justitiæ factis magis, quam verbis instituit : iste nulla prosperitate erigitur, nulla adversitate turbatur, non innititur propriis viribus, regni fastigio humili præsidet animo, non eum delectat iniquitas, non inflammat cupiditas. Lib. *de Summo bono*, cap. 49, sent. 1 et 3.

30. Sæpe per regnum terrenum, cœleste regnum proficit : ut qui intra Ecclesiam positi, contra fidem et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur. *Ibid.*, cap. 51, sent. 6.

LACT. FIRM. 31. Regnum imperiumque terrenum, nisi metus custodiat, solvitur. *De Ira Dei*, cap. 23.

S. PETRUS CHRYSOL. 32. Regnum velle servum, crimen est : adire, periculum : temeritas, non timere. Serm. 23.

S.THEODOR. 33. Everso regno, necesse est etiam magistratus, qui sub eo degunt commutari. Sect. 12 super *Ezech.*

34. Lamentis certe, et luctibus dignius es, qui ex injusti cædibus, regnum tuum auxeris. Super *Habac.*, cap. II.

S. THOMAS AQUINAS. 35. Regnum nihil aliud dicitur, nisi regimen : ibi autem est optimum regimen, ubi nihil invenitur contra voluntatem regentis. Opusc. 7 super *Pater noster*, petit. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTE. 36. Regnum per amicos servatur. Lib. 5 *Polit.*, cap. 11.

SENECA. 37. Hoc est regnum, nolle regnare, cum possis. Lib. 3 *de Benef.*, cap. 37.

## REGULA.

GRATIANUS. *Etymologia.* Canon græce, latine Regula nuncupatur. Regula dicta est, eo quod recte ducit, nec aliquem aliorsum trahit. *Prosec.*

Alii vero dixerunt regulam dictam, vel quod regat, vel quod normam recte et bene vivendi præbeat, vel quod distortum pravumque corrigat. In *Decret.*, part. 1, dist. 3.

JOAN. TRITH. Regula a relegendo dicta est : qui autem seipsum non relegit, regulam non observat. In caput 7. *Regulæ S. Bened.*, gradu 8.

SENECA. *Definitio.* Regula est, qua rectum probari solet;

quam si flectes, quidquid ex illa mutaveris, injuria est recti. Epist. 71.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Monacho cuculla prodest, si regulam observet : si autem prævaricator regulæ sit, cuculla sua inutilis facta est. Super *Epist. ad Romanos*, cap. II.

S. ATHANAS. MAGNUS. 2. Væ virgini, quæ non subest regulæ, est enim tanquam navis gubernatore destituta. *Prosec.*

3. Rupto siquidem cacumine mali, jactatur a fluctibus horsum illorsum, cum ducem non habeat, donec offendat in scopulos, et statim pereat.

4. Contra, beata est virgo quæ sub regula est : est enim tanquam vitis fœcunda in horto, ad quem veniens cultor ejus, palmites ipsius putat, illamque irrigat, et putridas herbas circumcirca evellit. *De Virginit.*

S. AUGUST. 5. Stet regula, ut quod pravum est, ad regulam corrigatur. Super *Psalm.* XXXI, conc. 2.

S. BERNARD. 6. Magna abusio, maxima cura est ut corpus regulariter induatur, et contra regulam suis vestibus anima nuda deseritur. In *Apologia ad Guilelm. abbatem.*

7. Qui in regula gloriamini, cur contra regulam detrahitis? an regula non concordat Evangelio? alioquin regula jam non est regula, quia non recta. *Ibid.*, verbo *Unde.*

S. BONAV. 8. Ille recte vivit, qui dirigitur secundum regulas juris divini. *De Reduct. artium ad theolog.*

9. Tota regulæ substantia de fonte trahitur evangelicæ puritatis. *Prosec.*

10. Non est regula, aut vita hæc nova res : sed procul dubio vita apostolorum renovata.

11. Magna est hujusmodi regulæ professoribus materia solatii, qui soli in hoc mundo vitam illam ad litteram profitentur, quam apostolis ad prædicandum missis Dominus commendavit. In *Regula Fratrum Minorum*, cap. 1.

CASSIODOR. 12. Qui catholicis regulis non acquiescit, iste in corde suo negat Deum. Super *Psalm.* LII, vers. 2.

13. Apud Deum vice sunt pecudum, qui aliud sentire volunt, quam quæ sanctis regulis continentur. Epist. 72, vers. 24.

14. Falli nesciunt, qui piis regulis obsequuntur. Super *Psalm.* LXXIII.

15. Necesse est distorti permaneant, qui regulam rectam non sequuntur. Super *Psalm.* LXXVII, vers. 11.

S. CYPRIAN. 16. Si illa quæ bases sunt, et fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint observata, totum corruat ædificium necesse est. Sessione 25, cap. 1.

S. FRANC. 17. Regula est liber vitæ, spes salutis, arrha gloriæ, medulla Evangelii, vita crucis, status perfectionis, clavis paradisi, pactum æterni fœderis. In suis *Opusc. de Laudib. secundæ Regulæ.*

18. Male se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. *Prosec.*

19. Et sæpe lignum rectum creditur, si ad regulam non ducatur : sed cum regulæ jungitur, per quantam tortitudinem tumescit invenitur. Lib. 5 *Moral.*, cap. 26, super illud : *Aut factore suo purior erit.* S. GREGOR. MAGNUS.

20. Qui sine teste ambulat, recte non vivit : quomodo enim aliis regulam tenet, quam sibiipsi nescit? Lib. 10, in *Registro*, indict. 5, cap. 22, epist. 22, *ad Joan. subdiac.*

21. Nemo potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere ; ut ipse monasterii dictrictionem teneat, qui quotidie in obsequio ecclesiastico cogitur permanere. *Ibid.*, lib. 4, indict. 13, cap. 45, epist. 1, *ad Joan. episc. Ravennat.*

22. Sex species observantiæ regularis : asperitas vestimenti, ariditas alimenti, protensio vigiliarum, taciturnitas silentii, labor manuum, castigatio disciplinæ. Super III *Reg.*, cap. 10. HUGO CARD.

23. Religio constituta ad vitam contemplativam, debet consequenter aptare omnes constitutiones suas et observationes ad eumdem finem. *De Relig. perf.*, consid. 6. JOAN. GERS.

24. Pauci ad regulæ puritatem conversantur. Lib. 3 *de Vir. illustr. Ord. S. Bened.*, cap. 338. JOAN. TRITH.

25. Nihil asperum vel grave ponitur in regula his, qui volunt dona cœlestia consequi. Super *Prolog. regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 30.

26. Quidquid in regula statuitur, jugum Domini est suave, et onus leve. *Ibid.*

27. Per regulam facienda jubentur, et vitanda prohibentur. *Ibid.*

28. Ubi regula non est, ibi unitas cito confunditur. In cap. 1 *Reg. de S. Bened.*, verbo *Gyrovagus.*

29. A regula nec abbas eximitur; quid hoc sibi vult? ut regulam conservet in omnibus, nisi ut nullus temere declinet ab ea. *Ibid.*, in cap. 2, verbo *Sicut.*

30. Regula idcirco magistra dicitur, quod docet nos agenda : ut quidquid sive in divinis, sive in humanis necessario agitur, totum a regulæ institutione sumat exordium. *Ibid.*, in cap. 3, verbo *Regula.*

31. A regula tota monastica institutio originem sumit. *Ibid.*

32. Si is damnaretur, qui ex fragilitate contra regulam agit, non esset nobis regula ad vitam, sed potius laqueus ad mortem. *Prosec.*

33 Audeo enim dicere, quod transgressor re-

gulæ non est, quem fragilitas, non voluntas deviare facit. *Ibid.*

34. Vita monachi, qui secundum regulam vixerit, crux est atque martyrium. *Ibid.*, in cap. 7, grad. 10.

S. IRENÆUS. 35. Non regula ex numeris, sed numeri ex regula. Lib. 2 *advers. Hæres.*, cap. 43.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 36. Monachus regulam patris sui profitens; tunc eam vere servat, quando in servatis vel mutatis quibuslibet ejus capitulis, charitatis legem ubique conservat. Lib. 4, epist. 7, *ad Bernard.*

PHILO JUD. 37. Necesse est rectum fieri quidquid applicatur ad sanam regulam. *De Gigant.*

S. THOMAS AQUINAS. 38. Tametsi religiosus ea duntaxat consilia, quæ sibi definite secundum suæ professionis regulam taxata sunt, implere teneatur, tamen etiam ad alia implenda intendere debet. 2, 2, quæst. 186, art. 2.

THOMAS A KEMPIS. 39. Nulla major extat jucunditas in monasterio religiosorum, et congregatione fratrum, quam concordia cum observantia regulæ et statutorum. Serm. 1 *ad Novit.*, divis. 1.

40. Hæc brevis regula maneat in memoria tua : Fuge, tace, quiesce, ama nesciri, disce mori, luge præterita, sperne præsentia. In *Dialog. novit.*, cap. 4, sect. 3.

41. Nos fragiles sumus et ad malum proclives : ideo necessarium est, nostros pravos mores per statuta arctari, et quasi indomitos pullos ad stipitem sanctæ crucis per regulam pro nomine Jesu ligari, ne secundum propria desideria vivendo, declinemus a via recta sanctorum. Serm. 5 *ad Novit.*, divis. 1.

S. THOMAS A VILLA NOV. 42. Considerare debes regulam quam professus es, et exemplari regulæ, cui te debeas conformare. Conc. *Dom.* 3 *Advent.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 43. Parendum est, idque optimum judicandum, quod sit sapientissime constitutum. Orat. 55, *Philipp.* 13, num. 6.

EPICTETUS. 44. Præscribe jam tibi formam quamdam et legem, quam custodias, quamque et ipse tecum, et in congressibus hominum observes. In suo *Enchirid.*, cap. 40.

PLATO. 45. Unusquisque in unum quoddam et peculiare institutum incumbere debet, quo recte illud obeat : non vero consentaneum est, ut sese pluribus institutis dedat. Sizygia 4, lib. 3 *de Republ.*

SENECA. 46. Nisi ad regulam, prava non corriges. Epist. 11.

47. Unam semel ad quam vivas regulam prende, et ad hanc vitam tuam exæqua. Epist. 20.

48. Regula, non quam formosa, sed quam recta sit quæritur : eoquodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. Epist. 76.

## RELIGIO CHRISTIANA.

*Etymologia.* A Religando Religio dicta perhibetur. Lib. 10 *de Civit. Dei*, cap. 4. S. AUGUST.

Religio dicitur a relegendo, quoniam quæ ad divinum pertinent cultum sæpe sunt relegenda ac revolvenda. Super *Epist. B. Jacobi*, cap. I, art. 3. DIONYSIUS CARTHUS.

Religio a religando, et in fascem Domini vinciendo nomen accepit. Lib. 3 super *Amos*, cap. IX, super illud : *Qui ædificat in cœlo.* S. HIERON.

Religio dicitur, quasi iterata ligatio. Super *Josue*, cap. XVIII. HUGO CARD.

Religio appellata est, eo quod per eam uni Deo religamus animas nostras ad cultum divinum vinculo serviendi. *Prosec.* S. ISIDORUS HISPALENS.

Quod verbum compositum est a religendo, id est, eligendo : ut ita latinum videatur religio, sicut eligio. Lib. 8 *Etymol.*, cap. 2.

Religio videtur dicta a relegendo ea quæ sunt divini cultus, quia hujusmodi sunt frequenter in corde revolvenda. 2, 2, quæst. 81, art. 1. S. THOMAS AQUINAS.

Religio etiam potest dici ex hoc quod Deum reeligere debemus, quem amiseramus negligentes. *Ibid.*

Sive religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione ejus quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum. *Ibid.*

*Definitio.* Religio vera est, qua se uni Deo anima, unde se peccato velut abruperat, reconciliatione religat. *De Quantitate animæ*, cap. 36. S. AUGUST.

Religio est, per quam reverenti famulatu ceremoniæ divinæ divini cultus exercentur. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap, 16. HUGO A S. VICTORE.

Religio est virtus, per quam homines Deo debitum cultum, et reverentiam exhibent. 2, 2, quæst. 81, art. 1.

Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ divinæ curam, ceremoniamque affert. Lib. 2 *de Invent. rhetor.* CICERO.

*Divisio.* Religio duplex est : communis, Christi fidelibus in mandatorum Dei observatione : et peculiaris, in consiliorum evangelicorum observantia professa consistit. Part. 3, serm. 4, regina 15. B. ALANUS DE RUPE.

*Origo.* A discipulis Christi omnis religio sumpsit originem. Part. 3, tit. 16, cap. 1, § 3. S. ANTONIN.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Gravius est religionis adulterium esse, quam corporis. Serm. 50. S. AMBROS.

2. Religionis insignia, arma sunt sacerdotis. Lib. 7, super *Luc.*, cap. x, in illud : *Homo quidam descendebat in Hiericho.*

3. Hæc est vera, hæc est perfecta, hæc sola religio, per quam Deo reconciliari pertinet animæ, S. AUGUST.

qua se libertate dignam facit. *De Quantitate animæ*, cap, 34.

4. Omnis vitæ bonæ ac beatæ via in vera religione est constituta. Lib. *de Vera religione*, cap. 1.

5. Tenenda est nobis christiana religio, et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ catholica est, et catholica nominatur ; non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. *De vera Relig.* cap. 7.

6. Ea est christiana religio, quam cognoscere ac sequi, securissima ac certissima salus est. *Ibid.*, cap. 10.

7. Salus religionis, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit : et cui defuit, dignus non fuit. Epist 49, quæst. 4.

8. Multi sunt, qui putant sibi ad augendas opes suas, religionem suffragari debere christianam. Epist. 89, quæst. 1.

9. Religio non in falsitate, sed in veritate dicitur. Lib. 2 *contra Gaudent.*, cap. 11.

10. Hæresis non religio, sed superstitio est. *Ibid.*

11. Sine christiana religione salvi esse non possumus. Lib. 2 *contra Crescon.*, cap. 11.

12. Religio christiana una est salubris, et vera religio. Lib. 4 *de Civitate Dei*, cap. 2.

13. Christiana religio liberat hominem ab his diis quos facit homo, et ei Deo subdit, a quo factus est homo. *Ibid.*, lib. 3, cap. 23.

14. Martyres usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque convictis. *Ibid.*, cap. 47.

15. Religio non quemlibet, sed Dei cultum significare videtur. *Ibid.*, lib. 10, cap. 1.

16. Innotuit per Christi corporalem præsentiam religio christiana. *Ibid.*, lib. 18, cap. 54.

17. Animæ causa, non corporis, religio constituta est. *De Utilit. cred.*, cap. 7.

18. Christus vetustate roboravit religionem. *Ibid.*, cap. 14.

19. Si Dei providentia nan præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. *Ibid.*, cap. 16.

20. Hæc est religio Christiana, ut colatur unus Deus, non multi dii : quia non facit animam beatam, nisi unus Deus. Tract. 23 super *Joan.*

ONAV. 21. Nimis dives est Christiana religio, cui datum est in omnium possessore omnia possidere. Super *Sap.*, cap. VIII.

22. Christianæ religionis fundamentum, Christus Jesus est. In *Apolog. pauper.*, resp. 3, cap. 1.

IODOR. 23. Nullum vexat religio christiana. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Persecuti sunt me gratis.*

SEBIUS SAR. 24. Vana est religio, quæ caret misericordia. Epist. *ad Damas. pap. de morte D. Hieron.*

S. FULGENT. 25. Vera Religio, excepto uno vero Deo, nulli Deo sinit culturæ ac servitutis obsequium a fidelibus exhiberi. Lib. 2 *ad Donatum*, cap. 5.

GLOSS. ORD. 26. Religio Christiana est via virtutis. Super *Psalm.* CI.

S. HIERON. 27. Hæc non est culpa christiani nominis; si simulator religionis in vitio sit. Epist. 4, *ad Rustic.*

28. Sub Religionis titulo sæpe exercentur injusta compendia, et honor nominis christiani fraudem magis facit, quam patitur. *Ibid.*

29. Vera religio, via regia est. Lib. 16 super *Isaiam*, cap. LVII, super illud : *In multitudine viæ.*

30. Populi christiani religio, fides est. Lib 6 super *Hierem.*, cap. XXXII, super illud : *Et plantabo eos in terra.*

S. HILARIUS 31. Sub religionis nomine, religionem evertis. Lib. 5 *de Trinitate.*

HUGO CARD. 32. Christiana religio in duobus consistit : in sanctitate fidei, et in bonis moribus. *Prosec.*

33. Fidei nihil addendum est, nihilque auferendum : sed moribus additio potest fieri, secundum quod videtur homini expedire. Super *Deut.*, cap. IV.

34. Nimis dives est christiana religio, cui datum est in omnium possessore omnia possidere. Super *Sap.*, cap. VIII.

35. Nulla ratio est, nulla ordinatio, ubi non est religio. *Ibid.*, cap. 14.

36. Arbor est christiana religio, cujus radix est fides, fructus vero æterna quies. *Ibid.*, cap. XV.

S. JOANNES CHRYSOST. 37. Religio fatigationem non sentit. Homil. 35 super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. DAM. 38. Christiana religio nihil quidquam quod utilitate careat, habet ; sed omni errore aliena, quod fixum semper ac stabile suscepit, retinuit. In *Oratione pro defunctis.*

JOAN. GERS. 39. Religio christiana sub uno supremo abbate Christo, sola est salutaris et perfecta. *De Relig. perf.*, consid. 1.

JOAN. TRITH. 40. Omnis religio a seipsa dissentiens, paulatim dissipatur. *De Ruina monast. ordin.*, cap, 7.

LACT. FIRM. 41. Vera religio cum moribus congruit. Lib. 1 *de Divin. inst.*, cap. 21.

42. Religio ipsa sine metu teneri, aut custodiri non potest. *De Ira Dei*, cap. 21.

43. A Deo religio esse non potest, ubi metus nullus est. *Ibid.*, cap. 11.

44. Fuge sceleratas religiones, et vivo Deo famulare. *Ibid.*, cap, 22, φεῦγε, *post Sibyll.*

45. Summum bonum hominis, in sola religione est. Lib. 3 *de Divin. inst.*, cap. 10.

46. Augetur religio Dei, quanto magis premitur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 20.

47. Defendenda est religio, non occidendo, sed moriendo : non sævitia, sed patientia : non scelere, sed fide. *Ibid.*

48. Nihil est tam voluntarium, quam religio christiana. *Ibid.*

S. LEO I. 49. Nullo crudelitatis genere destrui potest, sacramento crucis Christi fundata religio. Serm. 1 *in Natali apostolor. Petri et Pauli.*

S. THOMAS AQUINAS. 50. Christianæ religionis propositum in hoc præcipue videtur consistere, ut a terrenis homines abstrahat, et spiritualibus faciat esse intentos. *Contra retrahentes ab ingressu relig.*, cap. 1.

S. VALER. EPISCOPUS. 51. Religio christiani nominis liberi arbitrii suscepit officium, ad quam si quis invitus venerit, oneri onus addit. Homil. 3 *de Arcta vita.*

52. Sicut cessante studio, solent spinis arva sordescere : ita ubi religionis cultura negligitur, vitium naturæ renovatur. *Ibid.*, nom. 19, *de Bono martyrii.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 53. Religio Deum colit, superstitio violat. Lib. 2 *de Clementia ad Neron.*, cap. 5.

Vide etiam tit. *Ecclesia*, sent. 110 ; *Imitatio*, sent. 17 ; *Personarum acceptio*, sent. 3.

## RELIGIO, SEU CONGREGATIO.

S. ANTONIN. *Definitio.* Religio est status perfectionis passivæ, via scilicet tendendi ad perfectionem. Part. 2, tit. 3, cap. 5, § 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Religio ex eo dignior et perfectior est status, quod grandia sæculi vitia evaserit, et invaserit virtutum nundinationem. Part. 4, serm. 3, cap. 31, *de Excellentia religionis*, quinquagen. 1, excellent. 3.

2. Unus ad religionem conversus, multis in sæculo præstare potest conversis ad frugem bonam. *Ibid.*, quinquagena 2, excellent. 9.

3. Religio antestat omni creatæ scientiæ, quia omnium schola virtutum est. *Ibid.*, quinquagena 1, psalterii 2, excellent. 2.

4. Religio est quasi alter baptismus, quod primum ad ingressum remissio culpæ fiat ac pœnæ. *Ibid.*, quinquagena 1, psalterii 2, excellent. 4.

5. Religio est civitas Dei, castrum divinæ potentiæ, schola salutis, fons bonitatis æternæ. *Ibid.*, quinquag. 3, excellent. 15.

S. AMBROS. 6. Hæc angelorum militia est, semper esse in laudibus, orationibus conciliare crebris, lectione vel operibus continuis mentem occupare, separari a cœtu mulierum, sibiipsi invicem vitam præbere et custodiam. *Prosec.*

7. O qualis hæc vita ! in qua jejunii labor compensatur mentis placiditate, levatur usu, sustentatur otio, aut fallitur negotio ; non oneratur mundi sollicitudine ; non occupatur alienis molestiis, non urgetur urbanis discursibus. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellensem Ecclesiam.*

8. Gravius est religionis adulterum esse, quam corporis. Serm. 50.

S. ANTONIN. 9. Sancta religio figurative vocatur mors ; unde vulgariter regulares dicuntur mortui, et sæculares viventes : tamen malus sæcularis est vere mortuus, et bonus regularis vere vivens. Part. 1, tit. 6, cap. 1, § 13.

10. Religio est veræ sapientiæ schola, in qua discit homo sapientiam Dei; per quam incedit cautius in via Dei. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 3.

11. Nulla major experientia in Christi militia acquiri potest, quam in campo et lucta religionis. *Prosec.*

12. Illic enim omnes malitiæ et versutiæ, et vires dæmonum effunduntur. *Ibid.*

13. Religio paradisus est voluptatis, delectationis et gaudii. *Ibid.*, cap. 10, § 9.

S. ANTONIN. DE PADUA. 14. Non religio dæmonum legio, quæ faciat de deserto palatium, de calustro castellum, de solitudine curiam regalem. Serm. *Dom.* 2, *Adventus.*

S. AUGUST. 15. Hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo. *De Morib. Ecclesiæ*, cap. 31.

16. In religione charitas præcipue custoditur : charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur, coitur in unam conspiraturque charitatem : hanc violare tanquam Deum nefas ducitur, huic si quis resistit, expurgatur. *Ibid.*, cap. 33.

17. In militia christiana ad pietatem divites non humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur. *Prosec.*

18. Nullo modo enim decet, ut in ea vita, ubi fiunt senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi : et quo veniunt relictis deliciis suis, qui fuerant prædiorum domini, ibi sint rustici delicati. *De Opere monachor.*, cap. 25.

19. Si quis de sæculo ad aliquam congregationem venire desiderat, non debet esse voluntas violenta, non coacta, non mobilis, sed sempiterna, virilis, utilis, constans, et omni spiritu charitatis plena, atque perfecta. Serm. 1 *ad Fratres in eremo.*

20. Tutior hæc vita est, et dulcior, ubi unus alium cohortatur, ubi alter alterius exemplo inflammatur. *Prosec.*

21. O vita sancta, vita solitaria, vita perfectorum, vita angelica, vita pœnitentium, vita deifica ! *Ibid.*, serm. 27.

S. BERNARD. 22. Noverit quisque aciem multorum pariter pugnantium esse quærendam, ubi tot sunt auxiliarii, quot socii, qui non ignorant astutias inimici : congregatio enim pro fortitudine sua terribilis

est ut castrorum acies ordinata. Serm. 3 *Circumcis.*

23. O vita secura ! ubi pura conscientia : o inquam, vita secura ! ubi absque formidine mors expectatur, imo et exoptatur cum dulcedine, et excipitur cum devotione. Serm. *ad Milites templi*, cap. 1.

24. Fugite de medio Babylonis, fugite et salvate animas vestras, convolate ad urbes refugii, ubi possitis et de præteritis agere pœnitentiam, et in præsenti obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 30.

25. Ordo noster abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. *Prosec.*

26. Ordo noster est esse sub magistro, sub abbate, sub regula, sub disciplina. Epist. *ad Monachos Alpenses.*

27. Sicut per senem vitiosum et fatuum, ita per adolescentem inverecundum et temerarium religio sancta destruitur. *De Ordine vitæ.*

28. Vere religio est paradisus, in qua est pretiosarum virtutum fœcunda fertilitas. Homil. *super quibusdam verbis Domini.*

29. Religio prænobilissima ! tu castitas religiorum ; tu chorda clericorum ; tu thesaurus super aurum ; tu mors vitiorum ; tu vita virtutum. *Ibid.*

30 In religione, homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, præmiatur copiosius. *Ibid.*

31. O sancta religio ! balneum animarum, mors peccatorum, animarum sordidarum purgatorium. *Ibid.*

32. Religio sepultura est Dominicæ passionis. *Ibid.*

33. O religio ! vita mirabilis, spirituale habitaculum, quæ de superbis humiles facis, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de luxuriosis pudicos, de inobedientibus obedientes, de osoribus facis in dilectione ferventes. *Prosec.*

34. Tu loquacibus linguæ frænum imponis, tu immundis castitatis cingulum adhibes, tu jejuniorum ac vigiliarum es nutrix, tu vagos ligas catenis, tu patientiæ custos es, tu purissimæ simplicitatis magistra. *Ibid.*

S. BONAV. 35. Desertum religionis est locus paupertatis, asperitatis, et utilitatis. Super *Luc.*, cap. IV, in illud : *Ibat in desertum.*

36. Ibi religio nulla est, ubi correctio capituli deficit. Tit 6 *Diætæ*, cap. 1.

37. Convolate ad urbes refugii, ad loca videlicet religiosa, ubi possitis de præteritis agere pœnitentiam, in præsenti obtinere gratiam, et fiducialiter futuram gloriam præstolari. In *collat. de Contemptu sæculi.*

38. Bona religio malos odit, non fovet. Circa *Regulam S. Francisci*, quæst. 17.

39. Ordo debet esse sanctitatis totius speculum. Epist. *ad Ministr. provinc. et custod.*

40. Fœda est religio, quæ innititur fœditati : culpatur quidem et cultus munditiæ nimius et neglectus. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 25.

41. Non est religio, ubi omnibus omnia patent. *Ibid.*, cap. 26.

42. Status religionis peccatores et imperfectos admittit, ut justos efficiat, et ad perfectionem adducat. In *Apolog. Pauper.*, resp. 1, cap. 3.

43. Fratres, videte vocationem vestram : venire quidem ad eremum, summa perfectio est : sed non perfecte in eremo vivere, summa damnatio est. *Prosec.* S. CÆSARIUS ARELAT. & S. EUCHER. & S. EUSEBIUS EMISSENUS.

44. Quid prodest, si locus quietus tantum corporaliter teneatur, et inquietudo in corde versetur ?

45. Quid prodest, si in habitatione silentium sit, et in habitatoribus vitiorum sit tumultus et colluctatio passionum ? Homil. 27.

46. Mox ut religionem ingressus es, diligenter adverte, unde exieris, et quo intraveris. Existi de sæculo nequam, et scholam virtutum ingressus es. In *Exhort. ad novitios*, art. 1. DIONYSIUS CARTHUS.

47. Maxima possessio est, vita religiosa, et virtute ornata. In *Adhort.* 2. S. EPHRÆM.

48. Mundus assimilatur pelago, portus vero est vita religiosa. *Ibid.*, adhort. 4.

49. Vana est religio, quæ caret misericordia. Epist. *ad Damasum papam, de morte D. Hieronymi.* S. EUSEBIUS CÆSARIENS.

50. Non satis prodest, quod istum locum expetivimus, si hic tales sumus, quales in sæculo esse potuimus. *Prosec.* S. EUSEBIUS EMISSEN.

51. Non solum solitudo ad perfectionis necessitatem, sed etiam ipsa congregationis multitudo nos constringit. Homil. 4 *ad Monach.*

52. O quantis proderit, et contra quantis oberit loci hujus opportunitas, et congruæ habitationis occasio *Prosec.*

53. Non enim in hoc loco vixisse, sed in hoc loco bene egisse laudandum est.

54. Nam quid nobis habitationis hujus secretum proderit, quando tyrannico dominatu malitia in nobis regnat ? ita ut qui putamus nos precibus nostris sæculo ipsi succurrere, pene sit ut videamus, nos sæculi intercessionibus indigere.

55. Non ad quietem, non ad securitatem', sed ad pugnam huc convenimus, ad agonem pro-

cessimus, ad exercenda cum vitiis bella properamus. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 56. Tanta gratia datur accipientibus habitum religionis devote, quanta datur fidelibus in baptismo. Super *Gen.*, cap. XII.

57. Religio vinea spiritualis est; dominus hujus vineæ Christus est : procurator autem ejus, præsidens illi religioni. Super *Matth.*, cap. 20.

58. Religio peccatori est abominatio. Super I *Joan* III.

59. Omnis religio quantumcunque bene steterit in observantiis regularibus, tamen multum declinasse videtur a paternis traditionibus. Super *Apocal.*, cap. 2.

S. GREGOR. MAGNUS. 60. Si quis melioris vitæ desiderio accensus, transire in religionem nititur, necesse est ut ad gravissima bella præparetur. Lib. 5 in I *Reg.*, cap. 4, super illud : *Quæ est trans locum istum.*

61. In domo Domini nil noxium, nilque debet esse confusum. Lib. 7 in *Registro*, ind. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagr. epist.*

S. HIERON. 62. Qui sub jugo est religionis, ita debet currere, ne in luto comitem derelinquat. Epist. 7, *ad Lætam.*

63. Nescit religio personas accipere, nec conditiones hominum: sed animos inspicit, singulorum, servum et nobilem de moribus pronuntiat. Epist. 14, *ad Celantiam.*

64. Religionem ipsam religionis disciplina commendet. *Ibid.*

65. Paucorum culpa non præjudicat religioni : apostolorum fidem Judæ proditio non destruxit. Epist. 6 *advers. Vigilant.*

66. Solent miseri parentes, et non plenæ fidei christiani, deformes et aliquo membro debiles filios, qnia dignos matrimonio non inveniunt, religioni tradere. In *Regula monachor.*, cap. 18, *de Laude religionis.*

67. Ut unanimes habitetis in domo Dei, sit vobis semper unus affectus, una voluntas, una fraternitas, una proportio morum, una jucunditas, una tristitia. *Prosec.*

68. Hæc vera vita Dei est, non diaboli : vere religio, non infernus : vere vita religiosa, non diabolica. In *Regula Monachar.*, cap. 1, *de Charitate.*

69. Tanta est sanctitas divinæ religionis, ut eam qui foris sunt, venerationi habeant. Lib. 2 super *Proverb,*, cap. XVI, in illud : *Cum placuerint Domino.*

70. Latro est, et domum Dei in latronum convertit specum, qui de religione sectatur lucra, cultusque ejus non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. Lib. 3 super *Matth.*, cap. XXI, can 1, num. 211, super illud : *Et intravit Jesus in templum.*

71. Sunt novem beneficia religionis : abundans est pauperi; mediocri sufficiens; tolerabilis diviti; infirmis larga; delicatis compatiens; fortioribus moderata; pœnitentibus misericors; perversis severa; bonis optima. Lib. 1 *de Claustr. animæ*, cap. 8. HUGO A S. VICTORE.

72. Sufficiens est mediocri religio : sufficere enim debet, quia necessaria præbet : dat satis, dat gratis. *Ibid.*

73. Caret pondere divitiarum religio, non acquirit cum cupiditate, non possidet cum amore, non dolet si amiserit. *Ibid.*, cap. 11.

74. Religio quod nocet, aufert : quod necesse est, ministrat. *Ibid.*

75. Bonos facit rerum distributio, meliores mundi renuntiatio, optimos autem religionis cohabitatio. *Ibid.*, cap. 17.

76. Mundus bonis est pessimus : religio vera bonis et malis est optima. *Ibid.*

77. Religio facit de malo bonum, de bono meliorem, de meliori optimum. *Ibid.*

78. Quatuor sunt in religione notanda. Est suavis et mitis, quieta et secura : suavis in cohabitatione; mitis in sermone; quieta in mente; secura in actione. *Ibid.*, cap. 18.

79. Non negat religio quod requirit necessitas naturæ, sed prohibet quod appetit superfluitas gulæ. *Ibid.*, lib. 2, cap. 19.

80. Relligio dat opes, paupertas religionem : HUGO CARD.
Crescunt divitiæ, relligioque perit.
Super *Gen.*, cap. 48.

81. Qui in religionem male ingreditur, vix aut nunquam bene operatur. *Ibid.*, cap. XLVI.

82. In religione sunt flores sanctarum meditationum, cogitationum, desideriorum, et germina bonorum operum. Super I *Reg.*, cap. XXIV.

83. Claustrum intrare nihil aliud est, quam se ad bellum contra hostes Christi armare. Super II *Regum*, cap. XVII.

84. Religio est reservatorium Domini, unde tutum est ibi esse. Super *Psalm.* XXXVI.

85. Sicut sepulchrum est locus mortuorum; ita religio in qua habitant, qui mortui sunt mundo. Super *Psalm.* LXVII.

86. Religionem Deus specialiter salvat : quia ibi est securior, et facilior, et compendiosior via salutis. Super *Psalm.* LXVIII.

87. Tanta est sanctitas religionis, et tantæ virtutis, ut plerique hi qui foris sunt id est infideles, eam venerentur, et cum his pacem habeant, quos considerant Deo perfecte servire, quamvis religione discordent. Super *Prov.*, cap. XVI.

88. Post nativitatem religionis moriendum

est mundo, et parentibus. Super *Ecclesiasten*, cap. III.

89. In religione, necessaria est temperantia, ne medela modum excedet, et ne indiscretio dispensationis fiat occasio dissolutionis : necessaria est fortitudo, ut non frangatur duritia observantiæ regularis : necessaria est justitia, ut superioribus suis, quod suum est, reddat, libenter obediendo : necessaria est prudentia, ut non extollatur in altum vitæ sanctitate. Super *Cant.*, cap. VIII.

90. Sex sunt officinæ religionis : oratorium, id est, locus orationis; capitulum, id est, locus correctionis; claustrum, id est, locus studii; refectorium, id est, locus refectionis; dormitorium, id est, locus somni; infirmatorium, id est, locus medicinæ. Super *Ecclesiastic.*, cap. XI.

91. Vita claustralis est sicut navis, in qua si minima contemnantur, id est, stupa, clavus, et cera, paulatim subintrat aqua, et demergitur in profundum. *Ibid.*, cap. XIX.

92. Religionis decor in quatuor consistit, scilicet : in fratrum multitudine; in bonorum fœcunditate, et maxime hospitalitatis : in disciplina ordinis; in odore bonæ opinionis, et devotione orationis. Super *Thren.*, cap. 1.

OAN. CASS. 93. Tria hæc in congregatione necessario tibi sunt custodienda : ut scilicet velut surdus ac mutus, et cæcus incedas. Lib. 4 *de Cœnob. inst.*, cap. 41.

94. Mensuram virium suarum convenit unumquemque nostrum diligentius ante pensare, atque ad ejus modulum arripere quam libuerit disciplinam; quia quamvis omnes utiles sunt, tamen aptæ cunctis cunctæ esse non possunt. Collat. 24, *Abbat. Abrahæ*, cap. 8.

. JOANNES HRYSOST. 95. Si te religionis tuba vocet, statim progredere, et multa cum alacritate descendas ad certamina. Homil. 67 *ad Popul. Antioch.*

OAN. GERS. 96. Semel lapsa religio, nunquam aut vix reparari potest : nova facilius a fundamentis conderetur. Tract. *de Abstin. Carthus.*, verbo *Tertiam.*

97. Religio curam habet præcipuam de infirmis, et quæ curam non habet, non est religio, sed destructio. *De Relig. prof.*, consid. 10.

98. Religionis securitas et soliditas fundamentalis, post divinam gratiam consistit in discretione et charitate præsidentium. *Ibid.*, consid. 11.

99. Dicere quod religionis status non sit perfectior, hæresis est. Tract. 8 super *Magnificat*, notula 2, part. 3.

JOAN. TRITH. 100. Duo sunt quæ ordinem ad eminentiam honoris provexerunt; meritum videlicet sanctitatis, et scientia Scripturarum. *Prosec.*

101. Neque enim possibile est disciplinam in ordine consistere, si aut moribus sanctitas, aut disciplinæ Scripturarum desit auctoritas.

102. Alta cœnobiorum ædificia, magna redditúum substantia, ampla terrarum prædia, non faciunt stabilem in ordine disciplinam. Lib. 2, *de Vir. illustr. ord. S. Bened.*, cap. 145.

103. Ad religionem multi veniunt, sed in religione pauci religiose vivunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 338.

104. Beatus, qui sæculum fugiens, sub alis tutissimæ pacis sanctæ religionis pausare meruerit. *Prosec.*

105. Diligenti namque pacem nullibi melius, quam in religione est : diligenti pacem, claustralis custodia tutissima est. Lib. 1, *de Regim. claustr.*

106. Nulla religio subsistere potest, ubi correctionis diligentia non est. In cap. 2, *Regul. S. Bened.*, verbo *Legimus.*

107. Nulla religio subsistere potest, si in charitate non solidatur. *Ibid.*, in cap. 4.

108. Raro ad religionis amorem pervolat, quem cæca mundi mora delectat. Epist. 10, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

109. Magna religionis præeminentia est, quam nulla perversorum pravitas, de bonorum sinceritate poterit excutere. Epist. 14, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

110. Vera religio cum moribus congruit. Lib. 1, *de Divin. inst.*, cap. 21. LACT. FIRM.

111. Sancta religio, monachorum mater est. Epist. 29, *ad Abbat. S. Albani.* PETR. BLES.

112. Ordinis professores tanto differentius præ cæteris triumphales sanctitatis titulos referunt quanto expressius religionis apostolicæ vestigiis inhærent : in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliis, in disciplinis, in psalmis, in humilitate, in hospitalitate, in obedientia, in charitate et cæteris. *Ibid.*, epist. 82, *ad Abbat. Cisterciens.*

113. Si vultis in sancta religione, et aurea paupertate transigere dies vestros, felicitati vestræ non poterit regum gloria comparari. *Ibid.*, epist 93, *ad Guillel. Abbat.*

114. Nemo graviter ferat diversitatem ordinum in hominibus : nam et in terris ordo est. *Prosec.*

115. Christus divisus non est, sive in alba, sive in pulla veste, in omni professione et ordine quis serviat, acceptus est Deo. *Ibid.*, epist. 97, *ad Abbat.*

116. Consenesce in religione, priusquam publiceris. *Ibid.*, serm. 9, *de Purificat.*

117. In nihilum omnis religio redigitur, nisi solerter immoderatæ linguæ lascivia compescatur. Serm. 73, *de Vitio linguæ* S. PETRUS DAMIANUS.

118. Religio scientia est Dei : ac per hoc omnis SALVIANUS.

religiosus hoc ipso quod religionem sequitur, Dei se voluntatem nosse testatur. *Prosec*

119. Professio itaque religionis non aufert debitum, sed auget, quia assumptio religiosi nominis, sponsio est devotionis : et sic tanto plus quispiam debet opere, quanto plus promiserit professione.

120. Sed forsitan dicit aliquis : Si hæc ita sunt, tutior ergo est irreligiositas, quam religio. Minime : religiosus enim per hoc est debitor, quod profitetur religionem : irreligiosus autem per id quod neglexerit religionem. Religiosus debet quidquid professus est agnovisse : irreligiosus vero etiam quod non dignatur agnoscere. Lib. 2, *ad Eccles. cathol.*

121. Non est quod competere quisquam, aut non obesse divitias religioni putet : impedimenta hæc sunt, non adjumenta; onera, non subsidia. Possessione enim et usu opum non sufficitur religio, sed evertitur. *Ibid.*, lib. 2.

122. Illud durius ac molestius est, quod quidam sub religionis titulo a religione dissentiunt, et habitu magis sæculum relinquere, quam sensu. *Ibid.*, lib. 4.

S. THOMAS AQUINAS. 123. Perfectio charitatis, est finis status religionis : status autem religionis est quædam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perveniendi. 2, 2, quæst. 186, art. 3.

124. Tanto sollicitudo temporalium rerum magis impedit religionem, quanto sollicitudo spiritualium major ad religionem requiritur. *Ibid.*, quæst. 188, art. 7.

125. Dubitare an propter contristationem amicorum, vel quodcunque temporaliumdetrimentum, homo debeat religionis propositum prætermittere, est animi adhuc carnali amore irretiti. *Contra retrahentes ab ingressu relig.*, cap. 9.

THOMAS A KEMPIS. 126. Qui aliud in religione quærit, quam pure Deum et animæ suæ salutem, non inveniet nisi tribulationem et dolorem. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 17, sect. 2.

S. VALER. EPISCOPUS. 127. Cui studium et in religione Christum colere, prius cordis quam corporis indumenta suscipiat. Homil. 1, *de Bono discipl.*

128. Parum ille habet de religione, quem studere vides sæculo : et plus præsenti vitæ favere, quam æternæ gloriæ. *Ibid.*, homil. 4, *de Promiss.*

S. VINCENT. FERRAR. 129. Secundum opus majus post martyrium, est religionem ingredi, et renuntiare pro Deo voluntati propriæ. Serm. 6, *Dom.* 2, *Adv.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 130. Cura ut vir sis, et cogita quem in locum sis progressus, et vide quid jam tibi sit necesse fieri. Orat. 3, *pro Catilina.*

131. Prudentius urbem religione, quam ipsis mœnibus cingitis. Lib. 3, *de Nat. deor.* num. 95.

Vide etiam tit. *Communitas*, sent. 110; *Juventus*, sent. 17; *Militia*, sent. 83; *Nomen*, sent. 68; *Ordo*, sent. 39; *Paupertas voluntaria*, sent. 10, 172, 173; *Perversitas*, sent. 12; *Solitudo*, sent. 5, 58.

## RELIGIOSUS.

HUGO CARD. *Etymologia.* Religiosus est quasi religatus, id est, retro et non ante ligatus : ut quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ sunt ante se se extendat. Super *Epist. Jacobi*, cap. I.

S. ISIDORUS HISPAL. Religiosi a relegendo appellati sunt, qui tractant et quasi relegunt ea quæ ad cultum divinum pertineant. Lib. 10, *Etymol.*, verbo *Religiosos.*

CICERO. Religiosi dicti sunt a religendo, ut eligentes, ab eligendo, tanquam a diligendo diligentes, ab intelligendo intelligentes. Lib. 2, *de Natura deor.*, num. 72.

HUGO CARD. *Definitio.* Religiosi sunt, qui mente et corpore simul fugientes, elongant se a mundo. Super *Psalm.* LIV.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Religiosi mundo sunt mortui, eorumque in cœlo est cum angelis conversatio. Part. 4, serm. 3, cap. 31, *de Excellentia religionis*, quinquagena 1, excellent. 1.

2. Esse religiosis in cœlo sedes inter seraphicos potest, quod hic in statu perfectissimæ degerint charitatis. *Ibid.*, quinquagena 2, excellent. 10.

S. ALBERTUS MAGNUS. 3. Quod religiosus sis probat professio ipsa, status tuus, et nunc habitus tuus, et tonsura : sed an fictus, an verus religiosus sis, tu videris. *De adhærendo Deo.*, cap. 8.

S. AMBROS. 4. Non propterea te Domino dicasti, ut tuos divites facias : sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, et pretio miserationis peccata redimas tua. Lib. 1 *Offic.*, cap. 30.

5. Procul a religiosis indignatio esse debet, procul cupiditas ultionis, procul inconsiderata conjunctio, et incauta simplicitas. Lib. 7, super *Luc.*, cap. 9, in illud: *Nolite prohibere eos.*

6. Nihil tam periculosum, quam si professioni gesta repugnent. Super I *Timoth.* V, in illud : *Quidam deerraverunt per satanam.*

S. ANSELM. 7. Duo sunt ordinis genera religioso convenientia : unum exterius, quo religiosus videtur : aliud vero interius, quo relgiosus habetur. *De Similitud.*, cap. 90.

S. ANTONIN. 8. Religiosus religatus est, id est, bis ligatus, ligamine præceptorum in baptismi acceptione, et ligamine observationis consiliorum in solemni professione. Part. 1, tit. 3, cap. 7, § 1.

9. Verus religiosus ab inquietudinibus mundi liber est, quia mortuus est eis, et absolutus a cura

parentum suorum, ut quietus Deo vivat. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 4.

S. ANTONIUS DE PADUA.

10. Vita cujuslibet religiosi debet esse deserta, id est, in omni exterioris substantiæ abrenuntiatione : et invia, id est, ut nullum vestigium aliquid habendi in ipsius remaneat voluntate. Serm. *Dom.* 2, *Adventus.*

11. Quanta afflictione, quanta asperitate nos affligere debemus? Sit ergo vilitas habitus, asperitas victus, ut vere possimus vocari religiosi, id est relegati, scilicet ab omni voluptate carnali. *Ibid.*

12. Quid detestabilius et abominabilius Deo et hominibus, quam superbia in religioso? Serm. *Dom.* 20, *post Trinitatem.*

S. AUGUST.

13. Quis non illos miretur et prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus : nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt. *Prosec.*

14. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est : operantur manibus ea, quibus a Deo mens impediri non possit : hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo. *De Morib. Eccles.*, cap. 31.

15. Nolite mihi colligere professores nominis christiani, neque professionis suæ vim aut scientes, aut exhibentes : nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. *Prosec.*

16. Novi multos esse, qui renuntiaverunt verbis huic sæculo, et se omnibus hujus sæculi mollibus opprimi velint, oppressique lætantur. *Ibid.*, cap. 34.

17. Illi, qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt : magis autem studeant, non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Regula 3, *ad Clericos.*

18. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. *Ibid.*

19. Cur volatilia cœli non vobis sunt exemplo ad nihil reservandum, et vultis ut sint exemplo ad nihil operandum? *De Opere monachorum*, cap. 24.

20. Quid agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero : orationibus, et psalmis et lectioni, et verbo Dei : sancta plane vita, et in Christi suavitate laudabilis. *Ibid.*, cap. 17.

21. Nullo modo poterunt separari, quos divina charitas sociavit. In *Regula prima ad Clericos.*

22. Ipse homo Dei nomini consecratus, et Deo devotus (in quantum mundo moritur, ut Deo vivat) sacrificium est. Lib. 10, *de Civitate Dei.*, cap. 6.

23. Esse cum hominibus bonis, qui elegerunt vitam quietam, remoti a strepitu populari, a turbis inquietis, a magnis fluctibus sæculi, qui tanquam in portu sunt, ibi gaudium, ibi jubilatio. Super *Psalm.* xcv.

24. Fratres sunt homines omnino contemptores sæculi hujus, quibus non est gratum quidquid temporaliter fluit, non hærent dilectione aliqua terrenis operibus : sancti, casti, continentes, justi, omnia sua vendentes, et pauperibus distribuentes. Super *Psalm.* LXXX, vers. penult.

S. BASILIUS MAGNUS.

25. Quid hic vitæ comparandum? quid beatius? quid ejus conjunctione et unitate sincerius? quid morum et animarum conspiratione gratiosius? *Prosec.*

26. Multi unus, et unus non solus, sed in pluribus.

27. Homines ex diversis generibus ac regionibus orti, ad tantam identitatis sinceritatem coaptati sunt, ut una anima in multis corporibus conspiciatur, et multa corpora unius animæ instrumenta ostendatur.

28. Hi angelorum vitam æmulantur; non est inter angelos lis, non contentio, non ambiguitas. in *Constit.*, cap. 18.

29. A cognatis et amicis ac parentibus in tantum affectu separatos esse religiosos convenit, quantum mortuos a viventibus disparatos esse videmus. *Ibid.*, cap. 20.

V. BEDA.

30. Altior professio virtutis, altiorem debet ritum tenere vivendi. *De Templo Salomonis*, cap. 7.

S. BERNARD.

31. Video post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis, superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, et impatientes amplius fieri in claustro, quam fuissent in sæculo. *Prosec.*

32. Video aliquos non sine dolore, post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus terrenis cupiditatibus immergi, cum magna cura erigere muros, et negligere mores sub prætextu quoque communis utilitatis, verba vendere divitibus, et matronis salutationes.

33. Sunt nonnulli, qui mundum sibi et se mundo non crucifixerunt, ita ut qui antea vix in suo

vico vel oppido cogniti fuerant, modo circumeuntes provincias, et curias frequentantes, regum notitias, principumque familiaritates assecuti sunt. Homil. 4, super *Missus.*

34. Quantos invenire est fratres, ex his quoque, qui in religionis habitu et proposito degunt perfectionis, et tamen tam irreligiose sæcularibus sese implicant negotiis, ac si hoc esset tota eorum portio, hæc universa substantia. Serm. 7, super *Qui habitat.*

35. In medio periculum est his, qui jam egressi de sæculo, in loco conversionis habitant, tanquam in paradiso voluptatis. Serm. *Quomodo voluntas nostra divinæ voluntati subjici debeat.*

36. Sex sunt servorum Dei observantiæ : silentium, psalmodia, vigiliæ, jejunium, opus manuum, carnis munditia. Serm. 12 *de Parvis sermonibus.*

37. Religiosus malus exteriorem superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum qui interiora corrodit. *Prosec.*

38. Manet tonsura, vestis necdum mutata est, jejuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis, sed cor longe est a me, dicit Dominus.

39. Sub habitu religionis animum sæcularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. Serm. 2 *in capite jejunii.*

40. Qui stare voluerit, non quidem relinquens ordinem, sed proficere in eo dissimulans, cadat necesse est. Serm. *de Tribus ordinibus.*

41. Magna confusio, magna valde, quod ardentius sæculares perniciosa desiderant, quam religiosi utilia : citius illi ad mortem properant, quam isti ad vitam. Serm. 1 *ad Fratres.*

42. Conversare simpliciter inter fratres, devotus Deo, superiori subditus, senioribus obediens, junioribus contemperans, angelis placens, verbo utilis, humilis corde, mansuetus ad omnes. Epist. 87, *ad Ogerium canonicum regularem.*

43. Ne timeas esse contra charitatem, si unius ejectione scandalum multorum recompensaveris pace. *Prosec.*

44. Melius est ut pereat unus, quam unitas. Epist. 102, *ad Quemdam abbatem.*

45. Modus vitæ religiosorum est sanctus, honestus, castitate decorus, discretione præcipuus, a patribus institutus, a spiritu sancto præordinatus, animabus salvandis non mediocriter idoneus. In *Apologia ad Guillelmum abbatem,* verbo *Venerabili.*

46. Altissima est professio vestra, cœlos transit, par angelis est, angelicæ similis puritati. *Prosec.*

47. Non solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, et omnis consummationis finem.

48. Aliorum est Deo servire, vestrum adhærere : aliorum est Deum credere, scire, amare, revereri, vestrum est habere, intelligere, cognoscere, frui. *De Vita solit.*

49. Nihil aliud docet religiosos divina Scriptura, nisi religionem amare, unitatem servare, charitatem habere. *Libro Meditationum,* cap. 7.

50. Nemo de religionis habitu sibi blandiatur, qui adhuc linguam suam non didicit, religare : religa tuam linguam si vis esse religiosus, quia sine linguæ religatione religio vana est. Lib. *de Passione Dom.,* cap 27.

51. Multi convertuntur ad Deum, non tam mente, quam corpore : habitum religionis habent sed mentem religiosam non habent. Serm. 6 *ad Sororem.*

52. Non vestis religiosa, sed mentium munditia religiosum facit : non capitis abrasio, sed Christi dilectio, probatum religiosum reddit. Serm. 11 *de Cœna Dom.*

53. Religioso totum tempus vitæ suæ, est tempus pœnitentiæ. Super lib. 4 *Sent.,* dist. 17, part. 2, art. 2, quæst. 2. S. BONAV.

54. Parum timet diabolus jejunantes, vigilantes, continentes : sed concordes unanimiter viventes in domo Domini : conjuncti Deo, et sibi, per vinculum charitatis, hi dolorem, hi timorem, hi livorem diabolo ingerunt. Lib. 1 *Pharetræ,* cap. 27.

55. Religiosus debet habere pondus maturitatis quia in pondere maturitatis cognoscitur religiosus. Tit. 1 *Diætæ,* cap. 1.

56. Sæcularis inhoneste vivens, solum infamat semetipsum : religiosus vero inhonestus et dissolutus, infamat totum monasterium et ordinem suum. *Ibid.*

57. Sicut quando vinum proclamatur in villa, per vinum quod portatur in scypho judicant homines de toto vino quod est in dolio : sic mundus per conversationem, quam videt in uno religioso, judicat omnes alios, qui sunt in monasterio, vel in ordine suo. *Ibid.*

58. Religiosus debet se castigare, non interficere, prælato obedire, non contradicere : et semper in bono proficere, non retrocedere. *Ibid.*

59. Minus malum est non esse religiosos vel nomine, vel habitu, ubi non vivunt, sicut religionis eorum forma requirit, quam ut sint, et per vitam eorum perversam alios scandalizent. *Circa Regul. S. Francisci,* quæst. 10.

60. O quam abominabilis est ille religiosus Domino, qui vestem sumit humilem, et cor superbum ! *De Perfect. vitæ ad Sorores.*

61. Cavet vir constans et honestus, ne consuetudinem ordinis sui temerarius violator existet. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 2.

62. O quam prope ille religiosus est perditioni et interitui, qui in cognoscendis rebus est curiosus, in judicando aliorum conscientias sollicitus, seipsum autem ignorat et nescit. *De Perfect. vitæ ad Sorores*, cap. 1.

S. CÆSARIUS ARELAT. 63. Ad professionem nostram pertinet subjectione, et abjectione gaudere, paupertatis studium quærere, et non facultates, sed etiam ipsas voluntates de cordibus eradicare. Hom. 28.

64. Felix est illa anima, quæ cum bene in congregatione versatur, multorum gaudium est, et plurimi ex ea vel ædificantur, vel illuminantur. *Ibid.*

65. Infelices sunt et miseræ, et omni lacrymarum fonte lugendæ illæ animæ, quæ ita malis moribus corrumpuntur, ut ex illarum ore vel cogitatione non Christi medicamenta, sed diaboli venena procedant. *Prosec.*

66. Quæ cum foris religioso habitu, quasi pellibus ovium contegantur, velut lupi rapaces intrinsecus esse noscuntur, et serpentum vel viperarum more, tandiu fictam humilitatem habitu corporis demonstrare videntur, quandiu nulla castigatione corripiuntur.

67. At ubi vel levis admonitio affuerit, tunc falsa humilitate remota apparebit elata superbia.

68. Et tunc in veritate cognoscitur, quia aliud proferebatur ore, aliud abscondebatur in corde : falsa humilitas fingebatur in corpore, et superbiæ virtus tegebatur in mente. *Ibid.*, hom. 35.

69. Si nobiles nati estis, magis de religionis humilitate, quam de sæculi dignitate gaudete. *Ibid.*, epist. *ad Quemdam.*

S. CYPRIAN. 70. Religiosus quisque vias duras ingreditur, et se districtissimis mandatis obligat, et jugulator voluptatum hostem securus aggreditur. *Prosec.*

71. Arcta via est castitas, trames strictus humilitas, jejunio affligi, et carnem in servitutem redigere, scopulosæ sunt semitæ. *De Stella et Magis*, cap. 2.

DIONYSIUS CARTHUS. 72. Beati sunt religiosi, si tanto sincerius, stabilius, fructuosius vacant Deo : quanto præ cæteris se corporaliter elongaverunt a sæculo. *Prosec.*

73. Si autem, quod absit, mundum intra se retinent clausum ; si ad ea quæ sæculi sunt, denuo afficiuntur : si non solum subesse, et obedire graviter ferunt, imo et præesse fatuissime cupiunt, præsidereque moliuntur : si linguam loquacitati, ventrem gulositati, cor dissolutioni ac levitati resolvunt : si diligunt somnum, passionibusque succumbunt, nec continuo profectui digne insistunt, ut tenentur, nonne duplici contritione, multiplici confusione, gravissima damnatione sunt digni? In *Hymno de S. Joanne Baptista.*

74. Religiosus tanto majorem gloriam promeretur, quanto inter plures exemplariter conversatur. *Prosec.*

75. Tanto quoque graviorem damnationem incurrit, quanto inter plures perverse et scandalose se habet.

76. Ideo qui in medio congregationis versatur, cum summa sollicitudine studeat exemplaris esse in verbis et factis. *De Professione vivifica*, art. 9.

77. Bonus religiosus quidquid virtuositatis cernit in aliis, studet sectari, culpas vero aliorum pie pertransit salva correptione fraterna. *De Profess. monast.*, art. 16.

78. Religiosus debet tam indesinenter humilitatem ac Dei timorem mente revolvere ac tenere, quam incessanter attrahit sibi aerem ore. *Ibid.*

79. Religiosus ad perfectionem tendens, ab omni vitio iræ et indignationis alienus consistere debet. *Ibid.*, art. 18.

80. Superbus religiosus non indiget dæmone se tentante, ipsi enim sibi ipsi factus est dæmon et impugnator. *Ibid.*

81. Quanto religiosus ea quæ mundi sunt rarius videt, audit, sentit, seu percipit, eo perfectius obliviscitur talium, et aptior fortiorque ad vacandum Deo consistit. *De Mortificat. vivifica*, art. 5.

82. Si cœperit religiosus studium virtutum paululum laxare, sive remittere, seque ad exteriora effundere, et cordis custodiam minorare, paulatim decrescit, et protinus nisi fortiter resipiscat, omnino insensibiliter deficiet. *Ibid.*, art. 13.

83. Hoc Deus præcipue requirit a religiosis, ut bona quæ agunt, agant corde prompto, ac fervido animo : ita ut serviant Domino cum jucunditate interna sine torpore atque fastidio. *De Profectu spirit.*, art. 3.

84. Religiosus omnis tarditate, pigritia, fastidio, ac torpore abjectis, spretis ac conculcatis, viriliter, celeriter, et ferventer aggrediatur, et inchoet opera bona, quæ et strenue prosequatur, ac virtuose consummet. *Ibid.*

85. Non dignus est religiosus vocari, qui oculos suos ab imprudenti circumspectione non reprimit. *Ibid.*

86. Nisi religiosa persona conetur quotidie se

intus purgare, motus et impetus passionum refrænare, et coram Deo digne proficere; efficitur multo incorrigibilior, durior, et pejor in claustro, quam erat in sæculo. *Ibid.*, art. 14.

87. Nunquam periculosa et stulta securitate dissolvatur, aut torpeat religiosus; sed quotidie timoratior, diligentior ac fructuosior fiat. *Ibid.*

88. Ubi manebunt, ubi latebunt, quo fugient illi religiosi, qui diu aut multis annis fuerunt in ordine, et tamen adhuc tam passionati sunt, tam proni ad iram, impatientiam, proterviam, acediam, ac proprii sensus immansionem, sicut dum ordinem primo introierunt, aut magis? *De Prof. monast.*, art. 7.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 89. Felix est anima illa, quæ dum in congregatione versatur, multorum gaudium est, et plurimi ex ea ædificantur, vel illuminantur. Hom. 7 *ad Monachos.*

90. Solemus annos nostros et temporum spatia, quibus in religione vivimus supputare. Non te fallat, quicunque es, ille numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti; illum tantum diem vixisse te computa, quem non malitia, non invidia, non superbia commaculavit. *Prosec.*

91. Illum dico diem, quem non mendacii, non perjurii culpa respersit, qui peccato non cessit, qui diabolo repugnavit.

92. Illum diem te vixisse computa, qui puritatis et sanctæ meditationis habuit lucem, quem non conversatio tenebrosa mutavit in noctem. *Ibid.*, homil. 9.

93. Religiosus qui ad commessationes inhocestas bibitionesque furtivas, non solum damnabili transgressione, sed etiam abominabili vilitate se subducit, multo esset melius, si somnolentia dominante dormiret. *Ibid.*

94. Elaborate potius inter vos contentione laudabili, ac æmulatione meliori, ut certetis quis vestrum in opere Dei sit promptior; quis in oratione ferventior: quis in lectione sollicitior; quis in castitate purior; quis in sobrietate parcior; quis in lacrymarum largitate profusior; quis in corpore honestior; quis in corde sincerior; quis in ira mitior; quis in mansuetudine moderatior; quis in risu rarior; quis in compunctione ardentior; quis in gravitate fundatior; quis in charitate jucundior. *Ibid.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 95. Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non præsumant. In suis *Opusculis*, colloquio 7.

GILLEBERT. ANGLUS. 96. Mortuus est ille religiosus, qui vel tædii, vel desperationis mole obruitur : in quo nihil est vividæ devotionis, fervidi spiritus. Serm. 16 super *Cantica*, apud divum Bernardum.

97. Qui plus otio intendunt, quam operi, fratrum officinas circumeunt, et cellas otiose, curiose, verbose. *Ibid.*, serm. 45.

98. Nullus carnalis religiosum retrahat affectus : omnis persona, omnis dignitas, omnis consanguinitas, Christi servitio postponenda est. Super *Num.*, cap. VI. GLOSS. ORD.

99. Qui a mundo separati in unitate Domino serviunt, ejusque solemnia sincero corde celebrant, gentes sunt cœli. Super I *Esdræ*, cap. 6. GLOSS. INT.

100. Diabolus religiosum sub habitu religioso, mores et gestus sæculares gerentem conspiciens, in suam redigit servitutem. Super *Genes.*, cap. 12. GLOSS. ORD.

101. Vos qui viam vitæ præsentis extra hominum frequentiam inceditis, tanto majora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse magister tentationum accedit. Lib. 7 in *Registro*, indict. 2, cap. 53, epist. 53. S. GREGOR. MAGNUS.

102. Multi qui possunt religiosam vitam, etiam cum sæculari habitu ducere, et plerique sunt, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. *Ibid.*, lib. 2, indict. 11, cap. 100, epist. 61, *ad Maurit. august.*

103. Religiosam vitam eligentes, non cujusdam necessitatis occasio desides faciat, aut robur conversationis confringat. *Ibid.*, cap. 56, epist. 17, *ad Gratiosum subdiacon.*

104. Laudabile studium et conveniens est religioso, terrenis gratam Deo pacem præferre, et ex compendiis, et ex rebus transitoriis mansura semper charitatis lucra mercari. *Ibid.*, lib. 7, ind. 2, cap. 27, epist. 27, *ad Antoninum subdiac.*

105. Nihil prodest religiosis vile palliolum, furva tunica, corporis illuvies, et simulata paupertas, si nominis dignitatem operibus destruant. Epist. 9, *ad Salvinam.* S. HIERON.

106. Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus? in sacco et cinere volutari, non sunt diadematis signa, sed fletus. Epist. 35, *ad Marcum.*

107. Res mirabilis, qui in sæculo nobilis fuit, apud Deum cupit esse nobilior : tam pretiosa requirit in moribus, quam contempsit in rebus. Epist. 1, *ad Demetriad.*

108. Sunt nonnulli viles et abjecti, qui in sæculo quotidianis laboribus, se ultra vires affligentes pro victu captando vilissimo, et vix raris fabis et rapis, cum rudi et hordeaceo pane saturantur : cum vero Christi militiam suscipiunt, suæ egestatis obliti lautiora quærunt, sicut qui sunt assueti magnificis. In *Regula monachar.*, cap. 5, *de Simonia.*

109. Religiosus nullum affectum sciat, nisi ejus cujus cultui dedicatus est. Lib 1 super *Matth.*, cap. 5, can. 10, num. 37, super illud : *Si oculus tuus.*

GO A S. TORE. 110. Valde detestabile est, ut ibi fiat pauper delicatus, ubi fieri appetit dives laboriosus. Super *Regulam divi Augustini*, cap. 4.

111. Multi quanto nobiliores et delicatiores fuerint in sæculo, tanto postmodum abjectius et districtius vivunt in monasterio. *Prosec.*

112. Plerique autem quanto abjectiores et pauperiores fuerint in sæculo, tanto plus deinde in monasterio extollentiam et delicationes quærunt. *Ibid.*

113. Divitiæ religiosi atque pulchritudo, boni mores sunt. *Ibid.*, cap. 6.

114. Valde incongruum est, ut ipsi reprehensibiliter vivant, quorum ordo exigit, ut cæteris formam sanctitatis ostendant. *Ibid.*

115. Quidquid agit religiosus aut loquitur, ad Dei charitatem debet respicere, aut proximi : ut in omni sua conversatione intentionis suæ summa versetur semper in charitate. *Ibid.*, cap. 8.

CARD. 116. Claustrales milites, Christi sunt, non cives mundi. Super *Josue*, cap. XVIII.

117. Debent religiosi esse oliva, per suavitatem conscientiæ; ficus, per dulcedinem orationis; vitis, per hilaritatem spiritualis lætitiæ. Super lib. *Jud.*, cap. IX.

118. Religiosi suis voluptatibus vacantes, habitu quidem religiosi sunt, sed corde luxuriosi. Super *Job*, cap. XXIV.

119. Religiosus cor est Ecclesiæ, quia celatur ut cor, et absconditur. Super *Psalm.* LIV.

120. Religiosus verus transit de vitiis ad virtutes, de mundo ad claustrum, de claustro ad cœlum. Super *Isai.*, cap. XVI.

121. Religiosus servus factus est sine dubio, dum rediit ad vomitum, et alia quæ abdicaverat, et reliquerat, magis sollicite quam ante, et quam sæcularis aliquis congregando. *Ibid.*, cap. XXXII.

122. Utinam hodie nostri religiosi plicati essent, ita quod nullus posset in eis legere : sed hodie pessime scribuntur laici scriptura operum, quia pessime legunt in vita religiosorum. *Ibid.*, cap. 34, in illud : *Complicabuntur sicut liber cœli.*

123. Nihil est per quod magis infestat religiosos diabolus, quam per proprium sensum. *Ibid.*, cap. 36.

124. Multi religiosi erant, quando erant simplices : sed accepto principatu statim contaminantur : prius sancti erant, postea perversi. *Ibid.*, cap 43.

125. Sicut pisces nutriuntur in aquis, sic religiosi debent nutriri in aquis tribulationum. *Ibid.*, cap. 50.

126. Religiosorum conversatio debet esse decor mundi. Super *Hierem.*, cap. 9.

127. Sicut ficus bonæ, valde bonæ sunt, et ficus malæ, valde malæ sunt; sic religiosi cum mali sunt, pessimi sunt : cum boni sunt, optimi sunt. *Ibid.*, cap 24.

128. Viri religiosi habent in præsenti quatuor dotes corporum glorificatorum : subtilitatem habent per votum paupertatis, quo abscindunt a se omnem proprietatem, ut possint intrare per angustam portam vitæ æternæ; claritatem habent per votum castitatis, habentes vestimenta alba sicut nix; agilitatem habent per votum obedientiæ, sequentes Agnum quocumque ierit; impassibilitatem habent per amorem justitiæ, quæ facit omnes justos impassibiles. Super I *Cor.*, cap. 15.

129. Non solum seipsos non esse suos, sed etiam omnia quæ sunt, credunt Domino consecrata. Lib. 4 *Cœnob. inst.*, cap. 20. JOAN. CASS.

130. Considera te de paucis et electis effectum, et ne exemplo ac tepore multitudinis refrigescas : sed vive ut pauci, ut cum paucis invenire merearis in regno Dei. *Ibid.*, cap. 38.

131. Tria hæc in congregatione necessario tibi sunt custodienda : ut scilicet velut surdus ac mutus et cæcus incedas. Lib. 4 *de Cœnob. inst.*, cap. 41.

132. Hic religioso principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis jugiter affectanda, ut divinis rebus ac Deo mens semper inhæreat : quidquid ab hac diversum est, quamvis magnum aut etiam infimum, ceu certe noxium judicandum est. Collat. 1, *Abbat. Moysis*, cap. 8.

133. Quanto in mundo despectiores et pauperiores fuerunt religiosi, tanto gloriosiores et nobiliores in cœlo fulgent. Epist. *pro Confortat. tentati*, part 3. JOAN. GERS.

134. Pudet me quorumdam audire vesaniam, qui se dicunt religiosos, factis autem negant. Lib. 3 *de Viris illustr. Ord. S. Benedicti.* JOAN. TRITH.

135. Numero et nomine plures sunt religiosi, sed merito pauci. Super *Prolog. Regulæ*, cap. 2, text. 1.

136. Malis religiosis sæculum floret, claustrum sordet, chorus ardet, refectorium insipidum est, oratio friget, lectio torpet, meditatio horret, obedientia dura et aspera est, cella carcer, oppidum paradisus, silentium languor, vigiliæ torpor, inclusio claustri, sicut vivo sepultura. *Ibid.*

137. Necessarium est, ut qui vitam ducere contendit religiosam, in juventute fugiat voluptuosam. *Ibid.*, cap. 2, text. 9.

138. Religiosus dici, non esse desideras. Orat. 4 *in Conventu abbat. habita.*

139. Qui religiosam vitam profiteri studet, ac salutis cupiditate flagrat, omnia quæ in ea dura et laboriosa sunt, quæcunque sint, prompto S. ISID. PELUS.

animo amplectitur. Lib. 1, epist. 110, *ad Cratonem monachum.*

140. Religiosæ vitæ certum argumentum non est, pallii ac promissæ barbæ ostentatio. *Ibid.*, epist. 220, *ad Pelusiot. monach.*

LACT. FIRM. 141. Apparet nullam aliam spem vitæ homini religioso esse propositam, nisi ut abjectis vanitatibus, et errore miserabili, Deum cognoscat, et Deo serviat : nisi huic temporali vitæ renuntiet, ac se rudimentis justitiæ ad cultum veræ religionis instituat. *Prosec.*

142. Hac enim conditione gignimur, ut generati nos Deo justa et debita obsequia præbeamus : hunc solum noverimus, hunc sequamur. Lib. 4 *de Divin. inst.*, cap. 28.

S. LEO I. 143. Parum religiosus demonstratur, qui religiosior non invenitur. Serm. 1 *Quadragesimæ.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 144. Religiosus qui sibi mundoque perfecte mori, et Deum vero sinceroque amore prosequi non studet, suæ professioni non satisfacit. Epist. *ad Clement. Levantium.*

145. Heu quam multi hodie se misere fallunt, qui religioso habitu suscepto vota religionis vovent, cum tamen parum aut nihil de perfectione vitæ cogitent! *Prosec.*

146. Creaturis tenaciter adhærent, et in eis delectationem inordinate quærunt : externas consolationes avidissime appetunt, seseque totos absque timore foras effundunt.

147. Mente vagi, moribus incompositi, sensibus incustoditi, verbis garruli, ac vani sunt : atque in sua negligentia, suisque vitiis ad mortem usque perseverant. O quam acerbæ pœnæ manent tales post hanc vitam!

148 Tu vero, mi Clemens, vide ut non habitu tantum, sed maxime sancta cœlestique conversatione sis religiosus. *Ibid.*

PETRUS BLESENS. 149. Tu qui religionis habitum protendis, religiosius te habeas, loquaris parcius, et modestius movearis. Epist. 119, *ad Quemdam canonicum.*

150. Probatos in religione tecum habeas in consilio, in obsequio, in contubernio tuæ custodes honestatis et testes. *Ibid.*, epist. 132, *ad Quemdam abbatem.*

151. Hic est progressus religiosi, ut scilicet primo vir justus, auditor : post doctor, tamen, si Dominus vocaverit, pastor. *Ibid.*, serm. 9, *de Purificat.*

152. Vir claustralis, vir compeditus. *Ibid.*, serm. 50.

153. Erubescat religiosus deterior esse in claustro quam fuerit in sæculo. *Prosec.*

154. Erubescat resumere quod evomuit, et mundum repetere, quem reliquit.

155. Erubescat esse vitæ nequioris in claustro, quam dum inter fluctus hujus sæculi versaretur. *Ibid.*, super *Job*, cap. 2.

156. Religiosum te putas, quia religionis habitum geris : sed sanctitas et lingua viperea simul esse non possunt. *Ibid.*, in *Invectiva contra depravator.*

157. Apud sæculares religiosus quisque veluti pictura est : pictura siquidem si procul assistat, inhianter et cum aviditate prospicitur : si juxta sit, contemptibilis judicatur. *Opusc.* 12, cap. 26. S. PE[TRUS] DAMI[ANUS]

158. Religiosus non tam quod licet, quam quod necessitas postulat, in proprios usus assumat. *Opusc.* 13, cap. 7.

159. Qui conversi ex pristinis moribus nihil abjiciunt; non sunt mente mutati, sed veste : nec actu, sed habitu. *Prosec.* S. PR

160. Hi sunt, qui sermone tantum, non opere, sæculo renuntiasse contenti, sæculariter vivunt, et vitia sua inani professione vitæ melioris abscondunt, ac religionis imaginariæ nomine palliati opinionem virtutis pro virtute suscipiunt. Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 4.

161. Humiles sunt religiosi, hoc volunt : pauperes sunt, pauperie delectantur : sine ambitione, ambitum respuunt : inhonori sunt, honorem calcant : lugent, lugere gestiunt : infirmi sunt, infirmitate gaudent. Lib. 1 *de Gubern. Dei.* SALVI[ANUS]

162. Religiosi cunctis beatiores sunt, quia et habent quæ volunt; et meliora quam quæ habent, omnino habere non possunt. *Ibid.*

163. Multi religiosi, imo sub specie religionis vitiis sæcularibus mancipati, scilicet post veterum flagitiorum probra et crimina titulo sanctitatis sibimet inscripto, non conversatione alii, sed professione nomen tantum demutavere, non vitam : et summum divini cultus habitum magis quam actum existimantes, vestem tantummodo exuere, non mentem. *Ibid.*, lib. 5.

164. Religiosi nominis, membra sunt religionis, vim non habentia. *Ibid.*, lib. 1 *ad Eccles. cathol.*

165. Intelligant omnes religiosi non satis se Deo reddere, etiamsi universas dederint facultates : quia licet sua cuncta dispensent, seipsos tamen debent. *Ibid.*, lib. 2.

166. Tametsi religiosus ea duntaxat consilia, quæ sibi definite secundum suæ professionis regulam taxata sunt, implere teneatur, tamen etiam ad alia implenda intendere debet. 2, 2, quæst. 186, art. 2. S. TH[OMAS] AQUI[NAS]

167. Religiosi videntur præcipue teneri apostolorum vitam imitari, quia statum perfectionis profitentur. *Ibid.*, quæst. 187, art. 3, argum. 5.

168. Status curam animarum habentium non est perfectior, quam status religiosorum, sed periculosior. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 20.

[THO]MAS [A] KEMPIS. 169. Vehementer religiosi diabolum affligunt, cum jejunant; verberant, cum disciplinam recipiunt; calcant, cum veniam petunt; premunt, cum se humiliant; terrent, cum Jesum invocant; torquent, cum Mariam nominant; fugant, cum cruce se crucifixum adorant; vincunt, cum obediunt; arctant, cum in solitudine manent; ligant, cum silentium servant. Serm. 1 *ad Novit.*, divis. 1.

170. Scitote quod religiosus carnalis sub vili panno latens, diu se fingere non potest : sed aut in se per teporem deficit, et a fervore arescit, aut cito recedit, aut recedere cogitat, aut cum murmure manens, fœtorem de se perversæ actionis ostendit. *Ibid.*, divis. 4.

171. Sic est religiosus in claustro, sicut nobilis miles ab hostibus in castro undique obsessus : non potest fugere, non potest otio torpescere, sed vigilare oportet, et in armis semper stare contra inimicorum insidias et sagittas. *Ibid.*, serm. 10, divis. 5.

172. Beatus religiosus desolatus, cui mundus exilium, cœlum patria, cella paradisus est. *Prosec.*

173. Beatus religiosus Deo devotus, sæculo ignotus; cui oppidum carcer, claustrum refrigerium, labor requies, solitudo solatium, luctus gaudium, silentium pacis hospitium.

174. Beatus religiosus, cui sacra lectio cibus, oratio potus, psalmus jubilus, meditatio Christus, speculatio Deus. *Ibid.*, serm. 13, divis. 7.

175. Religiosus in abscondito manens, est quasi lucerna in nocte secure ardens : flabunt venti, et non nocebunt ei Deo vacanti et oranti. *Ibid.*, serm. 13, divis. 8.

176. Sæpe religiosus iracundia motus, ostendit impatientiæ suæ aculeos, cum fuerit pro culpa sua correptus, aut silentium servare coactus. *Ibid.*, serm. 14, divis. 6.

177. Non es ideo sanctus, et magnus dominus, o religiose, dicendus, quia cappam geris extrinsecus; quod asinus facere posset, si esset taliter vestitus. *Ibid.*, serm. 14, divis. 8.

178. Non loci amœnitas, nec magnitudo, non vestis pulchra, nec gradus excellentia, perfectum facit religiosum : sed perfecta sæculi abrenuntiatio, et vitiorum quotidiana mortificatio. *Ibid.*, serm. 14, divis. 9.

179. Ille vere religiosus est, qui sæculo sponte renuntiat, et corde ad sæculum non regyrat. *Ibid.*, serm. 14, divis. 10.

180. Locus, in quo religiosus stat, sanctus est : et ideo religiosorum est, vacare, silere, orare, et præter Deum nil velle scire. Serm. 8 *ad Fratres*, divis. 5.

181. Habitus et tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum, et integra mortificatio passionum, verum faciunt religiosum. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 17, sect. 2.

182. Vita boni religiosi omnibus virtutibus pollere debet, ut sit talis interius, qualis videtur hominibus exterius : et multo plus debet esse intus, quam quod cernitur foris. *Ibid.*, cap. 19.

183. O sacer status religiosi famulatus, qui hominem angelis reddit æqualem, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, et cunctis fidelibus commendabilem. *Ibid.*, lib. 3, cap. 10.

184. Status religiosorum magnus et sanctus est, si bene servetur : si quisque sic vivat, ut regula docet, et habitus demonstrat. In *Dialogo novit.*, cap. 3.

185. Quia religiosus es, idcirco altioribus sanctitatis studiis obligaris. In *Exercit. spirit.*, cap. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

186. Cura ut vir sis, et cogita quem in locum sis progressus, et vide quid jam tibi sit necesse fieri. Orat. 3 *pro Catilina.* CICERO.

187. Civitatis custodes sunt religiosi. Sizygia 4, lib. 2, *de Republ.* PLATO.

188. Id agamus, ut meliorem vitam sequamur, quam vulgus : suspiciant omnes vitam nostram, sed et agnoscant. Epist. 5. SENECA.

189. I qua cœpisti, et in isto te vitæ habitu compone placide, non molliter. Epist. 82.

190. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. Epist. 107.

191. Mors religiosi facit vitam beatam. *Sent.* 317. SIXTUS PHILOSOPH.

Vide etiam tit. *Disciplina*, sent. 21, 54; *Ecclesia*, sent. 73; *Firmitas*, sent. 17; *Gravitas*, sent. 13; *Habere*, sent. 43; *Humilitas*, sent. 115; *Hypocrisis*, sent. 15, 19, 107; *Inimicitia*, sent. 21; *Laicus*, sent. 3; *Laus Dei*, sent. 109; *Martyrium*, sent. 140, 162, 228; *Monachus*, per totum; *Murmur*, sent. 26; *Mutatio*, sent. 39; *Palatium*, sent. 5; *Perfectio*, sent. 67, 68, 69; *Privilegium*, sent. 21; *Proprietas*, sent. 3; *Reddere rationem*, sent. 22; *Renuntiatio sui*, sent. 8; *Requies*, sent. 32; *Retrogredi*, sent. 23; *Schisma*, sent. 9; *Sæculum*, sent. 27, 40, 51; *Singularitas*, sent. 4; *Superbia*, sent. 129; *Superfluitas*, sent. 31; *Vaniloquium*, sent. 18; *Voluntas propria*, sent. 101.

## RELINQUERE.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Relinquamus umbram, qui solem quærimus : deseramus fumum, qui lumen sequimur. *De Fuga sæculi*, cap. 5. S. AMBROS.

2. Si vis nil regi debere terreno, relinque omnia, et sequere Christum. Lib. 9, super *Luc.*, cap. XX, in illud : *Cujus habet imaginem?*

3. Quid est a mundo exire, et ad Christum ire, nisi vitia refrænare, et animam vinculo amoris S. ANTONIUS DE PADUA.

Deo religare? Serm. *Dom.* 5, *post Pascha*, super illud : *Quia a Deo existi.*

S. AUGUST. 4. Multi sancti omni modo caventes ipsas, velut matres deliciarum, divitias dispergendo pauperibus, abjecerunt, et tali modo in cœlestibus thesauris tutius condiderunt. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 3.

5. Omnia contemnit, qui non solum quantum habuit, sed etiam quantum potuit habere, contemnit. *Prosec.*

6. Utilius autem terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbe relinquitur. Epist. 34, *ad Paulinum.*

7. Fortitudinis est ab omni mortifera suavitate rerum transeuntium sese extrahere : et inde se avertens, convertere ad dilectionem æternam. Lib. 2 *de Doctrina christiana*, cap. 7.

8. Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius est, pro intentione sequendi Dominum insimul donare, et absolutum sollicitudine cum Christo egere. *De Ecclesiasticis dogmat.*, cap. 71.

9. Non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. *De Serm. Dom. in monte*, lib. 1.

10. Non superbiat, qui multa dimisit : Petrus ut sequeretur Dominum, novimus quod piscator erat, quid potuit dimittere? non solum dimisit quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat. Super *Psalm.* CIII, conc. 3, vers. 18.

11. Patrimonii tui, quo es ligatus, compedem in hac vita resolve, ut libere ad cœlum possis accedere : abjice abs te divitiarum onera, abjice vincula voluntaria, abjice anxietates et tædia, quæ te pluribus in annis inquietant. *De Verb. Dom.*, serm. 25.

12. Si migrandum est de hoc mundo, non amandus est mundus : non vis relinquere mundum; relinquit te mundus, et sequeris mundum. Serm. 1 *Domin.* 23, *post Trinitatem.*

13. Tollite divitias, ut facilius tollatis superbiam : tollite divitias, et infernus non erit. Serm. *ad Fratres in eremo.*

14. Major virtus est vitia dimittere, quam res : nihil enim prodest terrenas substantias dimittere, si vitia non dimittimus. *Prosec.*

15. Multi divitias derelinquunt, vitia autem non derelinquunt. *Ibid.*, serm. 45.

16. Istæ sunt viæ peccatoribus duræ super omnia dura, amaræ super omnia amara, odiosæ ut mors, relinquere quæ mundi sunt. *Prosec.*

17. O quam durum! o quam mortale! o quam amarum videtur, relinquere quæ mundi sunt : verumtamen quanto duriora, tanto utiliora erunt. *Ibid.*, serm. 55.

18. Totum mundum dimittit, qui et illud quod habet, et quod optat habere dimittit. Epist. 89, quæst. 4.

19. Mundus ut obtineatur, relinquitur. Epist. 32.

20. Quid in hoc mundo agimus, fratres, aut quid facimus de hoc mundo? Si salvari contendimus ab illo nequam, quid adhuc de hoc mundo decernimus? Si exire volumus, quid compedes nostros nobiscum trahere laboramus? *Prosec.* S. BERN.

21. Ponamus aureos esse, sed multo melius est sine his liberari, quam eorum occasione teneri : non æstimemus pretium ,sed impedimentum consideremus. Serm. *De eo quod scriptum est : Beatus homo*, etc.

22. Philosophi omnia sua reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberius : et nolebant censu abundare terreno, ut abundarent magis in sensu suo. Serm. 1 *Omnium sanctorum.*

23. Laudatur Job, quod sua patienter amisit, et non laudabitur ille, qui et libenter dimisit, et liberaliter distribuit. Epist. 23, *ad Attonem Trecensem episc.*

24. Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ et assequi miserum est. Epist. 103, *ad Quemdam abbatem.*

25. Etsi impium est contemnere matrem, tamen propter Christum piissimum est. Epist. 104, *ad Galterum.*

26. *Ecce nos reliquimus omnia*, etc. Hæc sunt verba quæ contemptum mundi in universo mundo, et voluntariam persuasere hominibus paupertatem. *Prosec.*

27. Hæc sunt, quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc sunt verba, quæ Ægyptum spoliant, et omnia quæque ejus optima vasa diripiunt.

28. Hic, inquam, sermo vivus et efficax est, convertens animas felici æmulatione sanctitatis, et veritatis promissione fideli. In *Declamat.*

29. Præcipua causa fugiendarum divitiarum hæc est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri. *Ibid.*

30. Age, qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento. *Ibid.*

31. Terrenas deserere sortes, et necdum obtinere cœlestem, afflictio intolerabilis est, et inconsolabilis dolor. *Ibid.*

32. Relinquere temporalia magis expedit, quam relinqui. *Ibid.*

33. Utinam quod mundum relinquimus, voluntatis sit, non necessitatis. *De Ordine vitæ.*

34. Citius et levius relinquitur facultas, quam cupiditas amittatur. Serm. *de Verbis Sapient.*

35. Multum relinquis, si voluntatem habendi dimittis : multum dimittis, si desiderium habendi postponis. Serm. 8 *ad Sororem.*

S. BONAV. 36. Non sufficit quod relinquatur possessio, nisi etiam relinquatur et affectus carnalis. Super *Luc.*, cap. XVIII, in illud : *Propter regnum Dei.*

37. Licet non teneantur omnes relinquere omnia quantum ad effectum, nisi qui voto paupertatis sunt adstricti : tamen tenentur omnes relinquere omnia, quantum ad affectum. Serm. 4, *Dom.* 4, *post Pent.* super illud : *Relictis omnibus, secuti sunt eum.*

38. Anaxagoras philosophus cum ad studium vadens, sua omnia reliquisset, cumque post multa tempora patriam repetiisset, et omnes possessiones suas desertas et incultas cerneret, ait ad circumstantes : Non salvus esse potuissem, nisi istæ periissent. Serm. 2 *de SS. Philippo et Jacobo.*

39. Quis hodie est, qui, non dico seipsum, sed sua pro Christo relinquat? magis homines obediunt auro, quam Christo. Serm. 1 *de SS. Apostolis.*

CÆSARIUS ARELAT. 40. Nihil proficit homo relinquendo quod extra se habet, qui vitia intra se retinet. Homil 29.

CLEMENS ALEX. 41. Voluptates et delicias, tanquam caducum et brevem florem, relinque vento et igni. In *Orat adhortat.*

CYRILLUS HIEROSOL. 42. Parva sunt quæ relinquis, maxima vero quæ dantur a Domino: relinque præsentia, et crede futura. *Cateches.* 1.

DIADOCH. 43. Omnibus modis est utilis a mundo secessus, *De perfec. vitæ spirit.*, cap. 18.

DIONYSIUS CARTHUS. 44. Domum paternam et vestes sæculares relinquere, et nomen sumere monachi, parum prodest, si mens misera ea quæ in mundo habentur desideret : et quæ reliquerat, affectibus repetat. *De Mortificat. vivifica*, art. 12.

45. Relictio mundi est, etiam semetipsum et propriam voluntatem propter Deum omnino relinquere, et nihil sui relinquere sibi. *De Profectu spirit.*, art. 14.

EPHRÆM. 46. Turpe est eos, qui maxima sibi subjecerunt, a vilioribus vinci. Super illud : *Attende tibi*, cap. 2.

EUSEBIUS EMISSEN. 47. Non satis prodest, quod a nobis qualescunque facultates exclusimus, quando in nobis resederunt cupiditates. *Prosec.*

48. Interdum de rebus parvissimis excitamur et pro vilium rerum appetitu, vilissimas contentiones movemus.

49. Quare hoc? quia licet reliquerimus in rebus exteriora bona, adhuc tamen in cordibus mala interiora retinemus.

50. Et inter hæc quomodo exultat adversarius noster, quando nos videt ad hoc maxima contempsisse, ut in minimis vinceremur?

51. Ideo ea quæ foris erant abjecisse nihil prodest, nisi etiam ea quæ ipsius animæ visceribus adhæserunt, radicitus evellantur.

52. Nihil proficit homo relinquendo quod extra se habet, qui vitia intra se tenet. Homil. 5 *ad Monachos.*

53. Ille omnia relinquit, qui propriæ renuntiat voluntati. In suis *Opusc.*, serm. 5. S. FRANCISC. ASSISIAS.

54. Quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, in judicio proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit. Lib. 10 *Moral.*, cap. 17, num. 30. S. GREGOR. MAGNUS.

55. Rectum est, ut cum Deo de populis in judicio judicent, qui ad verba Dei præsens sæculum perfecte derelinquunt. *Ibid.*, lib. 11, cap. 13.

56. Quid in hoc mundo stultius quam sua deserere? et quid in æternitate nobilius, quam cum Deo judices venire? *Ibid.*, lib. 20, cap. 16, super illud *Job* XXX : *Filii stultorum*, etc.

57. Quisquis ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit, nullatenus deserit: quia qui terreno studio terram relinquit, non relinquit, sed appetit. Homil. 18 super *Ezech.*

58. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit, multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. *Prosec.*

59. Multa, fratres, relinquitis, si desideriis terrenis renuntiatis : exteriora etenim nostra Domino quamlibet parva sufficiunt: cor, et non substantiam pensat. Homil. 5 super *Evang.*

60. Vitæ cœlestis cupidus cuncta terrena facile derelinquit. Homil. 11 super *Evang.*

61. Laboriosum fortasse non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum : minus est abnegare quod habet, valde autem multum est abnegare quod est. *Ibid.*, Homil. 32.

62. Egeni rebus et pauperes sunt, qui propter Evangelium, ea quæ in sæculo habere poterant cuncta reliquerunt. Lib. 2 in I *Reg.*, cap. 1, super illud : *Suscitans de pulvere egenum.*

63. Non sufficit nostra relinquere, nisi relinquamus et nos : tunc nosmetipsos relinquimus, tunc nosipsos abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus, et ad hoc nitimur, quo per novitatem vocamur. Homil. 32 super *Evang.*

64. Eripe animam tuam e mundo, fuge Sodomam, fuge incendium : perge, nec retrospicias, ne forte in salis statuam obdureris, in montibus salveris. Orat. 3 *de Sancto lavacro.* S. GREGOR. NAZ.

65. Multum reliquerunt, qui voluntatem habendi abnegaverunt : tantum enim a sequentibus re- HAYMO.

linquitur, quantum a non sequentibus concupisci potest. Serm. *de S. Andrea.*

S. HIERON. 66. Quid facis in paterna domo, delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pellibus? Ecce de cœlo tuba canit. *Prosec.*

67. Tu de cubiculo ad aciem, tu de umbra egrederis ad solem : corpus assuetum tunicis, loricæ onus non fert : caput opertum linteo, galeam recusat : mollem otio manum, durus exasperat capulus.

68. Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, et scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, et siccis oculis ad vexillum crucis evola : solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Epist. 1 *ad Heliodor.*

69. Facile sæculi rumpit vincula amor Dei, et gehennæ timor. *Ibid.*

70. Apostolici fastigii est, perfectæque virtutis, vendere omnia, et pauperibus distribuere : et sic levem atque expeditum cum Christo ad cœlestia subvolare. *Prosec.*

71. Nobis, immo tibi diligens credita est dispensatio, quanquam in hoc omni ætati, omnique personæ libertas arbitrii relicta sit : *Si vis*, inquit, *esse perfectus.* Non cogo, non impero, sed propono palmam, ostendo præmia : tuum est eligere, si volueris in agone atque certamine coronari.

72. Et consideremus, quam sapienter sapientia sit locuta : *Vende quæ habes.* Cui ista præcipiuntur? nempe illi cui dictum est, *Si vis esse perfectus.* Non partem bonorum tantum vende, sed omnia. Cumque vendideris, quid sequitur? *Et da pauperibus.* Non divitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem, sive ille sacerdos sit, sive cognatus et affinis, nihil in illo aliud consideres, quam paupertatem. Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia. Ep. 8, *ad Demetriad.*

73. Melius est sponte dimittere quod aliquando periturum est, quam id amittere pro quo omnia dimittenda sunt. Ep. 11, *ad Geruntiam.*

74. Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit : nec putavit se simul posse et virtutes et divitias possidere. Epist., 13, *ad Paulinum.*

75. Plus accepimus, quam dedimus : parva dimisimus, et grandia possidemus. Epist., 26, *ad Pammach.*

76. Non est satis perfecto et consummato viro, opes contemnere, pecuniam dissipare et projicere, quod in momento et perdi et inveniri potest. *Prosec.*

77. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Anthisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos fuisse legimus : plus debet discipulus Christi præstare, quam mundi philosophus. *Ibid.*

78. Christus sanctificatio est, sine qua nemo videbit faciem Dei : Christus redemptio, idem Redemptor et pretium : Christus omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus. *Ibid.*

79. Aurum deponere, incipientium est, non perfectorum : fecit hoc Crates Thebanus, fecit et Anthisthenes. Ep. 28, *ad Lucin.*

80. Plus est animum deposuisse, quam cultum : difficilius caremus arrogantia, quam auro et gemmis : his enim abjectis, interdum gloriosis tumemus sordibus, et vendibilem paupertatem populari auræ offerimus. Epist. 30, *ad Oceanum.*

81. Multi philosophi, e quibus unus, ut cæteros sileam, multarum possessionum pretium projecit in pelagus : Abite, dicens, in profundum, malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. Epist. 34, *ad Julian.*

82. Projice sarcinam sæculi, ne quæras divitias : nudus et levis ad cœlum evola, ne alas virtutum auri deprimant pondera. Epist. 35, *ad Exuperantium.*

83. Certe Christus pro animi voluntate omnia in acceptum refert : nemo apostolis pauperior fuit, et nemo tantum pro Domino dereliquit. *Ibid.*

84. Festina quæso te, et hærentis in salo naviculæ funem magis præcide, quam solve. Epist. 1, *ad Paulin.*

85. Si habes in potestate rem tuam, vende : si non habes, projice : tollenti tunicam, et pallium relinquendum est. *Ibid.*

86. Apostoli navem tantum et retia reliquerunt : vidua duo æra misit in gazophylacium, et præfertur Crœsi divitiis. *Ibid.*

87. *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres,* etc. O quanta beatitudo, pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, et habere Deum debitorem ! Epist. 28, *ad Hedibiam,* quæst. 1.

88. Facilius sacculus contemnitur, quam voluptas : multi divitias relinquentes, Dominum non sequuntur. Lib. 3 super *Matth.*, cap. XIX, can. 2, num. 194, super illud : *Si vis perfectus esse.*

89. Grandis fiducia ! Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos manu et arte quærebat ; et tamen loquitur confidenter : Reliquimus omnia : et quia non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectius est ; Et secuti sumus te, quod proprie apostolorum est atque credentium. *Ibid.*, cap. XIX, can. 10, num. 199, super illud : *Ecce nos reliquimus omnia.*

90. Duo sunt, quæ relinqui oportet propter HUGO A S

RE. Deum, facultatem scilicet possidendi, et voluntatem habendi. *Prosec.*

91. Non sufficit exteriorem relinquere substantiam, nisi interior abscindatur concupiscentia. Super *Regulam D. August.* cap. 1 in illud *Luc.* IX : *Qui renuntiat omnibus.*

92. Vere per excelsam viam graditur, qui calcatis terrenis, mente et desiderio ad cœlestia sublevatur. *Ibid.*, cap. 8.

ARD. 93. Si relinquis amicos carnales, multiplicat Deus amicos spirituales. Super *Gen.* cap. XII.

94. Facile est ingredi Hiericho, difficile egredi : quid enim difficilius, quam de divitiis et deliciis et honoribus ad paupertatem, asperitatem, vilitatem transire? *Prosec.*

95. Nihil difficilius est amatoribus hujus mundi, qui quasi pisces capti sunt in rete diaboli : rete quidem anterius latum et patens, sed post strictum et angustum. Super *Josue*, cap. VI.

96. Quanto quis magis vult mundum fugere et ad Deum accedere, tanto acrius et subtilius insurgit diabolus contra eum : quod divina dispensatione permittitur, ut dum alia vitia superat, et aliis reluctatur, non extollatur in superbiam de victoria vitiorum. Super *Ecclesiastic.*, cap. II.

97. Qui omnia pro Domino reliquerunt, isti sunt beati : quia eis ad votum succedit quod amant, id est, paupertas : ipsam habent quantum volunt, et quamdiu volunt secure et pacifice possidentes. Super *Matth.*, cap. V.

98. Debemus despicere mundum, propter sui vanitatem; carnem, propter sui vilitatem; diabolum propter sui malignitatem. Super *Psalm.* CXVII.

ASS. 99. Si paupertate præventus, nihil quod dimitteres habuisti, multo minus acquirere debes, quod antea non possedisti. Lib. 7 *Cœnob. inst.*, cap. 27.

100. Nemo est, qui non habeat quod dimittat : universis renuntiavit facultatibus mundi, quisquis affectum possidendi eas radicitus amputavit. *Ibid.*

101. Nonnullos mundi hujus maximas facultates, et non solum multa auri atque argenti talenta, verum etiam prædiorum magnificentiam contemnentes; post hæc vidimus pro scalpello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoveri. *Prosec.*

102. Qui si contemplationem cordis mundi fixam tenerent, nunquam utique pro parvis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, easdem penitus abjicere maluerunt.

103. Cumque omnes divitias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retinentes, et pro ipsis nonnunquam subito irascentes, veluti qui non habent apostolicam charitatem, ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur. Collat. 1, *Abbat. Moysis*, cap. 6.

104. Illud ridiculum est quod nonnullos res familiares, et opes plurimas ac militiam sæculi relinquentes, tanto cernimus studio in his, quæ quamvis parva viliaque sint, esse devinctos, ut horum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem. *Prosec.*

105. Quibus profecto non magni proderit majores opes ac substantias contempsisse, quia affectus earum ob quos illæ contemnendæ sunt, in res parvas, atque exiguas transtulerunt.

106. Nam vitium avaritiæ et cupiditatis, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed commutasse se probant pristinam passionem.

107. Quid differt, utrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas, atque magnificas, an erga viliores exerceat species? nisi quod in eo reprehensibilior judicandus est, quod qui maxima spreverit, minimis obligetur.

108. Ideoque perfectionem cordis abrenuntiatio ista non obtinet, quia cum censum habeat pauperis, non abjicit divitiis voluntatem. Collat. 4, *Abbat. Danielis*, cap. 21.

109. Ut dignus cœlestibus efficiaris bonis, deride præsentia; si mundanas despicias, toto eris mundo pretiosior. Homil. 4 super *Matth. Operis perfecti.* S. JOANNES CHRYSOST.

110. Tria sunt generaliter omnia, quæ relinquere debet omnis qui venit ad Christum; actus carnales, substantiam mundialem, parentes carnales. Homil. 7 super *Matth. Oper. imperf.*

111. Philosophi, qui inter homines sublimiores fuerunt, contemptis divitiis ad paupertatem venerunt, quasi ad securum præsidium, et morbis non obnoxium. Homil. 13 super *Acta Apost.*

112. Omnia dare pauperibus, consilium sæcularibus est, præceptum religiosis. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 1. JOAN. TRIT.

113. Quanto inhabitatio mundi diuturnior, tanto et fuga difficilior. Epist. 10, *ad Nicol. presbit. Mernicens.*

114. Difficile transitoria relinquuntur bona, si non prælibantur æterna. *De castro connubio*, cap. 21. S. LAURENT. JUSTIN.

115. Ascensionis initium est ut relinquas tua, quo quietius tecum habites. Serm. *de S. Bartholom.*

116. Exeundum nobis est de Ægypto, relinquendus est mundus, si volumus Domino servire. Homil. 3 in cap. VII *Exodi.* ORIGENES.

117. Relinquas sæculum, antequam a sæculo relinquaris : egredere de terra dissimilitudinis, de medio pravæ ac perversæ nationis. *Prosec.* PETR. BLES.

118. Egredere de tenebris ad lucem, de miseria ad jucunditatem, de labore ad requiem, de exilio in patriam, de morte ad vitam. Epist. 11, *ad Quemdam clericum.*

119. Nobilis et magnanimi cordis est, tanti emolumenti dignitatem relinquere : ad cujus acquisitionem plurimos anxia sollicitabat ambitio. *Ibid.*, epist. 93, *ad Guillelmum abbatem.*

S. PETRUS DAMIANUS. 120. Felix tale commercium, ubi datur lutum, tollitur aurum, pro tenebris lucem, reo terrenis honoribus cœlestis gloriæ comparamus dignitatem. Lib. 7, epist. 7, *ad Agnetem imperatricem.*

121. Non reliquit omnia, qui retinuit seipsum : imo vero nihil prodest, sine seipso cætera reliquisse. Serm. 9, *de S. Bened.*

122. Salubrius fuerat, habita quieto animo possidere, quam abjecta non sine quadam solliciti rancoris anxietate requirere.

S. PROSPER. 123. Ipsi quodammodo sua relinquunt, qui quando propriis contenti rebus, nihil eorum quæ labori vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt. Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 12.

SALVIANUS. 124. Egredientes e mundo isto, velimus, nolimus, hic cuncta relinquimus. Lib. 1 *ad Eccles. cathol.*

125. Multi sunt, qui licet religionem professi sint, tamen divitias non relinquunt. *Ibid.*, lib. 2.

126. Si quilibet res sua sæculo deditis, atque ipsi sæculo derelinquit, frustra sibi nomem religionis inscripsit : ei enim videtur semper vixisse, cui moritur. *Ibid.*

127. Si vis tibi esse consultum, si vis æternam habere vitam, relinque claudis, relinque cæcis, relinque languentibus. *Ibid.*, lib. 4.

IN VITIS PATR. 128. Autfugiens fuge homines; aut irridens irride mundum. Lib. 5, libell. 8, num. 24.

129. Præclara et dulcia Dei munera habemus proposita, fratres, pro sæculari relicta modesta voluptate. Lib. 10, cap. 152.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO UTICET. 130. Quæ nocitura tenes, quamvis sint chara, relinque. Lib. 1 *Distichor.*, metr. 11.

CICERO. 131. Relinquendæ sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, lucus, jocus, convivium, sermo etiam omnium familiarum deserendus. Orat. 34, *pro Cœlio*, num. 46.

SENECA. 132. Alternæ inter cupiditatem nostram et pœnitentiam vices sunt : peritura relinquimus, relicta repetimus. *De beata vita*, cap. 28.

133. Delectat ex alto relicta respicere. *De Consolat. ad Marciam*, cap. 25.

134. Qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, et oculos et aures ab his quæ reliquit, avertat. Epist. 69.

135. Relinque divitias, aut periculum possidentium, aut onus : relinque corporis atque animi voluptates, molliunt enim et enervant. *Prosec.*

136. Relinque ambitum, tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum : tam sollicita est, ne quem ante se videat, quam ne se post alium : laborat invidia, et quidem duplici. Epist 84.

137. Spernendæ opes, auctoramenta sunt servitutum : aurum et argentum et quidquid aliud felices domos onerat, relinquatur. Epist. 104.

138. In insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit, et arce se sua vindicat, infra illum omne telum cadit. Epist. 82.

139. Magna pars sanitatis est, hortatores insaniæ reliquisse, et ex isto cœtu invicem noxia persuadentes procul abegisse. Epist. 64.

140. Dum optima quæque abjeceris prædia, tunc purificatus pete quod vis a Deo. *Sent.* 73. SIX PHILO THIS

141. Relinquens quæ possides, sequere verbum Dei : liber enim eris ab omnibus, cum Deo servieris. *Ibid.*, sent. 255.

142. Arduum est consueta ac præsentia relinquentem, ad superiori se potioraque convertere. *De Potestate et sapientia Dei*, cui titulus, *Pimander*, cap. 4.

Vide etiam tit. *Curia*, sent. 1 ; *Differentiæ*, sent. 35 ; *Egredi*, sent. 30, 57, 58; *Evagatio*, sent. 16; *Fuga*, sent, 23, 24, 30 ; *Justum in genere*, sent. 132 ; *Monachus*, sent. 82 ; *Monasterium*, sent. 31, 32 ; *Monialis*, sent. 67, 68 ; *Mundus*, sent. 99. 112, 129, 135 ; *Parentes*, sent. 87, 108 ; *Paupertes voluntaria*, sent. 85, 193 ; *Possessio*, sent. 42 ; *Religiosus*, sent. 102 ; *Sequi Christum*, sent. 128 ; *Solitudo*, sent. 50 ; *Via*, sent. 85 ; *Voluntas propria*, sent. 114.

## REMEDIUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Non potest ei adhiberi remedium, cujus est vulnus occultum. *Habetur apud Bedam, in suis Scintillis*, cap. 8. S. A

2. Pestilentia cavenda est, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem. Part. 2, tit. 4, cap. 7, § 4. S. AN

3. Timeat futurum supplicium, qui præsens judicis contempsit remedium. Homil. 46 *ex* LIII *Homil.* S. A

4. Quia non desunt quotidiana peccata, non desint etiam quotidiana remedia. Serm. 1 *de S. Laurent.*

5. Convertamus nos ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia. Homil. 16, *ex* LIII *Homil.*

6. Si agnoscis remedium, agnosce morbum : si

negas morbum, nega remedium. Lib. 3 *contra Julian.*, cap. 15.

7. Confidentia divinæ opitulationis contempsit infima remedia, ut gloriosiora posset exercere certamina. *Ibid.*, cap. 21.

S. BASILIUS SELEUC. 8. Mali remedium cape. Orat. 29.

S. BERNARD. 9. Omnis laboris remedium, alterius laboris initium est. Serm. *de Primordiis.*

10. Adversa carnis, remedia sunt animi. Serm. 43 *ad Sororem.*

S. BONAV. 11. Diligit brutum suum remedium, quo fugit sibi nocivum : et tu, homo, contemnis (cognoscens tua mala, et ea effugere non curans) quærere remedia ? Serm. 1 *de Sanctis Apostolis.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 12. Vix de foris aliquod potest esse remedium, quando intus est vulnus inclusum. Homil. 4.

13. Qui remedium animæ suæ, quando potuit, noluit quærere : postea etiamsi velit, dubium est utrum mereatur accipere. *Ibid.*, nom. 13.

14. Anima peccatrix dum adhuc in fragili suo corpusculo continetur, remedia sibi æterna provideat. *Ibid.*, homil. 15.

15. In remedium salutis suæ semper tardus est, qui vitæ suæ incertus est. *Ibid.*, homil. 17.

CASSIODOR. 16. Saluberrima medicina, ut morbus contrario remedii munere curetur. Super *Psalm.* CVI, vers. 12.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 17. Vicinum remedium, salubre præsidium. Homil. 2 *de Symbolo.*

GLOSS. DEC. 18. Novis supervenientibus causis, novis est remediis succurendum. In *Decretis Gratiani*, in Prologo.

S. HIERON. 19. Remediis nocentibus cura perficitur : ut mœroris pretio redempta sanitas, charior habeatur et grata. Epist. 6, *ad Amicum.*

20. Amor non accipit de impossibilitate solatium, neque ex difficultate remedium. Epist. 10, *ad Paulam et Eustoch. de Assumpt. B. M.*

HUGO CARD. 21. Nihil adeo sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Super *Hierem.*, cap. XXXVIII.

JOAN. CASS. 22. Nulli dubium est, illum posse rectissime de remediis malarum valetudinum disputare, qui earum prius causas atque origines ægrotantium conscientia attestante deprehenderit. Collat. 19, *Abbat. Joannis*, cap. 13.

23. De morborum suorum curatione sollicitis remedium salutare deesse non poterit : idcirco eodem modo, quo uniuscujusque vitii deprehenduntur indicia, etiam remedia sunt quærenda. *Ibid.*, cap. 14.

S. JOANNES CHRYSOST. 24. Innata vitia nullis cedunt remediis. Homil. 22 *ex Divers. in Matth.*

25. Remedium amoris est gehennæ memoria, Dei timor, regni cœlorum remedium. Homil. 7 super II *Cor.*

S. THEODOR. 26. Magna vulnera magnis remediis indigent. Super *Psalm.* L, vers. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

HYPPOCR. 27. Ad extremos morbos, extrema exquisite comparata remedia optima. Commentar. 1, aphorism. 6.

SENECA. 28. Ferox et adversus omne remedium, contumax est. *De Consol. ad Helviam*, cap. 16.

29. Nihil æque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Epist. 2.

30. Remedia non prosunt, nisi immorentur. Epist. 40.

31. Ubi usitata remedia non procedunt, tenta contraria. In suis *Proverb.*, in fine positis, littera 5.

## REMISSIO ANIMI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Caveamus ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum. Lib. 1 *Offic.*, cap. 20.

S. ANTONIN. 2. Sicut fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem, ita etiam oportet quod fatigatio animalis solvatur per quietem animi : quies enim animi, est delectatio seu remissio. Part. 4, tit. 4, cap. 10, § 3.

S. AUGUST. 3. Volo tandem tibi parcas : nam sapientem remittere interdum aciem rebus agendis decet intentam. Lib. 2 *Musicæ*, rap. 14.

BOETIUS. 4. Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato, et ipsa requies sit plena sapientia, studiis et bonis cogitationibus. *De discipl. scholar.* Hab. apud Bedam, in *Axiomat. philos.*, verbo *Non semper.*

S. BONAV. 5. Sicut aquila retrahit alas, ut melius extendat : sic interdum remittenda est disciplina, ut postea convalescat. Tit. 4 *Diætæ*, cap. 1.

6. Amputanda est remissio, ubi nulla decentiæ, vel utilitatis est intentio. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 30.

DIONYSIUS CARTHUS. 7. Noli præsumere quod semper spiritualibus absque interpolatione corporalium possis intendere. *Prosec.*

8. Nonnullis contemplationi deditis noceret minus in corpore et anima, si se quandoque in remissione excederent, quam nimium abstinendo.

9. Esset, inquam, talibus melius, si interdum cum aliquo bono fratre, solatii causa conferrent de occurrentibus, quam nimis stricte inniti silentii observationibus : alternis enim uti est delectabile, sed identitas mater est fastidii. *De Perfect. charit.*, art. 47.

S. EPHREM. 10. Deliciæ et remissiones animi, optimo vivendi instituto contrariæ sunt. *De Civita. spirit.*, cap. 39.

S. GAUDENT. 11. Nostri debet esse moderaminis, tantum laxare habenas licentiæ, quantum necesse sit, ne præcipites feramur in luxum. Tract. *de Machab.*

S. GREGOR. MAGNUS. 12. Ex studio arcus distenditur, ut in suo tempore cum utilitate tendatur : qui si otium relaxationis non accepit, feriendi virtutem ipso usu tensionis perdit. Lib. 28 *Moral.*, cap. 6.

13. Virtus cum indiscrete tenetur, amittitur : cumque discrete intermittitur, plus tenetur. *Ibid.*

14. Aliquando in exercitatione virtus, cum per discretionem prætermittitur, reservatur : ut tanto postea vitia valenter feriat, quanto a percussione interim prudenter cessat. *Ibid.*

S. GREGOR. NAZ. 15. Curæ honestis dissolvendæ sunt remissionibus : nam nec arcus sufferre potest, ut assidue intendatur, sed indiget ut parumper quandoque laxetur, si rursus usui esse debeat, et nequaquam inutilis sagittario in tempore necessitatis. Orat. 25.

16. Modesta oblectatione te recrea, temperanter animum relaxa. Orat. 20, *de Pauper. amandis.*

HUGO CARD. 17. Arcum frangit intensio, animum vero remissio. Super *Prov.*, cap. x.

18. Verba recreationis utilia sunt corpori, si fiant eo fine, ut mediante corpore prosint animæ. Super *Matth.*, cap. xii.

JOAN. CASS. 19. Honesta recreatio etiam religiosis utilis ac salubris est, et tam corpori quam spiritui gratissima. Collat. 24, *Abbat. Abrahæ*, cap. 20.

20. Remissio necessitatem reficiendi corpusculi cum fructu indulget, majora nobis conferens lucra cum jucundissimo corporis laxamento, quam illa sint, quæ per abstinentiæ fatigationem fuerant acquirenda. *Ibid.*

21. Arcum non oportet semper tensum circumferre, ne jugi curvamine rigoris fortitudo laxata molescat, atque depereat : et cum oportuerit ut fortia spicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ tensionis amisso violentior ictus non possit emitti. *Prosec.*

22. Animus nisi remissione quadam rigorem intensionis suæ interdum relevet ac relaxet, irremisso rigore lentescens virtuti spiritus, cum necessitas poscit, obsecundare non poterit. *Ibid.*, cap. 21.

S. JOANNES CHRYSOST. 23. Tanquam fluentem influens remissio animam emollit. Homil. 40 *ad Pop. Antioch.*

S. LAURENT. JUSTIN. 24. Dum plus justo caro per inordinatos labores affligitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur. *De Ligno vitæ*, tract. 11, *de Sobriet.*, cap. 2.

25. Ad hoc nobis tradita sunt exercitia christiana, ut resecata omni illicita voluptate, in sanctas et spiritales delicias æstuemus. *Prosec.* S. LEO.

26. Et cum nos oporteat semper studere virtutibus, quidam tamen dies sunt ad castigationem communis observantiæ consecrati, ut anima quæ terrenis adhuc desideriis implicatur et curis sæculi impeditur, ex intervallo saltem ad divina respiret. Serm. 4 *de Jejun. septimi mensis.*

27. Recreationibus externis et licitis, dum uteris, cave abutaris : id est, sic circumspecte utere, ut spiritualem profectum adjuvent, non impediant. *Prosec.* LUDOVICUS BLOSIUS.

28. Potes quidem animum ad honorem Dei remittere, sed eum dimittere non debes. In *Speculo monachor.*

29. Diversa est animi remissio : relaxatur insipientium ratio ad peccandum licentius, recte sapientium vero ad fruendum tranquillitate hilaritateque. Lib. *de Plant. Noe.* PHILO JUD.

30. Sicut fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem, ita etiam oportet quod fatigatio animalis solvatur per animæ quietem. 2, 2, quæst. 168, art. 2. S. THOMAS AQUINAS.

31. Animus hominis frangeretur, si nunquam a sua intensione relaxaretur. *Ibid.*

32. Necesse est ludicris interdum uti, quasi ad quamdam animæ quietem. *Ibid.*

33. Discretus labor sit, ne corrumpat infirmum, aut ad divina reddat ineptum : nam quod moderatum est, melius perseverat. Medit. 19, *de Fatigat. Jesu*, cap. 3. THOMAS A KEMPIS.

34. Non est vera recreatio dicenda, otiari et fabulari, sed magis execratio nominanda : quando opus Dei negligitur, et nugæ recitantur. *De Discipl. claust.*, cap. 6, sect. 2.

35. Solet omnem honestæ vitæ statum remissio incauta decipere. Homil. 19. S. VALER. EPISC.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

36. Qui laborant, indigent relaxatione, et hujus gratia est jocus : propterea oportet jocum adhibere, qui tanquam medicinam eo tempore afferat : nam relaxatio est motus animi, et requies per voluptatem. Lib. 8 *Polit.*, cap. 3. ARISTOTEL.

37. Interpone tuis interdum gaudia curis : CATO
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.
Lib. 3 *Distichor.*, met. 15.

38. Otii fructus est, non contentio animi, sed relaxatio. Lib. 2 *de Oratore.* CICERO.

39. Mihi liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit, ut relaxetur animus. *Ibid.*

40. Per remissionem animi sæpe multi dantur ad studium reditus. Lib. 1 *de Offic.*

41. Cum relaxare animos et dare jucunditati

adolescentes volent, caveant intemperantiam, meminerintque verecundiæ. *Ibid.*

42. Senibus labores corporis minuendi sunt, exercitationes vero animi augendæ videntur. *Ibid.*

PLATO. 43. Non est segnitie, neque mollitie remittendus animus. Sizygia 4, in *Dialog.* 1, *Alcibiadis.*

PLINIUS II. 44. Demus alienis oblectationibus veniam, ut nostris impetremus. Lib. 2, epist. 17, *ad Genitorem.*

SENECA. 45. Modica voluptas laxat animos et temperat. Lib. 2 *de Ira*, cap. 15.

46. Danda est remissio animis, ut meliores acrioresque requieti surgant : animorum enim impetus assiduus labor frangit; vires recipient paulum resoluti et remissi. *De Tranquillit. animi*, cap. 15.

47. Indulgendum est animo, dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit, ut augeat attollatque se animus. *Ibid.*

48. Non ego te jubeo semper imminere libro, dandum est aliquod intervallum animo, ita tamen ut non resolvatur, sed ut remittatur. Epist. 15.

49. Graviter affectis, sanitatis loco est bona remissio. Epist. 29.

50. Nos animum aliquando debemus relaxare, et quibusdam oblectamentis reficere : sed ipsa oblectamenta opera sint. Epist. 58.

51. In remedium cedunt honesta solatia : et quidquid animum erexit, etiam corpori prodest. Epist. 78.

52. Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato, et requies ipsa plena sit sapientiæ studiis, et cogitationibus bonis : nam prudens nunquam otio marcet, habet autem aliquando remissum animum, nunquam solutum. *De quatuor virt.*

Vide etiam tit. *Exercitium*, sent. 39.

## REMUNERATIO.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio.* Remuneratio est, cum alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam præmium ipsius. 1, 2, quæst. 114, art. 1.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Impius ipse sibi pœna est, justus autem ipse sibi gloria : et utrique aut bonorum aut malorum operum merces ex seipso solvitur. Lib. 1 *Offic.*, cap. 12.

2. Non est ferus ad remunerandum Dominus; et cito promittit : et multa largitur. Lib. 1 *de Abraham*, cap. 3.

3. Merces facilius sequitur non expectantem. In *Præfat. super Luc.*

4. Studia ipsa virtutum, sine remuneratione torpescunt. Lib. 5 super *Luc.*, cap. 6, in illud : *Væ vobis divitibus*, etc.

S. AUGUST. 5. Dei est pro parvis magna pensare. *De Verbis Dom.*, serm. 25.

S. BERNARD. 6. Duo sunt quæ remunerantur, justitia operis, et puritas cordis. In suis *Sent.*, verbo *Genera.*

S. BONAV. 7. Invenitur in divinis Scripturis merces salva, merces magna, merces digna, merces plena, merces temporanea, merces festina, merces fidelis, merces copiosa, merces perpetua : merces salva, est angelis ministrantibus nobis; magna, datur prælatis, sive præsidentibus; digna, obedientibus; plena, contemplantibus; temporanea, operantibus; festina, proficientibus; fidelis, perficientibus; copiosa, patientibus; perpetua, perseverantibus. Super *Luc.*, cap. VI, in illud *Apocal.* XXII : *Et merces mea.*

8. Quanto labor in pœnis est major, tanto et merces sublimior. Serm. 4 *De plurib. Mart.*

9. Nullum est bonum irremuneratum, nullum malum impunitum : ergo nullus laborat sine fructu, nullus torpet sine damno. Super lib. 1 *Sent.*, dist. 40, art. 2, quæst. 2.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 10. Si parum laboraveris, parum accipies : si vero multum operaberis, multa te merces manet. *Cateches.* 1.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 11. Si homo non imposuerit finem operi, nec Deus imponit remunerationi. *Prosec.*

12. Quantum enim serimus operibus, tantum metemus in fructibus. Homil. *de S. Maximo.*

13. Novit Deus remunerare merita, novit et punire delicta. *Ibid.*, homil. 5 *ad Monachos.*

GLOSS. ORD. 14. Minus justum tentat probatio, quam remuneratio consolatur. Super *Job.*, cap. XLII.

S. GREGOR. MAGNUS. 15. Quid gravius atque onustius esse potest, quam affectionem sæculi prætereuntis perpeti, et nequaquam ad relevationem mentis, gaudia remunerationis sperare? Lib. 1 *Moral.*, cap. 7, num. 15.

16. Quod valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida, et remuneratione levigatur. *Ibid.*, lib. 8, cap. 5.

17. Minus tentat probatio, quam remuneratio consolatur. *Ibid.*, lib. 25, cap. 8.

18. Mens, quæ amore sæculi ex adversitate afficitur, remunerationis præmio non repletur. *Ibid.*, lib. 8, cap. 5, num. 8.

19. Tanto post in retributione major erit fructus muneris, quanto nunc studium creverit laboris. Lib. 7 in *Registro*, indict. 2, cap. 124, epist. 124, *ad Claudium.*

S. HIERON. 20. Plus accepimus, quam dedimus : parva dimisimus, et grandia possidemus. Epist. 26, *ad Pammach.*

21. Merces laboris optimi, fructus est beatitu-

dinis. Epist. 10, *ad Paulum et Eustoch. de Assumpt. B. M.*

22. Non virtus, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet. Lib. 1 super *Matth.*, cap. 6, can. 10, num. 42, super illud : *Cum facis eleemosynam.*

HUGO A S. VICTORE. 23. Merces sanctorum multa est, magna est, pretiosa est, diuturna est : tam multa est, quod non potest numerari; tam magna est, quod non potest comprehendi; tam pretiosa est, quod non potest æstimari; tam diuturna est, quod non potest finiri. *De Alleg. super Matth.*, lib. 2, cap. 1.

24. Spes muneris, laborem imminuit. Lib. 1 *de Claustro animæ*, cap. 11.

HUGO CARD. 25. Justus sicut accensus est in virtutibus, sic et in remunerationibus. Super *Matth.*, cap. v.

26. Magna est merces pro patientia in tribulatione, sed longe major pro exultatione. *Ibid.*

27. Nemo illius rei mercedem accipit, quam invitus facit. Super *Epist. ad Romanos*, cap. VIII.

S. IGNATIUS MART. 28. Præsens labor modicus, multa autem quæ hinc expectatur, merces est. Epist. 4, *ad Mariam Cassobolitem.*

S. JOANNES CHRYSOST. 29. Vere justi judicis est, bene agentem remunerare, et negligentem corripere. *Prosec.*

30. Dominus justus nec modicam justitiam servorum suorum sine remuneratione relinquit, nec modicam culpam sine correptione dissimulat. Homil. 1 super *Matth. Oper. imperf.*

31. Qui cœlestia concupiscit, et præsentia nihil arbitratur, remuneratione non caret. Homil. 62 super *Joan.*

32. Quomodo poterit in obsequium quispiam provocari, si contumax indigne cœperit munerari? Homil. 8 in dictum *Joan.* XV : *Vos amici mei estis.*

33. Qui a Deo laborum remunerationem in hac vita requirit, et humanarum gratia virtutem rerum operatur, is suam munit mercedem. Homil. 20 super I *Cor.*

34. Si omnino dignus fueris agere aliquid quod Deo placeat, aliam adhuc præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris; vere ignoras quantum boni sit placere Deo. Si enim scires, nunquam aliquid aliud extrinsecus mercedis, aut muneris expeteres. *Prosec.*

35. Nescis, quia major augetur tibi merces, quando non spe mercedis operaris, sed studio placendi. Lib. 2 *de Compunct. cordis.*

JOAN. TRITH. 36. Malorum remuneratio in terris, merito sine indignatione ferenda est, quam non amor Dei, sed justitia voluit esse præsentem. Lib. 1, homil. 18, *ad Monachos.*

S. IRENÆUS 37. Qui nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc ut præstet nobis retributionem bonorum suorum. Lib. 4 *advers. Hæres.*, cap. 34.

S. ISIDORUS HISPALENS. 38. Justi bonorum operum mercedem non hic, sed in futuro recipiunt. *Prosec.*

39. Futura merces, non præsens promittitur justis : sed in cœlo, non in terra : non hic, sed alibi. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 17.

LACT. FIRM. 40. Justitia remunerationis et beneficentia tam immortales erunt, quam mens et anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur. *De Ira Dei*, cap. 23.

S. LAURENT. JUSTIN. 41. Nihil sic a curis et laboribus hujus exilii sublevat, quemadmodum futuræ felicitatis in sensu cordis sperare mercedem. Lib. 2 *de Spirit. resurr.*, cap. 33.

S. LEO I. 42. Quia justus inspector Deus est animorum, non impendium solum operis, sed etiam affectum est remuneraturus operantis. Serm. 3 *de Jejun. septimi mensis.*

43. Non dubitet de receptione præmii, cui Christus debitor est. Serm. 2 *de Jejun. septimi mensis.*

PETRUS CELL. 44. Secundum altitudinem meritorum, surgit remuneratio præmiorum. Lib. 2 *de Mosaico tabernac.*

S. PETRUS DAMIANUS 45. Qui bona agit et mala suscipit, quidquid sibi justæ retributionibus in terra subtrahitur, hoc sibi in cœlo multiplicius cumulatur. Lib. 8, epist. 6.

S. THEOLOR. 46. Qui in hac vita virtutis remunerationem non fuerit adeptus, illam in altera vita certo consequetur. Quæst. 45 *in Genes.*

S. THOMA AQUINAS. 47. Majori labore acquiritur major merces. Opuscul. 9, *de Decem Præceptis*, præcept. 5, verbo *Non occides.*

S. VALER. EPISC. 48. Hæc est magnarum ratio virtutum; ut quanto plus homo laborat, tanto plus mercedis acquirat. Hom. *de Arcta vita.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 49. Stultus est, qui non exigui temporis mercede magnæ rei aleam redimit. Epist. 58.

Vide etiam tit. *Clamor*, sent. 29; *Dilatio* sent. 60.

## RENUNTIATIO in genere.

S. BASILIUS MAGNUS. *Definitio.* Renuntiatio est solutio vinculorum materialis hujus, et temporariæ vitæ, et liberatio ab humanis officiis. Quæst. 8 *Quæst. diffuse explicatar.*

HUGO CARD. Renuntiatio est actio, qua homo extra a suis possessionibus, a suis parentibus, et a seipso egreditur. Super *Genes.*, cap. XV.

JOAN. CAS. Abrenuntiatio nihil est aliud quam crucis ac mor-

tificationis indicium. *De Cœnob. inst.*, lib. 4, *Inst. renunt.*, cap. 34.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Abrenuntiatio triplex est : abrenuntiatio culpæ; abrenuntiatio possessionis propriæ; abrenuntiatio delectationis mundanæ; cum peccatum, quod prius delectabat, relinquitur; cum terrena substantia, quæ foris possidebatur, deseritur; cum carnalium sensuum lascivia mortificatur. Lib. 1 *Miscellan.*, codic. 1, tit. 107.

JOAN. CASS. Tres sunt abrenuntiationes : prima est, qua corporaliter universas divitias mundi, facultatesque contemnimus; secunda, qua mores ac vitia affectusque pristinos animi et carnis respuimus; tertia, qua mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur, et ea quæ sunt invisibilia concupiscimus. Collat. 3, *Abbatis Paphnutii*, cap. 6.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hæc vera est sæculi fuga, abdicatio domesticorum, et quædam alienatio charissimorum, ut suis se abneget, qui servire Deo gestit. *De Fuga sæculi*, cap. 2.

2. Quando te interrogavit in baptismo sacerdos, Abrenuntias diabolo, et operibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio. *Prosec.*

3. Abrenuntias sæculo, et voluptatibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Lib. 1 *de Sacramentis*, cap. 2.

S. AUGUST. 4. Per cupiditatem regnat in homine diabolus, et cor ejus tenet, tales sunt omnes qui diligunt istum mundum : mittitur autem foras diabolus, quando ex toto corde huic mundo renuntiatur : sic enim renuntiatur, renuntiatur diabolo, qui princeps est hujus mundi, eum renuntiatur corruptelis et pompis et angelis ejus. *De Agone christiano*, cap 1.

5. Diabolo renuntiare vos professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo et angelis ejus conscribentibus dixistis : Renuntio. *Prosec.*

6. Renuntiate ergo non solum vocibus, sed etiam moribus : non tantum sono linguæ, sed et actu vitæ : nec tantum labiis sonantibus, sed et operibus pronuntiantibus.

7. Quid tibi cum pompis diaboli, quibils renuntiasti? Lib. 4 *de Symbolo ad Catechumenos*, cap. 1.

8. Felices illi et ipsi rari, qui familiaritatem mundi recusant, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abjiciunt, ne cum pereunte deceptore, et ipsi perire cogantur. In *Medit.*, cap. 24.

9. Funde quod habes, ut capias quod non habes. Qui renuntiat sæculo, fundit : qui convertitur ad Deum, impletur. Primo renuntiatio est sæculo, et deinde ad Deum conversio. Homil. 37 *ex* LIII *Homil.*

10. Vigilet unusquisque, ne non ex toto renuntians diabolo et pompis ejus, post professionem apud eum diabolus suos recognoscat pannos : et incipiat semper reus detineri, quem Christus voluit sua gratia liberare. Serm. 1 *Vigil. Nativ.*

11. Universo huic mundo renuntiet, quisquis se talem reddi desiderat, qualis a Deo factus est. *De Quant. animæ*, cap. 3.

12. Mittitur diabolus foras, quando ex toto corde huic mundo renuntiatur. *De Agone christ.*, cap. 1.

13. Renuntiet homo diabolo, pompis et angelis ejus : hæc est illa damnosa hæreditas, cui renuntiare compellimur. *Contra Judæos*, cap. 3.

14. Qui peccato abrenuntiat, peccato moriatur. Lib. 2 *contra Julian. Oper. imperf.*, num. 225.

15. Perfecta rerum abjectio, a cura expedit mentem, ab infectione affectum. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 6. S. BONAV.

16. Si mundo renuntiasti, munere tuo fungere, ut desideratam margaritam consequaris. *Prosec.* S. EPHREM.

17. Quidam enim post mundi renuntiationem, a sæculi vita recesserunt : alii vero militia relicta, alii divitiis distributis, ad extremum propria voluntate ducti adhuc ceciderunt. *De recta vivendi ratione*, cap. 38.

18. Qui mundo vere renuntiarunt, nihil amplius cum mundo habent commune : atque hi, sive primo loco constituantur, sive in postremum detrudantur, eodem semper sunt animo, suique similes. *Ibid.*, cap. 40.

19. Initium renuntiationis monachi, est timere Dominum. *Ad Monachos*, parænes. 1.

20. Magnam sæculo rapit prædam, qui se abstrahere contendit e sæculo. Serm. *de Castigat.* S. EUSEBIUS EMISSEN.

21. Postquam animus semel huic mundo perfecte abrenuntiaverit, oportet ut totum se impendat obsequio divinæ voluntatis. Super 1 *Esdræ* III. GLOSS. ORD.

22. Oportet ut divinis humana posthabeas : non est ergo pignoribus renuntiandum, sed Deus omnibus præferendus. Super *Luc.*, cap. XII.

23. Deus omnipotens in abrenuntiatione mundi non censum, sed votum pensat, nec perpendit quid habeas in arca, sed qualem habeas conscientiam. Serm. *de S. Andræa.* BEDA.

24. Utinam quod renuntiamus sæculo, voluntas sit, non necessitas, et paupertas habeat expe- S. HIERON.

tita gloriam, non illata cruciatum. Epist. 4, *ad Rusticum.*

25. Nemo renuntiaturus sæculo, bene potest vendere, quæ contempsit ut venderet. Epist. 1, *ad Paulin.*

S. HILARIUS

26. Renuntiandum est sæculo, omnibusque rebus, ut nobis Deus portio sit. Super *Psalm.* CXVIII vers. *Portio mea, Domine.*

JOAN. CASS.

27. Quod pudet dicere, ita plerosque abrenuntiasse conspicimus, ut nihil amplius immutasse de anterioribus vitiis ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantummodo atque habitum sæcularem. *Prosec.*

28. Nam et acquirere pecunias gestiunt, quas nec ante possederunt, vel certe quas habuerant, retinere non desinunt : aut, quod est lugubrius, etiam amplificare desiderant. Collat. 4, *Abbat. Danielis,* cap. 20.

29. Turpior erit et immundior anima, ac supplicio graviore plectetur, quæ se renuntiasse huic sæculo gloriatur dominantibus sibi vitiis, quam fuerat quondam in sæculo constituta, cum nec disciplinam monachi fuisset professa, nec nomen. Collat. 4, *Abbat. Serapionis,* cap. 26.

30. Parum est renuntiasse monachum semel, id est, in primordio conversionis suæ contempsisse præsentia, nisi eis quotidie renuntiare perstiterit. Collat. 24, *Abbat. Abrahæ,* cap. 2.

S. JOANNES CHRYSOST.

31. Vocis illius recorderis, quam dum sacris initiareris, emisisti : Abrenuntio tibi, Satana : et pompæ tuæ, et cultui tuo. Dic igitur continuo: Abrenuntio tibi, Satana. Hom. 21 *ad Popul. Antioch.*

32. Abrenuntio tibi, Satana et conjungor tibi, Christe : ne unquam absque hac voce exeas : hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis, et cum hoc verbo crucem in fronte imprime. *Ibid.*

S. JOAN. CLIM.

33. Magnus ille quidem est, qui pecuniis gratis renuntiat : sed ille profecto sanctus est, qui voluntati suæ abrenuntiavit. *Gradu* 16.

S. ISID HISP.

34. Justi qui rebus honoribusque ac vitæ blandimentis renuntiant, ita se ab omni terrena possessione mortificant, ut Deo vivant : ideoque sæculi hujus blanditias calcant, ut validiores ad vitam æternam de hujus vitæ mortificatione consurgant. Lib. 3 *de Sum. bono,* cap. 16, sent. 6.

35. Sancti viri funditus sæculo renuntiantes, ita huic mundo moriuntur, ut soli Deo vivere delectentur. *Ibid.,* cap. 17, sent. 1.

36. Hi qui pro Dei timore sæculo renuntiant, et tamen curis rerum familiarium implicantur; quanto se rerum studiis occupant, tanto a charitate divina seipsos separant. *Ibid.,* cap. 21, sent. 1.

37. Qui sæculo renuntiare disposuit, trangressionis reatu astringitur, si votum mutaverit. *Ibid.* cap. 22, sent. 3.

38. Multis argumentis insidiatur diabolus eis, qui renuntiant sæculo, ut ejus se iterum amori substernant : *Prosec.*

39. Gravius autem illos in concupiscentiis sæculi ferit, quos post renuntiationem ad sæculi amorem reduxerit. *Ibid.,* sent. 8.

S. NILUS.

40. Nihil prodest mundo renuntiasse, nisi in proposito perseveres : nec sinas te retrahi, et terga ne vertas rationi, ad ea quæ reliquisti te convertens. In *Libro ascetico.*

PETRUS BLESENS.

41. Gloriosum donum Dei est, divitias et delicias hujus sæculi abdicasse. *Prosec.*

42. Ita mundum emovas, ut non revertaris ad vomitum : ita tibi sæculi moriatur affectus, ut nunquam tibi deinceps ad desiderium recidivet.

43. Parum tibi sit renuntiare divitiis, nisi renunties et vitiis : quia minus periculosum est esse divitem Christi, quam pauperem antichristi.

44. Nemo dicit anathema sæculo, nisi in Spiritu Dei. Epist. 157, *ad Alexandr. de S. Albano.*

S. PETRUS CHRYSOL.

45. Semper diabolo renuntiat, qui pervenire festinat ad Christum. Serm. 158.

S. PETRUS DAMIANUS.

46. Cum mundo renuntiavimus, proprietatem nostram Deum esse constituimus; et nos illius proprietas consequenter effecti sumus, ut et ille portio nostra, et nos peculiariter hæreditas sua. Opusc. 12, cap. 4.

SALVIANUS.

47. Qui renuntiare divitiis videntur, non sic renuntiant ut penitus renuntiasse videantur. Lib. 3 *de Gubern. Dei.*

S. THOMAS AQUINAS.

48. Abdicatio propriarum divitiarum, non est perfectio, sed quoddam perfectionis instrumentum. *De Perfect. vitæ spirit.,* cap. 18.

THOMAS A KEMPIS.

49. Hæc perfecta est renuntiatio, nullius creaturæ solatium quærere : quia dum temporale aliquid inordinate appetitur, vera abdicatio non habetur. Serm. 1, *ad Fratr.,* divis. 2.

S. VALER. EPISC.

50. Debet ex integro terrenis actibus abrenuntiare, qui vult cœlestibus mandatis satisfacere. Homil. 3, *de Arcta vita.*

IN VIT. PATR.

51. Si quis est qui se putat renuntiasse mundo et operibus diaboli, non sufficit in ore renuntiasse, et possessiones et prædia, cæteraque negotia reliquisse, nisi etiam propriis vitiis renuntiaverit, et inutiles ac vanas abjecerit voluptates. Lib. 2, *de vita Joan.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA.

52. Omne tempus, omnis vos locus doceat,

quam facile sit renuntiare naturæ. *De divina Provid.*, cap. 6.

**SIXTUS PHILOSOPH.** 53. Dum optima quæque abjeceris prædia, tunc purificatus pete quod vis a Deo. *Sentent.* 73.

54. Renuntia rebus corporis, dum adhuc potes, et quantum potes. *Ibid.*, sent. 70.

Vide etiam tit. *Differentiæ*, sent. 38; *Egredi*, sent. 30, 66; *Magnanimitas*, sent. 14; *Monachus*, sent. 99; *Negotium*, sent. 49; *Parentes*, sent. 110; *Possessio*, sent. 71; *Religiosus*, sent. 179; *Voluntas propria*, sent. 114.

## RENUNTIATIO SUI.

**S. BASILIUS MAGNUS.** *Definitio.* Abnegatio suipsius est perfecta præteritorum oblivio, et a voluntatibus secessus. Quæst. 6, *Quæst. diffuse explicatar.*

**HUGO CARD.** Abnegare semetipsum, est abnegare omne quod in mundo est. Super *Psalm.* XVIII.

**JOAN. CASS.** Sui renuntiatio nihil aliud est, nisi mortificationis et crucis indicium. *De Cœnobior. instit.*, lib. 12, *de Spiritu superbiæ*, cap. 25.

### SENTENTIÆ PATRUM.

**S. AMBROS.** 1. Qui seipsum sibi abnegat, ipse justus, ipse dignus Christo est. Lib. 1, *Offic.*, cap. 29.

**S. AUGUST.** 2. Si perit homo amando se, profecto invenitur negando se. Serm. 47, *de Diversis*, cap. 1.

**V. BEDA.** 3. Tunc nosmetipsos abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem facimus, et ad hoc nitimur quo per novitatem vocamur. Lib. 3, super *Luc.*, cap. 9, in illud : *Abneget semetipsum.*

**S. BERNARD.** 4. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Ac si dicat : Qui me desiderat, se despiciat : qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam. Serm. 2 *de S. Andrea.*

5. Abnega temetipsum, si deliberas sequi eum qui exinanivit propter te semetipsum. In *Declamat.*

**S. BONAV.** 6. Ille vere abnegat semetipsum, qui se in mortem pro Christo tradere non formidat. *Prosec.*

7. Ille vere abnegat semetipsum, qui omnia mala mundi pro Christi amore patienter tolerat. Serm. *de SS. Philippo et Jacobo.*

8. A contemptu et sui ipsius abnegatione incidit vita boni religiosi. In *Alphab. religiosor.*, lect. 24.

9. Felix, qui suæ prorsus renuntiat voluntati. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 4.

**DIONYSIUS CARTHUS.** 10. Qui se abnegant, sunt quippe mortui propriæ voluntati, sed vivunt Deo per ardentissimam charitatem. *De Profectu spirit.*, art. 13.

**S. EUSEBIUS EMISSEN.** 11. Abnegamus nos, cum studemus odisse quod fuimus, et amare incipimus quod esse debemus. Homil. *de Trinit.*

12. Si quis salutem in se invenire desiderat, de se prius exeat, et se relinquat. Serm. *de Castigat.*

**S. FRANC. ASSISIAS.** 13. Ille omnia relinquit, qui propriæ renuntiat voluntati. In suis *Opusc.*, serm. 5.

**S. GREGOR. MAGNUS.** 14. Semetipsum abnegat, qui mutatur ad meliora, et incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat. Homil. 10, super *Ezech.*, super illud *Matth.* XVI : *Qui vult post me venire.*

15. Nisi quis a semetipso deficiat, ad eum qui supra ipsum est non appropinquat. *Prosec.*

16. Non valet apprehendere quod supra ipsum est, qui nescit mactare quod est. Homil. 32, super *Evang.*

**HAYMO.** 17. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*, id est, voluntates proprias relinquat, et Dei se omnimode subjiciat voluntati. Serm. 1, *Dom.* 2, *post Pascha.*

**HUGO CARD.** 18. Ille vere se abnegat, qui in suo corpore se abnegat, per tormenta et afflictiones. Super *Psalm.* XVIII.

**S. INNOCENT.** 19. Abnegationis sui quinque sunt gradus, quia debet christianus abnegare, non tantum aliena, sed sua; nec sua tantum, sed se; nec se tantum, sed seipsum; nec seipsum tantum, sed semetipsum. Serm. *de Uno mart.*

**JOAN. CASS.** 20. Nihil nobis proderit abrenuntiatio corporalis et localis, si renuntiationem cordis, quæ sublimior et utilior est, non valuerimus similiter obtinere. Collat. 3, *Abbat. Paphnutii*, cap. 7.

21. Prima abrenuntiatio, rerum alienarum est, ideo per se solam perfectionem renuntianti conferre non sufficit, nisi pervenerit ad secundam, quæ vere abrenuntiatio rerum nostrarum est. *Ibid.*, cap. 10.

**JOAN. TRITH.** 22. Se sibi abnegat, qui corpus animæ subjicit. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Se.*

23. Facilis est contemnere mundum, quam spernere et abnegare semetipsum. Lib. 1, homil. 1.

24. Crux nostra, fratres, propriæ voluntatis abnegatio est. *De Propriet. monachor.*, cap. 1.

25. Abnega temetipsum desideriis tuis, ut discipulus Christi efficiaris. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 7.

**S. ISID. HISP.** 26. Ad perfectionem non sufficit ut quis renuntiet omnibus suis, nisi etiam seipsum abneget. *Prosec.*

27. Sed quid est seipsum abnegare, nisi voluntatibus propriis renuntiare?

28. Nam si quis ita renuntiet quæ possidet omnibus, ut suis non renuntiet moribus, non est Christi discipulus.

29. Qui enim renuntiat omnibus rebus suis, sua abnegat : qui vero renuntiat moribus pravis, semetipsum abnegat. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 8, sent. 2.

**LUDOVIC. BLOSIUS.** 30. Totius perfectionis verissima regula hæc est : Esto humilis, et ubicumque teipsum inve-

neris, teipsum relinque. *De Spirit. instit.*, cap. 2.

S. PETRUS DAMIANUS. 31. Abnegator sui, sectator est Christi. Opusc. 11, cap. 19.

ALVIANUS. 32. Abdica te a teipso, ne abdiceris a Christo : repudia te, ut recipiaris a Christo : perde te ipse, ne pereas : dilige hanc tuam salubrem perditionem, ut assequaris veram salutem. Lib. 5, *de Gubernat. Dei.*

S. THOMAS AQUINAS. 33. Odium et abnegatio sui ipsius, est de necessitate salutis. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 10.

34. Sicut homo dimittens divitias, vel personas conjunctas, eas abnegat : ita deserens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipse sui ipsius dominus est, seipsum abnegare invenitur. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 35. Hæc perfecta est renuntiatio, seipsum ex corde relinquere. Serm. 1, *ad Fratres*, divis. 2.

36. Unum summe spirituali necessarium est, ut omnibus relictis se relinquat, et a se totaliter exeat. Lib. 2, *de Imitatione Christi*, cap. 11, sect. 4.

37. Fili, non potes perfectam possidere libertatem, nisi totaliter abneges temetipsum. *Ibid.*, lib. 3, cap. 32.

38. Non est minimum, etiam in minimis seipsum relinquere : verus profectus hominis est, abnegatio sui ipsius; et homo abnegatus, valde liber est. *Ibid.*, cap. 39.

39. Si vere velit homo animalis esse spiritualis, oportet eum renuntiare tam remotis, quam propinquis, et a nemine magis cavere, quam a seipso. *Ibid.*, cap. 53, sect. 2.

40. Fili, relinque te, et invenies me : relinque te, et frueris magna interna pace, da totum pro toto. *Ibid.*, cap. 37, sect. 1 et 3.

41. Oportet te sæpe agere quod non vis; et quod vis oportet relinquere. Quod aliis placet, processum habebit; quod tibi placet, ultra non proficiet. *Ibid.*, cap. 49, sect. 4.

42. Fili, quantum a te vales exire, tantum in me poteris transire. *Ibid.*, cap. 56.

Vide etiam tit. *Relinquere*, sent. 65, 67, 125; *Sequi Christum*, sent. 116; *Voluntas propria*, sent. 119.

## REQUIES.

HUGO A S. VICTORE. *Definitio.* Requies est, per quam menti quædam securitas ex contemptu perfunctoriæ varietatis affertur. *De Fructu carnis et spiritus*, cap. 14.

S. JOAN. CLIM. Quies est depositio sensuum, curarumque rationabilium abnegatio. Gradu 28, *de Differentia quietis.*

S. BONAV. *Divisio.* Triplex est quies : est quies conscientiæ; est quies simplicis gloriæ; est quies glorificationis compositæ. Prima est quies; secunda est requies; tertia est conquies. Super *Psalm.* XCI.

Quadruplex est requies : diabolica, humana, divina, angelica : prima diabolica, quia per peccatum diabolus in peccatore, et peccator in diabolo requiescit; secunda humana, qua anima requiescit in Deo, cujus tres sunt conditiones : prima est pœnitentia, secunda affluentia in consolatione, tertia constantia in tentatione; tertia divina, quia Deus spiritualiter in anima devota requiescit in linteo munditiæ, in aromatibus virtutum et gratiæ, in lapide perseverantiæ; quarta angelica, est gloriæ, in qua angeli cum hominibus, et homines cum angelis requiescent. Serm. 1 *in Sabbato sancto*, in illud : *Requievit Deus die septimo.*

S. THOMAS AQUINAS. Duplex est requies : una in bonis exterioribus; alia in bonis spiritualibus : ad primam egreditur homo a requie mentis; ad secundam, quæ est intima, ingreditur. Super *Epist. ad Hebræos*, cap. 4.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Grande est intra se aliquem tranquillum esse, et sibi convenire. Lib. 2, *de Jacob*, cap. 6.

S. ANTONIN. 2. Sicut fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem, ita etiam oportet quod fatigatio animalis solvatur per quietem animi : quies enim animi, est delectatio seu remissio. Part. 4, tit. 4, cap. 10, § 3.

S. AUGUST. 3. Quies est apud te valde, Deus meus, et vita imperturbabilis : qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui, et non timebit, et habebit se optime in optimo. Lib. 2, *Confessionum*, cap. 10.

4. In illa requie, ubi opera servilia jubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei : tunc enim fiunt cum requie opera, cum fides per dilectionem operatur. Lib. 2, *super Exodum*, quæst. 172.

5. In hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt, sed pravis cupiditatibus seducti, non inveniunt. *Prosec.*

6. Volunt requiescere in rebus inquietis et non permanentibus, et quia illæ tempore subtrahuntur et pereunt, timoribus et doloribus eos agitant, nec quietos esse permittunt. *De Catechiz. rudib.*, cap. 16.

7. Si in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur quam securus. *Ibid.*

8. Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam christianis promittitur, quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ hujus molestias, suavem jucundamque gustabis, si ejus, qui eam promisit, præcepta dilexeris. *Ibid.*

9. Intendite, fratres, venale est. Venale est quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Quid habet venale? Requiem venalem habeo, emo illam. Si verum vis comparare et verum judicare, æterna requies, æterno labore recte emitur : quanto labore

digna est requies quæ non habet finem? digna est quidem emi labore perpetuo, sed necesse est ut labore temporali ematur. Super *Psalm.* XCIII, vers. 20.

10. Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. In *Manuali*, cap. 21.

11. Ignavia quasi quietem appetit, quæ vero quies certa præter Dominum ? Lib. 2 *Confessionum*, cap. 6.

12. Quod quietum est, non est nihil, imo etiam magis est, quam id quod inquietum est. Lib. 3 *de Lib. arb.*, cap. 8.

13. Requiescite in Deo, et quieti eritis. Lib. 4 *Cons.*, cap. 12.

14. Dura sunt omnia, et tu solus requies. *Ibid.*, lib. 6, cap. 16.

15. Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. *Ibid.*, lib. 1, cap. 1.

16. Ambulamus in re laboris, sed in spe quietis. Epist. 119, cap. 11.

17. Ubi pax, ibi requies : ubi requies, ibi finis appetendi, et nulla causa laborandi. Epist. 45.

18. Amant requiem sive piæ animæ, sive iniquæ, sed qua perveniant ad illud quod amant, plurimæ nesciunt. Epist. 119, cap. 10.

19. Multa per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna. *Ibid.*

20. Cum anima Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat. *Ibid.*

21. Animæ ad ea quæ amant propterea nituntur, ut perveniendo requiescant. *Ibid.*

22. Cum requiescimus, ipse requiescere dicitur, quo donante requiescimus. *Ibid.*

23. Magnum est nobis a Deo extitisse, sed majus erit in illo requievisse. Lib. 4 *de Genesi ad lit.*, cap. 17.

24. In hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt, sed non inveniunt : volunt enim requiescere in rebus inquietis et non permanentibus. *De Catechiz. rud.*, cap. 16.

25. Qui veram requiem desiderat, debet tollere spem suam de rebus prætereuntibus. *Ibid.*

26. Homo peccato lapsus perdidit requiem quam habebat in Verbi divinitate, et recepit eam in ejus humanitate. *Ibid.*, cap. 17.

27. In sempiterna vita sanctorum, nec operosa erit actio, nec requies desidiosa. *Ibid.*, cap. 25.

28. Spiritui requies acquirenda est. *De Cura pro mort.*, cap. 5.

29. Deus novit quiescens agere, et agens quiescere. Lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 17.

30. Requies Dei, requiem significat eorum, qui requiescunt in Deo. *Ibid.*, lib. 11, cap. 18

31. Justorum animæ defunctorum, quod in requie vivant, dubitare fas non est. *Ibid.*, lib. 13, cap. 19.

32. Requiem quæ continuo post mortem datur, si ea dignatus est, tunc accipit quisque cum moritur. Tract. 49 super *Joan.*

33. Præsta mihi in finem, ut me excipiat requies cum securitate, securitas in æternitate. Lib. *Medit.*, cap. 10.

34. Oportet nos de labore ad requiem pervenire potius, quam de requie ad laborem. Homil. 25 *ex* LIII *Homil.*

V. BEDA.

35. Diuturna quies vitiis alimenta ministrat. In suis *Proverb.*, verbo *Diuturna*.

S. BERNARD

36. Qui jucundæ quietis pacem fugitat, curiosa inquietudine delectatur. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 12.

BOETIUS.

37. Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato, et ipsa requies sit plena sapientia, studiis et bonis cogitationibus. *De Discipl. scholar.* Hab. apud Bedam. *Axiomat. philos.*, verbo *Non semper*.

S. BONAV.

38. Stultum et rationi contrarium est, ibi quiescere, ubi est laborandum. Serm. *de S. Petro ad vincula.*

GILLEBERT. ANGLUS.

39. Animum cura implicat, quies explicat. Serm. 1 super *Cant.*

GLOSS. INT.

40. In deserto hujus mundi homines requiescunt, non filii hominum. Super *Judith.*, cap. 5.

41. In terrenis caro quiescit, sed spiritus deficit. Super *Job*, cap. XI.

GLOSS. ORD

42. Requies diaboli, lectulus tentationis est. Super *Isaiam*, cap. XIV.

43. Ibi nulla quies, ubi Spiritus sancti consolatio deest. Super *Thren.*, cap. III.

S. GREGOR MAGN.

44. Eo illios inopinatus hostis gravius percutit, quo longo quietis usu negligentes invenit. Lib 31 *Moral.*, cap. 17.

45. Perfectis omnibus requies sequitur, quia post bona vitæ præsentis opera retributio æternæ quietis invenitur. Lib. 6 *Moral.*, cap. 15.

46. Quis valet Deo recedente requiescere, cum solus ipse sit requies : et a quo quisque quanto longe fuerit, fit tanto inquietus ? *Ibid.*, lib. 12, cap. 3.

47. Vera requies unitate est, dividi quippe unum non potest : ubi enim scissura divisionis est, vera requies non est. Homil. 24 super *Evang.*

48. Quies ex corde appetenda est, et tamen pro multarum lucro animarum postponenda. Lib. 6 in *Registro*, indict. 15, cap. 169, epist. 5, *ad Cyriacum episc. Constantinop.*

49. Sanctorum requies nullo clauditur ter-

mino. *In septem Psalmos Pœnit.*, super *Psalm.* v, vers. 25.

50. Tanto in vita æterna major erit menti requies, quanto modo ab amore Conditoris sui ei requies nulla fuerit. Lib. 4 in *Registro*, indict. 13, cap. 85, epist. 40, *ad Theodor. medic.*

S. HIERON. 51. Apud christianos sudoribus requies comparatur. Epist. 6, *ad Amicum.*

52. Justitia requiem habet, iniquitas laborem. Super *Ecclesiasten*, cap. 4, super illud : *Melior est plenus pugillus cum requie.*

HUGO A S. VICTORE. 53. Hæc est requies cordis, cum in Dei amore per desiderium figitur. Lib. 2 *de Anima*, cap. 10.

54. Nulla requies, Deo tranquillior. *De Laude char.*

HUGO CARD. 55. Requies cum servitute turpis est. Super *Isaiam*, cap. XXXII.

S. JOANNES CHRYSOST. 56. In nullo negotio potest requies inveniri, nisi præcesserit labor. Homil. 19 super *Matth. Oper. imperf.*

57. Vere magnæ animæ est suam despicere quietem, et alienam curare. Homil. 48 super *Acta Apostolorum.*

58. Non confestim illic est gloria, ubi requies est : sed ubicunque fuerit gloria, ibi et requies prorsus sit, necesse est. Serm. 14 super *Epist. ad Rom.*

59. Qui requie in hoc sæculo et felicitate fruitus est, tam splendidam in futuro coronam non est consecuturus. Homil. 43, super I *Cor.*

60. Nihil est quod ita sit inconcinnum et alienum a christiano, quam requiem quærere. Serm. 13 super *Epist. ad Phil.*

61. Nemo certans, requiem quærat, nemo amplectatur quietem : aliud est quietis tempus, hoc præsens ærumnis deputatum est, atque sudoribus. *Prosec.*

62. Nullus ubi ad certamen se exuit, unctusque est, requiem quærit : si enim inquiris requiem, cur te exuisti ? cur jactasti manum ? Qua enim ratione hic requiem speres, cum libidinibus indixeris bellum, atque adversus naturam pugnare perrexeris ? Homil. 8 super II *Tim.*

S. JOAN. CLIM. 63. Modicus pilus perturbat oculum, et modica cura demolitur quietem. *Gradu* 27.

64. Quies imperitos suffocat : nam cum dulcedinem Dei non gustaverunt, in captivationibus, et furtis, et mœroribus animi tempus consumunt. *Ibid.*

65. Qui ratione quietem arripit, neque ipsius lucra quotidie considerat : is aut non ratione, et secundum quod convenit, quiescit, aut elatione subripitur. *Ibid.*

66. Quies est, perpetuo atque intentissimo cultu Deo jugiter assistere. *Ibid.*

67. Jesu memoria, fac ut spiritui tuo uniatur, tunc quo agnosces quæ sit quietis utilitas. *Ibid.*

68. Quiescentium mater est firma fides : nisi enim crediderit quis, quomodo quiescere poterit ? *Ibid.*

69. Nunquam mentis requiem habet, qui curis terrenis se subdit : si ergo vis esse quietus, nihil sæculi appetas. *Prosec.* S. ISID. HISP.

70. Semper enim requiem habebis, si a te mundi curas abjeceris.

71. Semper æterna quiete frueris, si te a strepitu terrenarum actionum abstraxeris. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 17.

72. Satius ac præstabilius est a laboribus ad requiem, quam a voluptate ad cruciatum proficisci. Lib. 2, epist, 174, *ad Theodos. presbyt.* S. ISID. PELUS.

73. Boni in Deo, non in seipsis requies quærunt : sancta probataque requies, quæ possidetur in Deo, est amorosa, omnium ab animo exclusio. In *Apologet. pro Thaulero*, cap. 3. LUDOVICUS BLOSIUS.

74. Cui deest securitas, quies perit. Serm. 22. S. PETRUS CHRYSOL.

75. Omnis religiosi conversio et abrenuntiatio sæculi, ad nihil aliud, nisi ad requiem tendit : sed hæc requies sic acquiritur, si prius homo diversis certaminum laboribus exercetur. Opusc. 13, cap. 8. S. PETRUS DAMIANUS

76. Sapiens tranquillitatem et quietem consectatur, ut in divinis commentationibus animo quieto versetur. Hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 37. PHILO JUD.

77. Qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum vivit. Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 16. S. PROSPER.

78. In vera felicitate sola, id est, in visione infinitæ pulchritudinis Dei, quiescere potest desiderium nostrum. Super *Psalm.* CIV, vers. 4. ROBERTUS BELLARM.

79. Ad hoc tantum data a Deo quiete utimur, ut in ebrietate, ut in luxuria, ut in omni scelere atque improbitate vivamus. Lib. 6 *de Gubern. Dei.* SALVIANUS.

80. Suaviter requiesces, si cor tuum te non reprehenderit. Lib. 2 *de Imit. Chr.*, cap. 6. THOMAS A KEMPIS.

81. Si quæris in hac vita requiem, quomodo tunc pervenies ad æternam requiem ? *Ibid.*, lib. 3, cap. 35, sect. 2.

82. Imperforabilis manet a sagittis inimici, qui amat quietem. Lib. 5, libello 2, *de Quiete*, num. 11. IN VITIS PATR.

83. Taciturnus requiem possidet. Lib. 7, cap. 32, num. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

84. Diuturna quies vitis alimenta ministrat. Lib. 1 *Distichor.*, metr. 3. CATO POET.

85. Nulla placida quies est, nisi quam bona mens explicatur. Epist. 56. SENECA.

Vide etiam tit. *Mandatum*, sent. 36; *Pax*, sent. 138; *Religio seu Congregatio*, sent. 44.

## RES.

BONAV. *Etymologia.* Res dicitur a Reor, reris, quod dicit actum a parte rei. Super 1 sent., dist. 25, dubio 3.

### SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Res sine dispendio est, quæ tota dispendium est. Lib. 1 *Officiorum*, cap. 30.

ANTONIN. 2. Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Part. 2, tit. 2, cap. 6.

ANTONIUS DE PADUA. 3. Homo tunc minor est, cum se rei, et non rem sibi supponit. Serm. *Dom. infra Octav. Nativit.*

ATHANAS. MAGNUS. 4. Res magnas et apprehensu difficiles, non nisi fide consequi datur. *De Incarnat. Verbi.*

AUGUST. 5. Omnis res vel substantia, vel essentia, vel natura, vel si quo alio verbo melius enuntiatur, simul hæc tria habet, ut et unum aliquid sit, et specie propria discernatur a cæteris, et rerum ordinem non excedat. *De vera Relig.*, cap. 7.

6. Homo, qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit, discit. *Ibid.*, cap. 47.

7. Res prospera donum est consolantis, res autem adversa donum est admonentis Dei, Epist. 87, *ad Felicit.*

8. Cujuscumque rei adipiscendæ spem quisque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quam pulchra sit videat. Lib. 10 *de Trinit.*, cap. 1.

9. Mensura omni rei modum præfigit, et numerus omni rei speciem præbet, et pondus omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahit. Lib. 4 *Genesi ad lit.*, cap. 3.

10. Similitudo rerum, quæ ad oculos pertinet, mater est falsitatis. Lib. 2 *Soliloq.*, cap.

11. Signa rebus illustrantur. *De Magistro*, cap. 10.

12. Non vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. Lib. 2 *contra Academ.*, cap. 11.

13. Moneo ut semper rerum curam magis quam verborum te habere delectet. *De Quantit. animæ*, cap. 6.

14. Nulla res formare seipsam potest, quia nulla res potest dare sibi quod non habet. Lib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 17.

15. Omnem rem ubi mensuram et numerum et ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cuncteris. *Ibid.*, cap. 20.

16. Non prodest bona res non bene utenti. Lib. 4 *Confess.*, cap. 16.

17. Anima amplius delectatur inventis rebus quas diligit, quam si eas semper habuisset. *Ibid.*, lib. 8, cap. 5.

18. Rebus cognitis, verborum quoque cognitio perficitur; verbis vero auditis, nec verba discuntur. *De Magistro*, cap. 11.

19. Aliquando res quæ significat, nomen ejus rei quæ significat, accipit. Epist. 102.

20. Nihil est contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine. Epist. 174.

21. Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur et non datur, nondum habetur quomodo habenda est. Lib. 1 *de Doctrina christiana*, cap. 1.

22. Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum; sed res per signa discuntur. *Ibid.*, cap. 12.

23. Non omnis res etiam signum est. *Ibid.*, cap. 10.

24. Deus Conditor universitatis, rebus quas condidit, consulit. *Ibid.*, cap. 10.

25. Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est. *Ibid.*, cap. 27.

26. Ea est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere. *Ibid.*, lib. 3, cap. 5.

27. In usu rerum abesse oportet libidinem. *Ibid.*, cap. 12.

28. Enuntiari aliter non potest res, quæ nomen accepit, nisi aliquo nomine. *De Genesi imperf.*, cap. 6.

29. Res bona præter Deum nulla est, quam ipse non fecit. Lib. 4 *de Genesi ad lit.*, cap. 16.

30. Semper prior est res quæ facit, quam illa quæ sit. Lib. 7 *de Civit. Dei.* cap. 9.

31. Nos admonet divina providentia non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere. *Ibid.*, lib. 11, cap. 22.

32. Separatis nugis, res cum re colligat. *De Utilit. cred.*, cap. 1.

33. Fit homo iniquus cum propter seipsas diligit res propter aliud assumendas: et propter aliud appetit res propter seipsas diligendas. Lib. 22 *contra Faust.*, cap. 78.

34. Crede rebus, non verbis inanibus. Lib. 2 *contra Crescon.*, cap. 9.

35. In interiore homine, animus res est. *De Perfect. just.*, cap. 2.

36. Una res multas similitudines habere potest. *De Utilit. jejun.*, cap. 10.

37. Res qualibet prorsus qualicumque excellentia, si mutabilis est, non vere est. Tract. 38 super *Joan.*

38. Non prodest nomen, ubi res non est. Tract. 4 super *Epist. Joan.*

39. Res quæ numquam debet de corde discedere, nec ab ore discedat. *Ibid.*, tract. 7.

S. BERNARD. 40. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. In *Declamat.*

41. Fuge rem, et tene nomen. *De Duodecim Grad. humilit.*, grad. 4.

CASSIODOR. 42. Res salutaris quotiescunque repetitur, necessaria semper inde sumuntur. Super *Psalm.* LXXX.

S. EPHRÆM. 43. Res nullius momenti sæpe magnorum malorum causa efficitur. *De Perfect. monachi.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 44. De rebus ad præsentia subsidia concessis, detrimenta vitæ æternæ nequitia mortalis operatur. Homil. 4 *Epiphan.*

FRANCISCUS TITELM. 45. Nimis est vecors et excors, nisi inconsideratus et insipiens, qui Deum sufficientissimum negligens, rebus caducis, animum humanum explere nequaquam sufficientibus, cor apponit. In *Elucid.*, super cap. VIII *Job.*

GLOSS. ORD. 46. Res divinæ non ostentationi, sed audientium videntiumque inserviunt saluti. Super *Josue*, cap. IV.

GLOSS. INT. 47. Non res ac sensus propter litteras, sed litteræ ob manifestationem rerum repertæ. Super IV *Reg.* XXV.

48. Res privata superbos facit. Super *Psalm.* CXXXI.

GLOSS. ORD. 49. Res absconsa avidius quæritur, celata venerabilius conspicitur, diu quæsita charius tenetur. Super *Matth.*, cap. VII.

S. GREGOR. MAGNUS. 50. Rem quamlibet sicut ab oculis nostris in futuro subtrahunt tempora, ita ab oculis nostris in præsenti subtrahit causa. Homil. 1 super *Ezech.*

51. Fit aliquando causa periculi res salutis Lib. 7 in *Registro*, indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagrium, episc.*

S. GREGOR. NYS. 52. Indita est naturæ rerum divina quædam ars ac facultas, quæ res conditas quasi nexu quodam stabilitas perpetuaret, duplicique vi cuncta moderaretur. *De Homin. opificio.*, cap. 1.

S. GREGOR. THAUMAT. 53. Res humanas cum adhuc oriri videntur, jam finis arripit. Super *Ecclesiasten*, cap. II.

54. Res maculæ omnis expertes, impura manu contrectare, nefarium et execrabile est. *Ibid.*, cap. 7.

S. HIERON. 55. Pars sacrilegii est rem pauperum dare non pauperibus. Epist. 26, *ad Pammach.*

56. Celerem habituræ res finem, sine fine quæruntur. Epist. 1 *ad Demetriadem.*

HUGO A S. VICTORE. 57. Diu rem pertractare antequam judices, discas. Lib. 3 *Didasc.*, cap. 14.

HUGO CARD. 58. Res quæ habetur in sinu, secura est. Super *Luc.*, cap. VI

59. Res diligentius, quanto est sollicitius quæsita, servatur, cum ipsius utilitas cognoscitur. Super I *Joan.*, cap. I.

60. Impossibile est, ut rem fortem, et egregiam quis unquam faciat, nisi antea adversus omnia, quæ obsistere possunt, se armet et instruat. Homil. 31 super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

61. Omnium tibi rerum Deus exempla præbuit ut terminos conserves, et constitutas regulas non transgrediaris. Homil. 79 super *Matth. Oper. perf.*

62. Omnis res mala tamdiu stare videtur, quamdiu bonæ rei potest nocere : cum vero manifestata fuerit, jam non potest nocere et jacet mortua, et sic similis est rei, quæ non est. Homil. 26 super *Matth. Oper. imperf.*

63. Perfectum odium, et perfectus amor judicium rerum non cognoscunt. *Ibid.*, homil. 42.

64. Prudens non sciens, et doctus, sed sensatus est, qui potest rerum ponderare naturas, et omnia regere. *Ibid.*, homil. 51.

65. Qui præsentibus rebus, et præcipue magnis inhiat, is vilis est, et abjecti animi. Homil. 70 super *Joan.*

66. Res nostræ profecto risu, confusione, accusatione, supplicio, pœna, extremisque malis et gehenna, nullaque venia dignæ sunt. Homil. 41 super *Acta Apostolorum.*

67. Res humanæ nihilo meliores sunt puerilibus ludis, vel etiam viliores : quæ hodie existunt, cras nusquam apparent. Homil. 1 super I *Cor.*

68. Magnæ res nulla possunt ratione manifestari. *Ibid.*, homil. 4.

69. Satis ipsa rerum experientia, nemine loquente docet quanta sit præsentium rerum vilitas, quanta miseria. *Ibid.*, homil. 8.

70. Carnalis homo rebus præsentibus addictus est, atque in his perpetuo versatur. Homil. 3 super II *ad Cor.*

71. Nihil esse deterius potest, quam velle divinas res humana ratione discernere atque metiri. Homil. 2 super II *ad Timoth.*

72. Rerum humanarum natura, fumo in aerem evanescente fugacior est, et umbra prætercurrente inanior. Homil. *de Avaritia.*

73. Nihil est humanis rebus infirmius: qua propter quocunque nomine earum vilitatem significaveris, minus quam pro rei veritate dixeris, et usque adeo sunt fragiles, ut magis nihili sint, quam nihil ipsum, et in præcipiti stent. Serm. *in Eutropium.*

74. Res pretiosa vili pretio non comparatur. Homil. 35 super *Matth. Oper. imperf.*

75. Quid sunt res humanæ ? cinis, et pulvis, et fumus, et umbra, et folia cadentia, et flos, et somnium, et narratio, et fabula, et ventus, et aer, et penna mobilis, et unda decurrens. Homil. 9 super *Epist. ad Hebr.*

76. Qui res hujus sæculi miratur, cœlestes contemnit. *Ibid.*, homil. 25.

77. Omnes res terrenæ funes sunt, et implicamenta, quibus ligantur terreni. *Ibid.*, homil. 25.

78. Res illæ, quæ ad Deum pertinent, claræ sunt: res vero humanæ, umbræ sunt. *Ibid.*, homil. 26.

79. Rerum affluentia a Deo data his, qui non opportune utuntur, magna ad damnationem accessio est. *Prosec.*

80. Asperitas autem rerum et angustiæ bonis viris accessio coronæ sunt, etiamsi interdum prolabatur. Orat. 3 *de Fato.*

JOANNES SARESB. 81. Longe præstantius est moribus splendere, quam rebus : nec rerum unquam specie illustrabitur, quem suæ turpitudinis macula dehonestat. Lib. 5 *de Nugis curial.*, cap. 17.

S. ISIDORUS HISPALENS. 82. Res quæ minus per se advertuntur, per comparationem rerum facile capiuntur. Lib. 3 *de Summo bono*, cap. 14, sect. 3.

LACT. FIRM. 83. Res, non verba quæruntur. Lib. 3 *de Divin. inst.*, cap. 13.

S. LAURENT. JUSTIN. 84. Unaquæque res potius ex æstimationis consuetudine, quam ex sui natura cognoscitur. Serm. *de Nativit.*

85. Rerum usum tribuit Deus, sed privatum damnat affectum. Serm. *De Ramis palmar.*

S. PETRUS DAMIAN. 86. Rei, ex qua conflictus oboritur, melius est gratuitam ignorantiam possidere, quam de comparanda semper oblivione confligere. Lib. 7, epist. 18, *ad Guillam. comitiss.*

S. THOMAS AQUINAS. 87. Quælibet res perficitur, per hoc quod subditur suo superiori. 2, 2, quæst. 81, art. 7.

88. Res in sacra Scriptura dicitur fieri, quando innotescit. Super 3 *Sent.*, dist. 18, art. 1, ad. 3.

IN VITIS PATR. 89. Res monachorum sæcularibus data, ignis est ; et ubicunque ingreditur, consumit. Lib. 5, libel. 13, num. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 90. Veritas rei est ipsamet res. Lib. 8 *Theolog.*, cap. 6.

91. Fieri non potest, aut non facile fit, ut is res agat præclaras, cui facultates desunt. Lib. 1 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 8.

92. Res in causa procul dubio est nobilior et insignior, quam in seipsa causata. Lib. 12 *Theolog.*, cap. 21.

CICERO. 93. In rebus severis non est jocandi locus. Lib. 2 *de Divinat.*, num. 25.

94. Rem opinor spectari oportere, non verba. Lib. 5 *Tusc. quæst.*

PLATO. 95. Qui res suas ignorat, eadem sane ratione, res aliorum ignorabit. Sizygia 4, in *Dialog.* 1 *Alcibiadis.*

SENECA. 96. Leve momentum in adventitiis rebus est. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 5.

97. Res loquuntur, nobis tacentibus. Lib. 2 *de Benefic.*, cap. 14.

98. Non potest res magna sine adminiculo Numinis stare. Epist. 41.

99. Laxum spatium res magna desiderat. Epist. 88.

100. Si tibi res exiguæ sunt, non tamen sint angustæ. *De quatuor virtut.*

101. Magnarum rerum, etiamsi successus non fuerit, honestus est ipse conatus. *De Moribus.*

SIXTUS PHIL. 102. Rebus mundanis in causis tantum necessariis utere. *Sent.* 16.

Vide etiam tit. *Displicere*, sent. 32 ; *Esse*, sent. 76 ; *Fastidium*, sent. 13 ; *Finis*, sent. 132 ; *Intentio*, sent. 19 ; *Nomen*, sent. 63 ; *Usus*, sent. 56.

## RESPUBLICA.

COLLECTIO. *Etymologia.* Respublica græce πολιτεία et πολίτευμα rempublicam genere dicitur.

S. AUGUST. *Definitio.* Respublica est res populi. Lib. *de Civit. Dei*, cap. 21.

ARISTOT. Respublica est paucorum potestas, in qua census magistratus declaratur. Lib. I *Rhetor.*

CICERO. Majestas reipublicæ est, in qua continetur dignitas, et amplitudo civitatis. Lib. 4 *de Arte rhetor. ad Herenn.*, num. 35.

PLUTARCH. Respublica est quoddam corpus compaginatum ex membris quod divini muneris beneficio animatur, et summæ æquitatis agitatur nutu, et regitur quodam lumine rationis. *In Instit. Trajani.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Omnium christianorum una respublica est. *De Opere monachor.*, cap. 25.

2. Nihil tam inimicum est civitati, quam injustitia : nec omnino, nisi magna justitia geratur, stare potest respublica. Lib. 2 *de Civit. Dei*, cap. 21.

3. Nostra ætas cum rempublicam sicut picturam accepisset, egregiam, sed evanescente vetustate, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat ornata, renovare neglexit ; sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus, et extrema tanquam lineamenta servaret. *Ibid.*

4. Vera justitia non est, nisi in ea republica, cujus conditor rectorque Christus est. *Ibid.*

5. Hominum multitudo populum facit, cujus res dicitur essse respublica. *Ibid.*, lib. 19, cap. 21.

6. Rempublicam gerere, non criminosum est ; sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. *De verb. Dom.*, serm. 19.

7. Sine obedientia respublica stare non potest. Serm. 3 *ad Fratres in eremo.*

8. Multi putant christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicæ, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum. Epist. 3.

9. Quid est respublica, nisi res populi? Res ergo communis, res utique civitatis. Epist. 5.

10. Felix non est respublica stantibus mœnibus, ruentibus moribus. Lib. 1 *de Civit. Dei*, cap. 33.

S. GREGOR. MAGNUS. 11. Quidquid utile reipublicæ judicaveritis, peragite : neque aliquid quod utilitas reipublicæ exigit, negligatur. Lib. 12 in *Registro*, ind. 7, cap. 23, epist. 23, *ad Mauritium*.

JOAN. TRITH. 12. Tolle potestatem, et aliud non erit respublica quam plena seditionis confusio. *De Ruina monast. ord.*, cap. 7.

13. Prima in omni republica desolationis via, est inobedientia subditorum. *Ibid.*, cap. 7.

SALVIANUS. 14. Olim pauperes magistratus opulentam rempublicam habebant : nunc autem dives potestas pauperem facit esse rempublicam. Lib. 1 *de Gubern. Dei*.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 15. In unaquaque republica tantum amicitiæ constat esse, quantum et justi. Lib. 8 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 11.

16. Ubi non maxime honoratur virtus, ibi non est possibile firmum optimorum esse in republica statum. Lib. 2 *Polit.*, cap. 9.

17. Ubi leges non prævalent, non est respublica. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.

18. Non simul ad rempublicam gubernandam recipiantur filius et pater, frater senior, ac junior. *Ibid.*, lib. 5, cap. 6.

19. Maximum omnium ad reipublicæ stabilitatem, est id quod nunc parvifaciunt omnes, erudiri ad reipublicæ disciplinam. *Ibid.*, cap. 9.

20. Semper melior mos causa est melioris reipublicæ. *Ibid.*, lib. 8, cap. 1.

CICERO. 21. Ubi nunc est respublica, ibi simus potius, quam dum veterem sequimur, simus in nulla. Lib. 9, epist. 9.

22. Te non hortor solum, sed plane etiam oro, ut tota mente, omnique animi impetu in rempublicam incumbas : nihil est quod tibi majori fructui, gloriæque esse possit. *Prosec.*

23. Nec quidquam ex omnibus rebus humanis est præclarius, aut præstantius, quam de republica bene mereri. Lib. 10, epist. 5, *ad Plancum*.

24. Curemus ne quid detrimenti respublica capiat. Lib. 16, epist. 11, *ad Terent.*

25. Ars est difficilis, recte ut decet, rempublicam gerere. Lib. 27, epist. 24 *ad Atticum*..

26. Respublica duabus rebus continetur, præmio scilicet et pœna. Epist. 15, *ad Brutum*.

27. Maximus in republica modus est, inopia rei pecuniariæ. Epist. 18 *ad Brutum*.

28. Nulla re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt, hi qui reipublicæ præsunt, quam abstinentia et continentia. Lib. 2 *de Offic.*

29. Habere quæstui rempublicam, non modo turpe est, sed et sceleratum, et nefarium. *Ibid.*

30. Tunc peritura est respublica, cum ferrum vel æs magistratus auctoritatem obtinebit. Sizygia 4, lib, 3 *de Republ.* PLATO.

31. Reipublicæ bene præesse negotiis laude dignissimum est. Lib. 7, epist. 15, *ad Saturnin.* PLINIUS II.

32. Respublica quasi quædam civitas, et domus est. Lib. 8, epist. 16, *ad Paternum*.

33. Si rempublicam ex utilitate omnium rexeris; certus sis te bene rempublicam gerere. In *Panegyr. de Trajano Augusto*.

Vide etiam tit. *Princeps*, sent. 90, 91, 93; *Proprietas*, sent. 103.

## RESTITUTIO.

*Definitio*. Restitutio est in pristinum statum repositio. COLLECTOR.

Restitutio est justitia inclinans satisfacere proximo, ratione damnificationis illatæ sibi. In *Descript. termin.*, cap. *Justitia*. JOAN. GERS.

Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ. 2, 2, quæst. 62, art. 1. S. THOMAS AQUINAS.

*Comparatio*. Sicut restitutio facienda non est, nisi ejus rei quæ injuste possessa est : sic nec alicui restituenda, nisi illi qui ea injuste destitutus est. *Opusc.*, cap. 15.

Sicut non satisfit Deo de injuria sibi illata, nisi per pœnitentiam : ita nec proximo de re injuste spoliata, nisi per justam restitutionem. *Ibid.*, cap. 17.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Non sufficit solummodo reddere quod ablatum est : sed pro contumelia illata, plus debet reddere quam abstulit. Lib. 1 *Cur Deus*, cap. 11. S. ANSELM.

2. Sicut qui lædit salutem alterius, non sufficit si salutem restituit, nisi pro illata doloris injuria recompenset aliquid : ita qui honorem alicujus violat, non sufficit honorem reddere, si non secundum exhonorationis factam molestiam aliquid quod placeat illi, quem exhonoravit, restituat. *Ibid.*

3. Qui detinet alienum contra voluntatem, moratur in peccato, et sic semper auget peccatum : et quoties menti occurrit se detinere alienum, et proponit retinere, et non reddere, toties de novo peccat mortaliter. Part. 1, tit. 15, cap. 4, § 12. S. ANTONIN.

4. Nullum peccatum periculosius est furto : nam de aliis homo dolendo et confitendo salvatur,

sed de isto oportet ut etiam satisfaciat de alieno ablato, alioqui nil valet pœnitentia. *Ibid.*

5. Nimis difficile videtur hominibus exbursare pecuniam, et restituere : et facilius inducuntur ad dandum eleemosynas, vel faciendum ecclesias, et hospitalia, quam ad restituendum, quod non sufficit. *Ibid.*

6. Testificando falsum advertenter, tenetur ad restitutionem omnium quæ exinde proximus amisit propter ejus testimonium. Part. 2, tit. 1, cap. 19, § 7.

7. Nimis durum sibi videtur, ut quis reddat, quæ cum tanto labore acquisivit. *Ibid.*, cap. 6, § 3.

AUGUST. 8. Quod injuriose quisquis abstulit, reddat, si tamen habet quod abstulit, vel aliud unde illud restituat. Epist. 54, *ad Macedonium*

9. Qui contra jus societatis humanæ, furtis, rapinis, calumniis, invasionibus aliquid abstulerit, reddenda potius quam donanda censemus, Zachæi publicani evangelico exemplo. Epist. 54, *ad Macedonium.*

10. Quis advocatus aut ex advocato ita vir optimus facile reperitur, qui suscepto suo, dicat, Recipe quod mihi, cum tibi male adessem, dedisti, et redde adversario tuo quod me agente inique abstulisti. Epist. 54, *ad Macedonium.*

11. Si res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. *Prosec.*

12. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum. Epist. 54, *ad Macedonium.*

13. Plerumque qui aufert res alienas, amittit : sive alios patiendo, sive ipse male vivendo : nec aliud habet unde restituat : huic certe non possumus dicere, Redde quod abstulisti. *Ibid.*

14. Peccat, qui pecuniam debitam, cum habeat unde reddat, recusat reddere. Lib. 2 *de Serm. Dom. in monte*, cap. 5.

BASILIUS MAGNUS. 15. Qui ad paupertatem respicit, desperat de restitutione : si vero de restituendo desperas, malum malo curas. Super *Psalm.* XIV, conc. 4, vers. 6.

BERNARD. 16. Nulla illi pœnitentia remittitur peccatum, si cum possit non restituit ablatum. Epist. 77, *ad Hugonem de S. Victore.*

S. BONAV. 17. Avarus sicut canis devorata evŏmit, dum injusta restituit. Serm. 4 *Dom.* 6, *post Pent.*

18. Tenetur detractor ad restitutionem bonæ famæ quam abstulit : majus enim bonum aufert detractor quam raptor. In *Centiloq.*, part. 1, sect. 13.

19. In quantum teneor alteri restituere, in tantum mea non sunt mea, sed illius cui teneor. Lib. 2 *de Profectu relig.*, cap. 45.

20. Si in bonis proximum damnificasti, age pœnitentiam, et labora ad restitutionem. *De Perfect. charit.*, art. 9. DIONYSIUS CARTHUS.

21. Quidquid violenter cuilibet ablatum fuerit, ipsi restituatur, cui ablatum est. Lib. 1 in *Registro*, indict. 9, cap. 42, epist. 42, *ad Petrum subdiacon.* S. GREGOR. MAGNUS.

22. Qui bona alterius injuste detinet, agnoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam pervenire valeat, nisi bona quæ injuste abstulit, restituat. Habetur in *Decret. Gratiani*, part. 2, *de Pœnit.*, dist. 6, can. *Falsas.*

23. Nemo qui rapit, moriens si habet unde reddat, salvabitur : si eos quorum fuit, invenire non poterit, Ecclesiæ vel pauperibus tribuat. Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 14, quæst. 5, can. *Nemo.* S. HIERON.

24. Difficillimum est, famam semel læsam restituere. Super *Proverbia*, cap. 25. HUGO CARD.

25. Si fur tenetur ad restitutionem rei furatæ, quanto magis susurro ad restitutionem famæ denigratæ. Super *Ecclesiasticum*, cap. v.

26. Fur potest restituere quod abstulit, scilicet pecuniam : mendax autem testis non potest restituere quod retulit, pacem scilicet cordis sui, et famam proximi. *Ibid.*, cap. 20.

27. Redde ablata, sic et teipsum a criminibus liberabis. Homil. 33 super *Gen.*

28. Si rapuisti, acerrime teipsum accusa, et restitue. Homil. 52 super *Matth. Oper. perf.*

29. Cum fure multo pejor rapax sit, multo plus restituere debet. *Ibid.*, homil. 53. S. JOANNES CHRYSOST.

30. Si alicujus pecuniam fraude abstulisti, aut rem aliquam per violentiam rapuisti, redde ei quæ abstulisti. *Prosec.*

31. Abstractæ rei peccatum, rerum recompensatione dissolvitur. Homil. 11 *Oper. imperf. super Matth.*

32. Etsi alio rapiente raptis frueris, et si injuria affectos nosti, eis redde, et Zachæum imitare, cum restitutionis incremento. Homil. 15 super I *Cor.*

33. Homo, qui hominis alterius bona sine voluntate ipsius possidet, ad restitutionem tenetur. *De Ruina monast. ordin.*, cap. 4. [illegible]

34. Alienum restitutioni censetur obnoxium. *Ibid.*, cap. 6.

35. Non solum te sufficiat admoneri, ut aliena non rapias : sed ut quæque compereris prærepta, restituas. Lib. 7, epist. 18, *ad Guillelm comitissam.* S. PETRUS DAMIAN.

36. Dignum est, ut quidquid per injustitiam partum, quidquid aliis violenter ablatum, domui cui nunc præes, adjacere cognoveris : in

quantum tibi possibile est, reddere non moreris. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. 37. Non modo qui aliena rapuerunt, sed qui etiam injustæ acceptionis aliquo modo causa fuerunt, restituere tenentur. 2, 2, quæst. 62, art. 7.

38. Id restituere quod injuste ablatum est, est de necessitate salutis. *Ibid.*, art. 2.

39. Non tantum sunt restituenda ablata, vel injuste accepta; sed etiam omnis proventus, et omnia lucra ex his provenientia, sunt restituenda. *De Usuris*, cap. 20.

40. Illud est restituendum, quod nullo jure fit suum. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA 41. Ab his incipe, ut non auferas, sed aliis ablata restituas. *De quatuor virt.*

SIXTUS PHILOSOPH. 42. Quæ mundi sunt, mundo : et quæ Dei sunt, reddantur Deo. *Sent.* 17.

Vide etiam tit. *Acquirere*, sent. 110; *Fama*, sent. 32, 71 ; *Invenire*, sent. 5. 6, 7, 8, 17, 20, 21, 23, 24; *Usura*, sent. 45.

## RESURRECTIO CHRISTI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Vidit Maria resurrectionem Domini, et prima vidit, et credidit : vidit et Maria Magdalena, quamvis adhuc nutaret. Lib. 3 *de Virginibus.*

2. Resurrectio Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis gloria. Ssrm. 52, *in die Paschæ.*

3. Primum maximum fidei fundamentum est, in resurrectionem Christi credere : credit enim quod ipse non moriatur, si credat quisque in resurrectionis auctorem. *De Joseph.*, cap. 13.

4. Resurrectio Christi, vita est universorum. Super *Psalm.* XXXVI.

S. ATHANAS. MAGNUS. 5. Resurrexit Dominus tertia die a mortuis spoliato inferno, calcato inimico, abolita morte, fractis quibus tenebatur vinculis peccatorum. Serm. super illud : *Invenietis pullum.*

S. AUGUST. 6. Clarificata carne Christus resurrexit, sed noluit in ea clarificatione discipulis suis apparere, qui non potuissent oculis suis talem claritatem perspicere. In *Dialogo* 65 *quæst. ad Orosium*, quæst. 14.

7. Non mortuum est Verbum, et resurrexit : sed in Verbo caro mortua est et resurrexit. *Prosec.*

8. Ibi mortuus est Christus, ubi es moriturus : et ibi resurrexit Christus, ubi tu es resurrecturus. Super *Psalm.* LXXIX, vers. 23 : *De abyssis terræ reduxisti me.*

9. Securus mortuus est pastor pro ove, qui resurgens possidet ovem. Super *Psalm.* XCIX, vers. 3 : *Et oves pascuæ ejus.*

10. Unus resurrexit jam moriturus. Resurrexit Lazarus, sed moriturus; resurrexit filia archisynagogi, sed moritura : resurrexit Christus, non moriturus. Super *Psalm.* CXXVI, vers. 4.

11. Dies resurrectionis Christi, defunctis vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Serm. 7, *Dom. in Oct. Paschæ.*

12. Pascha Christi est regnum cœli, salus mundi, vita credentium, occasus inferni, gloria supernorum, resurrectio mortuorum, testimonium resurrectionis divinæ, pretium redemptionis humanæ, cognitio mortis abolitæ. *Ibid.*

13. Resurrectio Christi operatione virtutis homines elevat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis, consummat justos, firmat dubios, damnat incredulos.

14. Resurrectio Domini, spes nostra est : ascensio Domini, glorificatio nostra est. Serm. 2 *de Ascens.*

15. Nos Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit. *Ibid.*, serm. 3.

16. Ideo Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur. In *Enchirid.*, cap. 120.

17. Resurrectionem Christi non sicut nostram in longum differi oportebat, ut in exemplo carnis ejus disceremus, quid in nostra sperare deberemus. Epist. 120, cap. 9.

18. Christus resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere quasi nunquam victurus. *De Catechiz. rudib.*, cap. 22.

19. Directus est justus, quando Christus resurrexit a mortuis, et ad cœlorum regna conscendit. Super *Psalm.* VII, vers. 10 : *Et diriges jussum.* CASSIODOR.

20. Tanta celeritas, Dominicæ resurrectionis fuit, ut dormisse potius, quam mortuus æstimetur : resurgens fortissimus, qui ut imbecillis occubuit. Super *Psalm.* XLVI, vers. 9 : *Non adjiciet ut resurgat.*

21. Resurrexit Christus, ut ad resurrectionem quoque ipsius spes se nostræ infirmitatis extendat. Super *Psalm.* LVI, vers. 1.

22. Resurgit Christus, ut nos erigat. *Ibid.*

23. Surrexit post justa facta Jesus. Lib. 1 *Pædag.*, cap. 5. CLEMENS ALEX.

24. Honorificatus est Christus resurgens a mortuis, victor mortis, spolians inferos, et captivos præmittens ad superos. *De Resurrect. Christi*, cap. 3. S. CYPRIAN.

25. Resurrectionis gloria in Christo, omne quod

infirmum et fragile videbatur, clarificavit, absolvit. Exposit. super *Symbol. Apost.*, cap. 17.

[C]YRILLUS ALEX. 26. Cum Christus vita esset ex sui natura, tertia die resurrexit spoliatis inferis, portasque perpetuo clausas iis qui infra degebant, reseravit. Hom. 6 *de Festo paschal.*

[C]YRILLUS [HI]EROSOL. 27. Qui descenderat ad inferos, rursus ascendit et qui sepultus erat Jesus, tertia die vere surrexit. Cateches. 4, *de Resur.*

[E]USEBIUS [EM]ISSEN. 28. Nos Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit. Homil. 2 *de Ascens.*

29. Si ea die qua Christus mortuus est, vel nocte quæ consecuta est, statim resurrexisset, vix eum aliqui vere defunctum crederent. *Prosec.*

30. Confirmatio autem mortis, est dilatio resurrectionis : et e contrario mortis veritas, resurrectionis auctoritas est. Homil. 2 *de Symbolo.*

31. Resurrectio Christi est defunctis vita, peccatoribus venia, sanctis gloria. Homil. 4, *Paschæ.*

[AUCT. QUÆ]SS. INT. 32. Radix amara crucis evanuit, flos vitæ cum fructibus erupit : qui jacuit in morte, surrexit in gloria. Super illud *Marci* XVI : *Surrexit, non est hic.*

[S.] GREGOR. [MA]GNUS. 33. Caro Domini eo ex passione sua robustior extitit, quo per infirmitatem moriens, a morte sine infirmitate resurrexit. Lib. 3 *Moral.*, cap. 11 super illud *Job* II : *Egressus igitur Satan.*

34. Redemptor noster ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse confidamus. *Ibid.*, lib. 14, cap. 27.

35. Virtus Christi est gloria resurrectionis ejus. Super *septem Psalm. Pœnit.*, Super *Psalm.* V, vers. 24.

26. Non debet homo jam de resurrectionis veritate ambigere, cum sciat verum hominem Christum a mortuis resurrexisse. *Ibid.*, super *Psalm.* VI, vers. 6.

37. Redemptor noster moriendo mortem superavit, eamque resurgendo consumpsit, et resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit. Homil. 29 super *Evang.*

[H]AYMO. 38. Non indiguit in resurrectione Christus auxilio angelorum, qui propria virtute claustra dissipavit inferorum. Serm. *in die Paschæ.*

39. Domini resurrectio festivitas angelorum fuit et nostra : angelorum quoniam numerus eorum qui retrogrediens per apostatam angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium adimpletur : nostra festivitas est quia de perditione nos liberans, ad societatem angelorum revocavit. *Ibid.*

40. Surrexit per humanitatem, qui nullum casum in divinitate habuit : et ideo resurgere voluit, qui nunquam cecidit, ut ille erigeretur, qui stare noluit. *Ibid.*

41. Cerne manus, Judæe, quas fixeras : cerne latus, Romane, quod foderas : videte corpus an idem sit, quod dicebatis clam nocte sustulisse discipulos. Epist. 1, *ad Heliodor.* S. HIERON.

42. Resurrectionis gloria in Christo clarificavit omne quod prius infirmum et fragile videbatur. Epist. 18, *ad Rufin. de Symbolo*, super illud : *Tertia die resurrexit a mortuis.*

43. Pietas est non ambigere, et justitia est credere, et salus Christi confiteri resurrectionem. Lib. 10 *de Trinit.* S. HILAR.

44. Ideo angelus prior resurrectionis est index, ut quodam famulatu paternæ voluntatis resurrectio nuntiaretur. Super *Matth.*, can. ultimo.

45. Samson fractis seris, subtractisque portis, securus evadit : Christus ruptis inferni sedis obicibus, apertoque sepulcro, recepto corpore, a morte liber egreditur. Hom. 4 *ex Divers. in Matth.* S. JOANNES CHRYSOST.

46. Nolle mori, est timoris humani : mori et resurgere, est solius Deitatis insigne. Serm. 5 *fer.* 5, *Passion.*

47. Post custodias sævas, et vincula dura, post illusiones et verbera, post aceti et fellis pocula mixta, post supplicia crucis et vulnera, post ipsam mortem, surrexit de suo funere Christus. Serm. 3 *de Resurr.*

48. Redit ab occiduo orbe latens vita, et in monte salus servata resurgit, pulchrior reditura caro post funus. *Ibid.*

49. Surrexit de suo funere caro nova, rediviva phœnicis, quam ultimus sol, et cinnama coxerant pietatis. *Ibid.*

50. Resurrectio Christi secundum carnem, fide cognoscenda est. Serm. 11 super *Epist. ad Philipp.*

51. Resurrectio Christi nativitate est inferior : quoniam illius multa sæpe facta sunt exempla, hujus vero nunquam. *Ibid.*

52. Is resurrectionis Christi verus confessor et cultor est, qui et de passione ejus non confunditur, et de corporea nativitate non fallitur. Serm. 8 *Quadrag.* S. LEO I.

53. Resurrectio Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morari passa est in sepulcro, et tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo, quam mortis. Serm. 1 *de Resurr.*

54. Resurrectio Domini non finis carnis, sed commutatio fuit; nec virtutis augmento consumpta substantia est. *Prosec.*

55. Qualitas transiit, non natura defecit : et

factum est corpus impassibile quod potuit crucifigi; factum est immortale, quod potuit occidi : factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari. *Ibid.*

RICHARD. A S. VICTORE. 56. Una resurrectio Domini secundum carnem, geminam nostram resurrectionem efficit, et animarum in præsenti, et corporum in futuro. Part. 1, serm. *in die Paschæ.*

S. THEOPH. ALEX. 57. Salvator noster, pignus salutis, nostris corporibus in resurrectione sui corporis tribuens, non potest credi ultra moriturus. Epist. *Paschal.* 2.

S. THOMAS AQUINAS. 58. Christus in juvenili ætate resurgere voluit, ut futuram resurgentium qualitatem in seipso præmonstraret. Part. 3, quæst. 46, art. 9.

59. Necessarium fuit Christum ex mortuis resurgere, non modo ad divinæ justitiæ commendationem ; ad fidei nostræ instructionem, et spei erectionem; verum etiam ad vitæ fidelium informationem, et salutis nostræ consummationem. *Ibid.*, quæst. 53, art. 1.

60. Christus perfecta resurrectione omnium primus resurrexit a mortuis, cum non amplius ut cæteri, moriturus resurrexit. *Ibid.*, art. 3.

61. Cum Christus per humilitatem passionis, resurrectionem meruerit, ipsiusque resurrectio nostræ resurrectionis causa et exemplar fuerit, corpus Christi gloriosum resurgere debuit. *Ibid.*, quæst. 54, art. 3.

62. Non debuit Christus postquam surrexit a mortuis, diu cum discipulis suis conversari, ne ad vitam rediisse mortalem putaretur : sed aliquanto tempore, ut se vere resurrexisse ostenderet. *Ibid.*, quæst. 55, art. 3.

63. Frequens Christi apparitio sufficiebat ad certificandum discipulos de veritate resurrectionis. *Ibid.*

64. Resurrectio Christi est exemplar nostræ resurrectionis. *Ibid.*, in Supplemento, part. 3, quæst. 77, art. 3.

65. Sicut Samson abstulit media nocte portas Gazæ, et exiit ; ita Christus media nocte auferens portas inferni, resurrexit. *Ibid.*, quæst. 41, art. 4, argum. 2.

66. Quia resurrectio facta est in Dominica, ideo celebramus illum diem, sicut Judæi sabbatum propter primam creationem. Opusc. 9, *de Decem præcept.*, præcept. 3, verbo *Memento.*

67. Christi resurrectio non debuit usque ad finem mundi differri, nec etiam nimis accelerari, ut virtus divinitatis ostenderetur, et veritas mortis intra triduum approbaretur. *De Resurr. Christ.*

THOMAS A KEMPIS. 68. Quis est, qui digne Pascha in spiritu celebrat, qui de vitiis ad virtutes transmigrat, qui de veteri vita et mala consuetudine in novæ devotionis statum surgit? Medit. 32, *de Christi resurrectione*, cap. 4.

S. VINCENT. FERRARII. 69. Christus in sua resurrectione primo apparuit virgini Mariæ matri suæ. Serm. 1 *Paschæ.*

## RESURRECTIO HUMANA.

S. GREG. NYSS. *Definitio.* Resurrectio est naturæ nostræ in antiquum statum restitutio. *De Anima et resur.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Cum venerit judicii dies, reddet terra defunctorum corpora, et pulvis restituet eas, quæ in tumulis requiescunt reliquias mortuorum. *De Bono mortis*, cap. 10.

2. Jesus Christus Dei virtus, vita, lux, resurrectio mortuorum : virtus erigit jacentem, vita gressum effert, lux fugat tenebras, reparat obtutum, resurrectio vivendi gratiam reformat. Orat. *de Fide resur.*

3. Qui vivunt morientur, qui moriuntur resurgent. *Prosec.*

4. Propior est saluti, qui moritur ut resurgat, quam ille qui vivit ut moriatur. Super *Psalm.* XXXVII.

5. In ipso raptu mors proveniet, et quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur. Super II *Thessal.* IV, in illud : *Cum illo rapiemur in nubibus.*

S. ANTONI. AEDAS. 6. Erit resurrectio post mortem, et judicandi erimus a Deo, qui redditurus est unicuique secundum opera sua. Serm. *de Vanitate mundi.*

S. AUGUST. 7. Resurget pius populus, ut veteris hominis sui reliquias transformet in novum. *Prosec.*

8. Resurget autem impius populus, qui ab initio usque ad finem veterem hominem gesserit, ut in secundam mortem præcipitetur. *De Vera relig.*, cap. 27.

9. In resurrectione mortuorum, distabit gloria meritorum. Epist 146, *ad Consentium.*

10. Resurget corpus secundum christianam fidem, quæ fallere non potest : quod cui videtur incredibile, qualis nunc sit caro attendit, qualis autem futura sit non considerat ; quia illo tempore immutationis angelicæ non jam caro erit et sanguis, sed tantum corpus. *De Fide et Symbolo*, cap. 10.

11. Philosophi quorum argumentis sæpius resurrectioni carnis resistitur, quibus asserunt nullum posse esse terrenum corpus in cœlo, quod libet corpus in omne corpus converti et mutari posse concedunt. *Ibid.*

12. Resurgent sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla cor-

ruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas resurgendi, quanta felicitas erit. In *Enchiridio*, cap. 91.

13. Eadem caro corruptibilis quæ cadit tam justorum, quam injustorum, incorruptibilis resurget; quæ vel pœnam sufferre possit pro peccatis, vel in gloria æterna manere pro meritis. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 6.

14. Sicut corpus in resurrectione sua vitam et sensum recipiet, sic anima in resurrectione sua vitam et sensum recipiet; scilicet cognitionem et amorem Dei. *De Spiritu et anima*, cap. 36.

15. Restat ut suam recipiat in resurrectione quisque mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. *Prosec.*

16. Nec ultra, nec infra juvenilem formam resurgent mortuorum corpora, sed in ea ætate et robore, usque ad quam Christum hic pervenisse cognovimus, circa quippe triginta annos definierunt esse, etiam sæculi hujus doctissimi homines, juventutem. Lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 15.

17. Resurgent omnes tam magni corpore, quam vel erant, vel futuri erant in juvenili ætate, quamvis nihil oberit, etiamsi erit infantilis, vel senilis corporis forma. *Ibid.*, cap. 16.

18. A corporibus electorum amovebitur in resurrectione omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisque corruptio. *Ibid.*, cap. 20.

19. Quid mirabilius inter Dei mirabilia, quam mortuos suscitare ? Super *Psalm.* LXX, vers. 18.

20. Plus est homines creare, quam resuscitare : dignatus est tamen Christus et creare et resuscitare; creare omnes, resuscitare quosdam. *Prosec.*

21. Resuscitavit Christus filiam archisynagogi, adhuc in domo jacentem : resuscitavit juvenem filium viduæ, extra portam civitatis elatum : resuscitavit Lazarum sepultum quatriduanum; sunt tria genera peccatorum, quos hodie suscitat Christus, delectationis, operis, consuetudinis. Tract. 49 super *Evang. Joan.*, cap. XI.

22. Animas suscitat Deus per Christum Filium Dei, corpora suscitat Deus per eumdem Christum, Filium hominis. *Ibid.*, tract 19, cap. 5.

23. Animæ resurgunt per potentiam Dei, corpora per dispensationem humanam. Resurgit anima ab iniquitate, per id quod Deus est : resurgit corpus a corruptione, per id quod homo est. *Ibid.*, tract. 23, cap. 5.

24. Amplius est resuscitare semper victurum, quam suscitare iterum moriturum. *De Verb. Dom.*, serm. 44.

25. Nemo tam facile dormientem excitat in lecto, quam facile Christus in sepulcro. *Ibid.*

26. Morere ut vivas, sepelire ut resurgas. *De Verb. apostoli*, serm. 15.

27. In resurrectione mortuorum, christianorum spes tota consistit. *Ibid.*, serm. 34.

28. Ipsam resurrectionem carnis, quæ partim tardius, partim omnino non creditur, ita certam teneamus, ut certius nobis non sit solem, cum occiderit oriturum. *De Quantitate animæ*, cap. 33.

29. Sicut ad mortis, sic nec ad resurrectionis differentiam valet diversa nativitas. *Prosec.*

30. Non est absurdum ut similiter resurgant corpora, quæ dissimiliter orta sunt. Epist. 49, quæst. 1.

31. Non ad hoc resurget corpus justorum, ad quod resurget corpus impiorum. *De Agone christ.*, cap. 7.

32. Hoc erit post resurrectionem, ut corpus omnino cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat. Lib. 1 *de Doctrina christiana*, cap. 24.

33. Resurrecturam carnem omnium quicunque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo debet dubitare christianus. In *Enchirid.*, cap. 84.

34. Qui irrident resurrectionem, putantes quod caro ista, quia putrescit, resurgere non potest, ad pœnas in ea resurrecturi sunt, et ostendet eis Deus, quia qui potuit hæc corpora facere antequam essent, potest ea in momento restituere sicut erant. *De Cathechiz. rud.*, cap. 27.

35. Omnes fideles regnaturi cum Christo, ita resurgent in eodem corpore, ut etiam commutari mereantur ad incorruptionem angelicam. *Ibid.*

36. Phœnix de sua morte renascens, resurrectionis corporum typum gerit, si tamen, ut creditur, de sua morte renascitur. *De Anima et orig.*, cap. 20.

37. In resurrectione mortuorum, quod vivet non morietur; tunc quod sanabitur, non ægrotabit; tunc quod satiabitur non esuriet, neque sitiet; tunc quod renovabitur non veterascet. Tract. 17 super *Joan.*

38. Nulla in operibus Christi videntur esse majora, quam suscitatio mortuorum. *Ibid.*, tract 91.

39. Resurget justus ut judicet, peccator ut judicetur, impius ut sine judicio puniatur. Super *Psalm.* I, vers. 6.

40. Radix totius bonæ operationis, est spes resurrectionis : expectatio enim retributionis animam erigit in spem. *Catechis.* 18.

41. Omnis anima credens in resurrectionem, merito sibi parcit : non credens autem resurrectioni, exposita fit perditioni. *Prosec.*

42. Credens manere corpus in resurrectionem, parcit illi tanquam vesti, et non polluit eam in iniquitatibus : qui vero non credit resurrectionem, exponit sese libidini, ac veluti alieno abutitur corpore suo. *Ibid.*

FRANCISCUS TITELM. 43. In novissimo magni judicii, et generalis examinis die, non resurgent reprobi ad gloriosam illam beatorum immutationem, ad quam resurgent electi. In *Elucid., super Psalm.* I, vers. 6.

HAYMO. 44. Sit certissima spes omnibus nobis quia vera resurrectio carnis, quæ præcessit in Christo, sequetur in nobis. *Prosec.*

45. Caro ista omnium hominum mortuorum sive fidelium, sive infidelium resurget in fine : sed caro fidelium resurget ad gloriam, caro infidelium resurget ad pœnam. Serm. 1 *in Octava Paschæ.*

46. Nemo tam facile de somno, quam mortui resurgent incorrupti. Serm. 2 *Dom.* 22 *post Pent.*

S. HIERON. 47. Resurrectionis virtus, angelicum hominibus conficiet statum, ut qui de terra resurrexerint, non iterum in terra cum pecudibus, sed in cœlo cum angelis vivant. *Ibid.*, super illud : *Carnis resurrectionem.*

S. HILARIUS 48. Cum omnis caro redempta in Christo sit, ut resurgat, et omnem assistere ante tribunal ejus necesse sit; non tamen omnibus gloria et honor est promiscuus resurgendi. In *Explanat. Psalm.* LV.

S. JOANNES CHRYSOST. 49. Cum sit difficile in hoc mundo servare justitiæ sanctitatem, quis contentus esset adversus seipsum quotidie luctamina exercere, nisi ad spem aspiceret resurrectionis ? *Prosec.*

50. Tolle spem resurrectionis, et soluta est tota observantia pietatis. Homil. 42 super *Matth. Oper. imperf.*

51. Mors vincitur, homo resuscitatur, inferorum catenæ franguntur : lingua movetur, manus officio præparantur, oculis visus redditur, vestigia gressibus explicantur, auribus renovatur auditus. Homil. *de Lazaro resuscitato.*

52. Ne sinas corpus tuum, dum hic est, vivere; ut in resurrectione universali vivat : fac ut moriatur, ne moriatur. Etenim si vivum permanserit, non vivet : si vero mortuum fuerit, tunc vivet. Serm. 13 super *Epist. ad Romanos.*

53. Resurrectio est divinæ virtutis opus, eo quod Deus impositæ telluri ut discedat, mandabit, et nullus ministrorum hoc faciet, quemadmodum aliquando evocavit Lazarum. Homil. 8 super I *Thessal.*

54. Si resurrectio non est, fides omnis evanuit : si resurrrectio non est, inanis est prædicatio : si resurrectio non est, neque resurrexit Christus : quod si non resurrexit neque natus est, neque in cœlum ascendit. Homil. 5 super II *Tim.*

S. IRENÆUS 55. Quemadmodum caput resurrexit a mortuis, sic et reliquum corpus omnis hominis, qui invenitur in vita, impleto tempore condemnationis suæ, quæ erat propter inobedientiam, resurget. Lib. 3 *advers. Hæres.*, cap. 21.

S. ISIDORUS PELUS. 56. Qui corpus ex nihilo effecit, multo magis effectum ad vitam revocabit. Lib. 2 Epist. 43, *ad Eustathium.*

LACT. FIRM. 57. Mortuorum resurrectio erit, et claudorum cursus erit velox, et surdus audiet, cæci videbunt, et mortui loquentur. Lib. 4 *de Divin. inst.*, cap. 15, verbo græco Νεκρῶν.

MINUTIUS FELIX. 58. Quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare hominem a Deo, sicut primum potuisset fingi, ita posse denuo reformari ? *Prosec.*

59. Nihil esse post obitum, et ante ortum nihil fuisse : sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari.

60. Porro difficilius est, id non sit incipere : quam id quod fuerit iterare. In suo *Octavio.*

S. ODILO ABB. CLU. 61. Certissima fiducia est christianorum divinitus promissa, resurrectio mortuorum. Serm. 5, *de Resur.*

S. PETRUS CHRYSOL. 62. Crede, homo, de morte resurgere te posse; quia antequam viveres, nil fuisti. *Prosec.*

63. Quare ergo dubitas, quod resurges, cum tibi totum, quod in rebus est, quotidie sic resurgat ? Serm. 59.

64. Veniente Christo resurgent mortui, sistentur vivi, ut pariter causas reddant de suorum ratione factorum. *Ibid.*, serm. 60.

65. Resurget caro, resurget ut ipsi jam sumus, ut agnitio maneat personarum, ut et martyr de persecutoris pœna lætitiam sumat, et persecutor sumat de martyris honore supplicium. *Ibid.*

66. Mori nolle, est timoris humani, divinæ virtutis est surrexisse de morte. *Prosec.*

67. Hic ergo non offendat mortis auditus, ubi resurrectionis gloria abscondit mortis injuriam : quia hominis quod moritur, Trinitatis est quod resurgit. *Ibid.*, serm. 61.

68. Resurrectionem mente, ore, oculis, spectet, cantet, cogitet christianus, ut totam, mortis possit despicere et calcare formidinem. *Ibid.*, serm. 118.

TERTULL. 69. Qui nihil fueras priusquam esses, idem nihil factus es, cum esse desieris : cur non posses esse rursus de nihilo ejusdem auctoris voluntate, qui voluit esse de nihilo? quid novi tibi eveniet? qui non eras, factus es : cum iterum non eris, fies. In *Apolog. advers. Gentes*, cap. 48.

70. Ubicunque resolutus fueris, quæcunque

te materia destruxerit, hauserit, aboleverit, in nihilum prodegerit, reddet te ! ejus est nihilum ipsum, cujus est totum. *Ibid.*

71. Fiducia christianorum, resurrectio mortuorum est. *De Resurrectione*, cap. 1.

72. Nemo tam carnaliter vivit, quam qui negat carnis resurrectionem. *Ibid.*, cap. 11.

73. Semen, ut reddat, intercipit : ut custodiat, perdit : ut integret, vitiat : ut ampliet, prius decoquit : siquidem uberiora et cultiora restituit, quam exterminavit. *Prosec.*

74. Omnia in statum redeunt, cum abscesserint : omnia incipiunt, cum desierint : ideo finiuntur ut fiant, nihil deperit, nisi in salutem : totus igitur hic ordo revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum. *Ibid.*, cap. 12.

HEODOR. 75. Adhuc mortali sarcina cincti homines, spe resurrectionis animum delectando, æternam vitam expectant. Super *Psalm.* XXI, vers. 28.

76. Omnes, qui sunt pietate et vera religione illustrati, consequentur primi resurrectionem. Super I *Thessal.*, cap. IV in illud : *Resurgent primi.*

EOPHYL. 77. Christianismi universum negotium, in resurrectionis dogmate situm est. Super I *ad Cor.*, cap. XV.

THOMAS UINAS. 78. Fatendum est resurrectionem esse futuram, in qua anima suo corpori in perpetuum unietur. Part. 3, *Supplementi*, quæst. 75, art. 1.

79. Cum nulla anima perpetuo possit a corpore separari ; necesse est, sicut unum, ita et omnes resurgere. *Ibid.*, art. 1.

80. Et si tempus futuræ resurrectionis determinate recognosci non possit : tamen probabiliter dicitur resurrectionem futuram in crepusculo, ut ad idem punctum redeat sol et luna, in qua creata creduntur. *Ibid.*, art. 3.

81. Necessarium est fateri omnes morituros, et a morte resurrecturos esse. *Ibid.*, quæst. 78, art. 1.

82. Hæreticum est dicere eumdem hominem non resurrecturum, qui mortuus est : alioquin enim homo vane factus esset, si ad finem propter quem factus est, venire non posset. *Ibid.*, quæst. 79, art. 2.

83. Cum oporteat in resurrectione corpus omni ex parte respondere animæ, oportet etiam ut omnia membra humani corporis in resurrectione resurgant. *Ibid.*, quæst. 80, art. 1.

84. Cum resurrecturus sit homo in omni naturæ suæ perfectione, capillos et ungues in eo resurgere oportebit. *Ibid.*, art. 2.

85. Cum humores in corpore humano pertineant ad perfectionem humanæ naturæ, eos simul resurgere cum corpore humano, necesse est. *Ibid.*, art. 3.

86. Conveniens est, ut omne id quod est de veritate humanæ naturæ, resurgat cum ipsa. *Ibid.*, art. 4.

87. Conveniens est ut homines resurgant in juvenili ætate, quæ inter decrementum et incrementum constituitur. *Ibid.*, quæst. 81, art. 1.

88. Homines ejus staturæ, cujus aut erant, aut futuri erant in juventute, resurgent. *Ibid.*, art. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

89. In proximum puto, brevitate vitæ defunctos, in integrum restitui. *De Consolat. ad Marciam*, cap. 20. SENECA.

90. Mors, quam pertimescimus ac recusamus ; intermittit vitam, non eripit : veniet iterum, quæ nos in lucem reponat dies. Epist. 36.

## RESURRECTIO A PECCATO.

*Definitio.* Exurrectio a peccato, est in pristinam divinæ servitutis alacritatem reparatio. Sect. 1, super *Psalm.* III, vers. 5 : *Exurrexi.* FRAN... TITEL...

Resurrectio nihil aliud est, nisi in pristinum statum restitutio. Homil. 1, super *Ecclesiasten.* S. ... NY...

Resurgere dicitur, qui prius moriendo cecidit. Epist. 31, *ad Minerium et Alexandrum.* S. HI...

Resurrrectio nihil aliud est, quam secunda ejus quod cecidit erectio. Lib. 4, *de Fide orthod.*, cap. 28. S. ... DAM...

Resurrectio est ejus, quod ceciderat surrectio. Super *Marc.*, cap. XII, in illud : *Qui dicunt non esse resurrectionem.* T... YL.

Resurgere a peccato, est reparari hominem ad ea quæ peccando amisit. 1, 2, quæst. 109, art. 7. S. THOMAS A...

*Divisio.* Resurgitur, ab infidelitate ad fidem, a vitiis ad virtutes, a desperatione ad spem, a cupiditate ad charitatem, ab activa vita ad contemplativam, a morte ad vitam, a miseria ad gloriam. Super *Psalm.* XIX. HU... CARD.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Homo per se cadere potest, per se autem nunquam resurgere potest. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtut.*, cap. 24. S. AL... MA...

2. Dum in hoc corpore vivitur, nullius est desperanda reparatio. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 10. S. AMBROS.

3. Cum caro subdita fuerit animæ, tunc jam non quasi mortua jacet in sepulcro suo conditio humana, sed resuscitatur per gratiam Christi. Lib. 5, epist. 19, *ad Horontianum.*

4. A quibuslibet lapsibus delictorum facile surgitur, quando opem a reparatore suo poscit elisus. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem.*

5. Pascha hebraice transitus dicitur, quia per hoc mysterium de pejoribus ad meliora transitur. *Prosec.*

6. Bonus transitus est, transire de peccatis ad justitiam, de vitiis ad virtutes. Serm. 53, *de Innovatione fidelium.*

7. Sancti viri, qui consummare pium certamen gestiunt, et currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina; ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. Lib. 1, *de Apolog. David.*, cap. 2.

8. Beatus est, qui se potuerit reparare post lapsum, quoniam post mortem a peccato resurgere, munus beatorum est. *Ibid.*

9. Propior est saluti, qui moritur ut resurgat, quam ille qui vivit ut moriatur. Super *Psalm.* XXXVII.

S. ANTONIN.

10. Quanto quis cadit ab altiori statu virtutis, non cito inde resurgens, tanto gravius ruit in omnia mala. Part. 1, tit. 4, cap. 13, § 3.

11. Medici spirituales mediante pœnitentiæ medicina et confessione, resuscitant mortuos in peccatis. Part. 3, tit. 7, *de Medicis*, cap. 1, § 2.

12. Justi cadunt, et reprobi : justi cadunt ante se, vident et cognoscunt ubi cadunt, et ideo resurgunt. *Prosec.*

13. Sed reprobi cadunt retro, et non vident ubi cadunt, et ideo non resurgunt. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 2.

14. Tria juvant ad resurgendum : lectio frequens, exhortatio fervens, exemplum urgens. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 2.

S. ANTONIUS DE PADUA.

15. Hic est rectus ordo peccatoris redeundi ad vitam : primo debet surgere a peccato per ipsius abominationem et detestationem; secundo, se humiliare in cordis contritione; tertio, loqui in confessione; et sic Dominus restituet eum Spiritus sancti gratiæ. Serm *Dom.* 16, *post Trinit.*

S. AUGUST.

16. Blande pia mater Ecclesia perditos filios, si per salubres leges in ejus gremio revocentur, amplectitur, et de illis multo amplius, quam de his quos nunquam perdiderat, gratulatur. Epist. 50, *ad Bonifac.*

17. Resuscitatur anima per pœnitentiam, et in corpore adhuc mortali renovatio vitæ inchoatur a fide, qua creditur in eum, qui justificat impium. Lib. 4, *de Trinit.*, cap. 3.

18. Quisquis ceciderit, velociter resurgat : sit humilior intra propriam conscientiam, sit ferventior atque promptior ad agendum pœnitentiam, sit cautior ad custodiam. *De Spiritu et anima*, cap. 57.

19. Non sicut homo, qui sponte cecidit, ita etiam sponte surgere potest, nisi porrecta dextera Dei. Lib. 2, *de Libero arbitrio*, cap. 20.

20. Surgamus purissimi a peccatis ad purissimam perfectionem, ne istis, quæ parva sunt, multiplicatis, quasi quadam scabie patiamur corrumpi et collidi. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 8.

21. Qui cecidit, ad eum statum a quo lapsus est, non nisi auctoris sui gratia reformatur. *Prosec.*

22. Surgit enim beneficio alieno, qui cecidit proprio.

23. Nec ideo non suo dicendus est cecidisse, quia aliena noscitur resurgere : nec propterea suo resurrexisse, qui non alieno certum est cecidisse. *Contra Felicianum*, cap. 13.

24. Multi cadere volunt cum David, et nolunt surgere cum David : non ergo cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris, resurgendi. Super *Psalm.* L.

25. O quam feliciter cecidi, qui post lapsum felicius resurrexi! *De Diligendo Deo*, cap. 6.

26. Quam malum est ut lugeamus quod non possumus suscitare! Carnem quam non possumus suscitare, plangimus, et animam mortuam non plangimus, quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum revocare. *Prosec.*

27. Corpus mortuum plangimus, quod amamus, animam vero mortuam, quam non amamus, non dolemus, non plangimus. Serm. 4, *pro Defunctis.*

28. Mortuus es in Adam, refurge in Christum, Tract. 3, super *Joan.*

29. Ad Deum redire non possumus, nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus. *De Fide et Symbolo*, cap. 4.

30. Necesse est mortua opera faciat anima, donec Christi gratia reviviscat. *De Nat. et grat.*, cap. 23.

31. Ne velut in profundum malorum collapsus contempseris : tempus patientiæ est, tempus longanimitatis, tempus sanationis, tempus correctionis. *Prosec.*

S. BASILIUS MAGNUS.

32. Lapsus es? exurge : peccasti? desine; ne stes in via peccatorum, sed resilias. Epist. 183, *ad Monach. lapsum.*

33. Stantibus et lapsis par sollicitudo tenenda est : his ne retrocedant, illis ut concite surgant. In suis *Proverb.*, verbo *Stantibus.*

V. BEDA.

34. Nullus tantæ perfectionis in Ecclesia vivit, qui non multoties cadat et resurgat. Super *Psalm.* VIII.

35. Si sanctus Petrus post tam gravem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis, qui de cætero desperet, si tantum egredi voluerit a peccatis? Serm. 3, *de Sanctis Petro et Paulo.*

S. BERNARD.

36. Magnum prorsus et mirabile sacramentum est, animæ suscitatio. Serm. 2, *Paschæ.*

BONAV.

37. Nisi peccator cordis obdurationem deserat, resurgere non potest ad gratiam. Serm. 4, *Dom.* 5 *post Pent.*

38. Surgere debet homo a peccato voluntatis, a peccato actionis, a peccato consuetudinis. Serm. 2, *Dom.* 23 *post Pent.*

39. Resurgens per pœnitentiam a peccato, potest resurgere in majori, in minori, et in æquali gratia, secundum quod se melius præparat. Super lib. 4 *Sent.*, dist. 14, part. 2, art. 2, quæst. 1.

40. Homo absque Dei auxilio, non potest resurgere a peccato. *De Resurr. a peccato.*

41. Homo potest per se ire ad culpam, sed per se non potest redire ad gratiam. Tit. 7, *Diætæ*, cap. 1.

42. Respira, peccator : respira, ne desperes : spera in eo quem times : fuge ad eum, a quo aufugisti, invoca opportune quem superbe provocasti. Lib. 4, *Pharetræ*, cap. 45.

43. Peccasti? quiesce, desine, et erubesce. In *Soliloquiis*, cap. 1.

44. O anima debilis et infirma, quæ tam facilis es ad decipiendum, tam prona ad cadendum, tam difficilis ad surgendum. *Ibid.*, cap. 2.

CÆSARIUS ARELAT.

45. Nemo de Dei misericordia desperet, sed cito malo iniquitatis suæ consurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis se ruinis suis sepeliat. Homil. 14.

46. Spiritalis medicina, si libenter accipiatur, absque dubitatione, etiamsi mortua sit anima, suscitatur. Homil. 15.

CASSIODOR.

47. Saluberrimo lacrymarum imbre resoluto, homo in novam messem virtutis adolescat : fiatque ex peccatore justus, ex lugente lætus, ex ægroto sanissimus. Super *Psalm.* VI, vers. 6 : *Lacrymis meis stratum meum rigabo.*

48. Diabolus toties punitur, quoties ab eo peccator subjugatus eripitur. Super *Psalm.* VII, vers. 7.

DIDYM. ALEX.

49. Sicut filius iræ efficitur, qui admittit peccatum ; sic qui ab eo ad virtutem se transfert, filius veritatis ac virtutis est. Lib. *contra Manich.*

EUSEBIUS EMISSENUS.

50. Jucundiores sunt illi dies, quibus renascimur, vel reparamur, quam illi, quibus nascimur. Homil. 6, *de Pascha.*

51. Difficile est ut assurgere ad bonum possis, nisi a malo ante resurrexeris. Serm. *contra Vitia.*

FULGENT.

52. Bonus timeat ne cadat : malus conetur ut resurgat. *Prosec.*

53. Quisquis malus est, cum Paulo prosternatur in malo, cum eo erigatur in bono.

54. Quoniam et ille cecidit malus, et surrexit bonus : prostratus est iniquus, et erectus est justus.

55. Cecidit sævissimus persecutor, et surrexit veridicus prædicator.

56. Cadens lumen corporis impius perdidit, surgens autem lumen cordis justificatus accepit. Serm. 4, *de S. Stephano.*

57. Post pœnitentiam fortior surgit homo. In *Decretis Gratiani.* GLOSS. DECR.

58. Aliquando Deus permittit bonos cadere, ut resurgant fortius in virtute. Super IV *Reg.* XX. GLOSS. ORD.

59. Permittit Deus quandoque animam affectu desiderii sui vulnerari, ut fortior surgat et sanetur. Super *Job*, cap. V. GLOSS. INT.

60. Difficultas resurgendi non est ex parte divinæ potentiæ, sed ex parte peccatoris : qui ex eo quod toties reiterat peccatum, reddit se Dei misericordia indignum, sine qua non potest a peccato resurgere. Super *Amos*, cap. I. GLOSS. ORD.

61. Nostrum est, quod decidimus : Dei, quod resurgimus. Super *Thren.*, cap. V, in illud : *Converte nos, Domine.*

62. Qui ceciderunt contemnendo, resurgant obediendo. Super illud *Matth.* II : *Per aliam viam reversi sunt.*

63. Majus gaudium de peccatore, quam de stante justo fit : uti dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quam eum qui nunquam fugit, nec unquam fortiter egit. Super illud *Luc.* XV : *Gaudium erit in cœlo.*

64. Refectio Dei et Sanctorum, est refectio peccatorum. Super *Lucam*, cap. XV.

65. Anima quæ dum caderet, volens appetiit : dum conatur surgere, cogitur invita tolerare, inde quippe punita est, unde delectata : quia inde conversa habet laborem certaminis, unde perversa appetiit gaudium voluptatis. Lib. 24 *Moralium*, cap. 7. S. GREGOR. MAGNUS.

66. Cum in peccato animus moritur, citius ad vitam reducitur, si super hunc sollicitæ cogitationes vivunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 25.

67. Si non potius a secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecus mortua, non resurgit. *Ibid.*, lib. 18, cap. 25.

68. Justus es, iram pertimesce, ne corruas : peccator es, præsume de misericordia, ut surgas. Homil. 34 super *Evang.*

69. Quibus peccata dominantur, per se ab eorum jugo sine gratia liberari nequeunt. Lib. 4 in I *Regum*, cap. 22, super illud : *Et clamabitis in die illa.*

70. Cum cor a semetipso valde corruat, studere incessanter debet, ut per eruditionis studium resurgat. Parte 2 *Pastoral.*, cap. II.

71. Illum quem conspicis delicta fletu dolere in conspectu divinitatis non dubites misericordiam consequi ; quia nullum peccantem reversum ad se despicit, qui peccatores sanguine suo redimere

venit. Lib. 7 in *Registro*, in dict. 2, cap. 53, *ad Secundinum.*

72. Quoniam multos a suis iniquitatibus sanatos aspicimus, quid aliud quam supernæ misericordiæ pignus tenemus? Habetur apud divum *Bonaventuram*, serm. 5, *in die Cinerum.*

S. GREGOR. NYSS. 73. Ei qui vere surgit, nunquam deerit semper surgere. Homil. 5 super *Cant.*

HAYMO. 74. Sicut unius peccatoris casus multos ad desperationem trahere solet, qui ejus malum exemplum imitantur; sic unius recuperatio multis prodest ad salutem. Serm. 2, *Domin. 4 post Pentec.*

75. Humana natura sicut facile cadit, sic facile surgere potest. *Ibid.*

S. HIERON. 76. Justi vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. Epist. 46, *ad Rustic.*

77. Septies cadit justus, et resurgit: si cadit, quomodo justus? si justus, quomodo cadit? sed justi vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. *Ibid.*

78. In primis omnis cura vitæ hujus intermittenda est tibi, et quasi mortuum te existima, sicut es, quomodo possis reviviscere, cogita. Epist. 22, *ad Suzanam lapsam.*

79. Ubi Christus non illuminat resurgentem, quæ videtur esse requies, tribulatio est. Lib. 1 super *Michæam*, cap. II, super illud Ephes. V: *Exurge, qui dormis.*

HUGO A S. VICTORE. 80. Tanto levius resuscitatur quisque per gratiam, quanto minus mortificatus est per culpam *De Alleg. super Luc.*, lib. 4, cap. 10.

81. Qui cupiditate peccant, sumant David exemplum, ut resurgant: qui timore peccant, sumant Petri exemplum, ut resurgant: uterque cecidit, et uterque resurrexit. Lib. 1 *Miscellan.*, codic. 1, tit. 133.

82. Quid prodest si a lapsu erigeris, nisi etiam ad standum confirmeris. Lib. 2 *de Sacram.*, part. 7, cap. 3.

83. Qui per se cadere potuerunt per se surgere non possunt: quia homo per se quidem ad malum ire potest; per se autem redire non potest, nisi per gratiam adjuvetur. *Ibid.*, part. 14, cap. 4.

84. Certum est, quia qui cadit, resurgere potest: et non solum resurgere, sed etiam melior resurgere, quam fuit cum cecidit. *Prosec.*

85. Multi ceciderunt, et meliores surrexerunt, quam fuerunt antequam ceciderunt, meliores etiam quam futuri fuissent, si non cecidissent.

86. Quia ad hoc ipsum cadere permissi sunt, ut ex ipso casu suo et ruina erudirentur, et meliores efficerentur.

87. Nemo tamen post casum surrexit, vel surgere potuit, quam fuisset, si non cecidisset: et hæc quæ modo resurgendo bona operatus est, omnia stando operatus fuisset.

88. In hoc secundum aliquid dici potest, quod omnis qui cadit, id quod cadendo perdit, amplius totum recuperare non potest.

89. Quia quidquid postea ad correctionem, vel ad recuperationem adjecerit, facere omnino non potest, quin melior fuisset, si hæc omnia haberet, et tamen non cecidisset.

90. Si magnum est aliquando surgere, majus utique est, nunquam cecidisse: si bonum est sanatum esse, melius est, nunquam corruptum fuisse. *Ibid.*

91. Surgendum est a somno peccati: semper est hora surgendi, quia brevis est hora vivendi, Super *Ecclesiasticum*, cap. XXXII. HUGO CARD.

92. Dignus est divinis colloquiis, et secretis Dei consolationibus, qui surrexit a peccato, et elevavit se a mundanis delectationibus. Super *Ezech.*, cap. II.

93. Ne insulteris mihi, quia cecidi peccando, resurgam pœnitendo. Super *Michæam*, cap. VII.

94. Sic peccator resurgere debet a mortuis, ut novus sit in anima, et exteriori conversatione. Super *Matth.*, cap. VII.

95. Dignior est, qui post peccatum a peccato resurgit, quam qui nunquam peccavit. Super I *Cor.* XV.

96. Si cadit justus, fortior resurgit: resurgit enim humilior, resurgit cautior, resurgit misericordior. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 16. S. INNOC. II

97. Deus non te despicit revertentem, qui aliquando horruit desertorem: tuos non aspernabitur reditus, qui ut redeas suos demonstrat affectus. *Prosec.* S. JOANNE CHRYSOST

98. Cupit Deus ignoscere, desiderat misereri desertoris: prævenit preces, dum ipse hortatur, ut homo qui deseruerit, revertatur.

99. Desertores Deus desertus invitat, contemnentes revocat: offensus se reis ingerit, ut ignoscat, utque desertor redeat. Serm. *de Hieremia.*

100. Non sufficit a malignitate fugisse, nisi ad virtutis studia transeatis. Homil. super *Matth. Oper. perfec.*

101. Liberari a putredine peccatorum, Christi est virtutis; ut autem non ad illam iterum revertantur, apostolorum curæ ac laboris. *Ibid.*, homil. 15.

102. Improbum est, non diligere bonum ab initio: sed, multo major culpa est, nolle per pœnitentiam regredi. *Ibid.*, homil. 68.

103. Liberari a peccato majoris beneficii est, quam a dæmone: peccatum enim gravius est dæmone. Homil. 41 super *Acta Apost.*

104. Quandocunque quis ex mœcho sit castus,

ex avaro misericors, ex aspero mansuetus, hic facta est resurrectio, illius videlicet futuræ prævia. Serm. 10 super *Epist. ad Rom.*

105. Vulgus hominum de his, qui post desperationem convaluerunt, aut a morbo periculoso peccati restituti sunt; ita solet loqui : Videmus resurrectionem mortuorum in hoc homine. Homil. 2 super II *Cor.*

106. Licet octo et triginta geras annos, sicut paralyticus ille; si modo sanus fieri studeas, qui prohibeat est nemo, tantum resurgere velis. Homil. 80 *ad pop. Antioch.*

107. Non est tam grave pugnantem vulnerari, sed post vulnus desperare, vulnusque negligere. *Prosec.*

108. Nullus mercator postquam naufragium fecit, licet mercimonium amiserit, destitit navigare, sed denuo mare pertransit, et pristinas recuperat divitias.

109. Frequenter athletas cernimus post multos lapsus, coronatos : jam vero miles quoque qui fugit, postea se strenuum exhibet et hostes superat. *Ibid.*

110. Qui per resipiscentiam exsurgunt, magna claritate resplendent, et non raro majore quam alii, qui nunquam ceciderunt. Epist. 5, *ad Theodor. lapsum.*

111. A terra, ubi jaces, resurgas, et formidabilis eris adversario. *Ibid.*

112. Persiste, magnanimus esto; et unde extuleras pedem, revoca : neve ignominiæ vel opprobrii genus credas exiguam hanc parvi temporis plagam. Epist. 6, *ad Eumdem.*

JOAN. CL. 113. Qui ceciderunt bono sint animo, et resurgere studeant. *Grad.* 25.

AN. GERS. 114. Peccavit Petrus, humilior, cautior et misericordior effectus est, postquam resurrexit. Lib. 1 *de Consol. theolog.*, prosa 4.

115. Resurgat in prima, qui non vult in secunda resurrectione damnari. Serm. *in Pasch.*

JOAN. TRITH. 116. Multo sine dubio gloriosius est hominem in consuetudine peccati sepultum resuscitare ad justitiam, quam justum præservare ne declinet ad iniquitatem. In cap. 7 *Regul. S. Bened.*, grad. 12.

117. Cum perseverare in eodem statu homo diu non valeat, etiam quotidie, si lapsus fuerit, resurgat. *De Vanit. et miser. humanæ vitæ*, cap. 4.

118. Vult surgere piger, et non vult, et sæpe dum velle suum differre non metuit, et tempus, et posse pariter amittit. *Ibid.*

119. Casus a bono facilis est, sed cum difficultate magna de malo resurgitur. Orat. 2 *in Conventu Abbat. habita.*

ISIDORUS HISPALENS. 120. Coram Deo et angelis copiosius est gaudium de eo, qui a peccati periculo liberatur, quam de eo, qui nunquam novit peccati periculum. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 14, sent. 5.

121. Petrus fide lapsus : rursus pœnitendo resurgit. In *Exhort. ad pœnit.*

122. Pulchrum illud est, cum in peccatum lapsus sis, pœnitudine duci, ac quamprimum a lapsis exsurgere. Lib. 1, epist. 38, *ad Martinian.* S. ISIDORUS PELUSIOT.

123. Si ut homo per lapsum mutatus es, fac quamprimum resipiscas. *Ibid.*, epist. 461, *ad Theanum.*

124. Etiamsi quis deliquerit, in desperationem non decidat, sed a peccandi consuetudine spei indulgentia resipiscat. Super *Cantica*, cap. VI, explicat. 147. S. JUSTIN. ORGELITAN.

125. Quicunque aberraverit, referat pedem, seque quamprimum recipiat ac reformet. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 24. LACT. FIRM.

126. Ex peccatorum voragine liberet se quisque dum licet, dum facultas adest. *Ibid.*, lib. 7, cap. 27.

127. Solius divinæ virtutis est opus, animam lethali peccato detentam, revocare ad vitam. Lib. 1 *de Spirit. interitu*, cap. 3. S. LAURENT. JUSTIN.

128. Quamdiu corporaliter vivis, etsi omnium criminum te feceris reum, resurgendi tamen in spiritu tibi a Deo est indicta fiducia. *Ibid.*, lib. 2, cap. 28.

129. Moriendum est diabolo, et vivendum Deo; deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur. Serm. 1 *de Resurr. Dom.* S. LEO I.

130. Qui serit, non ad id respiciat quod reliquit : nemo in id recidat, unde surrexit. *Ibid.*

131. O quam libenter Deus te recipit, dum post lapsum erectus, humiliter amanterque ad eum redis. In *Speculo spirit.*, cap. 6. LUDOVICUS BLOSIUS.

132. Si contigerit tuum ædificium collabi, instaura statim opus disjectum : et felicius reædifica, quam prius ædificaveras. *Prosec.*

133. Etiamsi bis, etiamsi decies, etiamsi centies, etiamsi millies, et sæpius corruerit, toties reparat, quoties corruit. In *Speculo Monachor.*

134. Paucorum est labor, qui vere post casum resurgunt. Epist. 3, *ad Sympronian.* S. PACIANUS EPISC. BARCINON.

135. Dum omni peccato per pœnitentiam medeamur ; solus lapsus virginum, restitutionis remedium non meretur. Epist. 35, *ad Anselmam sanctimonial.* PETRUS BLESENS.

136. Alter alteri resurgendi occasionem præbet, cum resurgit. Opusc. 7, cap. 16, S. PETRUS DAMIAN.

137. Exurge, exurge, quæso, expergiscere, o homo, qui miseræ voluptatis sopore depriemeris : reviviscere tandem, qui lethali coram inimicis tuis gladio corruisti. *Ibid.*, cap. 23.

138. Insignis præconii est, cum qui corruerat in

ruinam, inopinatam reportare victoriam. Opusc. 48, cap. 4.

S. PROSPER. 139. A quibuslibet lapsibus delictorum facile surgitur, quando opem a reparatore suo poscit elisus. Epist. *ad Demetriad.*

RICHARDUS A S. VICT. 140. Sæpe mens humana, cum post multiplicem ruinam divina inspiratione compuncta ad justitiam redit ; ex ipso suo casu erudita et humiliata, quanto eruditior, quantoque humilior, tanto et fortior resurgit. Part. 1, lib. 1, *de Erudit. hom. int.*, cap. 1.

141. Oportet nos sæpe resurgere, et per frequentem lapsum addiscere, qua vigilantia, qua cautela acquirere vel custodire oporteat virtutum bona. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 67.

142. Pascha interpretatur transitus : transeundum est primo de injustitia ad justitiam, secundo de miseria ad gloriam. *Prosec.*

143. Bonus transitus, transire de iniquitate ad æquitatem : bonus transitus, transire de miseria ad beatitudinem. Part. 1, *de Fermento veteri.*

RUPERT. ABB. 144. Nemo a morte peccati resurgit, nisi volens. Lib. 3 *de Spiritu sancto*, cap. 26.

SALVIANUS. 145. Licet quique lapsi sint, non commorentur in lapsu, nec in volutabris suis sordentium suum more versentur, sed illico surgant. *Prosec.*

146. Ac, si fieri potest, tam velox sit remedium resurgentis, ut vix possit vestigium apparere collapsi. Lib. 1 *ad Eccles. cathol.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 147. Cum nihil omnino peccare, maximum omnium bonorum est, tum ad justitiam revocari, secundum in bonis locum obtinet. Epist. 44, *ad Joan.*

S. THOMAS AQUINAS. 148. Studeamus resurgere spiritualiter a morte animæ, quam incurrimus per peccatum, ad vitam justitiæ, quæ habetur per pœnitentiam. Opusc. 6, super *Symbol. Apost.*, art. 6.

THOMAS A KEMPIS. 149. Si peccaveris, non desperes, sed cito resurgas. In *Soliloq. animæ*, cap. 18, sect. 5.

150. Multi post gravem lapsum, cito pœnitendo fortiores surrexerunt, et in sancta conversatione vitam laudabiliter consummarunt. Serm. 5 *ad Novit.*, divis. 7.

IN VIT. PATR. 151. Si labi contigerit, statim enitendum est, ut resiliamus : et quoties cadere contigerit, toties etiam statim usque ad extremum vitæ diem curandum est, ut resurgamus, atque in procinctu stemus. Lib. 1, *in Vita SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 11.

152. Anima ejus, qui in dulcedine delectatur voluptatum, semel delapsa in luxuriæ cœnum, difficile potest resurgere. Lib. 6, libell. 1, *de Contemplat.*, num. 8.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 153. Quomodo ratio occupata et oppressa vitiis resurget, quæ iræ cessit ? Lib. 1 *de Ira*, cap. 8.

154. Non resurgere adolescentibus licet, cum honestus turpi desidiæ titulus accessit, cum peccandi verecundiam perdiderunt. *De Beata vita*, cap. 12.

155. Quid jaces ? ad imum delatus es ? nunc est resurgendi locus. Lib. 3 *Quæst.* in Præfat.

156. Mihi acceptum fero, quod surrexi, quod convalui. Epist. 78.

157. Sæpe majori fortunæ, locum fecit injuria : multi ceciderunt, ut altius surgerent, et in majus. Epist. 81.

158. Ingentis animi est aliena causa, seu exemplo, ad vitam reverti. Epist. 104.

Vide etiam tit. *Cadere*, sent. 34, 42, 62, 79, 145, 147, 151, 152, 153, 154, 156, 157, 158, 159, 175, 176, 177, 178, 183, 203, 204 ; *Certamen*, sent. 35, 36 ; *Consuetudo*, sent. 85, 87, 127 ; *Derisio*, sent. 13 ; *Domare*, sent. 42 ; *Homo*, sent. 70 ; *Juventus*, sent. 2 ; *Multitudo*, sent. 6 ; *Patientia Dei*, sent. 85 ; *Resurrectio Christi*, sent. 68 ; *Resurrectio humana*, sent. 22, 23.

## RETROGREDI.

*Definitio.* Retrogredi nihil aliud est, quam in eo pœnitere quod cœperis, et mundanis rursus desideriis obligari. *De Vita S. Antonii.* S. ATHAN. MAGNUS.

Retrogredi est, unde veneris iterata via reverti, Super *Psalm.* VII, vers. 8. CASSIODOR.

SENTENLIÆ PATRUM.

1. Nullus discedat, nullus exeat, nullus reflectat vestigium, non solum corporis, sed etiam mentis. *Prosec.* S. AMBROS.

2. Nullus revertatur retro ; retro enim luxuria, retro impuritas est.

3. qui autem respicit retro, non potest ad superiora pervenire : non ergo pedes tui retro, sed mali mores revertantur. Lib. 3, epist. 11, *ad Irenæum.*

4. Retro redeunt, qui Christum amittunt : retro revertuntur, qui in terrenam labem ab illa cœlesti gratia recidunt. *De Joseph*, cap. 11.

5. Qui declinat a bono proposito, et post votum tendit ad vomitum, hic ore blasphemiæ, et linguæ malleo contundit Christum. Serm. *in die Parasceves.* S. ANTONIUS DE PADUA.

6. Nemo positus in monasterio frater, recedat de monasterio : mementote uxoris Loth, liberata est a Sodomis, et in via posita retrorsum respexit ; ubi respexit, ibi remansit. Super *Psalm.* LXXV, versu penultimo : *Vovete et reddite.* S. AUGUST.

7. Aspice eum, qui te ducit, et non respicies retro unde te eduxit : qui te ducit, ante te ambulat ; unde te eduxit, post te est. *Ibid.*

8. Servus es Domini, libertus es Domini : non te sic quæras manu mitti, ut recedas de domo manumissoris tui. Super *Psalm.* XIX, vers. 1.

9. Unusquisque de loco itineris sui, ad quem proficiendo pervenit, et quem vovit Deo, inde respicit retro, cum ipsum dimiserit. Super *Psalm.* LXXXIII.

10. Nemo retro respiciat, nemo pristinis suis delectetur : nemo avertatur ab eo quod ante est, ad id quod retro est currat, donec perveniat, *Ibid.*

11. Quid tibi cum pompis diaboli, amator Christi ? noli te fallere : odit enim tales Deus, nec inter suos deputat professores, quos cernit viæ suæ desertores. Lib. 4 *de Symbolo ad Catechum.*, cap. 1.

12. Nihil tam inimicum spei, quam retro respicere. *De Verbis Domini*, serm. 29.

13. Noli retro redire : retro redit, qui ad ea revolvitur unde jam abscesserat. *De Verb. Apost.*, serm. 15.

14. Qui clamando tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas. Homil. 50 *ex* LIII *Homil.*

15. Recedere a Deo, fornicari est. Homil. 34 *ex* LIII *Homil.*, cap. 2.

V. BEDA. 16. Stantibus et lapsis par sollicitudo tenenda est : his ne retrocedant, illis ut concite surgant. In suis *Prov.*, verbo *Stantibus*.

17. Fraudem Deo facere videtur, qui proposito spiritalis vitæ relicto ad sæculum revertitur. *Ibid.*, verbo *Fraudem*.

BERNARD. 18. In via vitæ non progredi, regredi est. Serm. 2 *de Purific. B. Mariæ*.

. BONAV. 19. Homo debet procedere ad anteriora, non retrocedere ad posteriora. Collat. 38, in cap. VII *Joan.*

20. Væ tibi quicunque es, qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum : putas quod placatos habebis in judicio angelos, quos modo tanto et sperato privare vis gaudio ? Serm. 1 *Dom.* 10 *post Pent.*

CYRILLUS IEROSOL. 21. Cave tibi, ut ne retro convertaris ; et postquam manum miseris ad aratrum, ne deinceps ad miseram vitæ hujus occupationem et studium revertaris. *Cateches. mystag.* 1.

EUSEBIUS ISSENUS. 22. Si periculosum est quotidie non addidisse, quanto periculosius est, etiam ab initiis recessisse ? Homil. 8 *ad Monachos*.

FRANCIS. SSISIAS. 23. Multi sut religiosi, qui sub specie videndi meliora, quam quæ sui prælati præcipiunt, aspiciunt retro, et ad vomitum propriæ voluntatis redeunt. In suis *Opusc.*, in *Admonit. ad Fratres*, cap. 3.

O.. INT. 24. Quicunque retrorsum convertitur, a fide et veritate necesse est ut cadat et moriatur. Super I *Reg.*, cap. IV.

S. GREGOR. MAGNUS. 25. Qui fortiori studio intenderit, retrospicere convincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 28.

26. Retro post aratrum respicit, qui post exordia boni operis ad mala revertitur, quæ reliquit. Homil. 3 super *Ezech.*, super illud *Luc.* IX : *Nemo mittens manum ad aratrum.*

S. HIERON. 27. Obsecro te et moneo, ut qui Sodomam reliquisti ad montana festinans, post tergum ne respicias, ne aratri stivam, ne fimbriam Salvatoris, ne cincinnos ejus noctis rore madefactos, quos semel cepisti, aliquando dimittas. Epist. 28, *ad Lucinum.*

28. Quicunque a Deo recedit, statim sæculi fluctibus quatitur, et moventur pedes ejus. Epist. 24, *ad Damasum papam.*

JOAN. CASS. 29. Recedere a Deo, perniciosum et præsens exitium est. Collat. 23, *Abbat. Theonæ*, cap. 9.

S. JOAN. CLIM. 30. Fuge Ægyptum, atque ita fuge, ut nunquam illuc revertaris. Corda enim quæ illuc reversa sunt, pacatissimam quietissimamque terram Hierusalem non aspexerunt : anima quippe quæ illuc, unde exierat, conversa fuerit, ut sal infatuabitur, jamque immobilis manebit. *Gradu* 3.

JOAN. TRITH. 31. Qui recedit a via, id est, a Christo, verus christianus non est : qui autem verus christianus non est, vivus mortuus est, et a vita vera recessit. Epist. 1, *ad novum Presb.*

LACT. FIRM. 32. Hæc est virtus, hæc vera est constantia, in hoc tuenda et conservanda solo, ut nullus nos terror, nulla vis a Deo possit avertere. *Prosec.*

33. Cum inciderit necessitas, ut discedere a Deo cogamur, nullus nos metus, nullus terror inflectat, quominus traditam nobis fidem custodiamus. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 17, et in *Epitome*, cap. *Fides.*

S. LEO I. 34. Qui serit, non ad id respiciat, quod reliquit. Serm. 1 *Resur. Dom.*

S. NILUS AB. ET MART. 35. Perniciosum est ei, qui ad virtutem se contulit, iis rebus gaudere, quas ante damnavit et fugit : nam vestigia in animo relinquunt, quietem magno studio quæsitam interrumpunt, ad pristina revocant instituta, et mala oblivioni tradita, in memoriam reducunt. In *Libro ascetico.*

PETRUS BLESENS. 36. Erat tolerabilius non arripuisse propositum pœnitentiæ, quam post pœnitentiam retroire. Epist. 131, *ad Quemdam* [illegible]

S. PETRUS DAMIANUS. 37. Dignum est ut sicut quis ad Deum veniens, aptus sit regno Dei : sic a Deo recedens, non aptus sit postmodum regno Dei. Opusc. 16, cap. 2.

THEOPHY- 38. Si illi nec patrem sepelire licuit, væ his

LAETUS. qui monastice professi, ad mundana regrediuntur negotia. Super *Matth.*, cap. VIII, in illud : *Sine mortuos sepelire.*

S. THOMAS AQUINAS. 39. Communicare proximis et consulere nolentes æqua sapere, indicat hominem retrocedentem. 2, 2, qu. 189, art. 10.

THOMAS A KEMPIS. 40. Inceptum est, retro abire non licet, nec relinquere oportet. Lib. 3 *de Imit. Chr.*, cap. 56, sect. 4.

IN VITIS PATR. 41. Initium recedendi a Deo, fastidium doctrinæ est. Lib. 5, libell. 10, *de Discret.*, num. 67.

42. Quemadmodum magna laus, et magna gloria, et regnum est abrenuntianti sæculo, et monasticum arripienti institutum : ita magna confusio et ignominia est monacho, qui relinquit monasticum habitum, etiamsi efficiatur imperator. Lib. 10, cap. 152.

Vide etiam tit. *Mutatio*, sent. 46 ; *Religiosus*, sent. 121 ; *Sequi Christum*, sent. 74 ; *Via*, sent. 34.

## REVELATIO SECRETORUM.

*Vide* SECRETORUM REVELATIO.

## REVERENTIA.

HUGO CARD. *Definitio.* Reverentia est honor exhibitus majori : vel, est resilitio a Dei majestate, ad propriam humilitatem. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. V.

JOA. GERS. Reverentia est justitia inclinans debitum reddere alteri majori se, ratione boni moris in eo reperti. In *Descript. terminor.*, cap. *Justitia.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hominem vereris præsentem, Dei Patris et Filii non vereris præsentiam? Super *Psalm.* CXVIII, serm. 1, vers. 2.

S. ANTONIN. 2. Heu quam dolendum ! certe Gentiles suis sacris falsisque exhibebant multo majorem reverentiam, quam fideles exhibent veris sacramentis. Part. 2, tit. 1, cap. 21, § 5.

S. BASILIUS MAGNUS. 3. Venerabilius quodammodo est in natura humana, quod antiquius est. Serm. 4, *Exercitamentor.*

S. BENED. 4. Transeunte majore, minor surgat, et det ei locum sedendi. In *Regula*, cap. 63.

S. BERNARD. 5. Redde reverentiam prælato et obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis est. Serm. 3 *Advent.*

BOETIUS. 6. Non possumus ob honores reverentia dignos judicare, quos ipsis honoribus judicamus indignos. Lib. 3 *de Consolat. philos.*, prosa 4.

S. BONAV. 7. Reverentia debetur regibus, propter potentiam ; doctoribus, propter sapientiam ; senioribus, propter maturitatis gratiam. Super *Lament. Hierem.*, cap. 2, in illud : *Consperserunt cinere.*

S. CYPRIAN. 8. Sæpe contemptus venerationem venatur. *De Jejunio et tent.*, cap. 1

DIONYSIUS CARTHUS. 9. Honorare debemus parentes, reverentiam impendendo, et necessaria si indigeant ministrando. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 6, art. 6, in illud : *Obedite parentibus.*

S. DOROTH. 10. Servemus mutuam reverentiam, et invicem nobis deferamus : absque enim mutua reverentia nemo colit Deum. *Doctr.* 4.

GLOSS. ORD. 11. Qui ubique reverentia coleris, cave ne de ejusdem reverentiæ fascibus extollaris. Super *Job*, cap. 36.

S. GREGOR. MAGNUS. 12. Si magistrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos subditi, etiam cum displicent, venerentur. Lib. 25 *Moral.*, cap. 14, num. 22.

13. Immensa superbia est, a seniore sibi reverentiam exigere : et silentium imperare meliori se. *Ibid.*, lib. 24, cap. 8, num. 20, super illud *Job* XXXIII : *Attende, Job, et audi me.*

14. Subtilis via tenenda est rectitudinis et humilitatis, ut sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens a servanda magisterii reverentia non recedat. *Ibid.*, lib. 25, cap. 15.

15. Hoc est solerter intuendum, ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas : aut quem imitari despicis, venerari contemnas. *Ibid.*

16. Cum sacerdotii dignitas est in despectu, et sanctus honor in crimine, perit reverentia. *Prosec.*

17. Quis veneretur, quod venditur : aut quis non vile putet esse quod emitur? Lib. 7 in *Registro*, ind. 2, cap. 113, epist. 113, *ad Brunichildam regin. Francor.*

18. Magna munera sunt reverentia honoris, et humilitas subjectionis quia dum rectoribus quisque intus per humilitatem subditur, et per exteriora obsequia, foris honoris reverentiam exhibet, munus eis unum præbet a corpore, et aliud a corde. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. V.

S. HIERON. 19. A subditis tuis benignitate potius, quam severitate exige reverentiam : fidelius et gravius semper obsequium est, quod ab amore, quam quod a metu proficiscitur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

20. Illius vita laudanda est, qui venerationi habet sacerdotes Christi, et non detrahit gradui, per quem factus est christianus. In *Regula monachor.*, cap. 19, *de Laude et detract.*

HUGO A S. VICTORE. 21. Reverentia sine amore, magis servilis est : et amor sine reverentia, puerilis judicari debet. *De Inst. novit.*, cap. 5.

HUGO CARD. 22. Quanto homines seniores fiunt, tanto magis honorandi et adjuvandi sunt. Super *Ecclesiastic.*, cap. VIII.

S. IGNATIUS MART. 23. Oportet nos revereri præstantiores. Epist. 6, *ad Magnesianos.*

. JOANNES CHRYSOST. 24. Gratæ animæ quanto majori fruuntur fiducia, tanto majorem Deo reverentiam exhibent. Homil. 36 super *Gen.*

25. Reverere sacerdotem atque considera, accede ad eum summa cum reverentia; reverere illum, quamvis malus sit, ipse tibi diebus singulis divina ministrat. Homil. 2 super II *Tim.*

. JOANNES DAMASC. 26. Quidquid antiquitate antecellit, venerandum est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 68.

. ISIDORUS HISPALENS. 27. Plus venerantur homines in hoc sæculo pro temporali potentia, quam pro reverentia sanctitatis. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 59, sent. 11.

28. Venerare omnes scientiæ melioris ac vitæ, venerare unumquemque pro suo merito, potiori gradui sanctitatis competentem reverentiam tribue. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 15.

PETR. BLES. 29. Veteris amicitiæ vestigiis aliqua reverentia semper impendenda est, nisi eam enormitas reatus eliminet. *De Amicitia*, cap. 25.

. THEODOR. 30. Pium est eos observare, atque omni veneratione et honore dignos putare, qui res divinas faciunt. Super *Psalm.* XIV, vers. 5.

S. THOMAS AQUINAS. 31. Cuilibet dignitati debetur reverentia. Opusc. 9, *de Primo præcepto*, verbo *Non habebis.*

S. VALER. EPISC. 32. Sicut magnum est semper servisse melioribus ita utile est et gloriosum humiliori personæ reverentiam præstitisse. Homil. 19.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 33. Reverentia frænat animos, aut vitia compescit. Epist. 94.

SIXTUS PHILOSOPH. 34. Cole sapientem virum, tanquam imaginem Dei viventis. *Sent.* 180.

35. Honorans sapientem, teipsum honorabis. *Sent.* 210.

36. Reverentiam habens uxori, habebis eam reverentem. *Sent.* 229.

37. Sapientem hominem, tanquam Dei ministrum honora post Deum. *Sent.* 308.

38. Revereatur vitam tuam mundus, nihil admittas, quod tibi invehat notam. *Sent.* 33.

Vide etiam tit. *Dominium*, sent. 34, 36; *Egredi*, sent. 31; *Episcopus*, sent. 40, 129, 130; *Honor*, sent. 130; *Parentes*, sent. 140; *Prædicatio*, sent. 106, 109; *Sacerdos*, sent. 193.

## REUS.

S. ANTONIN. *Etymologia.* Reus dicitur a re de qua impetitur, etiamsi innocens sit, reus dicitur qui accusatur. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 3, § 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quem alter judicat reum, potest utcumque esse excusabilis : reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ judicio condemnatur. Serm. 50

S. AUGUST. 2. Reus fit omnium, faciendo quis contra legem, in qua pendent omnia. *Prosec.*

3. Hoc ipso quod quis admittit peccare, fit quidem omnium reus, sed gravius peccans, magis reus : levius autem, vel in paucioribus peccans, minus reus. Epist. 29, *ad D. Hieronymum.*

4. In ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Epist. 144, *ad Anastas.*

5. Fas non est, ut reus occidatur, qui veniæ, si pœnituerit, reservatur. Epist. 184, *ad Bonifac.*

6. Non omnis, qui causa alienæ mortis est, reus est. Epist. 54, *ad Macedonium.*

7. Omnia peccata videntur veniabiliora, cum is qui reus est, correctionem promittit. *Ibid.*

8. Ipse sui accusator est, qui reum dicit, quem leges defendunt. In *Quæst. Veteris et Novi Testam.*, quæst. 127.

9. Nollens se esse reum, addit potius ad reatum, et ignorat non se pœnam removere, sed veniam. *De Continentia*, cap. 5.

10. Ex eo quod non accepit, nullus reus est : ex eo vero quod non facit quod debet, juste reus est. Lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 16.

11. Reus es, Deus judex est; corrige reatum tuum, et gaudebis ad judicem : hodie enim hortatur te, ne judicet te; et qui judex tuus futurus est, ipse est hodie advocatus tuus. Super *Psalm.* LI, vers. 6.

12. Timor reum conturbat, conscientia confundit, cogitationes increpant, et fugere non potest. *De Contrit. cordis*, cap. 6.

13. Sedebit Judex, qui stetit sub judice; damnabit veros reos, qui factus est falsus reus. *De Verbis Domini*, serm. 64.

14. Ream linguam non facit, nisi mens rea. *De Verbis Apostoli*, serm. 28.

15. Reorum mos est, ut reatus sui sententiam exspectare soleant; nec reus potest ante damnari, quam ejus culpa cœperit manifestari. Serm. 2, *fer. 4, post Dom. 3 Quadrag.*

16. Si mutatus est reus, mutavit Judex sententiam : sententia mutata est, non justitia; justitia integra manet, quia mutato debet parcere, qui justus est. Serm 1 *fer. 3, post Dom. Pass.*

17. Bis reos facit, quos quis reos facit testimonii et adulterii. Serm. 2 *fer. 2, post Dom. Palmarum.*

S. BERNARD. SENENS. 18. Nullus tenetur in judicio confiteri se reum, nondum convictus. Serm, 16. *Dom. 19, post Pentec.*, art. 3, cap. 2.

S. BERNARD. 19. Si reum regiæ majestatis, quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite sancitum est, quis finis contemnentium divinam omnipotentiam erit? Serm. 16 super *Cant.*

20. Non qui accusatur, sed qui convincitur, reus est. *De Inter. domo*, cap. 45.

CASSIODOR. 21. Ipse sibi extitit reus, qui se toties contempsit admonitus. Super *Psalm.* XXI, vers. 12.

S. CYPRIAN. 22. Consortes et participes alienorum delictorum fiunt, qui fuerint delinquentibus copulati. Epist. 68, *ad Clerum et plebem in Hispania.*

GLOSS. ORD. 23. Qualecunque beneficium est, non reum esse qui gloriosus non est? Super *Gen.*, cap. XIX.

GLOSS. INT. 24. Reus eo ipso quod agit, feritur : quia semper timidus et suspectus est, ne ab aliis patiatur, quod aliis fecit; sed innocens securus est. Super *Job*, cap. XV.

GLOSS. ORD. 25. Sunt quidam, qui se reos non putant, si non operentur quæ mala sunt, assentiunt tamen facientibus. Super *Epist. ad Rom.*, cap. I.

S. GREGOR. MAGNUS. 26. Etsi foris reum sententia non clamat, intus tamen graviter conscientia accusat. Lib. 32 *Moralium*, cap. 7, num. 6.

27. Non solum ille culpabilis, qui peccat ; sed etiam qui non restiterit, culpabilis invenitur. Lib. 7 in *Registro*, ind. 2, cap. 117, epist. 117, *ad Syagrium episc. Augustodun.*

S. HIERON. 28. Latentem reum secreta mentis pœna persequitur. Epist. 1 *ad Demetriad.*

HUGO CARD. 29. Reum esse peccati, graviùs damnum est, quam corporaliter occidi. Super *Gen.*, cap. XLII.

30. Qui reus est divini odii, reus est æterni supplicii. Super *Matth.*, cap. 12.

JOAN. VIII. 31. Facientis culpam proculdubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Hab. in *Decret. Gratiani*, dist. 86, can. *Facientis.*

S. JOANNES CHRYSOST. 32. Quando rei condemnandi sunt, non tam crudeliter, neque ferina in illos sævitia utatur : sed longanimiter et misericorditer agatur, suppliciumque misericordia temperetur. Homil. 17, super *Gen.*

33. Inexcusatus est reus, cui per contemptum legis, judex fuerit inimicus. Serm. super illud *Isaiæ* : *Si volueritis.*

34. Non debet aliquis alterum condemnare, cum ipse sit reus. Homil. 24, super *Matth. Oper. perf.*

35. Si vis eum, qui injuste egit, reum facere, ne accuses illum, sed reum te constitue. Homil. 7, super *Acta Apost.*

36. Erubescit aliquando reus videri, qui semper fuerat judex. Homil. 43, super *Matth. Oper. imperf.*

37. Conscientia rei semper in pœna est, reus animus nunquam securus est. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 11.

38. Non qui accusatur, sed qui vincitur, reus est. *Ibid.*, cap. 16.

SALVIANUS. 39. Necesse est, ut quisque sit pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

S. THEODOR. 40. Nihil ita ignominia afficit, ut illius, qui sibi sceleris est conscius, accusatio. Sect. 12, super *Ezech.*

THOMAS A KEMPIS. 41. Sæpe in oculis Dei reperitur culpabile, quod hominum judicio creditur laudabile. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 46, sect. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLINIUS II. 42. Quantum admisit reus, tantum est vindicandum. Lib. 2, epist. 11, *ad Arrianum.*

Vide etiam tit. *Intercessio*, sent. 14, 15 ; *Judicium in genere*, sent. 15 ; *Maria*, sent. 25 ; *Occisio*, sent. 1 ; *Odium in genere*, sent. 11 ; *Supplicium*, sent. 33.

## REX.

S. AUGUST. *Etymologia.* Non reges a regnando atque dominando appellati sunt, cum reges a regendo dicti melius videantur. Lib. 5, *de Civit. Dei*, cap. 12.

HUGO A S. VICTORE. Rex græce *βασιλεύς* dicitur, quasi *βάσις λαοῦ*, id est, sustentamentum populi. Lib. 2, *de Sacram.*, part. 2, cap. 3.

HUGO CARD. Rex latine, *βασιλεύς* græce dicitur, quasi populi basis : quia debet populum portare, et auro sapientiæ fulgere. Super *Cant.*, cap. 5.

S. ISIDORUS HISPALENS. Reges a recte agendo vocati sunt : et ideo sicut recte faciendo regium nomen obtinetur, ita peccando amittitur. *Prosec.*

Nam et viri sancti proinde reges vocantur in sanctis colloquiis, eo quod recte agant, sensusque proprios bene regant, et motus resistentes sibi rationali discretione componant.

Recte igitur illi reges vocantur, qui tam semetipsos, quam subjectos bene regendo modificare noverunt. Lib. 3 *de Summo bono*, cap. 48, sent. 7.

PLATO. *Definitio.* Rex est princeps secundum leges electus, et civilis constitutionis dominus. Sizygia 6, *de Definit.*

SENECA. *Differentia.* Quid interest inter tyrannum et regem ? nisi quod tyranni ex voluptate sæviunt, reges non nisi ex causa ac necessitate. *Prosec.*

Non reges occidere solent, sed quoties id fieri publica utilitas persuadet ; tyrannis sævitia cordi est.

Tyrannus a rege distat factis, non nomine. Lib. 1, *de Clementia ad Neronem*, cap. 11 et 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non legibus Rex solutus est, sed si peccat, leges suo solvit exemplo. Lib. 2, *de Apolog. Davidi*, cap. 3.

2. Regum lapsus, pœna populorum est : sicut enim eorum virtute servamur, ita etiam eorum errore periclitamur. *Ibid.*, cap. 22.

S. ANTONIN. 3. In epistola quam dicitur Aristoteles Alexan-

dro scripsisse : decet regem legiferos honorare, religiosos venerari, sapientes sublimare, et cum eis conferre. *Prosec.*

4. Oportet regem futura cogitare, et futuris casibus prudenter occurrere. Part. 4, tit. *de Prudentia*, cap. 6, § 1.

S. AUGUST.

5. Quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat, plus eum diligendo quam seipsum. *De Vera Relig.*, cap. 48.

6. Terribiles sunt reges terræ; sed ille super omnes, qui terret reges terræ. Esto rex terræ, et erit tibi terribilis Deus : rege terram, et eris rex terræ. *Prosec.*

7. Noli aviditate imperandi ponere tibi ante oculos provincias latissimas, qua tua regna diffundas; terram quam portas rege. Super *Psalm.* LXXV.

8. Rex a regendo dicitur : non autem regit, qui non corrigit. Super *Psalm.* XIV, vers. 8.

9. Rex noster Deus, rectorum Rex est : quomodo enim sacerdos est a sanctificando nos, ita et rex a regendo nos. *Ibid.*

10. Justitia regis est neminem injuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum et proximum suum judicare. *De duodecim Abusion.*, cap. 9.

11. Justitia regis est, pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, sibi ipsi spes futuræ beatitudinis. *Ibid.*

12. Sciat rex quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. *Ibid.*

13. Serviant reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo. Epist. 48.

14. Aliter servit rex quia homo est, aliter quia etiam rex est : quia homo est, ei servit vivendo fideliter : quia vero etiam rex est, servit leges justa præcipientes, et contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo. *Prosec.*

15. In hoc serviunt Domino reges, inquantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi reges. Epist. 50.

16. Reges sunt, qui carnem suam regunt. *Annot. in Job*, cap. XXXVI.

17. Mali reges non curant quam bonis, sed quam subditis regnent. Lib. 2, *de Civitate Dei*, cap. 20.

18. Nemo dubitat facile inveniri hominem, qui timeat se fieri regem. *Ibid.*, lib. 4, cap. 23.

19. Malus rex non datur, nisi Dei providentia, quando res humanas judicat talibus dominis dignas. *Ibid.*, lib. 5, cap. 19.

20. Da, Deus, virtutem regibus, qua carnem ut reges regant. *Ibid.*, lib. 17, cap. 4.

21. Quamvis qui rex est possit dici princeps a principatu imperandi : non tamem quicunque principes sunt, etiam reges dici possunt. *Ibid.*, lib. 18, cap. 45.

22. Cor regis cum est infidele, aut exercentur, aut probantur boni : cum vero est fidele, aut corriguntur, aut plectuntur mali. Lib. 1, *contra Gaudent.*, cap. 39.

V. BEDA.

23. Rex pius et justus studet hoc quod dicitur esse. In suis *Proverb.*, verbo *Rex*.

24. Regis nomen monet ut commissa regantur. *Ibid.*, verbo *Regis*.

25. Tempestas grandis est, indignatio regis. *Ibid.*, verbo *Tempestas*.

26. Ut nolunt reges, ita valent leges. *Ibid.*, verbo *Ut*.

S. BONAV.

27. Monarcha verus debet esse summa celsitudine pollens, summa fortitudine præsidens, summa dulcedine pascens. Super *Psalm.* XXI.

CASSIODOR.

28. Fines terræ sunt reges, qui quasi termini agrorum sua regna custodiunt. Super *Psalm.* XVIII, vers. 4 : *Et in fines orbis terræ.*

29. Quando rex delinquit, soli Deo reus est : quia hominem non habet, qui ejus facta dijudicat. Super *Psalm.* L, vers. 5 : *Tibi soli peccavi.*

30. Ille rex vere non dicitur, qui vitiis servire monstratur. Super *Psalm.* CXXXVII, vers. 5.

S. CLEMENS PAPA.

31. Quid in præsenti sæculo rege sublimius? Lib. 1, *Recognit.*

GLOSS. ORD.

32. Prodest pauperem non esse, qui rex esse non potest. Super *Gen.*, cap. 19.

33. Nullus potest esse bonus rex in regimine sui, et aliorum : nisi abjiciat a se superbiæ vitium. Super I *Reg.* XV.

S. GREGOR. MAGNUS.

34. Reges sunt, qui sua bene regere corpora sciunt; dum desideriorum motus in se temperant, super subjectas cogitationes lege virtutis regnant. Lib. 4, *Moral.*, cap. 27, num. 33.

35. Quanto cæteros homines regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna regni vestri culmen excellit. Lib. 5, in *Registro*, indict. 14, cap. 106, epist. 6, *ad Childebert. regem Francor.*

36. Esse regem, quia sunt et alii, non mirum est : sed esse catholicum, quod multi alii non merentur, hoc satis est. *Ibid.*

37. Summum in regibus bonum est justitiam colere, ac sua cuique jura servare, et subjectis non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodiri. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 120, epist. 120, *ad Theodoric. et Theodebert. reges Francor.*

HAYMO.

38. Sicut amittit regiam potestatem, qui tyrannidem exercens, nec se, nec sibi subjectos regere novit : sic pauper et exiguus regis nomine cense-

tur, qui seipsum regere novit. Serm *Dom.* 14, *post Pent.*

S. HIERON. 39. Ad omnia quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Deus tecum est. In *Quæst. super lib. Reg.*

HUGO CARD. 40. Alii reges dant castra, et faciunt milites morituros : noster autem Rex Deus dat regnum, et facit nos reges in æternum regnaturos. Bonum est servire tali principi, cui servire regnare est. Super *Gen.*, cap. 21.

41. Sunt multi qui se reges æstimant, cum revera non sint nisi nomine tenus, re autem piratæ et latrones. Super *Prov.*, cap. XVI.

42. Non est bonus vel verus rex, qui non per canonicam electionem, sed per propriam intrusionem præficitur. Super *Sapient.*, cap. 9.

43. Rex, qui bene se regit, rex est in duplici regno. Super I *Cor.* IV.

44. Reges quanto sunt potestate fortiores, tanto sunt malitia deteriores. Super *Apocal.*, cap. 17.

S. IGNATIUS MART. 45. Si quis contra regem insurgit, damnatione dignus est. Epist. 10, *ad Smyrnenses.*

S. JOANNES CHRYSOST. 46. Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur; sic regibus adversantibus sibi, populus regni vexatur. Super *Matth. Oper. imperf.*

47. Reges si ex aliis causis irascuntur, cito placantur : sed illa ira inextinguibilis est, quam regni zelus accendit. *Prosec.*

48. Rex quidquid adversus regnum suum putaverit, totum verum æstimat; animus ejus semper suspectus est, regni zelo repletus. *Ibid.*

49. Servi eamdem cum rege naturam communicant, et rex eodem quo ipsi luto formatus est. Homil. 9, super *Joann.*

50. Rex securam vitam non vivit, sed multis afflictionibus et curis plenam. Serm. 15, super *epist. ad Phil.*

51. Non ita corona caput regis obvincit, sicut animum sollicitudo. *Ibid.*

S. JOANNES DAMASC. 52. Quivis rex justus sacerdotalem ordinem habet. Lib. 1 *Parall.*, cap. 60.

53. Ad subjectos populos decipiendos, multum valet regis auctoritas : pauci enim, nimirum illi, qui terrarum reges cœlestis Regis imperio gubernari, et leges debere regibus imperare sciunt, iniqua eorum jussa negligunt et aspernantur. Orat. 1, *de Imaginibus.*

JOAN. GERS. 54. Veritas custodit regem. Serm. *coram Concilio Constantiensi*, verbo *Amplius.*

55. Cum rex sine subjectis, et subjecti sine rege diu durare non possint, et rationabiliter vivere, concordia est necessaria et unio pacifica. Serm. *ad Reg. Franc. nomine Universitatis Parisiensis*, veritat. 4.

JOANNES SARESB. 56. Virtus regum nullo clarius elucet indicio, quam si majestate ejus pacem populus, Ecclesia quietem, et religio gratum Domino recipiat incrementum. *Prosec.*

57. Regum enim thronus in eum vigore solido roboratur, qui tantarum virtutum nititur fundamentis. Epist. 66, ad Regem Anglorum.

58. Rex qui in hoc sæculo bene imperat, sine fine in perpetuum regnat, et de gloria hujus sæculi, ad æternam transmeat gloriam. *Prosec.* S. ISIDORUS HISPALENS.

59. Qui vero prave regnum exercent, post vestem fulgentem, lapillorumque nitorem et nudi et miseri ad infernum torquendi descendent. Lib. 3 *de Summo bono*, cap. 48, sent. 6.

60. Dum mundi reges sublimiores se cæteris sentiunt, mortales tamen se esse agnoscant : nec regni gloriam, qua in hoc sæculo sublimantur aspiciant, sed opus quod secum ad inferos deportent, attendant. *Prosec.*

61. Si ergo amissuri sunt semel hujus temporis gloriam, illa agant quæ post finem momentaneum, sine fine possideant. *Ibid.*, sent. 9.

62. Reges quando boni sunt, muneris est Dei : quando vero mali, sceleris est populi : secundum enim meritum plebium, disponitur a Deo vita rectorum. *Prosec.*

63. Nonnunquam etiam reges mutantur; et qui ante videbantur esse boni, accepto regno fiunt mali. *Ibid.*, sent. 11.

64. Bonus rex facilius ad justitiam a delicto regreditur, quam de justitia ad delictum transferatur. *Ibid.*, cap. 49, sent. 4.

65. Populi peccantes judicem metuunt, et a malo suo legibus coercentur : reges autem nisi solo Dei timore metuque gehennæ coerceantur, libere in præceps proruunt, et per abruptum licentiæ in omne facinus vitiorum labuntur. *Ibid.*, cap. 50, sent. 2.

66. Reges vitam subditorum facile exemplis suis vel ædificant, vel subvertunt : nam rex qui ruit in vitiis, cito viam ostendit erroris. *Ibid.*, cap. 50, sent. 6.

67. Nonnulli sicut prompti sunt reges sequi in malum, sic pigri sunt imitari illos in bonum. *Ibid.*, sent. 7.

68. Sæpe unde mali reges peccant, inde boni justificantur, dum præcedentium cupiditatem et malitiam corrigunt. *Prosec.*

69. Nam revera peccatis eorum communicant, si quod illi diripuerunt, isti retentant : cujus peccatum qui sequitur, necesse est ut ejus pœnam consequatur. *Ibid.*, sent. 8.

70. Sub religionis disciplina sæculi reges subjecti sunt et quamvis culmine regni sint præpediti, vinculo tamen fidei tenentur astricti. *Ibid.*, cap. 51, sent. 3.

71. Regiæ virtutes præcipuæ, sunt duæ, justitia et pietas : plus autem in rege laudatur pietas, nam justitia per se severa est. Lib. 9 *Etymol.*, verbo *Regiæ.*

CT. FIRM. 72. Aufer iram regi, non modo nemo parebit, sed etiam de fastigio præcipitabitur. *De Ira Dei*, cap. 23.

MINUT. FELIX. 73. Rex es : tam times, quam timeris : et quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. In suo *Octavio.*

74. Tunc salubriter disponitur vita regum, cum religiosorum hortamenta sectantur, et ducuntur consilio sapientum. Epist. 150, *ad Clericos aulæ regiæ.*

PETRUS CHRYSOL. 75. Regnum velle servum, crimen est : adire, periculum : temeritas non timere. *Prosec.*

76. Plebeium cultum regia non admittit potestas, augustus honor nonnisi diademate confertur et purpura.

77. Abjicere ergo debet habitum servitutis, qui se regem credit divinitus consecratum. Serm. 23.

PETRUS DAMIANUS. 78. Quicunque reges, spiritu non reguntur, sed sensibus carnis obediunt : non ad misericordiam, sed ad judicium se pertinere testantur. Lib. 4, epist. 15, *ad Quemdam episc.*

ILO JUD. 79. Stultorum nullus rex est, quamvis totius terræ ac maris imperio potiatur : verum solus vir probus ac Deo charus, rex est. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib 1 *Parall.*, cap. 61.

ROBERT. BEL. 80. Ille bonus est rex, qui bene regit populum juste judicando. Super *Psalm.* LXXI.

SIDONIUS EPISCOPUS. 81. Sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominantur. Lib. 2, epist. 13, *ad Serranum.*

82. Regis tibi majestas eatenus honorifica sit, quatenus ad virtutis exercitationem contulit eamdemque evexit. *De Regno, ad Arcadium imperator.*

83. Regium sane quidem ornamentum, virtutum omnium concursus est : prudentia tamen præ cæteris maxime regi convenit. *Ibid.*

84. Summi regis amicus est rex, qui hic eadem cum illo appellatione gaudet, nisi nomen ementiatur. *Ibid.*

85. Religio et pietas firma imprimis regis basis subjiciatur, in qua stabile atque inconcussum simulacrum perstet, nec unquam basi firmiter insidens ulla vis tempestatis excutiat. *Ibid.*

86. Primum omnium regem, duce ac principe Deo, ipsum sui ipsius regem censeo esse oportere. *Ibid.*

87. Illud profecto primarium ac summe regium est, sui ipsius esse regem. *Ibid.*

88. Benevolentia sola firmissimum est regis præsidium. *Ibid.*



89. Rex pecuniæ appetens, multo est instituto turpior : hic enim familiæ egestati subvenit, in illo vero animi nequitia omni prorsus excusatione caret. *Ibid.*

90. Nihil videri aut audiri potest honestius eo rege, qui in populo manus attolens, communem sui ipsius populique principem adorat. *Ibid.*

91. Veri regis lex ac norma est, voluptatibus imperare, iisque dominari. Lib. 1 in *Vita Sanctorum Barlaam et Josaphat*, cap. 33.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

92. Non est rex, nisi sit ex sese sufficiens, et bonis omnibus antecellat : nam talis non suas, sed eorum qui reguntur, utilitates considerat : qui talis non est, tyrannus potius est, quam rex. Lib. 8 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 10. ARISTOTEL.

93. Regis amicitia ad eos, qui reguntur, in excellentia beneficii consistit : confert enim in eos beneficia, si quidem cum sit bonus, curam ipsorum habet, quod bene sese habeant, ut ovium pastor. *Ibid.*, cap. 11.

94. Ita est inusitatum regem reum capitis esse, ut ante hoc tempus non sit auditum. Orat. 42, *pro Rege Dejotaro*, num. 1.

95. Fortem, justum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem esse, hæ virtutes regem decent. *Ibid.*, num. 1.

96. Nisi philosophi regnent, aut reges philosophentur, nulla erit malorum quies unquam humano generi. Sizygia. 4, lib. 5, *de Republ.* PLATO.

97. Nulli regi gloria est, ex sæva animadversione. Lib. 1 *de Clement. ad Neron.*, cap. 17. SENECA.

98. Errat si quis existimat tutum esse ibi Regem, ubi nihil a rege tutum est. Epist 19.

99. Errat, si quis existimat tutum diu esse Regem. In suis *Proverbiis in fine positis.*

Vide etiam tit. *Bellum*, sent. 36, 37; *Depositus*, sent. 72; *Ebrietas*, sent. 124; *Imago*, sent. 4; *Nobilitas*, sent. 100; *Peccatum in genere*, sent. 232; *Persecutio*, sent. 32; *Personarum acceptio*, sent. 3; *Prælatio*, sent. 96; *Timor in genere*, sent. 41; *Vetare*, sent. 22; *Urbanitas*, sent. 44.

## RISUS.

*Definitio.* Risus est vox confusa lætitiæ insultationem immoderata hilaritate denuntians.

Risus est interius lætitiæ præconceptæ ruptis claustris modestiæ forinseca quædam proditio. Super *Ecclesiasten*, cap. II.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Dissolutio risus et multiloquium abstrahit unumquemque a familiaritate Dei, et abstrahit mentem a perceptione gratiarum. In *Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtut.*, cap. 28

S. AMBROS. 2. Quid pulchrius, quam ridere, cum maledicitur nobis? Lib. 2 *de Interpellatione.*, cap. 3.

3. Dæmones ridere nos faciunt tempore fletus, et flere tempore risus. Epist. 2 *ad Fratres.*

S. AUGUST. 4. Sit risus mixtus gravitate, et plenus honesti motus. *De Spiritu et anima*, cap. 62.

5. Nemo facile solus ridet, nemo quidem facile, sed tamen solos et singulos homines, cum alius nemo præsens est, vincit risus aliquando, si aliquid nimis ridiculum vel sensibus occurrerit, vel animo. Lib. 2 *Confess.*, cap. 9.

6. Nihil est fœdius risu irrisione dignissimo. Lib. 1, *contra Academicos*, cap. 5

7. Mentibus amicorum sanorum, fletum commovet risus phreneticorum. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 3.

8. Risus frequens corrumpit mores, relaxat quoque nervos rigoris astrictos. Serm. 2 *Dom. 4 Quadr.*

9. Duo sibi tempora ordine succedunt, tempus flendi et tempus ridendi : nemo se circumveniat, fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi. Serm. 1, *de S. Laurent.*

10. Jocari et ridere humanum est, non ferinum, sed infimum hominis. Lib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 8.

11. Infantia non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem. Lib. 21 *de Civit. Dei*, cap. 19.

12. Qui mente alienata rident, plorantur a sanis, et eligit homo utique ridere, quam flere. *De Epicur.*, cap. 8.

13. Non plane risum, sed fletum potius intelligentibus vester commovet risus, sicut mentibus amicorum sanorum, fletum commovet risus phreneticorum. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 3.

S. BASILIUS MAGNUS. 14. Cachinnari voce, et ebullire corpore, non est ejus qui animam sedatam habet neque probati neque ejus qui sui ipsius potens est. *Quæst. diffuse explicat.*, quæst. 17.

15. Noli dissolutis labiis risum proferre : amentia namque est cum strepitu ridere, sed subridendo tantum, lætitiam mentis indica. Apud Bedam, in suis *Scintillis*, cap. 54.

16. Nullum habebit accessum cordis compunctio, ubi immoderatus fuerit risus. *Ibid.*

17. Præceps ad risum, præceps quoque fertur ad iram. In suis *Prov.*, verbo *Præceps.*

S. BERNARD. 18. Fœde ad cachinnos moveris, fœdius moves. Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

19. Si quando coram aliis positus ridere alicujus rei causa fueris compulsus, non sit risus tuus excussus. In *Formula honestæ vitæ.*

20. Vere decipitur, qui in temporalibus gaudiis ridet : qui sic de rebus vanis rident, si mala quæ passuri sunt in mente haberent, non riderent, sed lugerent. Serm. 63 *ad Sororem.*

21. Risus et joci inutiles, conscientiam vanam ostendunt. *Ibid.*

22. Mens casta plus gaudet in luctu, quam in risu. *Ibid.*

23. Ubi risus et jocus abundant, ibi perfecta charitas non regnat. *Ibid.*

S. BONAV. 24. Risus hominem decipit, quia offert bonum, et in fine malum. Super *Ecclesiasten*, cap. II, in illud : *Risum reputavi errorem.*

25. Risus exterior est hominum stultorum vane se dissolventium, sed risus interior est hominum perfectorum de solo summo bono gaudentium. Serm. 1 *de Uno confess.*

26. Cachinnus præcipue gravitatem religiosi plurimum dehonestat. *Prosec.*

27. Vile prorsus est religiosum virum, ut puerum cachinnare. In *Speculo disciplinæ*, part. 1, cap. 24.

S. CLEMENS. 28. Urbane et lepide loquendum est, non risus autem movendus, quin etiam ipse risus est comprimendus. Lib. 2 *Pædag.*, cap. 5.

29. Non quoniam homo est animal ridendi præditum, ideo perpetuo ridendum est : quandoquidem nec equus, cujus est proprius hinnitus, semper hinnit. *Ibid.*

30. Risus immodestus et lascivus, risus est meretricius. *Ibid.*

S. CYPRIAN. 31. Risus signum est animi facilis et remissi. *De Bono pudicitiæ*, cap. 7.

DIONYSIUS CARTHUS. 32. A risu et omni irrefrænata lætitia cohibendum est. Super *Epist. Jacobi*, cap. IV, art. 6.

33. Risus perdit fructus monachi, risus monachum deprimit, et in turpes animi passiones conjicit. *De non esse ridendum.*

S. EPHRÆM. 34. Risus non ædificat, sed destruit : risus non custodit, sed deperdit. *Prosec.*

35. Risus spiritum sanctum contristat, animæ obest, et corpus corrumpit.

36. Risus virtutes expellit, non meminit mortis, neque supplicia cogitat. *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 37. Risus corporis de lascivia dissolutionis est : risus cordis, de lætitia nascitur securitatis. Lib. 8 *Moral.*, cap. 31.

38. Ridere Dei, est sanctorum vias prosequenti favore prosperari. Lib. 20 *Moral.*, cap. 4.

39. Risus fletum sequitur, gaudium tristitia comitatur. *In septem Psalm. pœnit.*, super *Psalm.* VI.

S. GREGOR. NAZ. 40. Immoderatum risum risui habeamus. In orat. *ad Arianos.*

S. GREGOR. NYSS. 41. Risus est oris indecora dilatatio, tremor spiritus, totius corporis concussio, genarum de-

ductio, dentium apertio, colli contorsio, vocis fractio. Homil. 2 super *Eccles.*

GREGOR. THAUMAT. 42. Stolidorum hominum risus, spinarum multarum vehementi igne ardentium sonitui haud absimilis est. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. HIERON. 43. Ridere et rideri, sæcularibus derelinque : gravitas tuam personam decet. Epist. 8, *ad Demetriad.*

44. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Epist. 27, *ad Eustoch.*

45. Risus dissolvit sapientem, ira corripit, et emendat. Super *Ecclesiasten*, cap. VII, super illud : *Melior est ira.*

46. Ridere et gaudere in hoc sæculo, non est factum hominis sensati, sed phrenetici. Apud D. Bonavent. in *Soliloq.*, cap. 2.

HUGO CARD. 47. Risus mundi est risus de carcere, et vinculis, quod est amentia. Super *Ecclesiasten*, cap. II.

48. Risus de honore mundi, risus de illusione et de ludibrio. *Ibid.*

49. Stultus mavult esse phreneticus ridens, quam sapiens plangens. *Ibid.*

50. Quæ potest major amentia cogitari, quam risum asini sui, suum deputare : et quia ridet asinus suus, ideo credere se ridere? *Prosec.*

51. Hoc accidit omnibus de istis transitoriis ridentibus : non enim ridet cor eorum, nec rident ipsi, sed ridet asinus eorum, id est, caro.

52. E contrario cor sapientis ridet, sed asinus luget. *Ibid.*

JOANNES CHRYSOST. 53. Ex intempestivo, risu hilaritas sine ratione verborum magna et superflua nugacitas oritur. Homil. 19 super *Act. Apost.*

54. Stet quis gaudens cum risu effusiori, quid turpius, quid insipientius illo? *Ibid.*

55. Qui rident in Ecclesia, abstinebunt a risu quando abstinebunt a nugis. *Ibid.*, homil. 24.

56. In risu semper est occasio iræ. *Ibid.*, homil. 40.

57. Belli tempus est, et tu rides, et ludis, et quæ tripudiantium sunt usurpas? Serm. 17 super *Epist. ad Ephes.*

58. Deliciaris ac risum moves? malorum tuorum gratia crucifixus est Christus, et tu rides? *Ibid.*

59. Ubi risus intempestivus, ibi et urbanæ facetiæ. *Ibid.*

60. Dum provocaris ad risum, simul deliciarum lenocinio caperis : ubi vero risus abest, tristitiæ pates. Homil. 14 super I *Tim.*

61. Tu rides et effundis faciem tuam : qui monachum profiteris, qui crucifixus es, qui lugere debes, rides, Dic, quæso, ubi Christus hoc fecit? audisti hoc alicubi! nusquam, sed contristatum sæpius legisti. *Prosec.*

62. Quando Jerusalem vidit, lacrymatus est; et quando traditorem intellexit, turbatus est; et quando Lazarum suscitaturus erat, ploravit; tu autem rides?

63. Tempus est luctus et tribulationis sub afflictione et servitute certaminum, et sub doloribus res agitur, et tu rides? Homil. 15 super *Epist. ad Hebr.*

64. Risus talis est dementia, talis est stupor, ut increpationem non sentiat. *Ibid.*

65. Ridere non semper tempus est, sed in tempore transeat remissionis. *Ibid.*

66. Non est malum risus, sed malum quando fit importuno tempore, et immoderate. *Ibid.*

67. Risus inest animæ, ut remissionem aliquando habeat anima, non ut diffundatur. *Ibid.*

68. Ridere si non manifestum peccatum esse videtur, tamen in manifestum crimen inducit : nempe ex risu sæpius turpia nascuntur verba, a turpibus verbis actiones turpiores. *Prosec.*

69. Ex risu sæpius convicia et contumeliæ; de convicio et contumelia, plagæ et vulnera; de vulneribus et plagis, jugulationes et homicidia oriuntur. Homil. 15 *ad Popul. Antioch.*

70. Risus excussus levitatem et dissolutionem mentis indicat : nec tantum animæ, sed et corpori nocet. In cap. 4 *Regul. S. Bened.*, verbo *Risus.* JOAN. TRITH.

71. In risu sanguis recedit a corde, et ex valido risu homines sæpe suffocantur. *Ibid.*

72. Si oportet ridere, risus sit rarus et summe modestus. *Ibid.*

73. Reprehensibilis enim est risus, si non sit moderatus, sed pueriliter effusus, et multipliciter fractus. *Ibid.*

74. Risus voces obtusas efficit, hiatum oris facit, et pectora conterit. *Ibid.*

75. Stultum se demonstrat, qui risum excussum amat : quia viri sapientis est, moderari risum. *Ibid.*,

76. Aliud est ridere, aliud risum amare : illud enim naturæ, istud vitio imputatur. *Ibid.*

77. Excessum risus fugito, enervat enim animam : anima vero enervata, facile a fræno legis exuitur. *Parænes.* 77. S. NILUS ABB.

78. Quale illis judicium imminet, qui non modo fletibus non insistunt : sed ultro etiam cachinnis et vanis risibus, histrionum more, deserviunt. Lib. 5, epist. 2, *ad Damian. fratr. suum.* S. PETRUS DAMIANUS.

79. Quid in tremendo judicio dicturi sunt, qui non solum ipsi rident, sed insuper quædam scur-

riiia proferentes, risum audientibus violenter extorquent? *Ibid.*

80. Cum inimicum animæ sit ridere, perniciosius tamen est scurrilitatis verba proferre. *Ibid.*

81. Momentaneo risu, perpetuus fletus emitur : et temporali fletu, perpetuus risus comparatur. *Ibid.*

SALVIANUS. 82. Christum flevisse legimüs, risisse non legimus : et hoc utrumque pro nobis : quia fletus punctio est animi, risus corruptio disciplinæ. Lib. 6 *de Gubern. Dei.*

83. Nobis ridere non sufficit, nisi risus noster impuritatibus, nisi flagitiis misceatur. *Ibid.*

84. Rideamus quæso quamlibet immensuratim dummodo innocenter. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 85. Quidam valde inconstantes, rident pro levi fabula, et pro musca volante irascuntur. Serm. 19 *ad Novit.*, divis. 13.

86. Ubi risus et dissolutio, ibi fugit devotio. In *Hortulo rosar.*, cap. 15, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 87. Si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio. Lib. 4 *Tusc. quæst.*

EPICTETUS. 88. Risus ne sit multus, nec ob multa, nec effusus. In suo *Enchirid.*, cap. 43.

PLATO. 89. Non sane id decet, ut effuso risui indulgeamus : ita enim usuvenit, ut cum quis ingenti risui fræna laxarit, ingens quoque mutatio quædam consequatur. Sizygia 4, lib. 3, *de Republica.*

SENECA. 90. Improbum risus, insanus vultus habitusque demonstrat. Epist. 52.

91. Reprehensibilis risus est, si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus. *Prosec.*

92. Odibilem quoque hominem facit risus superbus, aut clarus, aut malignus, aut furtivus. *De quatuor virtutibus.*

SIXTUS PHILOSOPH. 93. Nimius risus, indicium est animi negligentis : ne ergo tantum tibi indulgeas, ne risu diffluas. *Sentent.* 271.

Vide etiam tit. *Ecclesia*, sent. 93, 94, 95, 96 ; *Novitius*, sent. 34 ; *Origo*, sent. 18 ; *Rapina*, sent. 18 ; *Sacerdotis dignitas*, sent. 63.

## SACERDOS IN GENERE.

HUGO CARD. *Etymologia.* Sacerdos dicitur quasi sacer dux, quia ducatum habet animarum. Super II *Reg.* VIII.

S. ISIDORUS HISPALENS. Sacerdos nomen habet compositum ex græco et latino, quasi sacrum dans, et sic a sacrificando vocatus est, consecrat enim et sacrificat. Lib. 7 *Etymolog.*, cap. 12.

COLLECTOR. *Definitio.* Sacerdos est vir legitime ab episcopo ordinatus ad sacrificia, tanquam minister Dei, facienda.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Væ sacerdoti, cujus accedia, vel unius diecula præter mittitur missa : resarcire damnum potest, sed neglectum et subtractum orbi bonum redhibere non potest. Serm. 3 *de Excellent. sacerd.*, cap. 27, excellent. 7, sect. 4.

2. Te respice, o mysta Dei! nosce te, et miserere animæ tuæ, tuum sanctum honorifica sacerdotium, sin, exhonorabit te Christus. *Ibid.*, excellent. 9, sect. 2.

S. ALEX. PAPA I. 3. Sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur. Habetur in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 1, quæst. 1, can. *Ipsi.*

S. AMBROS. 4. Meliora sacerdotibus damna, quam lucra sæculi sunt. Lib. 5, epist. 24, *ad Marcellum.*

5. Dolere, flere, gemere, talia munimenta sunt arma sacerdotis. Lib. 5, epist. 32, *ad Valentinian. imperat.*, in orat. *contra Auxentium.*

6. Recte comparantur apibus sacerdotes, quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeum legis exercent : puri enim ad sanctificationem, suaves ad refectionem, severi sunt ad ultionem. Serm. 83 *de Tempore.*

7. Si populus erraverit, sacerdos orabit pro eo : si sacerdos erraverit, quis rogabit pro eo? Super *Psalm.* XXXVII.

8. Mendacium est sacerdotem se profiteri, et contraria huic ordini operari. Apud D. Bonav., lib. 1 *Pharetræ*, cap. 21.

9. Religionis insignia, arma sunt sacerdotis. Lib. 7 super *Lucam*, cap. VI, in illud : *Homo quidam descendebat in Hierico.*

S. AUGUST. 10. Considerandum est sacerdoti ne facile cadat, cui in hoc gravior notatur pœna : sic sacerdos et timeat peccare, sed magis timeat desperare. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 5.

11. Tota justitia hæc est, virginitas, sacerdotium, et martyrium. Lib. 1 *de Mirabil. sacræ Script.*, cap. 3.

12. Ut sit quisque verus sacerdos, oportet ut non solo sacramento, sed justitia quoque induatur. Lib. 2 *contra litt. Petiliani*, cap. 30.

13. Quicunque erit honore sacerdotali præditus, et proximus fuerit ebrietati, vicinus est ultioni. *Prosec.*

14. Quisquis divino munere sacerdos constitutus, vinolentus accesserit ad sacramenti celebrationem, mortis consequendæ non habet dilationem. *De Sobriet.*, cap. 1.

15. Nescio qua fronte, aut qua conscientia optat in altaris consecratione gaudere, qui in cordis sui altari non studet munditiam custodire. Serm. 4 *Dedicat. eccles.*

16. Pauperem vitam sacerdos gerere debet, et ideo si superbiam habet, si magno beneficio gaudet, præter victum et vestitum quod superest, pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt. Serm. 37 *ad Fratres in eremo.*

S. BERNARD. 17. Neque enim sacerdotes signum regni occupare cœlestis, aut illius timent imperii gestare coronam : in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia, sed et iniquitas, luxuria etiam principatur. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 20.

18. Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus. *Prosec.*

19. Verum tu sacerdos, cui ex his placere gestis, mundo an Deo? si mundo, cur sacerdos? nam si placere vis mundo, quid tibi prodest sacerdotium? Epist. 42, *ad Henric. Senonens. archiepisc.*

20. Egressa est iniquitas a senioribus judicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum : non est jam dicere, ut populus, sic sacerdos : quia nec sic populus, ut sacerdos. *Prosec.*

21. Heu, heu, Domine Deus! quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Serm. 1 *de Convers. S. Pauli.*

22. Omnino audent sacerdotes mali, Agni immaculati sacras contingere carnes, et intingere in sanguine Salvatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes, proh dolor! meretricias attrectarunt. In *Declamat.*

23. Certe ibi loquitur Christus cum ministro suo : Altare, inquit, cui assistis, quam pro te sustinui repræsentat crucem, et calix sepulcrum in quo mortuus quievi; patena lapidem superpositum: corporale sudarium; substratoria corporalis, linteamina quibus involutus fui : hostia quam vides jam non est panis, sed caro mea quæ pependit in cruce pro mundi vita. Serm. 1 *in Cœna Dom.*

24. Sacerdotales viros quærimus, qui plures habemus sacerdotes : plures, inquam, numero, non merito : simulatione, non fide : specie, non virtute : commixtione corporali, non vinculo spirituali : carnis adjunctione, non cordis unitate : sunt enim lotis manibus, tamen illotis operibus. *Prosec.*

25. Cruenta conscientia ad divina accedunt sacrificia, comedunt sine timore, et sine reverentia carnes Agni qui præsidet in cœlo, sicut carnes quæ venduntur in foro : non sicut sacerdotes assistunt in altario, sed sicut carnifices in macello. *Ibid.*

26. Heu! quod magis dolendum est, quanti sacerdotes, sed falsi sacerdotes, qui panem Christi, corpus Christi sumunt ore, et Christum conculcant pede ; putidi fœtore luxuriæ, infecti veneno nequitiæ? Serm. 2 *de Cœna Dom.*

27. Quanti de altari vivunt, qui altari non serviunt, imo Dominum altaris pro nihilo ducunt? *Ibid.*

28. In incessu debet esse sacerdos ornatus gravitate, ut mentis maturitatem ostendat. Hab. in *Decret. Gratiani.*, part. 1, dist. 41, can. *Clericus.*

29. Qui divino sacerdotio honorati et in clericorum ministerio constituti sunt, nonnisi altari et sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debent. Epist. 66, *ad Clerum et plebem Furnitator.*

30. Sacerdotes sunt Dei interpretes. Epist. 8, *ad Demophil. monachum.* S. DIONYS. AREOPAG.

31. Sacerdos non est, qui sacerdotalibus dotibus caret. *Ibid.*

32. Profecto penitus abhorret a sacerdotum ordine atque facultate is, qui illustrandi vi non est præditus. *Ibid.*

33. In sacerdote tanquam in speculo, relucere debet perfectio. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.* S. EUSEBIUS CÆSARIENS.

34. Sacerdos sine misericordia, navis est in medio pelagi undique perforata. *Ibid.*

35. Non vestimentis et ordine solum quis est sacerdos, sed et vita : parum prodest differentem esse vestimentis a sæcularibus, et concordem vita. *Ibid.*

36. Nulla certe in mundo tam crudelis bestia, quam malus sacerdos. *Ibid.*

37. Nihil vile, vel sordidum in sacerdotis ore, vel opere debet apparere. Super *Exod.*, cap. XXVIII. GLOSS. INTER.

38. Nec opus sacerdotis discrepet a verbo, nec verbum ab opere. *Ibid.*

39. Momentaneus sacerdos nescit humilitatem observare, et modos personarum, vel sese contemnere. In *Decret.*, part. 1, distinct. 48, can. *Prohibentur.* GRATIAN.

40. Nihil tam onerosum in ordine sacerdotum, quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare, et tamen hoc valde est necessarium. Homil. 11 super *Ezechiel.*, super illud *Rom.* XII : *Gaudere cum gaudentibus.* S. GREGOR. MAGNUS.

41. Ille sacerdos Patri jure succedit, qui esse se omnipotentis Domini filium moribus demonstrat, atque a nobilitate intima, operum ignobilitate non discrepat. *Ibid.*, homil. 12.

42. Sacerdos non distat a populo, quando nullo merito vitæ suæ vulgi transcendit actionem. Homil. 17 super *Evang.*

43. Ecce jam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. *Ibid.*

44. Decet Dominicum sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tanquam in vitæ suæ speculo plebs commissa et eligere quod sequatur, et videre possit quod corrigat. Lib. 7 in *Registro*, indict. 1, cap. 32, epist. 32, *ad Dominic. episc.*

45. Ecce mundus sacerdotibus plenus est; sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator : quia officium quidem sacerdotale suscipimus; sed opus officii non implemus. Homil. 17 super *Evang.*

46. Nullum puto fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus : quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. *Ibid.*

47. Contumelia saeerdotum est, de divinis cultibus admoneri : quod enim ipsi debent exigere, turpiter exiguntur. Lib. 3 in *Registro*, ind. 12, cap. 5, epist. 5, *ad Bonifac. episc. Regium.*

48. Causa sunt ruinæ sacerdotes mali; quis enim populi se peccatis intercessor objiciat, si sacerdos qui exorare debuerat, graviora committat? Lib. 9 in *Registro*, indict. 4, cap. 64, epist. 64, *ad Brunichildam reginam Francor.*

49. Major in sacerdotibus merces est, in veritatis tramite etiam post injurias firmiter permanere. *Ibid.*, lib. 2, ind. 11, cap. 41, epist. 2, *ad Paulum episc. Neapolitan.*

50. Nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. *Ibid.*, lib. 1, ind. 9, cap. 42, epist. 42, *ad Petrum subdiacon.*

S. GREGOR. NAZ. 51. Sacerdotium philosophia est, philosophiaque sacrorum. Orat. 11, *in Funere S. Athanasii.*

S. HIERON. 52. Ignominia omnium sacerdotum est propriis studere divitiis. Epist. 2 *ad Nepotian.*

53. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. *Ibid.*

54. Vinolentos sacerdotes et Apostolus damnat, et vetus lex prohibet. *Ibid.*

55. Sunt qui presbyterium ambiunt, quibus cura est de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non sordeat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti de annulis radiant; et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia : tales cum videris, sponsos magis existimato, quam sacerdotes. Epist. 22, *ad Eustoch.*

S. HILARIUS 56. Sanctiores aures plebis, quam corda malorum sunt sacerdotum. Lib. *contra Arianos et Auxent.*

HUGO A S. VICTORE. 57. Quid facturi, quid dicturi sunt quidam sacerdotes in die judicii, qui ordinem sacerdotalem susceperunt, sed inordinate vivere non erubescunt? *De Orat. Dom.*, cap. 2, petit. 4.

58. Sunt quidam perversi sacerdotes, qui ea quæ offeruntur ad mensam Christi, offerunt in mensa diaboli, ipsa est alea; in illa Deum invocant, in ista perjurant, non enim orationi vacant, sed lusibus exultant; terrenis inhiant, terrena sapiunt; assidui in plateis, in ecclesia rari; tardi ad investigandam culpam peccatoris, parati ad inquirenda vestigia leporis; velociores ad congregandos canes, quam ad convocandos pauperes; libentius porrigunt panem cani, quam pauperi. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 23.

59. Perpende, sacerdos, quales oporteat esse manus tantarum rerum ministras, et qualem linguam talia verba fundantem, aut quo genere cæteris non mundiorem et sanctiorem animam talis spiritus receptricem? Lib. 3 *de Anima*, cap. 50.

60. Sacerdos debet esse vita honestus, pollens sapientia. Lib. 4 *de Propriet. rerum*, cap. 17.

61. Sacerdotium summa est omnium bonorum, quæ in hominibus constant : quod si quis inhonoraverit, Deum inhonorat, et Dominum Jesum Christum. Epist. 10, *ad Smyrnenses.* S. IGNATIUS MARTYR.

62. Sunt sacerdotes, qui nocte Venerem amplexantur, mane vero Virginem venerantur. *Prosec.* S. INNOC. III.

63. Turpe dictu, sed turpissimum actu, dici liceat quod agi non libeat : nocte filium Veneris agitant in cubilibus, mane vero filium Virginis offerunt in altaribus. Lib. 2 *de Contemptu mundi*, cap. 22.

64. Sicut peccatum sacerdotis primum describitur, ita maximum judicatur. *Prosec.*

65. Cur laicus non adulteret, cum sacerdos fornicetur? cur non fœneret, cum sacerdos fœneretur?

66. Certe tot mortibus est dignus sacerdos, quot exempla perditionis transmittit in populum. Serm. 1 *in Consecrat. Pontif.*

67. Provideat diligenter et attendat sacerdos studiose, ut signum sine significato non ferat, ut vestem sine virtute non portet, ne forte similis sit sepulcro deforis dealbato, intus autem omni pleno spurcitia. *Prosec.*

68. Quisquis autem sacris indumentis ornatur, et honestis moribus non induitur ; quanto venerabilior apparet hominibus, tanto indignior redditur apud Deum. Lib. *Myster. Missæ*, cap. 64.

69. Discretus sacerdos contra rebelles et obstinatos severitatem exerceat, erga humiles et pœnitentes exhibeat pietatem. Serm. *sub. Concil. Lateran.*

70. Avarus sacerdos non Deo servit, sed idolo. Serm. 2 *in Die ciner.*

71. Sacerdotes sunt sal, quoniam bona conver-

CHRYSOST. satio sacerdotum conditura populi est. Homil. 10 super *Matth. Oper. imperf.*

72 Multi sunt sacerdotes, et pauci sacerdotes : multi nomine, pauci opere. *Ibid.*, homil. 43.

73. Propter bonos sacerdotes, etiam malos honorate : ne propter malos, etiam bonos contemnatis. *Ibid.*

74. Sacerdotes positi sunt ad ornamentum populi, et ad ædificationem sanctitatis. *Ibid.*

75. Non arbitror inter sacerdotes, multos esse qui salvi fiant : sed multo plures, qui pereant. In causa est quoniam res excelsum requirit animum. Homil. 3 super *Acta Apost.*

76. Ubi modestia ac mansuetudo sacerdotis elucet, semper in honore est. Homil 12, super I *Timot.*

77. Quasi communis quidam totius orbis pater sacerdos est : dignum igitur est, ut omnium curam agat omnibusque provideat, sicut et Deus, cujus ministerio servit, et fungitur vice. Homil. 6 super I *Tim.*

78. Si sacerdotium integrum fuerit, tota ecclesia floret : si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Homil. 38 super *Matth. Oper. imperf.*

79. Si cor sapientiæ locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis. *Ibid.*

80. Videte quomodo sedeatis super cathedram : quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram : non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos, sanctus est; sed omnis sanctus, sacerdos.

81. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipiet ab illa : qui male sederit, injuriam facit cathedræ : ideoque malus sacerdos, de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem.

82. In judicio enim sedens, si quidem bene vixeris, et bene docueris, omnium judex es : si autem bene docueris, et male vixeris, tui solius condemnator es. Nam bene vivendo, et bene docendo populum instruis quomodo debeat vivere : bene autem docendo, et male vivendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. *Ibid.*, homil, 43, super illud XXIII : *Super cathedram Moysi.*

83. Necesse est sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret. Lib. 3 *de Sacerd.*

84. Luminis instar universum orbem illustrantis, sacerdotis animum splendescere oportet. *Ibid.*, lib. 6.

85. Non solum purum mundumque sacerdotem esse oportet, ut qui tali ministerio dignus habitus sit : sed etiam in primis prudentem : atque adeo multarum rerum experientia instructum ornatumque, intantum ut sæcularia mundanaque omnia nihilominus noscat, quam norunt ii, qui in media hominum turba versantur. *Ibid.*

86. Quid miserabilius sacerdote indocto, qui etiamsi prædicationis non habet officium, ratione tamen suscepti ordinis, ad scientiam obligatur scripturarum? Lib. 1, homil. 4, *ad Monachos.* JOAN. TRITH.

87. Turpissima est in sacerdote avaritia, quæ servum Dei ministrum facit idolorum. *De Instit. vitæ Sacerdot.*, cap. 1.

88. Sacerdotii vilescit auctoritas, si honestatem conversationis publicæ corrumpit iniquitas. *Ibid.*

89. Multi ad sacerdotium in Ecclesia Dei vocati sunt, pauci vero electi : summopere igitur curandum nobis est, ut qui in sortem Domini asciscimur, etiam eligamur. *Prosec.*

90. Quid enim prodest hic sacerdotio brevissimo tempore fungi, si separari contingat a conspectu Dei ? *Ibid.*, cap. 4.

91. Ubi in sacerdotibus cupiditas abundare conspicitur, honor et cultus consuetus a laicis denegatur. Orat. 3 *in Conventu abbat. habita.*

92. Mali sacerdotes dum Deo ignorante non fiant, tamen ignorantur a Deo : nescire autem Dei, reprobare est. Lib. 3 *de Summo bono*, cap. 34, sent. 6. S. ISID. HISP.

93. Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. *Ibid.*, cap. 46, sent. 1.

94. Tanquam propria delicta, plebis peccata sacerdos flere debet, sed affectu compatiendi, non accusatione commissi. *Ibid.*, sent. 7.

95. Sacerdoti pro opibus est virtutis ornamentum, pro voluptate castitas, pro luxu frugalitas, pro lætitia eorum quibus præest, ad virtutem incrementum. Lib. 3, epist. 354, *ad Paulum presbyt.* S. ISIDORUS PELUSIOT.

96. Indignis quibusque sacerdotale fastigium credere, non est hoc consulere populis, sed nocere : nec præstare regimen, sed augere discrimen. Epist. 87, *ad Episc. African.*, cap. 1. S. LEO I.

97. Sacerdotem facit intelligentia, et vita et morum integritas. *Paræenes.* 9. S. NILUS.

98. Manus mundissimas esse oportet sacerdotum, quæ mundissimam carnem et sanguinem. Christi tractant. Epist. 147, *ad Vicarium suum.* PETRUS BLESENS.

99. Oportet unumquemque sacerdotem istos tres viros esse : id est, prudentem, mundum, misericordem, et sic erit et vir et pastor. *Ibid.*, serm. 37.

100. Plerumque quod veniale est plebi, criminale est sacerdoti : quod erroneum est ovi, peremptorium est pastori. *Ibid.*, serm. 39.

101. Stans ad altare, esto vir : non habeas senectutem vetustatis, nec pueritiam fatuitatis. *Ibid.*, serm. 43.

102. Vos estis sal terræ. Exiguo quippe sale multa dulcescunt, et parvo sacerdotum numero totius christianæ plebis eruditur et instruitur multitudo. Lib. 2, epist. 1 *ad Episcop. Cardinales*.

103. De sanctis sacerdos egreditur, cum neglectis animarum curis per desideria terrena vagatur. *Prosec.*

104. De sanctis egreditur, cum ecclesiastica disciplina postposita transeuntium causarum negotiis immoderatius implicatur. Opusc. 25, cap. 1.

S. PETRUS DAMIANUS. 105. Sanctuarium polluitur, cum sacerdos quilibet per terrena desideria sparsus, causisque sæcularibus dissolutus, sacrosanctis altaribus audacter assistere non veretur. *Ibid.*

106. Qui Dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Jesum particeps esse convincitur. Opusc. 26, cap. 2.

107. A nullo plane Deus omnipotens majoris injuriæ præjudicium tolerat, imo deterius nemo peccat, quam sacerdos, qui prohibentibus canonibus, indigne sacrificat ? *Ibid.*

108. Quisquis vel avaritiæ flamma, vel libidinis æstuat, qua fronte, qua conscientia divinis altaribus appropinquat ? *Ibid.*, cap. 3.

109. Nimis impossibile est, ut is, qui rerum familiarium curis opprimitur, qui colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sanctis valeat interesse mysteriis. *Ibid.*

S. PROSPER. 110. Non affectent sacerdotes videri se esse quod sunt, non alienis laudibus, sed moribus suis eximii : nec solum de sua dignitate, sed potius de sacerdotalis vitæ nobilitate conspicui. Lib. 1 *de Vita contemplativa*, cap. 13.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 111. Contemplatio sacerdoti finis est, si non falso id nomen usurpet. Epist. 57, *advers. Andronic.*

S.THEODOR. 112. Sacerdotum vitia non sunt populo aperienda, ne ille causa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur. Lib. 1 *Eccles. histor.*, cap. 11.

S. THOMAS AQUINAS. 113. Debent esse quatuor conditiones in sacerdote : primo sanctitas, secundum innocentia, tertio puritas, quarto bonorum conversatio. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. VII, lect. 4.

THOMAS A KEMPIS. 114. Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit : ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter et humiliter roget. *Prosec.*

115. Habet ante se et retro Dominicæ crucis signum, ad memorandam jugiter Christi passionem.

116. Ante crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, et sequi ferventer studeat.

117. Post se cruce signatus est, ut adversa quælibet ab aliis illata, clementer pro Deo toleret.

118. Ante se crucem gerit, ut propria peccata lugeat : post se ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat. Lib. 4 *de Imit. Chr.*, cap. 5, sect. 3.

119. Ecce sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus ; vide nunc ut fideliter et devote in suo tempore Deo sacrificium offeras, et te ipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ, et ad majorem teneris perfectionem sanctitatis. *Ibid.*; cap. 5, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 120. Alia species curationis est circa rem divinam, sicut sacerdotes, circa templa, ut conserventur quæ sunt, et erigantur ruinosa ædificia, et cætera omnia, quæ pertinent ad divinum cultum. *Prosec.*

121. Vocant eos, qui istis præsunt, alii reges sacrorum, alii pontifices maximos. Lib. 6 *Polit.*, cap. 3.

122. Neque agricola, neque artifex est, neque vilium exercitiorum quisquam sacerdos est deputandus : honos enim ei est a civibus impendendus. *Ibid.*, lib. 7, cap. 9.

PLATO. 123. Quod ad sacerdotum electionem spectat, ea Deo committenda est, ut quemadmodum ei placuerit, ita sortium eventum nùmine suo moderetur. Sizygia 4, lib. 9, *de Legibus*.

PLINIUS II. 124. Sacerdotium ipsum tam priscum et religiosum, tam quoque sacrum plane et insigne est, quod non adimitur viventi. Lib. 4, epist. 8, *ad Arrianum*.

SENECA. 125. Sacerdos integer sit : apud gentiles, sacerdos non integri corporis, erat mali nominis. Lib. 4 *Declamat.*, controvers, 2.

Vide etiam tit. *Castitas*. sent. 18 ; *Confessio*, sent. 57 ; *Electio*, sent. 31 ; *Episcopus*, sent. 118 ; *Eucharistia*, sent. 93, 96, 242 ; *Gravitas*, sent. 36 ; *Imitatio*, sent. 32 ; *Laicus*, sent. 9 ; *Nomen*, sent. 20 ; *Nugæ*, sent. 56 ; *Officium divinum*, sent. 24 ; *Personarum acceptio*, sent. 38 ; *Populus*, sent. 11 ; *Rapina*, sent. 42 ; *Reverentia*, sent. 20 ; *Servire Deo*, sent. 52 ; *Sobrietas*, sent. 10 ; *Superstitio*, sent. 19 ; *Turpiloquium*, sent. 54, 55, 56.

## SACERDOTIS DIGNITAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Huic honori omnis cedit angelorum honos, quin et supplex ei succumbit, tremensque servire gestit, et hoc summo sibi ducit honori atque feli-

citati. Part. 4, serm. 3, *de Excellent. sacerdotii*, cap. 27, excellent. 2, sect. 4.

2. Transubstantiare, Deum mortalibus dare, Deum orbi per Deum reconciliare, regno cœlorum, Regique divorum ac regum vim facere, sacerdotum est, non angelorum. *Ibid.*, excellent. 4, sect. 3.

S. AMBROS. 3. Nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune convenit, cum studio atque usu, et moribus inconditæ multitudinis. *Prosec.*

4. Sobriam a turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vendicat sacerdotalis.

5. Quomodo enim potest in exemplum observari a populo, dispar a multitudine? Lib, 1, epist. 6, *ad Irenæum.*

6. Non tanti est Ambrosius, ut propter se dejiciat sacerdotium : non tanti est unius vita, quanti est dignitas omnium sacerdotum. Lib. 5, epist. 32, *ad Valentinian. imperatorem.*

7. Non mediocris virtus sacerdotalis est, cui cavendum non solum ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed minimis quidem ut sit promptus ad misericordiam, mansuetudinem teneat, pietatem diligat, iram repellat, vel decoquat. Lib. 10. epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.*

8. Nihil in hoc sæculo excellentius, nihil sublimius sacerdotibus reperiri potest. *Prosec.*

9. Itaque digne noscamus quid sumus, et quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini ; ne sit nomen inane, et crimen immane : ne sit honor sublimis, et vita deformis : ne sit deifica professio, et diabolica actio : ne sit religiosus amictus, et irreligiosus provectus : ne sit gradus excelsus, et deformis excessus. *De Dignit. saderdot.*, cap. 3.

10. Magnus honor, magna est potestas sacerdotum : sed si non vivunt caste, sed luxuriose, ne sacrilegium committant, Part. 2, tit. 5, cap. 8, § 2.

V. BEDA. 11. Altior professio virtutis, altiorem debet ritum tenere vivendi. *De Templo Salomon.*, cap. 7.

S.BERNARD. 12. Magnum prorsus et mirabile est, ministrum esse Christi, et mysteriorum Dei esse dispensatorem. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 30.

13. O præclara, o reverenda potestas vestra? certe non est potestas post Deum, sicut potestas vestra, cui nihil in cœlo vel in terra valeat comparari, consecrare videlicet corpus et sanguinem Domini. *Prosec.*

14. Super potestate vestra, super tam insigni spectaculo, super tam solemni dignitatis vestræ privilegio stupet cœlum, miratur terra, contremiscit homo, reveretur plurimum angelica celsitudo. Serm. 1 *in Cœna Domini.*

15. Hæc est vere indulgentia cœlestis, hæc est vere cumulata gratia, hæc est vere superexcellens gloria, sacerdotem Deum suum tenere, et aliis dando porrigere. *Prosec.*

16. O novam et divinam potestatem! cujus ministerio panis angelorum et vitæ, mortalibus quotidie præparatur! *Ibid.*

17. Audite et obstupescentes admiramini : nullis angelorum, nullis spiritibus supernis, sed hominibus : nec tamen omnibus, sed ordini vestro, o Sacerdotes, tantum mandatam esse tanti sacramenti celebrationem in altari, quod Christus fecit manibus suis in cœna paschali. *Ibid.*

18. O sacrum, o cœleste ministerium vestrum, laudabile desiderium, insigne spectaculum, solemne miraculum! Deus, qui mirabilis est in omnibus, seipso certe mirabilior, quantum ad vos ostenditur, dum mirabiliora per vos operatur. *Prosec.*

19. Quid plura? sacerdotes Dei benedicite Domino, digna Deo satagentes, ne vobis fiat in ruinam, quod digne sumentibus provisum est ad medelam.

20. Sacerdotes Dei non immerito vos dixerim, si vixeritis sacerdotaliter in domo Domini.

21. Non enim provenit dignitas in hoc nomine, quod est sacerdos : non, inquam, ex nomine, sed ex virtute : conversatione, non officio : merito: non vocabulo : sanctitate, non ministerio. *Ibid.*

22. Grave pondus, grave est periculum istius honoris : gradus quippe iste, gradus casualis est, gradus judicialis est, nisi meritis illustretur dignitas unctionis, nobilitate morum, exercitatione virtutum, et instantia bonorum operum. *Ibid.*

23. Recognoscant sacerdotes, quod a dominatore universæ terræ receperunt supremum dominium,et a diebus sæculi, non solum hominibus, imo angelicis spiritibus penitus inauditum. *Prosec.* S. BONAV.

24. Quia nec regibus, nec sæculi hujus potestatibus legitur attributum, ut illud conficiat quotidie consecratus in sacerdotem in altari, quod Dei Filius divinitatis virtute perfecit in cœna paschali ; ubi fuit remunerans et munus, cibans et cibus, conviva et convivium, offerens et oblatum. Part. 2, *de Eccles. hierarch.*, cap. 1, *de Domin.*

25. Dicuntur Christi sacerdotes Dominationes, non quia debent dominari in clero, ut super-

biant : sed ut formam gregi ex animo se ostendant, et ad angelorum conformitatem, verbo et exemplo promoveant sub litos, et adducant. *Ibid.*

S. CYPRIAN. 26. Contemplamini quid sit populo sancto præesse, considerate quale sit divinis sacramentis insistere. *De Singularitate clericorum*, cap. 21.

27. O miraculum stupendum ! o potestas ineffabilis ! o tremendum sacerdotii mysterium, spiritale ac sanctum, venerandum et irreprehensibile : quod Christus in hunc mundum veniens, etiam indignis impertitus est. *De Sacerdotio.*

S. EPHRÆM. 28. Sacerdotium scutum est refulgens, et incomparabile, turris firma, murus indivisibilis, fundamentum solidum ac stabile, a terra ad axem usque pertingens. *De Sacerdotio.*

29. Si quis ad dignitatem sacerdotii velut dignus repertus sit, in eaque sancte et irreprehensibiliter ambularit, vitam et coronam immarcessibilem sibi ipse conciliat. *Prosec.*

30. Sed si indigne quis hanc ipsam sibi usurpare sit ausus, tenebras is sibi exteriores, judiciumque absque misericordia consciscit. *Ibid.*

31. Magnus sane gradus est sacerdotium, si immaculatum peragatur. *De Timore Dei.*

S. FRANC. ASSISIAS. 32. Audite, fratres mei : si beata Virgo Maria honoratur, quia Jesum portavit in sanctissimo utero suo : si beatus Joannes Baptista contremuit, et non audebat tangere Domini verticem : si sepulcrum in quo per aliquod tempus jacuit, sic veneratur, quantum debet esse sanctus, et justus, et dignus, qui non moriturum, sed in æternum victurum, et glorificatum, in quem desiderant angeli prospicere, contrectat manibus, corde et ore sumit et aliis ad sumendum præbet? *Prosec.*

33. Videte dignitatem vestram, fratres sacerdotes, et estote sancti, quia ipse sanctus est, quem sumitis.

34. Magna miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. In suis *Opusc.*, epist. 12, *ad Sacerdot.*

35. Omni reverentia et honore prosequendi sunt Dei Sacerdotes : christianorum enim sunt patres spirituales, et hujus mundi spiritus et vita. *Prosec.*

36. Ego si viderem venientem per viam presbyterum, et angelum, ad sacerdotis manus deosculandas citius me conferrem, quam ad angelum. In suis *Opusculis*, oracul. 22.

S. GREGOR. MAGNUS. 37. Sicut sacerdos honore ordinis alios superat, ita etiam morum virtute transcendat. Part. 2 *Pastor.*, cap. 3; in *Regist.*, cap. 24, epist. 24.

38. Grave pondus est sacerdotii : prius quippe sacerdoti necesse est ut cæteris ad exemplum, ac deinde servandum, ut mentem per ostensa exempla non elevet. Lib. 2 in *Registro*, indict. 10, cap. 39, epist. 39, *ad Dominicum episc. Carthaginens.*

39. Cum sacerdotalis dignitas aliis videatur dignitatibus eminere, ita qui ea ornatus est, cunctis se imitandum debet ostendere ; ut exemplo sui nulli nocere, sed vitam potius valeat componere subjectorum. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 117, *ad Syagrium. episc. Augustod.*

40. Sacerdotii prærogativam si recta consideratione pensemus, sollicitis, et bene gerentibus in honorem, negligentibus autem profecto erit in onus. *Ibid.*, lib. 4, indict. 13, cap. 59, epist. 15, *ad Joan. episc.*

41. Agnoscas dignitatem tuam, et vim dignitatis exerceas, quia unctus es. *Prosec.*

42. Videas te medium, et communis conditionis hominem, ut pares tibi esse eos quibus emines, recognoscas : ut sis humilis, et sublimis ; sublimis ordine, humilis æstimatione. Lib. 6 in I *Reg.*, cap. III.

S. GREGOR. NAZ. 43. Non magni ducere debemus, si plebem excellimus : sed pro detrimento habere, si dignitati nostræ non responderimus. In *Apologet. de sua fuga.*

S. HIERON. 44. Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant : lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum : non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. Lib. 14, super *Ezech.*, cap. XLIV.

S. IGNATIUS MARTYR. 45. Sacerdotium summa est omnium bonorum, quæ in hominibus constant : quod si quis inhonoraverit, Deum inhonorat, et Dominum Jesum Christum. Epist. 10, *ad Smyrnenses.*

S. INNOC. III 46. Sacerdotes vices gerunt summi Pontificis, id est Christi : Dominum pro peccatis obsecrant, et peccatores per pœnitentiam reconciliant. Lib. 1 *Myster. Missæ*, cap. 9.

47. Christi sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus populi, pro quibus clamant, exaudiuntur. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 48. Ubi sacerdos contemptus est, dignitasque sacerdotii conculcata ; ibi leges violantur, fas subvertitur. Homil. 4 *de Verbis Isaiæ.*

49. Sacerdotis thronus in cœlis collocatus est, ideo de cœlestibus negotiis pronuntiandi habet auctoritatem. *Ibid.*, homil. 5.

50. Sacerdotes Christi vicarii sunt Christi : qui honorat sacerdotem Christi, honorat Christum : et qui injuriat sacerdotem Christi, injuriat Chris-

tum. Homil. 17 super *Matth. Oper. imperf.* in illud : *Nolite sanctum dare canibus*

51. Omnium bonorum magna et inter omnes maxima est gratia, sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculate custodiat. *Ibid.*, homil. 51.

52. Non debet presbyter se beatiorem putare diacono, ex eo quod presbyter est : non enim dignitas apud Deum honorabitur, sed voluntas. *Ibid.*, homil. 53.

53. Quanto fuerit celsior dignitas, tanto sacerdotis majora sunt pericula. Homil. 1 super *Epist. ad Tit.*

54. Sacerdotium regno tanto est excellentius, quanto spiritus et carnis intervallum esse potest. Lib. 3 *de Sacerdot.*

55. Quanto sacerdotes honore, quanta dignitate digni sunt! Etenim qui terram incolunt atque in ea versantur, his commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt, dispensent : iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque angelis, neque archangelis datam esse voluit. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 56. Attende sacerdotii dignitatem, excellentiam considera. O te felicem! si gradum condignis moribus vita exornet. *Prosec.*

57. Magnum decus, maximus honor sacerdotum, sed malorum horrendus interitus. Epist. 1, *ad Novum presbyterum.*

58. Considera nunc, et diligentissima investigatione perquire; qualis sacerdotio conveniat vita, quam mundum et sanctum te oporteat esse, quam purum in mente, sapientem in sermone, strenuum in opere. *Prosec*

59. Altari astans, Dei Filium et Virginis immolaturus, quam devote, quamque reverenter te habere oporteat, sacrificii excellentia declarat. *Ibid.*

60. Qualem putas Christi sacerdotem esse debere? an communis ei christianorum conversatio sufficiet? Non sufficit : qui enim prior est ordine, sit etiam perfectior conversatione : gradus altior ornatum altiorem requirit, et qui alios præcellit dignitate honoris, condecens est, ut præcedat eosdem perfectione virtutis. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 61. Tam sanctum est sacerdotii nomen, ut nulla viliorum nota maculari se sinat. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 34, sent. 2.

62. Qui regimen sacerdotii contendit appetere, ante in se discutiat, si vita honori sit congrua; quod si non discrepat, humiliter ad id, ad quod vocatur, accedat; reatum quippe culpæ geminat, qui cum culpa ad sacerdotale culmen aspirat. *Ibid.*, sent. 3.

S. ISID. PEL. 63. Sacerdos Domini omnipotentis angelus est : angelus autem risum nescit, Deo cum metu ac pavore ministrans. Lib. 1, epist. 319, *ad Dorothæum presbyterum.*

64. Sacerdos etiamsi inertis atque ignavæ vitæ maculis contaminatus sit, ipse quidem pœnas luet : interim tamen angelus Domini omnipotentis est. *Ibid.*, epist. 349, *ad Silvan.*

65. Sacerdos malus graviores vitæ suæ rationes subibit, tantusque ad ipsius pœnam atque cruciatum cumulus accedet, quantus prius in eum honor collatus est. *Prosec.*

66. Nam qui ne sacerdotio quidem ornatus probitati studuit, ut gravius in eum animadvertatur, haud dubie promeretur. *Ibid.*, lib. 2, epist. 35, *ad Hermium comitem.*

67. Divina quædam res est sacerdotium, ac rerum omnium præstantissima. *Ibid.*, epist. 52, *ad Theodos. episc.*

68. Qui sacerdotii corona redimitus est, terrenarum rerum procurator verior est, quam qui purpuram gestat. *Ibid.*, epist. 200, *ad Hermogen. episc.*

69. Sacerdotii dignitas iis, qui non ut eo honore dignum est vivere instituerunt, supplicii et cruciatus accessio existit. *Ibid.*, lib. 3, epist. 275, *ad Martinian.*

70. Magna prorsus et admiranda sacerdotum est dignitas : maxima illis est collata potestas, sua namque prolatione eloquiorum cœlestium, et ad eorum plene libitum corpus Christi de panis substantiatur materia : descendit de cœlo in carne Verbum, et altaris verissime reperitur in mensa. *Prosec.* S. LAURENT. JUSTIN.

71. Hoc illis prærogatur ex gratia, quod nusquam datum est angelis : assistunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in seque suscipiunt.

72. Verum angelorum, sive adstantium, seu ministrantium, quoniam vice funguntur, potius angelicam quam humanam debent conversationem habere. *De Eucharist.*

73. Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Epist. 87, *ad Episc. African.*, cap. 1. S. LEO I

74. Perpende dignitatem tuam, quam sis pretiosus : nam angelis te fecit Deus præstantiorem. Homil. 15. S. MACHAR. ÆGYPT. SEN.

75. Sacerdos non est, qui pro sacerdotis dignitate non vivit. In *Tractat. parænetico.* S. NILUS.

76. Unum est sacerdotii nomen, sed non una, vel pro vitæ merito, vel pro animi virtutibus dignitas. Homil. 6 in cap. VIII *Levitici.* ORIGENES.

77. Sacerdos est coadjutor redemptoris, consiliarius Domini, dapifer mensæ Christi. Serm. 47. PETR. BLES.

78. In exterioribus quoque elucet dignitas sacerdotis. *Ibid.*

[illegible] 79. Dignus est dignitate sacerdotali, qui sua non inquinat vestimenta, qui sæcularia lenocinia postponit pro vera philosophia. Lib. 7, epist, 12.

S. PETRUS DAM. 80. Quid in Ecclesia sublimius, quid eminentius sacerdotio poterit inveniri? per quod videlicet mysterium Dominici corporis et sanguinis probatur offerri. Opusc. 6, cap. 15.

PHILO JUD. 81. Dei homines sacerdotes et prophetæ sunt : quorum major est dignitas, quam ut se misceat humanæ reipublicæ et mundi cives sint. *De Gigant.*

S. PROSPER. 82. Sacerdotes sunt post apostolos Ecclesiarum Christi fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, vindices oppressorum, patres in fide regeneratorum, prædicatores cœlestium, primi præliantes invisibilium præliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum et forma fidelium. *Prosec.*

83. Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget Ecclesia.

84. Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis, innititur omnis multitudo credentium.

85. Ipsi januæ civitatis æternæ, per quas omnes qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum.

86. Ipsi janitores, quibus claves datæ sunt regni cœlorum.

SALVIANUS. 87. Ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni dividuntur gradus et officia singulorum. *Ibid.*

88. Sacerdotes tanto antestare cæteris oportet devotione, quanto antestant omnibus dignitate : nihil enim est turpius, quam excellentem culmine et despicabilem vilitate. Lib. 2, *ad Eccles. cathol.*

THOMAS A KEMPIS. 89. Cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. *Ibid.*

90. Grande mysterium, et magna dignitas sacerdotum, quibus datum est quod angelis non est concessum. Lib. 4, *de Imit. Chr.*, cap. 5.

S. THOMAS A VILLANOVA. 91. Oportet te tantum cæteros præcedere virtute, quantum præcedis dignitate. Serm. 3, *Advent.*

De dignitate atque præstantia Sacerdotii, plura apud D. Joan. Chrys. reperies, qui libros sex de Sacerdotio conscripsit, lectu in hac materia dignissimos. *Item* homil. *de Verb. Isaiæ,* ac homil. 14, in II *Cor*; moral. homil. 10, in I *ad Thessalon.* ac homil. 3, in *Act. Apostol.* et *ad Hebr.* ultim. in illud : *Ipsi pervigilant.* Item super *Psalm.* CXVII, et CXXXI. Vide etiam B. Ephræm, *de Sacerdotio.* Item D. Greg. Naz. præsertim in *Apologet., orat.* 1, quæ incipit : *Billiana translatione.* Item D. Ignat. mart., epist. *ad Smyrnenses.* ac. *ad Heron.* Item D. Cyprian., lib. 1. epist. 3, et lib. 3, epist. 9, Item D. Leon., epist. 87, *ad Episc. African.*

## SACERDOTIS OFFICIUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Sacerdotis sit prodesse, si fieri potest, omnibus ; obesse nemini. *Prosec.* S. AMBROS.

2. Sacerdotis est nulli nocere, prodesse velle omnibus : posse autem, solius Dei est. Lib. 3, *Offic.*, cap. 9.

3. Vide quid agas, sacerdos, ne febrienti manu corpus Christi attingas : prius cura, ut ministrare possis. *De Viduis.*

4. Ubi causa, et munus, et officium sacerdotis, est, præfertur Aaron sicut sacerdos. Lib. 1, epist. 3, *ad Simplician.*

5. Nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat, non libere denuntiare. Lib. 1, epist. 29, *ad Theodos. imperat.*

6. Sacerdotes turbarum moderatores sunt : studiosi pacis, nisi cum ipsi moventur injuria Dei, aut Ecclesiæ contumelia. *Ibid.*

7. Jus ligandi et solvendi, solis permissum sacerdotibus est. *Prosec.*

8. Recte igitur Ecclesia vendicat, quæ veros sacerdotes habet : hæresis vendicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet.

9. Non vendicando autem ipsa de se pronuntiat quod cum sacerdotes non habeat, jus sibi vendicare non debeat sacerdotale.

10. Munus Spiritus sancti, est officium sacerdotis : jus autem Spiritus sancti in solvendis ligandisque criminibus est, quomodo igitur munus ejus vendicant, de cujus diffidunt jure et potestate? Lib. 1, *de Pœnit.*, cap. 2.

11. Ministerium sacerdotis est, fidelem esse ut possit eos, quorum est sacerdos, a peccatis liberare. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 2.

12. Nulli sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod possit Patrum regulis obviare ; et quamvis non teneatur scire omnes subtilitates juris, canones tamen communes obligantes, et ad suum officium spectantes, ignorare sine culpa non potest. Part. 3, tit. 13, *de Clericis*, cap. 3, § 4. S. ANTONIN.

13. Sacerdotes ex officio suscepto, non licentiam peccandi, sed necessitatem bene vivendi se noverint assecutos. *Ibid.*

14. Nihil in hac vita difficilius, laboriosius, periculosius presbyteri officio : sed apud Deum ni- S. AUGUST.

hil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Epist. 148, *ad Valerium.*

15. Officium sacerdotii est, intervenire pro reis. Epist. *ad Macedonium.*

16. Sacerdotium Judæorum, nemo fere fidelium dubitat figuram fuisse futuri sacerdotii regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi summi et veri principis sacerdotum. Lib. 2, *Quæst. evang.*, quæst. 40.

S. BERNARD. 17. Quadripertitum est officium sacerdotale, vivam carnis hostiam immolare; virtutum charismata Deo offerre; cum fervore martyrii cœlum intrare; gratiæ et precum vota cœlo transfundere. In suis *Sententiis*, verbo *Quadripertitum.*

S. DIONYS. AREOPAGIT. 18. Sacerdotes sunt Dei interpretes. Epist. 8, *ad Demophilum monach.*

GLOSS. INT. 19. Sacerdotum est opera sua sanctificatione speciali præ cæteris digna facere, et instanter agere, ut qui sibi junguntur, nomen Domini in se bene vivendo sanctificent. Super II *Esdræ*, cap. III.

GRATIAN. 20. Elaborandum est sacerdotibus, ut ignorantiam a se quasi quamdam pestem abjiciant. In *Decret.*, part. 1, dist. 37, can. *Ideo*, § *Ut itaque.*

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Officii sacerdotalis est, viduis desolatis impertiri solatia, ut unde in hoc mundo humana consolatione privantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire. Lib. 1, in *Registro*, indict. 7, cap. 13, epist. 13, *ad Dominic. episc. Centumcellens.*

22. Redemptor noster a sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas. *Ibid.*, lib. 5, indict. 14, cap. 128, epist. 28.

23. Decet Dominicum sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo, tanquam in vitæ suæ speculo, plebs commissa, et eligere quod sequatur, et videre possit quod corrigat. *Ibid.*, lib. 7, indict. 1, cap. 32.

24. Durum est, et proculdubio a sacerdotis officio alienum, et personam positam sub necessitate negligere et studio congregandi indecenter inhiare pecuniis. *Ibid.*, lib. 4, indict. 13, epist. 27.

25. Ecce mundus sacerdotibus plenus est : sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. Homil. 17, super *Evang.*

26. Verecundum est, et dicere pudet quia sacerdotis sibi ducatum arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderunt. Lib. 4, in *Registro*, indict. 14, cap. 97, epist. 53, *ad Childebert. regem Francorum.*

S. HIERON. 27. Considera sacerdotum esse officii, de lege interroganti respondere : si sacerdos est, sciat legem Domini; si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sacerdotem. Sacerdotis enim est, scire legem, et ad interrogationem respondere de lege. Super illud : *Interroga sacerdotes legem.*

28. Qui sacerdos est, et non corripit delinquentem, sacerdotis officium præterit. Super *Malach.*, cap. II, super illud : *Et multos avertit ab iniquitate.*

29. Sacerdotes debent esse excelsi vita, et scientia præeminentes. Super *Gen.*, cap. XII. HUGO CARD.

30. Sacerdotis est increpare de præteritis, arguere de præsentibus, obsecrare pro futuris cavendis. In *Prologo super Hierem.*

31. Sacerdos debet totum se offerre Deo per devotionem orationis, et per macerationem carnis. Super *Ezechiel.*, cap. I.

32. Officium sacerdotum est in duobus, scilicet in justitia et pace facienda; ut juste se habeant corripiendo populum, et pacem eis obtineant ad Deum orando. Super *Epist. ad Hebr.*, cap, 7.

33. Duo sunt maxime necessaria sacerdoti, S. INNOC. III splendor vitæ, splendorque scientiæ : ut videlicet tam exemplo, quam documento resplendeat. Serm. *de Sancto Silvestro.*

34. Sacerdotis est tantum arguere, liberamque S. JOANN. præstare admonitionem, non movere arma, non CHRYSOST. clypeos usurpare, non vibrare lanceam, sed arguere. Homil. 4, *de Verbis Isaiæ.*

35. Quasi communis quidam totius orbis pater sacerdos est : dignum igitur est, ut omnium curam agat omnibusque provideat, sicut et Deus, cujus ministerio servit et fungitur vice. Homil. 6, super I *Tim.*

36. Sicut iniqui et peccatores ministerium sa- S. ISIDOR. cerdotale assequi prohibentur, ita indocti et im- HISPALENS. periti a tali officio retrahuntur. *Prosec.*

37. Illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt, isti vero sua ignavia iniquos corrigere nesciunt; quomodo docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 35, sent. 1.

38. Sacerdos si digne agit, ut sacerdotem decet, ministerium ejus et sibi et aliis utile est : indigne autem vivens, aliis quidem utilis est loquendo, se autem interficit prave vivendo. *Prosec.*

39. Ac per hoc quod in illo mortuum est, proprium ejus est : quod vero vivit in eo, scilicet sacrum ministerium, alienum est. *Ibid.*

40. Sciat se amisisse nomen et officium sacerdotis, qui meritum perdidit sanctitatis. Epist. *ad Helladium episc.*

41. Sacerdos frequentatur in ecclesia, ut justis S. LAURENT. gratiam, peccantibus veniam, debilibus robur, JUSTIN. lætitiam mœstis, diligentibus exultationem, nutantibus spem, credentibus pacem, victoriam

certantibus, captivis libertatem, atque defunctis, conferat requiem. *De Eucharistia.*

42. Quanta cum veneratione in altare debet astare sacerdos, cui consecrandi hostias, offerendi incensum, atque intercedendi pro populo est impensa auctoritas? mediationis enim gerit officium. *Ibid.*

43. Accedat sacerdos ad altaris tribunal ut Christus, assistat ut angelus, ministret ut sanctus, populorum offerat vota ut pontifex, interpellet pro pace ut mediator, pro se autem exoret ut homo. *Ibid.*

S. LEO I. 44. Multum sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sua servatur auctoritas. Epist. 63, *ad Theodoret. episc. Cyri.*

45. Viros Ecclesiasticæ disciplinæ ignaros, in sacerdotale ministerium delegatos atque promotos esse, canonicæ est regulæ contrarium. Epist. 88.

ORIGENES. 46. Debent ipsi Ecclesiæ sacerdotes ita perfecti esse, et in officiis semper sacerdotalibus eruditi, ut peccata populi in loco sancto, ipsi non peccando non consumant. Homil. 5, in cap. VII *Levitici,* super illud : *Sacerdos qui obtulerit.*

PETR. BLES. 47. Sacerdos necesse est, ut sit minister fidelis, fidelior, fidelissimus : fidelis in cœnaculo, fidelior in auditorio, fidelissimus in cubiculo : in cœnaculo, ut sobrie erudiat; in auditorio, ut juste definiat; in cubiculo, ut pie intercedat : erudiat, quia seminiverbius; definiat, quia prælatus; intercedat, quia advocatus : seminiverbius in cathedra; prælatus in curia; advocatus in missa. Serm. 43.

48. Sacerdos est pastor, judex, intercessor : pastor in Ecclesia; judex in cathedra; intercessor in missa : pastor, ut sane erudiat; judex, ut juste definiat; intercessor, ut pie interveniat. Serm. 46.

49. Sit sacerdos verax in animo, dicto et facto : sicut enim vere dicitur : Verba sacerdotis aut vera, aut sacrilega sunt : ita non minus vere : Dicta et facta sacerdotis aut vera sunt, aut sacrilega. Serm. 48.

S. PETRUS DAMIANUS. 50. Sancti sacerdotis est, et quæ sancta sunt cogitare, et quæ mente conceperit, etiam in operibus evidenter exprimere : alioquin quid prodest bonum cogitare, nisi solerter invigilet, hoc ipsum et in operatione perficere? *Prosec.*

51. Elaborandum est ergo sacerdoti, ut et caput illius consecratum sit per piæ voluntatis intuitum, et manus ejus spiritualis olei sint charismate delibutæ per evidens sanctæ operationis indicium. Opusc. 25, cap. 1.

52. Sacerdotes qui Dei legitima nesciunt, leonum dentibus exponuntur : quia nimirum illos malignorum spirituum rabies devorat, qui sacrificiorum cultui temerariis ausibus insistentes, qualiter Deus rite colatur ignorant : sicque funguntur officio sacerdotum, ut sacerdotalis officii nesciant sacramentum. Opusc. 26, in præfat.

53. Hic jure vere fungitur sacerdotio, qui regulis non obviat Patrum, qui paternum non violat institutum. *Ibid.*, cap. 3.

54. Sancte vivendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet : si quod prædicat fieri debere, non faciat : aut quod non facit prædicare præsumpserit. *Prosec.*

55. Quia ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut non solum bene vivendo alios exemplo suæ conversationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando singulis ante oculos peccata sua constituat. Lib. *de Vita contempl.*, cap. 20.

56. Sacerdotes quidquid ad officium suum pertinet constanter exerceant. Consolentur afflictos, pascant egenos, vestiant nudos, redimant captivos, suscipiant peregrinos, errantibus viam salutis ostendant, desperatis spem veniæ consequendæ promittant, currentes impellant, remorantes accendant. *Prosec.* S. PROSPER.

57. Quis sic erit alienus a fide, ut dubitet tales sacerdotes contemplativæ virtutis esse participes? quorum exemplo simul et verbo, plures fiunt regnorum cœlestium cohæredes.

58. Isti sunt ministri verbi, adjutores Dei, oraculum Spiritus sancti : per tales Deus placatur populo, populus instruitur Deo. *Ibid.*, cap. 25.

59. Ipsis sacerdotibus proprie animarum curandarum sollicitudo commissa est : qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, velut pro suis infatigabiliter supplicant Deum. *Ibid.*, lib. 2, cap. 2.

60. In sacerdotali officio absque peccato in sæculo manere, difficilius est quam manere absque peccato in solitudine monachorum. *De Perf. vitæ spirit.*, cap. 20. S. THOMAS AQUINAS.

61. Nihil est periculosius et laboriosius officio sacerdotis, et nihil est Deo acceptabilius si bene exerceatur. *Ibid.*

62. O! quam magnum et honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et cæteris ministrare! *Prosec.* THOMAS A KEMPIS.

63. O! quam mundæ debent esse manus illæ, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis!

64. Ex ore sacerdotis, nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi accepit sacramentum. Lib. 4, *de Imit. Chr.*, cap. 11, sect. 6.

65. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, et aliis bonæ vitæ exemplum præbere, ejusque conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum angelis in cœlo, aut cum perfectis viris in terra. *Ibid.*, cap. 5, sect I.

## SACRAMENTUM.

HUGO CARD. *Etymologia.* Sacramentum, id est, sacrum secretum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.

CATECHISM. ROMANUS. *Definitio.* Sacramentum est invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem divinitus institutum.

S. BONAV. Sacramentum est materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione aliquam gratiam invisibilem conferens. Lib. 6 *Compendii theolog. veritatis*, cap. 2.

HUGO A S. VICTORE. Sacramentum est corporale, vel materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, et ex institutione significans, et ex sanctificatione continens aliquam invisibilem et spiritalem gratiam. *De Sacram.*, lib. 1 part. 9, cap. 2.

S. LAURENT. JUSTIN. Sacramentum est illud, in quo sub tegumento visibilium rerum divina virtus secretius operatur. Part, 1 *de Casto connubio*, cap. 18.

S. THOMAS AQUINAS. Sacramentum est signum rememorativum passionis Christi, et divinæ gratiæ demonstrativum, ac futuræ gloriæ prognosticum. Part. 3 *Summæ*, quæst. 60, art. 3.

CATECHISM. ROMANUS. *Divisio.* Septem sunt sacramenta : Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, Matrimonium.

HUGO A S. VICTORE. Tria sacramenta fuerunt sub lege naturali : decimæ, oblationes, sacrificia : decimæ in portionibus, oblationes in rebus, sacrificia in animalibus. *De Sacram.*, part. 12, cap. 4.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur : ornatus sacramentorum, redemptio captivorum est. *Prosec.*

2. Tunc vas Dominici sanguinis agnosco, cum in utroque videro redemptionem; ut calix ab hoste redimat, quos sanguis a peccato redemit. Lib. 2 *Offic.*, cap. 28.

3. Eos, qui adversus divina sacramenta contendunt, decipere sua consuevit astutia. Lib. 2 *de Spiritu sancto ad Gratianum.*

4. Quisquis Dominicis non interest sacramentis, necessario apud Deum castrorum desertor est divinorum. *Prosec.*

5. Nam quomodo se excusare potest, qui diu sacramentorum prandium domi sibi præparans, prandium cœleste contemnit : et ventri curam faciens, animæ suæ negligit medicinam ? Serm. 1, *de Grano sinapis.*

6. Diviniora et puriora sacramenta sunt christianorum, quam Judæorum, Lib. 1 *de Sacram.*, cap. 4.

S. ANTONIN. 7. Heu quam dolendum ! certe gentiles suis sacris falsisque exhibebant multo majorem reverentiam, quam fideles exhibent veris sacramentis. Part. 2, tit. 1, cap. 21, § 5.

S. AUGUST. 8. Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem christiani populi, hoc est, sub uno Deo liberæ multitudinis continerent. *De Vera relig.*, cap. 17.

9. Sicut sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, et sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita sacramentum fidei, fides est. Epist. 23, *ad Bonifac.*

10. Spiritus ille sanctus, qui habitat in sanctis, agit quod agit, etiam per servitutem aliquando non solum simpliciter ignorantium, verum etiam damnabiliter indignorum. *Ibid.*

11 Si perfunctorie atque adulatorie res sacra agatur, nihil apud Deum miserius, et tristius, et damnabilius. Epist. 148, *ad Valerium.*

12. In nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur. Lib. 19, *contra Faustum*, cap. 11.

13. Sacramenta veteris legis ablata sunt, et ideo ablata, quia impleta ; et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. *Ibid.*, cap. 13.

14. Hæc omnia scilicet sacramenta, fiunt et transeunt, virtus tamen, quæ per ista operatur, jugiter manet, et donum spiritale, quod per ista insinuatur, æternum est. *Ibid.*

15. Non minus hærent sacramenta christiana, quam corporalis nota militiæ. Lib. 2 *contra Epist. Parmeniani*, cap. 13.

16. Memento sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint : sed ipsis malis hominibus, ut hæc habeant ad testimonium damnationis, non ad adjutorium salutis. Lib. 2 *contra Litt. Petilianas*, cap. 47.

17. Sicut in sacramentis Veteris Testamenti vivebant quidam spiritales : sic et nunc in sacramentis Novi Testamenti, quod jam revelatum est, plerique vivunt animales. Lib. *de Baptismo*, cap. 15

18. Omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus. Lib. 2 *contra Epist. Parmeniani*, cap. 10.

19. Deus adest sacramentis et verbis suis per quoslibet administrentur, et sacramenta Dei

ubique recta sunt, et mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt. Lib. 5 *de Baptismo*, cap. 19.

20. Percussum est latus Christi in cruce pendentis de lancea, et profluxerunt Ecclesiæ sacramenta. Super *Psalm.* LVI, vers. 5.

21. Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem : mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, faciliora. Super *Psalm.* LXXIII, in Præfat.

22. Sancta possunt obesse. In bonis enim sancta ad salutem prosunt, in malis insunt ad judicium. Tract. 6 super *Evang. Joan.*, cap. I.

23. Sacramentis divinis fides plusquam verborum argumentatio adhibenda est. Lib. 2 *de Visit. infirm.*, cap. 2.

24. Nec foris, nec intus quisquam, qui ex patre diabolo est, potest in se, vel in quoquam maculare sacramentum, quod Christi est. Hab. in *Decret. Gratiani*, part, 2, causa 1, canon. *Nec.*

25. Neque in homine bono aliquis Dei sacramenta fugiat, neque in homine malo. *Ibid.*, can. *Neque.*

26. Varietas signorum, cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur. Epist. 5.

27. Si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Epist. 2 *ad Bonifac.*

28. Non sacramenta christiana faciunt hæreticum, sed prava dissensio. Epist. 48.

29. Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi Christus colligavit. Epist. 118, cap. 1.

30. Communio malorum non maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensione factorum. Epist. 152.

31. Cæditur mater Ecclesia in sacramentis, quibus genuit et nutrivit ingratum. Epist. 168.

32. Si a persecutoribus vestis non conscissa est pendentis in cruce, cur a christianis destruitur sacramentum sedentis in cœlo ? Epist. 203.

33. Sacramenta signacula rerum divinarum sunt visibilia, sed res invisibiles in eis honorantur. *De Catechiz. rud.*, cap. 26.

34. Opera legis partim in sacramentis, partim vero in moribus accipiuntur. In *Expos. Epist. ad Galat.*, cap. III.

35. Sacramentis divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium. Lib. 3 *de Baptismo contra Donat.*, cap. 10.

36. Fieri potest ut homo integrum habeat sacramentum, et perversam fidem. *Ibid.*, cap. 14.

37. Sanctitas sacramenti nec ab immundis pollui potest. *Ibid.*, lib. 4, cap. 13.

38. Per peccatorem sacramenta possunt celebrari. *Ibid.*, lib. 5, cap. 20.

39. Gratiæ sacramentum dat Deus per malos, ipsam vero gratiam non nisi per seipsum, vel per sanctos suos.. *Ibid.*, cap. 21.

40. Cum malus tradit bono sacramentum ; inter bonum sacramentum quod traditur, et bonum fidelem cui traditur, tradentis malitia non separat. *Ibid.*, lib. 7, cap, 4.

41. Salus propria est bonis, sacramenta vero communia et bonis et malis. *Ibid.*, lib. 7, cap. 33.

42. Sicut bonam legem potuit habere reprobus populus Judæorum, sic bonum Sacramentum potest habere reproba societas hæreticorum. Lib. *contra Crescon.*, cap. 34.

43. Sacramenta quibus mali uti possunt, quanto sanctiora sunt, tanto ab eis inutilius pœnaliusque tractantur. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1,

44. Christiana in hæreticis sacramenta cognosco. *Ibid.*, cap. 10.

45. Sacramentum male utentem judicat, bene accipientem sanctificat. *Ibid.*, cap. 28.

46. Inter fidelem perfidumque discernimus humana merita, non sacramenta divina. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

47. Præstat in usu sacramentorum bonum habere ministrum. *Ibid.*, lib. 4, cap. 20.

48. Quantacunque sciamus sacramenta, nullus novit Dei omnia sacramenta, In serm. *de Gestis cum Emerito.*

49. Absit ut prædestinatus ad vitam, sine sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam. Lib. 5 *contra Julian.*, cap. 4.

50. Hæretici sacramenta tenent ad speciem, non ad salutem. Lib. 3 *de Baptismo contra Donat.*, cap. 19.

51. Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Tract. 80 super *Joan.*

52. Spiritualis virtus sacramenti est ut lux, et ab illuminandis pura excipitur : et si per immundos transeat, non inquinatur. *Ibid.*, tract. 52.

53. Aliud est res sacramenti, aliud virtus sacramenti. *Ibid.*, tract. 26.

54. Sacramenta vetera et nova, in signis diversa sunt : sed in re quæ significatur, paria sunt. *Ibid.*

55. Unctio spiritalis Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili. Tract. 3 super *Epist. Joan.*

56. Habere sacramenta omnia et malus potest. *Ibid.*, tract. 7.

57. Sacramentum sine re sacramenti sumenti

S. BERNARD.

mors est : res vero sacramenti etiam præter sacramentum, sumenti vita æterna est. *De Vita solit.*

S. BONAV.

58. Contra peccati vulnus sacramentorum media Deus instituit. Super lib. 4 *Sent.*, dist. 2, art. 1, quæst. 3.

59. Ex quo homo ægrotare cœpit, Deus reparando in sacramentis suis medicinam præparavit. *Ibid.*, dist. 1, art. 1, quæst. 5.

60. Sacramenta dicuntur gratiæ vasa, et causa. In *Breviloquio*, part. 6, cap. 1.

61. In lege nova statuta sunt sacramenta, numero pauciora, quam in lege scripta, utilitate tamen potiora, virtute efficaciora, et præeminentia digniora. *Ibid.*, cap. 2.

62. Sacramenta a peccato mundant, in bono conservant, corpori Christi mystico incorporant, animam justificant, ad futuram vitam præparant, erudiendo illuminant, a malo præservant. Lib. 6 *Comp. Theolog. verit.*, cap. 4.

63. Primi temporis sacramenta fuerunt sicut umbra, medii temporis sicut imago sive figura, postremi vero temporis, scilicet gratiæ, sicut corpus, quod intra se veritatem continet et gratiam. *Ibid.*, cap. 8.

S. CYRILLUS HIEROSOL.

64. Non dat Deus sancta canibus, sed ubi bonum videt propositum, illic salutare sigillum et admirandum imprimit. *Cateches.*

S. ELIGIUS.

65. Metuenda sunt quidem sacramenta, quia sacramentorum tam magnifica mysteria ab indignis tractantur : desideranda vero, quia in his tutissimum nostræ salutis speramus habere suffragium. Homil. 8.

GLOSS. ORD.

66. Sacramentum Dei velut thesaurus fidelibus erogatur, perfidis absconditur. Super illud II *Cor.* IV : *Habemus thesaurum.*

67. Dum sacramenta violantur, ipse, cujus est sacramentum, violatur. Super *Malach.*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS.

68. Foris sacramenta percipimus, ut intus sancti Spiritus gratia repleamur. Lib. 6 in I *Regum*, cap. 3, super illud XVI : *Et directus est Spiritus Domini.*

69. Virtus sacramenti gratia est Spiritus septiformis. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. 4, super illud X : *Et ostendam tibi quæ facias.*

70. Unctio sacramentum est : is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur. *Ibid.*, cap. 5.

71. Virtus sacramenti gratia est Spiritus septiformis, quam gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde immutantur. *Ibid.*, cap. 5, super illud : *Immutavit ei Deus cor.*

72. Sacramenta ab Ecclesiæ doctoribus foris accipiuntur, sed sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius quisque roborantur. *Ibid.*

S. GREGOR. NAZ.

73. Abominabile est, quæ pura sunt, impura manu contingere. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. GREGOR. THAUMAT.

74. Res maculæ omnis expertes impura manu contrectare, nefarium, et execrabile est. Super *Eccl.*, cap. 7.

HUGO A S. VICTORE.

75. Oleum in sacramentis illuminat, ungit, et pascit : illuminat animam fide, ungit devotione, pascit dilectione. Lib. 3 *de Anima*, cap. 50.

76. Tria simul sunt : fides, sacramentum, opus : in fide christiano fortitudo tribuitur; in sacramentis, arma; in operibus bonis, tela contra diabolum pugnaturo. Lib. 1 *de Sacrament.*, part. 9, cap. 8.

77. Sacramenta Christi non solum arma, sed et medicamenta sunt : medicamenta, quia sanant infirmos : arma, quia protegunt sanos. In *Dialogo de sacram. Legis naturalis et scriptæ.*

78. Tria sunt in sacramento : repræsentatio ex similitudine, significatio ex institutione, virtus ex sanctificatione. Ipsa similitudo ex creatione est ; ipsa institutio ex dispensatione; ipsa sanctificatio ex benedictione : prima indita per Creatorem; secunda adjuncta per Salvatorem; tertia ministrata per dispensatorem. Lib. 1 *de Sacram.*, part. 9, cap. 2.

79. Triplici ex causa sacramenta instituta esse noscuntur : propter humiliationem, propter eruditionem, propter exercitationem. Propter humiliationem, ut dum homo rationalis creatura insensibilibus elementis, ex præcepto Creatoris sui subjicitur; ex hac ipsa sua humiliatione Creatori suo reconciliari mereatur. Propter eruditionem, ut per id quod foris in sacramento, in specie visibili cernitur, ad invisibilem virtutem, quæ intus in re sacramenti constat agnoscendam, mens humana erudiatur. Propter exercitationem, ut dum mens humana per varias operum species foris exercitata colitur, ad multiplicem virtutis fructum interius fœcundetur. *Ibid.*, cap. 3 per totum.

HUGO CARD.

80. Sacramenta ecclesiastica, pigmenta vocantur, quia redolent : suavitatis dona, quia suavia sunt ; dona Spiritus sancti, quia illis sanatur anima. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXVIII.

S. JOANNES CHRYSOST.

81. In Sacramentis, quæ a Deo data sunt, sacerdos nihil quidquam efficere potest, sed Pater, et Filius et Spiritus sanctus omnia facit : sacerdos et linguam tantum, et manus præbet. Homil. 85. super *Joan.*

82. Si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus Sanctum dederis, nec Sanctum illos sanctificat : sed e contra ipsi Sanctum coinquinant. Homil. 17 super *Matth. Oper. imperf.*

PETRUS BLESENS.

83. Magna in sacramentis est eminentia, quorum fide intelligentia potius expedienda est, quam

adinventione humana Epist. 140, *ad Petrum clericum.*

PETR. DAM. 84. Qui a non habentibus, sacramenti gratiam suscipiunt, vana sacramenti specie deluduntur. Opuscul. 6, cap. 29.

ROBERTUS BELLARM. 85. Sacramenta visibilia, sunt alligamenta peccatorum, per quæ Deus peccata curare solet. Super *Psalm.* XLVI, vers. 3.

S. THOMAS AQUINAS. 86. Cum virtus sacramenti sit a solo Deo, solus ille sacramentorum institutor est. Part. 3, quæst. 64, art. 2.

87. Omnia sacramenta sunt quædam fidei protestationes. *Ibid.*, quæst. 72, art. 5.

88. Omne sacramentum est vel ad purgandum, vel ad illuminandum, vel ad perficiendum. In *Supplem.*, part 3, quæst. 29, art. 1, argum. 3.

Vide etiam. tit. *Simonia*, sent. 8, 17, 18, 20, 21, 22.

## SACRIFICIUM.

COLLECTOR. *Definitio.* Sacrificium est oblatio externa rei sensibilis per realem illius mutationem, a legitimo ministro facta Deo, in testimonium supremi dominii ipsius et nostræ subjectionis.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Dæmones sibi tanquam diis sacrificari volunt. Lib, 19 *de Civit. Dei*, cap. 21.

2. Angeli nolunt nos sibi sacrificare, sed ei, cujus et ipsi nobiscum sacrificium se esse noverunt. *Ibid.*, lib. 10, cap. 7.

3. De maligna dæmonum potestate nos liberat singulare sacrificium sancti sanguinis fusi, et donum spiritus impartiti. *Ibid.*, lib. 4, cap. 31.

4. Quæcunque adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacrificia mortuorum tanquam deorum : non, inquam, ista esse sacrificia martyrum novit, qui novit unum quod Deo illic offertur sacrificium christianorum. *Ibid.*, lib. 8, cap. 27.

5. Sacrificium certe, nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Deo soli. *Ibid.*, lib. 10, cap. 4.

6. Sacrificium visibile, invisibilis sacrificii sacramentum signum est. *Ibid.*, lib. 10, cap. 5.

7. Non vult Deus sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. *Ibid.*

8. Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo. *Ibid.*, lib. 10, cap. 6.

9. Ipsa misericordia, qua homini subvenitur, si propter Deum non sit, non est sacrificium *Ibid.*

10. Etsi ab homine fit vel offertur sacrificium, tamen sacrificium res divina est. *Ibid.*

11. Ipse homo Dei nomini consecratus, et Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est. *Prosec.*

12. Corpus etiam nostrum, cum per temperantiam castigamus propter Deum sacrificium est. *Ibid.*

13. Visibilia sacrificia sunt signa sacrificiorum invisibilium, sicut verba sonantia signa sunt rerum. *Ibid.*

14. Recte offertur sacrificium, cum offertur Deo vero, cui uni tantummodo sacrificandum est. *Ibid.*, lib. 15, cap. 7.

15. In Melchisedech primum apparuit sacrificium, quod nunc a christianis offertur Deo toto orbe terrarum. *Ibid.*, lib. 16, cap. 22.

16. Sacrificium corporis et sanguinis Christi, successit omnibus illis sacrificiis Veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. *Ibid.*, lib. 17, cap. 20.

17. Terrena civitas fecit sibi quos voluit falsos deos, quibus sacrificando serviret : cœlestis autem falsos deos non facit, sed a vero Deo ipsa fit, cujus verum sacrificium ipsa sit. *Ibid.*, lib. 18, cap. 54.

18. Non erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus : sed uni Deo, et martyrum et nostro sacrificium immolamus. *Ibid.*, lib. 22, cap. 10.

19. Non uno modo sacrificatur transgressoribus angelis. Lib. 1 *Conf.*, cap. 17.

20. Sacrificari pro me nollem dæmonibus, quibus me sacrificabam. *Ibid.*, lib. 4, cap. 2.

21. Accipe sacrificium confessionum mearum de manu linguæ meæ. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

22. Ubi putas sacrificium justitiæ sacrificari, nisi in templo mentis et in cubilibus cordis ? *De Magistro*, cap. 1.

23. Sacrifica lacrymas tanquam vulnerati sanguinem cordis. Epist. 199.

24. Antiquorum sacrificiorum non egebat Deus, nec cujusquam eget unquam. Epist. 5.

25. Sacrificia non Deo, sed nobis utilia sunt. *Ibid.*

26. Est res antiqua sacrificium, quod non nisi uni Deo vero offerri oportere, veraces et sacræ Litteræ monent. Epist. 49, quæst. 3.

27. Sacrificia cum exhibentur Deo, vera religio est : cum autem dæmonibus, noxia superstitio. *Ibid.*

28. Gratior est Deo pro fratre deprecatio, ubi sacrificium charitatis offertur. Epist. 126.

29. Nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum sacrificamus. Lib. 20, *contra Faust.*, cap. 21.

30. Ab oriente sole usque in occidentem, non in uno, sicut Judæis fuerat constitutum, sed in

omni loco offertur sacrificium christianorum, non cuilibet Deo, sed Deo Israel. In orat. *advers. Judæos*, cap. 9.

31. Sacrificia visibilia, cum sint in terrenis rebus exigua, magnarum et divinarum signa sunt rerum. Lib. 1 *contra Advers. legis*, cap. 16.

32. Sacrificiis Deum non egere quis nescit? sic nobis, non illi, utile est offerre sacrificium Deo. *Ibid.*, cap. 18.

33. Non est sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum. *Ibid.*

34. Sacrificii Ecclesiæ umbræ fuerunt omnium priorum genera sacrificiorum. *Ibid.*

35. Nulla ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus, offeratur sacrificium corporis et sanguinis Christi. Lib. 1 *de Anima et orig.*, cap. 11.

36. Christus factus est sacrificium pro peccato, quia nullum habebat ipse peccatum. Tract. 41 super *Joan.*

37. Sacrificium volo quod prosit homini. Homil. 6 *ex* LIII *Homil.*

38. Sacrificium christiani est eleemosyna in pauperem. *Ibid.*, homil. 29, cap. 1.

S. BASILIUS MAGN. 39. Perpetuo Deus sacrificium non quasi eo egeat, meo arbitratu quærit : magis vero sacrificium illud admittit ut magnificum acpretiosum, mentem videlicet, quæ pietatis ac justitiæ studio nititur. Epist. 87, *ad Simpliciam hæreticam.*

S. BERNARD. 40. Magna puritate cordis debet ille intendere in eum cui sacrificium offert; seipsum attendere, qui offert, intelligere quod offert. *De Vita solit.*

S. BONAV. 41. Cor, et non substantiam pensat Deus : nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto offeratur. Serm. 2 *Dom.* 5 *post Pent.*

CASSIODOR. 42. Ipsum sacrificium honorat Dominum, quod puritate fidei, et actionum probitate fuerit immolatum. Super *Psalm.* XL, vers. ult.

43. Qui moritur mundo, hostia fit Christo. *Ibid.*, vers. 15 : *Immola Deo.*

FRANCISCUS TITELM. 44. Nullum est sacrificium tam a nobis Deo debitum, quam ut vitam juxta ejus voluntatem ducamus. In *Elucid. super Psalm.* IV, vers. 6.

GLOSS. INT. 45. Humiliatum cor, sacrificium est Deo. Super *Psalm.* CXXX.

46. Non perpendit Deus quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. Super *Luc.*, cap. XXI.

S. GREGOR. MAGNUS. 47. Hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Homil. 35 super *Evang.*

48. Gratum Deo sacrificium est, afflictio contra peccatum. Homil. 10 super *Evang.*

49. Nullum est tam gratum Deo sacrificium, quam zelus animarum. *Super septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* IV, vers. 14 ; et homil. 12 super *Ezech.*

50. Hoc inter sacrificium atque holocaustum distat : quod omne holocaustum, sacrificium est : sed non omne sacrificium, est holocaustum. *Prosec.*

51. In sacrificio etenim pars pecudis, in holocausto vero totum pecus offerri consueverat.

52. Qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, oppressos defendere festinant, sacrificium offerunt.

53. Qui vero nihil sibimetipsis reservant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Domino immolant, isti holocaustum offerunt. *Ibid.*, homil. 20.

54. Quidquid in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Lib. 6 in *Registro*, indict. 2, cap. 110, epist. 110.

55. Placens sacrificium Deo, corporum nostrorum mortificatio est. Lib. 1 super *Levit.*, cap. 1. HESYCHIUS.

56. Qui claudam, et mutilam, et qualibet sorde maculatam obtulerit hostiam, sacrilegii reus est. epist. 7, *ad Lætam.* S. HIERON.

57. Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino. Lib. 1 *advers. Jovian.*

58. Sacrificia reprobabuntur oblationum, nisi purus et sanctus fuerit animus offerentis. Epist. 8, *de Scientia divinæ legis.*

59. Deus non quærit sacrificia, sed offerentium animum. Lib. 18 super *Isaiam*, cap. LXVI, super illud *Malach.* II : *Omnia quæ oderam faciebatis.*

60. Melius est offerre Deo pro incertis peccatis sacrificia, cum non debeas, quam ingratum esse, cum debeas. Serm. *in Job et Abraham.* S. JOANNES CHRYSOST.

61. Sacra oblatio sive illam Petrus, sive illam Paulus sive cujusvis meriti offerat, eadem est quam dedit Christus ipse discipulis : quamque sacerdotes modo conficiunt, nihil habet ista quam illa minus. Homil. 2 super II *Tim.*

62. Sacrificium maximum, humilitas est : hoc sacrificium humilitatis multo melius est, quam Judæorum. Homil. 2 super *Psalm.* L, vers. *Sacrificium Deo spiritus.*

63. Sacrificemus, dilectissimi, sacrificemus in ipsis sacrariis quotidie, hoc et oratione et jejunio, et multis hujusmodi officiis majus est sacrificium: modo ex justo labore fiat et lucro, et omnis sit expers avaritiæ, rapinæ, violentiæ. Hæ oblationes Deo gratæ sunt, alias respuit oditque, neque vult alienis calamitatibus honorari. *Prosec.*

64. Impium enim et profanum id sacrificium

est, et irritat potius Deum, quam placet. *Ibid.*, homil. 12 super *Joan.*

65. Non pecora, non vitulos, sed te totum Deo offeras sacrificium, sic viventem hostiam exhibebis : nam quæ superiori tempore figura erant, holocausta, sacrificia non sunt amplius ; sed omnia veritas. Homil. 32, in illud : *In spiritu et veritate adorare.*

66. Sacrificium Christi semper nos purgat. *Ibid.*, homil. 17.

67. Sacrificium illud horrore, ac reverentia plenissimum est. Lib. 6 *de Sacerd.*

68. Sacerdoti horrendum sacrificium celebranti angeli assident, et cœlestium potestatum universus ordo, et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, angelorum choris plenus est. *Ibid.*

S. IRENÆUS. 69. Purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei : non quod indiget a nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus. Lib. 4 *advers. Hæres.*, cap. 24.

70. Non sacrificia sanctificant hominem, non enim indiget sacrificio Deus, sed conscientia ejus, qui offert, sanctificat sacrificium, pura existens. *Ibid.*

LACT. FIRM. 71. Duo sunt quæ offerri debent Deo, donum et sacrificium. Donum in perpetuum, sacrificium ad tempus : donum, est integritas animi : sacrificium, laus et hymnus. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 25.

72. Illa quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt, hoc sacrificium verum non est : nec quod ex arca, sed quod ex corde profertur : non quod manu, sed quod mente libatur ; hæc acceptabilis victima est Deo, quam de seipso animus immolat. *Prosec.*

73. Nam quid hostiæ ? qui thura ? quid vestes? quid aurum ? quid argentum? quid pretiosi lapides conferunt, si colentis pura mens non est ?


74. Sola ergo justitia est, quam Deus expetit : in hac sacrificium, in hac Dei cultus est. In *Epitome*, cap. *Nam.*

ORIGENES. 75. Non est acceptum Deo sacrificium, nisi verum et sincerum. Habet in *Decret. Gratiani*, part. 2, *de Pœnit.*, dist. 3, can. *Inter.*

PHILO JUD. 76. Sacerdotes offerunt quæ decet offerri, non cruentas victimas, sed similam cibum hominis purissimum, quod perpetuum et quotidianum est sacrificium. Lib. 1 *de Victimis.*

77. Veri Dei templum non patet profanis sacrificiis. *Ibid.*, lib. 2.

78. Gaudet Deus aris, nullo igne calentibus, quas cingit virtutum chorus. Lib. *de Plant. Noe.*


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

79. Sicut videndum est quid et cui offeras : ita etiam considerandum est ubi offeras, quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam locus non est. *Sent.* 15 ex August. excerpt. S. PROSPER.

80. Sacrificium gratum et acceptum Deo nostro, mentis modestia est. Super *Psalm.* L, vers. 18 : *Sacrificium Deo.* S. THEODOR.

81. Juge sacrificium in ara cordis est bona voluntas semper bene agendi, et semper Deo serviendi. In *Hortulo rosar.*, cap. 12. THOMAS A KEMPIS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

82. Divinum numen placandum est atque demulcendum precibus et sacrificiis. Sizygia 2, in *Dialogo Theagis.* PLATO.

83. Grave indignumque esset, si Deus ad nostra sacrificia respiceret, non vero ad animum, si quis pius et justus nimirum sit. Sizygia 4, in *Dialog. Alcibiadis.*

Vide etiam tit. *Eucharistia*, sent. 211, 212, 213, 226 ; *Sacramentum*, in Divisione ; *Suffragia defunctorum*, sent. 5, 6 ; *Votum*, sent. 49.

## SACRILEGIUM.

*Etymologia.* Sacrilegium dicitur, quasi sacrilædium, eo quod lædat sacra Deo. COLLECTOR.

Sacrilegi dicuntur a profana diligentia : sacrum enim, mundum et profanum significat. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. X. GLOSS. ORD.

Sacrilegus dicitur ab eo quod sacra legit, id est, furatur. Lib. 10 *Etym.*, verbo *Sacrilegus.* S. ISIDORUS HISPALENS.

*Definitio.* Sacrilegium est sacræ rei læsio, seu violatio. Part. 2, tit. 2, cap. 21. S. ANTONIN.

Sacrilegium est vitium, quo irreverentia exhibetur personis, vel locis, vel rebus sacris. *Ibid.*

Sacrilegium est publici juris transgressio. *In Decretis Gratiani.* GLOSS. DECR.

Sacrilegium est quoties quis sacrum violat, vel auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro. In *Decretis*, causa 17, quæst. 4, can. *Si quis.* GRATIAN.

Sacrilegium est sacrosancti violatio. Super *Epist. ad Romanos*, cap. II, in illud : *Sacrilegium facis.* S. HIERON.

Sacrilegus ille est, qui aliquid aufert sacri. Lib. 7 *de Benef.*, cap. 7. SENECA.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Gravius est sacrilegium commissum in personam sacram, quam locum sacrum : quia sanctitas loci ordinatur ad sanctitatem hominis. Part. 2, tit. 1, cap. 21, § 1. S. ANTONIN.

2. Sicut qui Ecclesiam Dei devastat, et ejus prædia, et donaria spoliat et invadit, fit sacrilegus : sic ille qui Sacerdotes ejus insequitur, sacrilegus judicatur. *Ibid.*

3. Qui detinent legata facta ecclesiis vel aliis piis locis, et non solvunt, sacrilegium committunt. *Ibid.*, cap. 21, § 3.

4. Vasa sacra et vestes sacras, et alia ornamenta ecclesiæ, et multo magis reliquias sanctorum irreverenter tractare, vel immundas tenere, et laicos uti in suis repræsentationibus, his quæ sacrata sunt magnum sacrilegium est. *Ibid.*, cap. 21, § 5.

5. O quam detestabilis est incuria quorumdam clericorum, qui calices permittunt rubigine destrui, toballeas, et pallas altaris, et corporalia turpissima remanere, casulas et alia paramenta totaliter dilacerari : et tamen ipsi miserrimi non paterentur talibus vestibus indui, aut talibus toballeis mensam suam parari ; et quid sunt ista, nisi sacrilegia? *Ibid.*

6. Magnus honor, magna est potestas sacerdotum : sed si non vivunt caste, sed luxuriose, sacrilegium committunt. Part. 2. tit. 5, cap. 8, § 2.

7. Temeritas asserendæ incertæ dubiæque opinionis, difficile sacrilegii crimen evitat. *De Genesi ad litt. imperf.*, cap. 1.

8. Sacrilegium tanto est gravius peccatum, quanto committi non potest, nisi in Deum. Lib. 4 *contra Cresconium*, cap. 10.

9. Trahit ad consortium plerumque criminis plurimos, catena sacrilegii. *Ibid.*

10. Non undecunque tollere, hoc est sacrilegium ; sed qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur. Tract. 50 super *Evang. Joan.*, cap. XII.

11. Jejuniis sacrilegorum, meliora sunt prandia justorum. *De Bono conjug.*, cap. 8.

12. Nimis amando sententiam suam, usque ad sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. Lib. 2 *de Baptismo contra Donat.*, cap. 5.

13. Justum est ut etiam in sacrilego non violem quod verum invenio sacramentum : nec sic emendem sacrilegum, ut in eo perpetrem sacrilegium. *De unico Baptismo*, cap. 3.

14. Religiosi sacrilegos persequuntur, non sane nocendi studio, sed necessitate potius consulendi. Lib. 4 *contra Crescon.*, cap. 46.

15. Ei pœna est, qui sanctum tractat illicite, et ille est corrigendus : non sanctum quod illicite tractat, illicite rescindendum. Lib. 2 *contra Crescon.*, cap. 30.

S. BERNARD. 16. Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Epist. 2 *ad Fulconem*.

GLOSS. INT. 17. De verbis Domini humano sensu argumentari, sacrilegium est. Super *Hierem.*, cap. XXXI.

18. Sacrilegium, et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis, suis tentaverit compendiis retinere. Lib. 8 in *Registro*, ind. 3, cap. 6, epist. *ad Sabinum subdiac.* S. GREGOR. MAGNUS.

19. Amico quippiam rapere, furtum est : Ecclesiam vero fraudare, sacrilegium est. Epist. 2 *ad Nevotian.* S. HIERON.

20. Pars sacrilegii est, rem pauperum dare non pauperibus. Epist. 26, *ad Pammach.*

21. Vas Christo oblatum, Domino dedicatum, dementi temeritate polluere, sacrilegium est. Epist. 22, *ad Susannam, in corruptorem ipsius.*

22. Sacrilegium avaritiæ copulatum est. Lib. 16 super *Isaiam*, cap. XIX, super illud : *Opera eorum, opera inutilia.*

23. Hæc vivorum mors est, vivere sacrilegiis. Super *Psalm.* CXXIII. S. HILARIUS

24. Sacrilegium committitur, si quis infregerit ecclesiam. Epist. *ad omnes Episcop.* Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 16, quæst. 4, can. *Quisquis*, § *Sacrilegium.* JOAN. VII.

25. Qui res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, et sacrilegus deputandus est. *Prosec.* S. PETRUS DAMIANUS.

26. Qui Ecclesiæ bona sine Ecclesia suscipit, tanquam raptor atque sacrilegus anathematizari debet. Lib. 1, epist. 13, *ad Alexandr. papam.*

27. Absit, ut quod ex offerentium merito sacrum est, in sacerdotum manibus sacrilegium fiat. Lib. 4, epist. 1, *ad Albert. episc.*

28. Sciat se committere sacrilegium, sublata e possessione Dei re sacratissima. *De Decalogo.* PHILO JUD.

29. Sacrilegii crimen incurrit, qui prædia ecclesiastica vexat. Hab. in *Decret. Gratiani*, parte 2, causa 12, quæst. 2, can. *Prædia.* S. PIUS PAPA.

30. Sicut qui Ecclesiam Dei devastat, et ejus prædia spoliat et invadit, fit sacrilegus : sic ille, qui ejus sacerdotes insequitur, sacrilegus judicatur. *Ibid.*, part. 2, causa 17, quæst. 4, can. *Sicut.*

31. Non gravius est peccatum fornicatio, quam sacrilegium : sicut enim majus peccatum est, quod in Deum committitur, quam quod in hominem sic gravius est sacrilegium agere, quam fornicari. *Ibid.*

32. Quisquis de thesauro Ecclesiæ, vel de substantia Deo famulantium aliquid occulte abstrahit, sacrilegium perpetrat. Super *Epist. ad Romanos*, cap., II can. 22. S. REMIG.

33. Genus est sacrilegii, ubi christianus malorum cultibus communicat, quorum festivitatibus delectatur. Lib. 6, *de Gubern. Dei.* SALVIANUS.

34. Sacrilegii genus est, Dei odisse cultores. *Ibid.*, lib. 8.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 35. Loca sacra et religiosa profana haberi, sacrilegium est. Orat. 30, *de Haruspic. responsis.*, num. 9.

36. Sacrilego pœna est; nec ei soli, qui e sacris abstulerit, sed etiam ei qui sacro commendatum. Lib. 2, *de Legib.*, num. 40.

PLATO. 37. Quicunque deprehensus in sacrilegio fuerit pœnis afficiatur. Sizygia. 4, lib. 9, *de Legibus.*

SENECA. 38. Nihil in rerum natura tam sacrum est, quod sacrilegium non inveniat, sed ideo divina minus in sublimi sunt. *De Constant. sapient.*, cap. 3.

39. Quisquis id quod deorum est sustulit et consumpsit, atque in usum suum vertit, sacrilegus est. Lib. 7, *de Benef.*, cap. 7.

40. In his observatur sacrilegium, quæ religio numini adscripsit. *Ibid.*

41. Malum est sacrilegium, et plurima mala facit, sed cum tormentis et corporis et animi. Epist. 87.

42. Sacrilegia minuta puniuntur, magna triumphis feruntur. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Furtum*, sent. 5; *Mendacium*, sent. 65; *Mysterium*, sent. 21; *Paupertas in genere*, sent. 23, 24; *Peccatum in genere*, sent. 290; *Sacerdotis dignitas*, sent. 10; *Sacrificium*, sent. 56; *Votum*, sent. 31.

## SALUS ANIMÆ.

S. BONAV. *Definitio.* Sanitas animæ consistit in recta et circumspecta actione, in cautæ locutionis observatione, in rectitudine voluntatis, in ordinatione affectionis, et utilitate cogitationis. Lib. 2, *de Profectu religiosor.*, cap. 8.

S. GREGOR. NYSS. Sanitas animæ, est divinæ voluntatis prosper successus factus in anima. Orat. 4, *de Orat. Dominica.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAG. 1. Zelus animarum verus et perfectus, est quando aliquis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis bonis operibus pro salute animarum laborat.

S. AMBROS. 2. Si cor habes, intellige, quia omni necessitate major est necessitas animæ salutis, Serm. 4, *de Camelo.*

3. Quæstus est plane non modicus, ubi lucrum non pecuniarum, sed acquiritur animarum. Serm. 78.

S. AUGUST. 4. Salus animæ cum immortalitate corporis, virtusque justitiæ, et victoria de cupiditatibus inimicis, et gloria et honor, et pax in æternum, non dantur nisi bonis. Epist. 70, *ad Bonifac.*

5. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adepta nihil timetur. Epist. 45, *ad Armentarium.*

6. Non solum de salute tua, verum etiam de multorum meditare. *De Salutar. docum.*, cap. 6.

7. Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. *De Corrept. et gratia*, cap. 15.

8. Nemo insanabilior eo, qui sibi sanus videtur. Super *Psalm.* LVIII, conc. 2, vers. 16.

9. Ubi non est salus, succumbit infirmitas, et deseritur veritas. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 29.

10. Sanus tibi esse videris? detrahe medicamenta, et vide quid potes. Serm. 1, *Dom.* 2, *Quadr.*

11. Non alia salus animæ est, quam renovatio aut reconciliatio auctori suo. *De Quant. animæ*, cap. 3.

12. Nullus homo fit salvus, nisi quem Deus voluerit salvum fieri : et ideo rogandus est ut velit, quia necesse est fieri si voluerit. In *Enchirid.*, cap. 103.

13. Tota spes salutis nostræ, zelus Dei est. *Cont Adimant.*, cap. 11.

14. Non dedignabitur salvare, qui dignatus est creare. Tract. 34, super *Joan.*

15. Si commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Lib. *Medit.*, cap. 39.

16. Salus nulla est, nisi in societate Dei. Tract. 1, super *Epist. Joan.*

V. BEDA. 17. Est quasi vas vacuum, cui cura deest animarum. In suis *Proverbiis*, verbo *Est.*

18. Frustra pro salute corporis laboratur, nisi salus animæ obtineatur. *Ibid.*, verbo *Frustra.*

19. Si vis salvari, nihil huic præpone saluti. *Ibid.*, verbo *Si.*

20. Nullatenus salvari putandus est, quandiu quis non timet inordinatis moribus adhærere, supervacuis verbis delectari, turbulentis cogitationibus devastari! Homil. *Dom.* 12, *post Trinitat.*

S. BERNARD. 21. Duo sunt in quibus consistit nostra salus, justificatio et glorificatio. Altera initium, altera perfectio est : in illa labor, in hac autem fructus laboris est. In suis *Sentent.*, cap. *Duo.*

22. Sine timore et amore Dei, salus esse non potest. Serm. 37, super *Cant.*

23. Benigne audiendum est, devote suscipiendum, sollicite conservandum quidquid ad animarum salutem pertinet. Serm. 2, *de SS. Petro et Paulo.*

24. Cum judicium carnis ex anima pendeat, carni nihil potest utilius quam salus animæ provideri. In *Declamat.*

25. Præter salutem tuam nihil cogites, quoniam in acquisitione salutis tuæ nemo est tibi germanior, nemo propinquior teipso. *De Inter. domo*, cap. 65.

26. Animarum, proh dolor! nec casus reputatur, nec salus. Serm *ad Clerum in concilio Rhemensi.*

BOETIUS. 27. Animorum salus nihil aliud videtur esse, quam probitas : eorumque ægritudo, quam vitia. Lib. 4 *de Consolat. philos.*, prosa 6.

S. BONAV. 28. O insania ægroti! anima tua languet in peccatis usque ad mortem æternam, et non quærit medelam. Serm. 10, *in Rogat.*

29. Juste salus illa, quæ turpiter amissa est per voluptatem, fortiter recipitur per dolorem. Lib. 4, *Pharetræ*, cap. 48.

30. Non commoda rerum, sed lucra quæramus animarum. Epist. *ad Quemdam provincial.*

31. Tanto diligentius cura animabus curandis adhibenda est, quanto animarum morbus periculosior est, et cura difficilior, et sanitas præstantior animæ, quam corporis morituri. *Prosec.*

32. In quantum vero plus de corporis sanitate sumus, quam de animæ salute solliciti, in tantum convincimur illud plus diligere, et ejus sanitatem amplius desiderare. Lib. 2, *de Profect. relig.*, cap. 7.

S. CÆSARIUS ARELAT. 33. Anima peccatrix dum adhuc in fragili suo corpusculo continetur, remedia sibi æterna provideat. Homil, 15.

34. In remedium salutis suæ semper tardus est, qui vitæ suæ incertus est. Homil. 17.

35. Quod vivimus, non morti proficiat, sed saluti. *Ibid.*

36. Quidquid pro carne laboramus, totum peribit : hoc solum perire non poterit, quod unusquisque pro salute animæ in cœlis reposuit. Homil. 20.

CASSIODOR. 37. Non potest ab alio salus venire, nisi a salutis auctore. Super *Psalm.* VII, vers. 2 : *Neque qui salvum faciat.*

38. Si corpus periculis exponitur, animæ tamen salus illæsa servetur. Super *Psalm.* LIII, vers. 4.

39. Quid fortius quam animas salvare, quæ errorum suorum vitiis poterant interire? Super *Psalm.* LXVII, vers. 12.

S. CLEMENS PAPA. 40. Salus non vi acquiritur, sed libertate : nec per hominum gratiam, sed per Dei fidem. Lib. 10, *Recognit.*

S. CYPRIAN. 41. Non ambulando proficiet ad salutem, qui salutaris viæ non tenet veritatem. *De Unit. Eccles.*, cap. 2.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 42. Natura est capax salutis, sed requiritur voluntas. *Cateches.* 2.

43. Domine sufficit ad sanitatem mihi, si tu memineris mei. *Ibid.*

44. Etiamsi publicanus, etiamsi scortator sis, spera salutem. *Cateches.* 8.

45. Salus non aliter existere potest, nisi qui salutem consequuntur, dii fiant. *De Eccles. hierarch.*, cap. 1. DIONYSIUS AREOPAG.

46. Qui salvari cupit, abstineat se non solum a malo ; sed et quod bonum est faciat, necesse est. *Doctrina* 12. S. LEONAR.

47. Omnium fuit una sententia, ita impossibile esse salvari animam absque humilitate, ut navim sine clavis ædificari. *Doctrina* 14.

48. Satis dives es, si vitam obtines. Serm. 2 *de Pœnitent.* S. EPHREM.

49. Si quis salutem in se invenire desiderat, de se prius exeat, et se relinquat. Serm. *de Castigat.* S. EUSEBIUS EMISSENUS.

50. Deo res est gratissima, animarum lucrum. In suis *Opuscul.*, collat. 12, *de Humilit.* S. FRANC. ASSISIAS.

51. Salus hominum, pœna est dæmonum. Tract. 1. S. GAUDENT.

52. Cibus Deo placitus est peccatorum salus. Super illud *Gen.* XXVII : *Affer mihi cibos.* GLOSS. INT.

53. Custodia nostræ salutis, et dux, doctrina est. Super *Levit.*, cap. XVI.

54. Major cura humanæ salutis Deo est, quam diabolo perditionis. Super *Num.*, cap. 25. GLOSS. ORD.

55. Qui secundum magnam misericordiam se quærit salvari, non temporalis, sed æternæ vitæ salutem inquirit. Super *Orat. Manassis*, in illud : *Secundum magnam misericordiam.*

56. Fallitur quisquis per se vel per hominem putat salvari. Super *Psalm.* XXXII. GLOSS. INT.

57. Salus creaturæ, lucrum est Creatoris. Super *Hierem.*, cap. XV. GLOSS. ORD.

58. Invidia non vult homines salvari. Super *Luc.*, cap. XV.

59. Nullum est tam gratum Deo sacrificium, quam zelus animarum. *Super septem Psalm. Pænit.* Super *Psalm.* IV, vers. 14, homil. 12, super *Ezech.* S. GREGOR. MAGNUS.

60. Nemo de salute desperet, quia etsi magni sunt morbi scelerum, qui deprimunt, omnipotens Deus est medicus, qui salvat. Serm. 1 *Dom.* 2, *post Pent.* HAYMO.

61. Melius est rem familiarem minui, quam salutem animæ perire. *Prosec.* S. HIERON.

62. Melius est amittere quod, velimus nolimus, aliquando periturum est : melius est sponte dimittere, quam id amittere pro quo omnia dimittenda sunt. Epist. 11, *ad Gerontiam.*

63. Sana sunt corpora, et animæ, quæ fortior est, denegas sanitatem. *Prosec.*

64. Quomodo corpus sanum dicitur, si nullo languore vexetur : ita anima absque vitio, si nulla perturbatione quatiatur. Lib. 3, *Dial. adv. Pelag.*

S. HIERON. 65. Stultitia est, si ex parte salvari cupit, qui ex toto periit. Epist. 8, *de Scientia divinæ legis.*

66. Sine divinæ legis et disciplinæ cœlestis scientia, difficile est quemquam posse salvari. *Ibid.*

67. Perire sibi existimat diabolus, quidquid Christo salvatur : et mori Synagogæ suæ, quidquid Ecclesiæ vivificatur. Epist. 32, *de Quadrag.*

68. Nullus absque Dei gratia salvus fieri potest. Lib. 2 super *Prov.*, cap. 21.

69. Hostia placabilis Deo, hominum salus est. Lib. 2 super *Matth.*, cap. 12, can. 2, num. 114.

70. Non lucrum est, sed perditio, animas interficere deceptorum. *Prosec.*

71. Nullum enim majus lucrum potest esse, aut pretiosius, quam si humanam animam quis lucretur. Super *Epist. ad Tit.*, cap. 1, in illud : *Docentes quæ non oportet.*

HUGO A S. VICTORE. 72. Homo est ægrotus, Deus medicus, vitia vulnera, medicina gratia, vasa sacramenta, antidota Spiritus sancti dona, diæta Scriptura, dispensatores sacerdotes, virtutes sanitates. Serm. 11, *de Spirituali sanitate.*

73. In tribus salus æterna consistit : primum, abrenuntiare sæculo et jungere se Deo; secundum, terrena contemnere et æterna quærere; tertium, vitia calcare et virtutibus operam dare. Lib. 4 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 84.

74. Prius anima curetur, postea corpus sanetur : propter enim correctionem animæ infirmatum est corpus. Ideo ad sanitatem corporis obtinendam, prius curanda est anima, et si forte corpus ad pristinam sospitatem non convalescit, nihil periculi est, si tantum anima suam sanitatem receperit. Lib. 2 *de Sacram.*, part. 10, cap. 3.

HUGO CARD. 75. Felix negotiatio, ubi salus emitur, et vita morte redimitur. Super *Gen.*, cap. XXXVII.

76. Saluti contraria est prosperitas mundi, sed adversitas ei proxima est. Super *Psalm.* CXVII.

77. Boni, qui salutem suam, et aliorum quærunt, magis volunt exemplo quam verbo docere. Super *Ecclesiastic.*, cap. V.

78. Non est, qui salvet te : nec Deus, quia non debet; nec homo, quia non potest; nec diabolus, quia non vult; nec prælatus, quia non curat. Super *Isai.*, cap. XLVII.

79. Diabolus quærit animas, sed nemo est qui eas requirat, et ei auferat : sed omnes requirunt paleas. *Prosec.*

80. Si enim amittuntur animæ, non est qui de hoc sit sollicitus; quia de animarum salute est cura minor. Super *Ezech.*, cap. XXXIV.

81. Pretiosissimum quid est anima Deo, pro qua proprio Filio non pepercit. *Prosec.*

82. Nulli ergo sufficiat propria salus. Super I *Machab.*, cap. 18.

83. Multi nolunt Jesum regnare super se, scilicet aliquem nolunt, qui salutem quærat animarum. Super *Luc.*, cap. XIX, in illud : *Nolumus hunc regnare super nos.*

JOAN. CASS. 84. Multis modis præclarior virtus sublimiorque profectus est, animæ suæ curare languores, quam corporis alieni : quanto enim hæc sublimior carne est, tanto præstantior ejus est salus : quantoque pretiosioris excellentiorisque est substantiæ, tanto gravioris ac perniciosioris est et ruinæ. Collat. 15, *Abbat. Nesterotis*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 85. Nihil ita gratum est Deo, ut animarum salus. Homil. 3 super *Gen.*

86. Indulgentissimum est justorum genus, et pro aliorum salute quævis ferre libentissime eligunt. Homil. 24 super *Gen.*

87. Maxime proprium solet esse sanctorum, non scilicet gloriam, non honorem, non quidquam aliud ante ferre proximorum saluti. Homil. 4 super *Matth. Oper. perf.*

88. Certior es tanto salutem a salutis discrimine differre, quanto perditio a salute simpliciter distat. *Ibid.* homil. 56.

89. Possibilene est ut benevolentior sis alteri, quam tibi? ut quid cum te ipsum nolis salvari, alterum velis? Homil. 17 super *Matth. Oper. imperf.*

90. Quanto pretiosior est anima quam corpus, tanto miserabilior perditio animarum quam corporum. *Ibid.*, homil. 49.

91. Unius animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio possit æstimare. *Prosec.*

92. Si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur, perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam. Homil. 3 super *Acta Apost.*

93. Nihil frigidius christiano alios non salvante. *Ibid.*, homil. 20.

94. Salus christiani tum magis ostenditur, augescit atque intenditur cum tolerat, cum patitur, cum omnia fortiter sustinet. Homil. 2 super II *Cor.*

95. Omnia facere pro salute proximorum, hoc est opus angelicum, magis autem Christi. Homil. 3 super *Epist. ad Hebr.*

96. Non id mihi persuadere possum salvum fieri quemquam posse, qui pro proximi sui salute nihil laboris impenderit. Lib. 6 *de Sacerd.*

97. Nemo amator formæ cujuslibet insanus, adversum adamantem tanto flagrat igni quanto studio Deus nostram appetit salutem. Epist. 5, *ad Theodor. laps.*

98. Ut primum anima de consequenda salute dubitat, non sentit amplius quo periclitetur præcipitio. *Ibid.*

99. Nullum officium Deo charius est quam quærere utilitatem, et saluti prospicere fratrum suorum. Orat. *de B. Philogon.*

100. Neque prorsus alia res est, quæ perinde declaret doceatque quis sit fidelis amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem. *Ibid.*

101. Nihil est quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus : etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. Homil. 3 super I *Cor.*

102. In proximi salute, sua unicuique salus stat. *Ibid.*, homil. 31.

103. Proximo prospicere, suam ipsius est salutem tueri. *Ibid.*

104. Nihil ita nostram salutem conservat, sicut Deum diligere. Homil. 30 super II *Cor.*

JOAN. TRITH.

105. Pretiosior est una anima, quam tota hujus mundi substantia : sed heu! quam viliter jam a plerisque æstimatur, qui aurum et argentum cumulando præferunt animabus. In cap. 2 *Regulæ S. Bened.*, verbo *Sicut*

ISIDORUS HISPALENS.

106. Ut pereas, tuo est merito : ut salveris, meo auxilio. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 5, sent. 4.

ISID. PEL.

107. Si salutis desiderio teneris, omnia quæ ad eam ducunt, effice : nam qui ut aliquid fiat expetit, quo id fiat quidvis agere debet. Lib. 2, epist. 27, *ad Pallad.*

108. Per summam curam ac diligentiam grassetur vulnerum animi curatio : nam qui cicatricem permature duxerunt, plerumque aperiri ac recrudescere consueverunt. *Ibid.*, epist. 152, *ad Hermogen.*

LAURENT. JUSTIN.

109. Amator salutis suæ est, qui alienæ mortis incursu, et cladibus cæterorum, providus vitæ suæ factus est gubernator. *De Ligno vitæ, de Timore*, cap. 4.

110. Hoc sacrificio nil majus, nil suavius, animarum scilicet intendere lucris. *De Casto connubio*, cap. 12.

111. Nihil humanæ saluti est necessarium, quod non in Christi humanitate resplendeat. *De Humilit.*, cap. 23.

MAXIMUS MART.

112. Vera salus animarum, est finis fidei. Centur. 4, *de Virt. et vitio*, cap. 19.

S. NILUS.

113. Priusquam videantur animæ ulcera, ea curabimus, ut lucremur iis pharmacis pœnam. *Parænes.* 202.

114. Animarum cura nihil est difficilius. *Ibid.*, in lib. *Ascetico.*

PETRUS BLESENS.

115. Zelo et sitio salutem vestram ardentissimo charitatis affectu. Epist. 95, *ad Henric. reg. Anglor.*

116. Salus animæ, est sanitas corporis. Serm. 42.

117. Animarum saluti omnia postpone; tanto enim digniores sunt animæ corporibus et universis, quanto dignitate præeminet cœlum terræ. Tract. *de Inst. episc.*

S. PETRUS CHRYSOL.

118. Beatus, qui suæ vitæ custos est, et provisor est salutis alienæ. Serm. 155.

S. PETRUS DAM.

119. Oportet ut dum animarum fructus exquiritur, non humana laus, non popularis favor, non aliqua honoris reverentia, vel mentis intentione quæratur. Lib. 5, epist. 12, *ad Clerum Faventinum.*

S. PROSPER.

120. Hoc periculosa gravisque animæ ingerit ægritudo, ut noxia sumere velit : et quæ utilia sunt ac saluti proficiunt, spernat ac renuat. *De Promiss.*, part. 2, cap. 6.

121. Unde sibi parabit salutem, qui de salutis materia bonis male utendo facit perniciem? Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 9.

PRUDENT.

122. Non est amarum, quo reformatur salus. In *Peristephano, de Hymno Romani mart.*, vers. 503.

RICHARD. A S. VICTORE.

123. Quam multos hodie videmus spiritu pauperes, spe gaudentes, charitate ferventes, multum abstinentes, admodum patientes, ad zelum animarum nimis tepidos, multumqne torpentes. Part. 2, *de Benjamin minore*, cap. 41.

124. Nihil sic placet Deo, sicut zelus et lucrum animarum. Part. 2 super *Cant.*, cap. 21.

ROBERT. BEL.

125. Ad salutem animæ obtinendam, nemo sufficiens est sine præveniente, comitante, et subsequente gratia Dei. Super *Psalm.* XXXII, vers. 17.

SALVIANUS.

126. Procurator est quodammodo salutis humanæ, qui non tantum id agit ut ipse bonus sit, sed efficere et hoc nititur, ut alii mali esse desistant. Lib. 7 *de Gubern. Dei.*

127. Quid est perfecta sanitas? nisi in vita hac bene agere? quid est perfecta sanitas, nisi rebus a Deo traditis bene uti? *Ibid.*, lib. 1, *ad Eccles. catholic.*

128. Nunquam est de salute propria mens secura sapientis, licet multum inter sanctos et peccatores sit. *Ibid.*, lib. 2.

129. Nullus salutem veram plus negligit, quam qui Deo aliquid anteponit : cum enim salus nostra munus ac misericordia Dei sit, quæ ei ratio consequendæ salutis est, qui Deum ipsum despicit, in cujus misericordia salus nostra consistit? *Ibid.*, lib. 4.

THOMAS A KEMPIS.

130. Qui aliud quærit, quam animæ suæ salutem, non inveniet nisi tribulationem et dolorem. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 17, sect. 2.

131. Fatuus est et insanus, qui amat sibi nociva, et dimittit animæ salubria. In *Hortulo rosar.*, cap. 9, sect. 3.

232. Nihil utilius et salubrius cupienti ad vi-

tam æternam pervenire, quam semper cogitare de animæ suæ salute. *Prosec.*

133. Lege et percurre omnia, non est salus animæ, nisi in Deo et in bona vita. In *Valle lilior.*, cap. 17.

S. VALER. EPISCOPUS. 134. Difficilis est via salutis, quia facilior est semper exitus mortis. Homil. 2, *de Arcta vita.*

135. Maxima spes est recuperandæ salutis, fontem nosse languoris. Homil. 20, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 136.

Sit tibi præcipue, quod primum est, cura salutis.
Tempora ne culpes, cum sis tibi causa doloris.

Lib. 2 *Distichor.*, metr. 66.

CICERO. 137. Quid præstantius, quid utilius est quam cum corpore valeas, curare ut etiam animo valere possis? *Prosec.*

138. Si quidem corpus animi gubernaculo, animus autem ministerio corporis indiget : at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi recte parebit imperio. *De Consolat.*

139. Nemo omnino est negligendus. Lib. 1 *de Offic.*

140. Animi qui se sanari voluerint, præceptisque paruerint, sine ulla dubitatione sanantur. Lib. 3 *Tusc. quæst.*

141. Sumendum tempus est, non minus in animorum morbis, quam in corporum. *Ibid.*

PLATO. 142. Si immortalis sit animus, de illo curam esse gerendam consentaneum est : grave igitur erit periculum, si quis nunc ipsum animum neglexerit. Sizygia 1, in *Dialogo Phædonis.*

143. Cura animæ cum recta ratione est philosophia. Sizygia 6, *de Definit.*

SENECA. 144. Quid nos decipimus? non est extrinsecus malum nostrum, intra nos est, in visceribus ipsis sedet : et ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus. Epist. 50.

145. Sæpe ea, quæ sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Auxilium Dei*, sent. 75; *Cura*, sent. 28, 29, 42; *Desperatio*, sent. 28; *Dilatio*, sent. 24; *Jesus*, sent. 97; *Infirmitas*, sent. 20; *Lucrum*, sent. 36; *Occupatio*, sent. 16; *Pastor*, sent. 124, 125; *Reddere rationem*, sent. 58; *Securitas*, sent. 22; *Timor*, sent. 62.

## SALUS CORPORIS.

S. BONAV. *Definitio.* Sanitas corporis consistit in integritate membrorum et sensuum, et in ordinata qualitate humorum et vigore spirituum. Lib. 2 *de Profectu religiosor.*, cap. 8.

S. ISIDORUS HISPAL. Sanitas est integritas corporis, et temperantia naturæ ex calido et humido, quod est sanguis ; unde et sanitas dicta est, quasi sanguinis status. Lib. 4 *Etymolog.*, cap. 5.

RICH. A S. VICT. Sanitas corporis est integritas naturalis complexionis, humorumque omnium commensuratio proportionalis. Part. 1, tract. 1, *de Statu interioris hominis*, cap. 11.

Incolumitas corporis, est salutis tuta atque integra conservatio. Lib. 2 *de Invent. rhetor.*

HUGO A S. VICTORE. *Differentia.* Salus humana est sanitas carnis, salus divina integritas mentis : hanc homo diligit, illam Deus tribuit : hanc homo conservat, molestias fugiendo ; illam Deus confirmat, molestias inferendo. Super *Psalm.* XVII, cap. 28.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUS. 1. Quod saluti satis est, delectationi parum est. Lib. 10 *Confess.*, cap. 31.

2. Quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quam satiari. *De Vera relig.*, cap. 53.

3. Nulla res obtinet integritatem naturæ suæ, nisi in suo genere salva sit : ab eo autem est omnis salus, a quo est omne bonum et omne bonum est ex Deo, salus igitur omnis ex Deo est. *Ibid.*, cap. 18.

4. Præcidendum est quod velut puro sanoque nimium corporis vulnus obrepsit, ne cum tardius abstergitur, in ipsis pene visceribus hujus mali non exhaurienda post sentina considat. Epist. 91.

5. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur ubi adepta nihil timetur. Epist. 45, *ad Armentarium.*

6. Sanitas a morbo plurimum distat, sed medici curatio, nisi morbo congruat, non perducit ad sanitatem. Lib. 4 *de Trinit.*, cap. 18.

7. Melior est animi æquitas, quam corporis sanitas. Lib. 1 *de Civit. Dei*, cap. 13.

8. Quid prodest, si quod est exterius, sanum est, et putrefacta est medulla conscientiæ ? Super *Psalm.* XLV, vers. 1.

9. Magna gloria medici est, quando ex desperatione convalescit infirmus. Super *Psalm.* XVII, vers, 2.

10. Nemo insanabilior eo, qui sibi sanus videtur. Super *Psalm.* LVIII, conc. 2, vers. 16.

11. Ubi non est salus, succumbit infirmitas. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 29.

12. Salutem corporis multi habent, qui non invocant nomen Domini. Epist. 89, quæst. 2.

13. Sanitas perfecta corporis, illa extrema totius hominis immortalitas erit. Epist. 56.

14. Qualitas corporis, quæ sanitas dicitur, cum sanum corpus est totum, tanta est in majoribus, quanta in minoribus partibus : non enim quæ minus magnæ sunt; ideo minus sanæ sunt, aut quæ ampliores, ideo saniores. Epist. 57.

15. Curatio via est ad sanitatem. Lib. 1 *de Doctrina christ.*, cap. 14.

16. Corporibus animalium nihil est aliud morbis affici, quam sanitate privari. In *Enchirid.*, cap. 11.

17. Corpori humano quidquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium. *De Cura pro mort.*, cap. 18.

18. Experta morbi molestia, evidentior fit jucunditas sanitatis. Lib. 14 *de Civit. Dei*, cap. 17.

19. Bonum est ut de salute corporis non satagas, nisi ut a Deo illam petas. Tract. 7 super *Joan.*

20. Corporum salus, quæ vera expectatur a Domino, erit in fine in resurrectione mortuorum. *Ibid.*, tract. 17.

21. Salus carnis et reparatur et moritur, et cum reparatur, mors differtur, non aufertur : tamen etiam ipsa salus a Domino est, per quemlibet detur, quocunque curante, et ministrante impertiatur, ab illo datur, a quo est omnis salus. *Ibid.*, tract. 30.

22. A quo salus hominis, ab illo salus et pecoris. *Ibid.*, tract. 34.

23. Salus corporis, quæ morte perimitur, ægritudine debilitatur. Tract. 10 super. *Epist. Joan.*

24. Non est sanus, qui esurit. Homil. 30 *ex* LIII *Homil.*, cap. 6.

25. Quam multi ægrotant in lecto innocentes, et si sani fuerint procedunt ad scelera committenda! Tract. 7 super *Joan.*

S. BASILIUS MAGNUS. 26. Laboribus sanitas, et sudoribus salus comparatur. Apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 103.

27. Sanitas et commoda valetudo, quovis auro præstantior est : satius est corpore firmo ac valenti esse, quam immensas opes habere. Apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 93.

V. BEDA. 28. Frustra pro salute corporis laboratur, nisi salus animæ obtineatur. In suis *Proverbiis*, verbo *Frustra*.

29. Cum dolore abscindenda sunt, quæ leviter sanari non possunt. *Ibid.*, verbo *Cum.*

S. BERNARD. 30. Mala est sanitas carnis, quæ hominem ducit ad infirmitatem. Serm. 43 *ad Sororem.*

31. Desidera plus valere mente, quam carne : adversa carnis remedia sunt animi. *Ibid.*

S. EPHRÆM. 32 Satis dives es, si vitam obtines. Serm. 2 *de Pœnit.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 33. Homo ipse se decipit, si cum in medullis fervere sibi sentiat morbum, per superficiem corporis molle deducat unguentum. Homil. 10 *ad Monach.*

FRANCISCUS TITELMAN. 34. Vere vana est salus, quæ expectatur ab homine : et prorsus vanissimum est, salutem expectare ab humana potentia, cum illam Deus habeat in manu sua. In *Elucid. super Psalm.* LIX, vers. 12.

S. GREGOR. MAGNUS. 35. Multa cautela custoditur salus corporis, quæ etiam custodita amittitur, amissa cum gravi labore reparatur, et tamen reparata in dubio semper est. Lib. 2 *Moral.*, cap. 26, super illud *Job.* XIV : *Brevi vivens tempore.*

36. Quanto quisque de restituta proximi salute cernitur hilarescere, tanto se indicat de ablata doluisse. *Ibid.*, lib. 35, cap. 8.

37. Salus corporis quando ad bene operandum accepta despicitur, quanti sit muneris amissa sentitur. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 13.

38. Molestia corporalis, salus est cordis, quæ ad cognitionem sui mentem revocat, quam plerumque salus abjicit : infirmitatis memoria reformat. *Ibid.*

39. Utilis menti fit ipsa salus sui corporis, quæ transfixa est vulnere divini amoris. Homil. 14 super *Ezech.*

40. Boni medici officium est, non solum salutem restituere, sed etiam restitutam custodiæ sedulitate servare. Super *Septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* 1, vers. 4 : *Salvum me fac.*

41. Ubi quanta magis extenditur inæqualitas corporis, ibi tanto difficilius ostenditur efficacia curationis. *Ibid.*, super *Psalm.* III, vers. 5.

S. GREGOR. NAZ. 42. Cum corpus sanum est, anima ægrotat : cum vero infirmatur, anima floret, et ad superna respicit : voluptates superantur, et cum corpore marcescunt. Orat. 4, *Cum a patre in consortium assumptus*, etc.

43. Si quis bona est valetudine, sanitate ad optima utatur : admoneat verbis, redarguat, fiducialiter agat, vigilet, humi dormitet, jejunet, materiam extenuet : terrestria et cœlestia speculetur, omni studio mortem meditetur. Orat. 25.

S. GREGOR. NYSS. 44. Jucundior est sanitas adversa valetudine degustata. Habet. apud D. Joan Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 93.

S. HIERON. 45. Qui ægrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo et castigato victu. Quibus recipitur sanitas : his et servari potest. Lib. *advers. Jovian.*

46. Christiano sanitas absque viribus nimiis necessaria est. *Ibid.*

47. Pretiosior salubritas est, quæ post languoris recuperatur incommodum. Epist. 5, *ad Virginem in exilium missam.*

48. Remediis nocentibus cura perficitur, ut mœroris pretio redempta sanitas, charior habeatur et gratia. *Prosec.*

49. De periculis expectat auxilium, quem curat ignis et ferrum. Epist. 6, *ad Amicum.*

HUGO A S. VICTORE. 50. Prius anima curetur, postea corpus sanetur : propter enim correctionem animæ infirmatum est corpus : ideo ad sanitatem corporis obtinendam, prius curanda est anima : et si forte corpus ad pristinam sospitatem convalescit, nihil periculi est, si tantum anima suam sanitatem receperit. Lib. 2 *de Sacram.*, part. 10, cap. 3.

HUGO CARD. 51. Nihil adeo sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Super *Hierem.*, cap. XXXVIII.

S. INNOC. III 52. Differtur aliquando curatio, ne ægrotus putet se non medici virtute, sed naturæ vigore, vel mediocritate ægritudinis sanatum, et sic vilipendat medicum, et parvipendat languorem. *Prosec.*

53. Ex difficultate curationis magis cavetur infirmitas : quia quod facile sanatur, non multum cavetur : et ideo differtur curatio ægritudinis, ut diligentior sit custodia sanitatis. Super *Psalm.* VI, vers. 3.

S. JOANNES CHRYSOST. 54. Qui post curam cautus est, sanitatis possidet donum. Homil. 2 *de Lapsu primi hom.*

S. NILUS. 55. Si æger fueris, corpus cura, ut sanitatem adipiscatur, non ut deliciis enervetur. *Parœnes.* 72.

S. PETRUS DAMIANUS. 56. Incolumitatem postquam semel adeptus fueris, pervigili satage solertia custodire; nam nulla pejor est, quam recidiva febris. Opusc. 44, cap. 13.

PHILO JUD. 57. Nostris corporibus interitum morbus, incolumitaten affert sanitas. *De Temulent.*

58. Sanitas incerta est, et infirmitatibus obnoxia. *De Joseph.*

59. Dulcior fit salus, cum dolor excruciat : et sanitatis amissæ dulcedinem languoris amaritudo commendat. Lib. 2 *de Vita contemplativa,* cap. 19.

PRUDENT. 60. Non est amarum, quo reformatur salus. In *Peristephano, de Hymno Romani mart.*, vers. 503.

SALVIANUS. 61. Mihi genus quoddam sanitatis esse videtur, hominem interdum non esse sanum. Epist. 5, *ad Catturam sororem.*

S. VALER. EPISCOPUS. 62. Maxima spes est recuperandæ salutis, fontem nosse languoris. Homil. 20, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 63. Sanitas res est majoris pretii, quam opes ægroti, et ditiores sunt sani ægrotis. *Prosec.*

64. Nemo enim est, qui non præferat sanitatem, cum modici argenti possessione, magni Regis opibus cum ægritudine. Sizygia 6, in *Dialogo de Divitiis.*

SENECA. 65. Nulla dura videtur curatio, cujus salutaris effectus est. Lib. 1 *de Ira*, cap. 5.

66. Difficilis ad salutem recursus est. *Ibid.*, cap. 8.

67. Nihil esse cuiquam tam pretiosum potest, quod non salute sui commutatum velit. Lib. 1 *de Clement.*, cap. 19.

68. Hanc sanam et salubrem formam vitæ teneto, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Epist. 8.

69. Non est bona valetudo, mediocritas morbi. Epist. 85.

Vide etiam tit. *Cura*, sent. 42; *Dolor,* sent. 16; *Maledictio*, sent. 31; *Medicina*, sent. 45, 46; *Pulchritudo*, sent. 65; *Salus animæ*, sent. 32; *Voluntas Dei*, sent. 2.

## SANCTITAS.

*Etymologia.* Non est dubium a sanciendo sanctitatem vocari. *De fide et symbolo*, cap. 9. S. AUGUST.

Sanctus idem est quod ἅγιος græce, ab ἀ quod est sine, et γῆ quod est terra, id est, sine terra. Super *Isai.*, cap. 35, super *Psalm.* XLII. DIONYSIUS AREOPAG.

Sanctitas est ab omni scelere libera perfectaque; ac omni ex parte incontaminata puritas. *De Divin. nomin.*, cap. 18.

Sanctitas est, sine terrenitate et carnalitate vivere. Super *Psalm.* CXVII. HUGO CARD.

Sanctitas est scientia colendorum. Lib. 1 *de Natura Deorum*, num. 116. CICERO.

Sanctum est illud, quod Deo gratum, jucundumque est. Sizygia in *Dialogo de Sancto*.

Sanctimonia est evitatio peccatorum, et honoris Dei secundum naturam cultus. Sizygia 6, *de Definit.* PLATO.

Sanctitas est cultus Dei, placens Deo. *Ibid.*

*Divisio.* Sanctum accipitur duobus modis : aliquando enim est sanctum idem quod purum, aliquando sanctum res dicitur ad cultum Dei consecrata. Opusc. 9, *de Decem præceptis, de Tertio præcepto*, verbo *Memento.* S. THOMAS AQUINAS.

*Differentia.* Inter sanctum et immaculatum hoc interest, quod sanctus et immaculatus quoque intelligi potest : immaculatus vero, non statim est sanctus. Lib. 1 super *Epist. ad Ephes.*, cap. 1, in illud : *Ut essemus sancti et immaculati.* S. HIERON.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Sanctorum quo majora merita, eo tutiora patrocinia sunt. Lib. 10, epist. 85, *ad Sororem suam.* S. AMBROS.

2. Sancti in cœlum quodammodo conscendunt, cum eos amor divinus ad cœlestia contemplanda elevat : cadunt in terram cum eos amor proximorum ad ima retrahit. Super *Apocal.*, cap. VIII, in illud : *Et cecidit de cœlo stella ardens.*

3. Melius est silere, quam gesta sanctorum mendaciter proferre. *Ibid.*, cap. XXI.

4. Valde difficilius est intra sæculares per liberam voluntatem, quam intra claustrum monacho- S. ANSELM.

rum sub disciplina, custodire vitæ sanctitatem. Epist. 1 *ad Helinandum avunculum suum.*

S. ANTONIN.

5. Non loca, sed vita et mores sanctum faciunt Part. 1, tit. 15, cap. 21, § 7.

6. Sanctitas loci ordinatur ad sanctitatem hominis. Part. 1, tit. 15, cap. 21, § 1.

7. Nec somnus sanctorum vacat a merito. Part. 4, tit. 9, cap. 1, § 2.

S. ANTONIUS ABBAS.

8. Non potest hæreditatem capere quispiam sine sanctitate. Epist. 2, *ad Fratres.*

S. ANTONIUS DE PADUA.

9. In sanctæ vitæ excellentia, tria requiruntur: ut sit constans in se, contemplans ad Deum, illuminans proximum. Serm. *de Transfigurat.*

S. AUGUST.

10. Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est. Lib. 1 *de Doctr. christ.*, cap. 27.

11. Nullus sanctus et justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 86.

12. Ista sunt quæ sanctitatis causa servanda sunt, pudicitia corporis, et castitas animæ, et veritas doctrinæ. *De Mendacio*, cap, 19.

13. Locus non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit et nos. Serm. 27 *ad Fratr. in eremo.*

14. Tu es sanctus et sanctificans, non enim est sanctus præter te, quia nemo fit nisi abs te. Lib. 17 *de Civit. Dei*, cap. 4.

15. Deviat a via veritatis, qui negat a Christo custodiri sanctos. *Contra serm. Arianor.*, cap. 32.

16. Non amant sancti suos electores, si suorum sociorum eos invenerint desertores. Lib. 3 *contra Faust.*

17. Quæcumque in factis sanctorum elucent documenta justitiæ, nullus vel imperitorum dubitat debuisse conscribi. *Ibid.*, lib. 22, cap. 26.

18. Imputribilia ligna sancti sunt. Tract. 6 super *Joan.*

19. Dilectio sanctos discernit a mundo. *Ibid.*, tract. 76.

S. BEDA.

20. Duplicis peccati reatus est, et non esse sanctum quod crederis, et similare quod sanctus sis. In suis *Prov.*, verbo *Duplicis.*

S. BERNARD.

21. Tres sunt sanctarum status animarum : primus in corpore corruptibili, secundus sine corpore, tertius in beatitudine consummata. Serm. 3 *Omnium Sanctorum.*

22. Pretiosa est mors sanctorum, pretiosa plane, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua et perfectæ securitatis ingressus. Serm. *in Trans. S. Malachiæ.*

23. Tria sunt quæ sanctum faciunt hominem : victus sobrius, actus justus, sensus pius. Serm. 25 *de Parvis serm. in princip.*

24. Tria sunt quæ mortem sanctorum faciunt pretiosam : quies a labore, gaudium de novitate, securitas de æternitate. *Ibid.*

25. Triformis est sanctorum dolor, quia ceciderunt de paradiso, quia tenentur in exilio, quia differuntur a regno. In suis *Sententiis*, verbo *Triformis.*

S. BONAV.

26. Si sanctus non es, esto : sanctum facit affectio sancta. Lib. 5 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

27. Sanctitas facit hominem deiformem. Serm. 2 *in Hexamen.*

28. Tria sunt quæ faciunt hominem sanctum : victus sobrius, sensus pius, actus justus. Super *Psalm.* CL.

29. Istæ virtutes, scilicet humilitas, charitas, mansuetudo, devotio, largitas, sobrietas, castitas, sunt verum sanctuarium, et qui habet eas, sanctus est. Lib. 1 *de Profectu relig.*, cap. 6.

CASSIODOR.

30. Ipsi sunt sancti, qui Deo largiente, ejus imitatores esse meruerunt. Super *Psalm.* CL, vers. 1.

S. CLEMENS PAPA.

31. Nullus velit dici sanctus, antequam sit : sed prius sit, ut verius dicatur. Epist. 1.

S. EDMUND.

32. Duo faciunt hominem sanctum, videlicet, cognitio et amor : cognitio veritatis, et amor bonitatis. In *Speculo eccles.*, cap. 3,

S. GAUDENT.

33. Nemo sanctorum medicina Christi non indiguit, cum sanctos eos, nonnisi fides ejus effecerit. In *Respons. ad Paulum.*

GLOSS. ORD.

34. Plus valet unus sanctus orando, quam innumeri peccatores præliando. Super *Num.*, cap. XXXI.

S. GREGOR. MAGNUS.

35. Qui non sanctitatis habitum tenent, perfectionis meritum exequi non valent. Lib. 31 *Moral.*, cap. 8.

36. Probatio sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere, de Deo vera cognoscere, de proximo vero meliora, quam de semetipso sentire. *Ibid.*, lib. 20, cap. 9.

37. Sunt nonnulli, qui dum præsentis mundi gloriam ejusdem mundi actionibus adipisci non possunt, speciem sanctitatis appetunt. *Ibid.*, cap. 15, num. 13.

38. Plerumque quem sanctum bona actio ostentat, oborta terreni commodi occasio examinat. *Ibid.*

HAYMO.

39. Non pœna facit sanctos, sed justitia. Super *Apocal.*, cap, I, in illud : *Quæ dicitur Patmos.*

S. HIERON.

40. Sanctus securus esse non debet, quandiu in hujus vitæ agone versatur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

41. Nihil sanctorum severitate jucundius, nihil suavitate tristius, nihil tristitia suavius. Epist. 15, *ad Marcellam.*

42. Sancta magis esse, quam videri, stude : quia nihil prodest æstimari quod non sis, et duplicis peccati reatus est, non habere quod creditur, et quod non habeas simulare. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

43. Ubicunque sanctitas est, ibi habitaculum Dei est. Super *Psalm.* LXVII, vers. 6 : *Deus in loco sancto suo.*

44. Sanctitas voluntate et studio comparatur. Lib. 1 super *Epist. ad Ephes.*, cap. I, in illud : *Ut essemus sancti.*

45. Nemo sine Christo sanctus est. Super *Epist. ad Philipp.*

46. Sanctitas mentis et corporis sine sobrietate difficile custoditur. Super I *ad Timoth.*, cap. II.

47. Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Hab. in *Decretis Gratiani*, part, 1, dist. 40, can. *Non est.*

HUGO CARD. 48. Justum est ubi sancti sunt, ut alios ad sanctitatem invitent, et eam prædicent. Super *Levit.*, cap. XXI.

S. JOANNES CHRYSOST. 49. Sanctum aut imitari debet quisque, si laudat; aut laudare non debet, si imitari detrectat : et qui alium laudat, se laudabilem præstet. *Prosec.*

50. Qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. Serm. super illud *Sap.* III : *Justorum animæ.*

51. Medulla hujus mundi sunt homines sancti: sicut medulla quamdiu in arbore fuerit sana, semper floret : sic quamdiu sunt sancti, stat iste mundus. Homil. 1 super *Matth. Oper. imperf.*

52. Extolli ad fastigium sanctitatis non acquiescas, quia nemo extollit se ad sanctitatis altitudinem, nisi ducente diabolo. *Prosec.*

53. Si times ruinam de fastigio sanctitatis, fuge exaltationem cordis ad sanctitatem, et non patieris ruinam de fastigio sanctitatis. *Ibid.*, homil. 5.

54. Sanctorum virorum est, non ibi quærere mansionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fideliores : nec gaudent ubi epulæ largæ sunt, sed ubi sanctitas floret. *Ibid.*, homil. 38.

55. Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam autem benignus : audiant homines te parva mandantem, et grandia videant facientem. *Ibid.*, homil. 43.

56. Quæ justitia est ista, sanctos colere et contemnere sanctitatem? sine causa justos honorat, qui justitiam spernit. *Ibid.*, homil. 45.

57. Primus gradus pietatis est sanctitatem diligere, deinde sanctos : quia sancti ante sanctitatem, non fuerunt, sed sanctitas ante sanctos. *Ibid.*

58. Sanctus est, qui fidei consors est, et vitam habet irreprehensibilem. Serm. 1 super *Epist. ad Ephes.*

59. Sanctimonia proprie excellens dicitur, mentis castitas. Homil. 4 super I *Thess.*

60. Sancti omnes sunt, qui fidem rectam sanctitati vitæ conjunctam habent : etsi signa illi non faciant, neque ejiciant dæmones, sancti sunt. Homil. 14 super I *Timoth.*

61. Memoria sanctorum, animam malis oppressam excitat et recreat. Homil. 28 super *Epist. ad Hebr.*

62. Sicut in corona, cum sit rotunda, nihil invenies quod non videatur esse initium aut finis : sic inter sanctos, quantum ad tempus in illo sæculo, nemo novissimus dicitur, nemo primus. Homil. 34 super *Matth. Oper. imperf.*

63. Sanctum est quod dolo caret ac simulatione. Homil. 44 super I *Cor.*

64. Præclarum quidem est labores sanctorum admirari : imitari vero instituta, salutem præstat. *Gradu* 4. S. JOANNES CLIM.

65. In christiana religione ille sanctior est, qui et humilior : et humilior, qui sanctior. Serm. *de Humilit.*, consid. 1. JOAN. GERS

66. Nemo sanctus viribus suis : nisi enim gratia Dei hominis voluntatem dirigat, ad sanctitatis regulam non appropinquat. *Prosec.* JOAN. TRITH.

67. Gratia igitur Dei bonæ voluntatis assensu, perficit sanctitatem. Lib. 3 *de Vir. illustr. Ord. S. Bened.*, cap. 137.

68. Nisi mores sanctorum sanctos imitari studeamus, de illorum sanctitate frustra gloriamur. *Ibid.*

69. Frustra sibi de nomine sanctitatis blanditur, qui opera non facit sanctorum. In cap. 2 *Regul. S. Bened.*

70. Sanctitas elationem non sustinet : nec potest dici sanctus, qui de sanctitate gloriatur. *Ibid.*, in cap. 4, verbo *Debemus.*

71. Insigne sanctitatis est, si is qui honore colitur, sancti Spiritus testimonio justus comprobatur. Orat. 8 *in Conventu abbat. habita.*

72. Sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, quibus patria et domus in cœlo est. Lib. 3 *de Summo bono*, cap. 16, sent. 4. S. ISIDORUS HISPALENS.

73. Noverit omnis sanctus, se alterius non præponere sanctitati. *Ibid.*. cap. 19, sent. 3.

74. Nemo tam sanctus, ut non sanctior debeat esse. Serm. 11 *Quadrag.* S. LEO I.

75. Nemo fidelis, sine bonis operibus, aut est, aut esse potest sanctus. In *Apolog. pro Thaulero*, cap. 3. LUDOVICUS BLOSIUS.

76. Si quis seipsum devoverit Deo, si nullis se negotiis sæcularibus implicaverit, si separatus est ORIGENES.

et segregatus a reliquis hominum carnaliter viventibus, non quærens ea quæ super terram, sed quæ in cœlis sunt, iste merito sanctus appellatur. *Prosec.*

77. Cum enim permixtus est turbis, et in multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat soli Deo, neque segregatus a vulgo est, non potest esse sanctus. Homil. 2 in cap. XX *Levitici.*

78. Unusquisque nostrum qui vult esse sanctus, consecrari debet Deo, et nullis postea negotiis, vel actibus, qui ad Deum minime pertinent, occupari. *Ibid.*

79. Qui peccat, exit de sanctis, non enim in loco sancta quærenda sunt : sed in actibus et vita ac moribus. *Prosec.*

80. Quæ si secundum Deum sint, et secundum præceptum Dei habeantur, etiamsi in domo sis, etiamsi in foro, et quid dico in foro ? etiamsi in theatro inveniaris verbo Dei deserviens, in sanctis te esse non dubites. *Ibid.*, homil. 12 in cap. XXI.

PETRUS BLESENS. 81. Non est utilis sanctimonia, nisi finiatur cum vita : finis enim, non pugna, coronat. Serm. 9, *de Purificat.*

82. Dominum non amare convincitur, qui sanctos ejus, qua potest devotione, non venerantur : indevotus enim est capiti qui membris ejus ingratus extiterit. Serm. 33, *Omn. Sanctorum.*

83. Alios sanctitate præcedas : felix illa anima, quæ aliis forma est sanctitatis. Tract. *de Inst. episcopi.*

84. Ille in oculis gerit albuginem, qui de se sanctitatis habet opinionem. Lib. 2, epist. 12, *ad Desiderium abbat.*

PETRUS DAM. 85. Sanctorum omnium multitudo de Christo, quem sibimet faciunt fundamentum, conscendere satagunt excelsa virtutum *Ibid.*

86. Plerumque accidit, ut sanctus inter peccatores lateat, et famam sancti obtineat peccator. Lib. 2 *de Vita contemplativa*, cap. 7.

87. Præsens vita sanctorum, quamvis gratia floreat, quamvis moribus niteat, non est in splendore, quia nondum exempta est a corruptione. Super *Psalm.* CIX, vers. 4.

REMIGIUS 88. Quicunque sancte vivendo sanctus est, Deum portat in mente sua, ad cujus imaginem est factus in anima. Super I *Cor.*, cap. VI, can. 20.

RICHARD. A S. VICTORE. 89. Discat homo in qualicunque sanctitatis celsitudine sit, semper morum ruinam timere. Part. 1, lib. 2, *de Erud. hom. inter.*, cap. 4.

SALVIANUS. 90. Sancti viri infirmiores se esse faciunt : quia si fortes fuerint, sancti esse vix possunt. Lib. *de Gubern. Dei.*

THEODOR. 91. Gloriæ mater est sanctitas. Super *Psalm.* CXLIX, vers. ult.

92. Sancti sunt omnes, quotquot fidem rectam cum vita habent, etiamsi signa non edant aut miracula. Super I *ad Timoth.*, cap. V, in illud : *Si sanctorum pedes lavit.* THEOPHYLACTUS.

93. Non potest diu latere ficta sanctitas. Serm. 14 *ad Novitios*, divis. 5. THOMAS A KEMPIS.

94. Vere alta verba non faciunt sanctum et justum, sed virtuosa vita efficit Deo charum. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 1.

95. Sanctus cogitat sancta, loquitur vera, operatur recta, spernit præsentia, contemplatur æterna. In *Hortulo rosarum*, cap. 12, sect. 6.

96. Si vis Deo et sanctis placere, inspice vitam sanctorum, lege doctrinam sanctorum, ut cum sanctis sanctus fias, et a sanctis erudiaris, per sanctos adjuveris, a sanctis exaudiaris, cum sanctis coroneris. *De Disciplina claustr.*, cap. 15, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

97. Vita sancta hominum ex ante factis spectatur. Lib. 2 *de Arte rhetor. ad Herenn.* CICERO.

98. Ne existimes nullos esse sanctos, sed omnium sanctissimus est vir bonus : impurissimus contra, vir improbus. Sizygia 4, *de Lege.* PLATO.

99. Vitæ sanctitas summa, par comitas. Lib. 1, epist. 10, *ad Arrium Clementem.* PLINIUS II.

Vide etiam tit. *Eloquentia*, sent. 17, 23 ; *Humilitas*, sent. 75 ; *Hypocrisis*, sent. 33, 41, 58 ; *Jactantia*, sent. 14, 16 ; *Intercessio*, sent. 18, 19, 20, 21 : *Laus*, sent. 116 ; *Magnus*, sent. 12; *Meritum*, sent. 51 ; *Nobilitas*, sent. 102 ; *Obviatio*, sent. 7 ; *Occupatio*, sent. 27 ; *Perseverantia*, sent. 9 ; *Regnum cœleste*, sent. 49 : *Sacerdos*, sent. 57 ; *Seductio*, sent. 18 ; *Simplicitas*, sent. 23 ; *Sol*, sent. 41 ; *Solitudo*, sent. 104 ; *Spiritus sanctus*, sent. 11.

## SANGUIS CHRISTI.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Bonum aurum, sanguis est Christi, dives ad pretium, profluus ad lavandum omne peccatum. In fine *Præfat. super Psalm.* XXXV. S. AMBROS.

2. Fusus est sanguis medici, factus est medicamentum phrenetici. *De quinque hæres.*, cap. 7. S. AUGUST.

3. Sanguis Christi, clavis paradisi est. Epist. 7, *ad Dardan.* S. HIERON.

4. Consignavit Christus animas nostras proprio spiritu, et membra corporis nostri suo sanguine pretioso. Serm. 3 *Pent.* S. BONAV.

5. Pretiosus est Christi sanguis : si cum fiducia sumatur, omnis hoc remedio morbus extinguitur. Homil. 4 super *Matth. Operis perfecti.*

6. Christi mysticus sanguis dæmones quidem expellit et procul esse facit : ad nos autem angelos vocat, et angelorum Dominum. *Prosec.*

S. JOANNES CHRYSOST.
7. Hic sanguis effusus, omnem terrarum orbem abluit. Hic est salus animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur.

8. Hic mentem nostram igne reddit splendidiorem, hic auro clariorem animam facit.

9. Hic sanguis effusus est, et cœlum fecit accessibile, horrenda scilicet Ecclesiæ mysteria, horrendum altare. Homil. 61 *ad Popul. Antioch.*

10. Sanguis Christi terrarum orbis est pretium : hoc Christus emit Ecclesiam, hoc eam omnem adornavit. *Prosec.*

11. Sicut enim homo servos emens, aurum erogat, et rursum eos ornare volens, id auro facit : sic et Christus et sanguine nos emit et ornavit sanguine. *Ibid.*

12. Sicut mulier affectionis natura cogente, genitum alere sui lactis fœcunditate festinat : sic et Christus, quos ipse regenerat, suo sanguine semper enutrit. Homil. *ad Neophytos.*

S. LAURENT. JUSTIN.
13. Nullum adeo est grave peccatum, quod Christi sanguine non deleatur. *Prosec.*

14. Si autem crucifigentium scelus abolevit sacrosancta Domini passio, quis dubitet quin aliorum valeat auferre delicta? *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 12.

S. THOMAS AQUINAS.
15. Christus sua passione fecit balneum in sanguine suo, quo peccatores lavaret. Opusc. 6 super *Symbol. Apost.*, art. 4.

16. Aperto latere Christi, aperta est janua paradisi ; et fuso sanguine ejus deleta est macula, placatus est Deus, ablata est debilitas, expiata est pœna, exules revocantur ad regnum. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA.
17. Volo intueri pretia sanguinis animarum vestrarum. Lib. 7 *de Benef.*, cap. 9.

Vide etiam tit. *Medicina*, sent. 88 ; *Redemptio humana*, sent. 1, 3, 6, 10, 15. 18, 20, 25, 26, 27, 32, 33, 37, 39, 40, 42, 43, 44, 45, 49, 60, 63, 66, 72, 73, 77, 95, 98, 100, 101, 106, 108, 109, 110, 111.

## SAPIENTIA IN GENERE.

S. ISID. HISP.
*Etymologia.* Sapiens dictus est a sapore : quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum ; sic sapiens ad dignoscentiam rerum atque causarum. Lib. 10 *Etymolog.*, verbo *Sapiens.*

HUGO A S. VICTORE.
Sapiens a sapiendo dicitur ; non ille qui sapores palato oris percipit, sed ille qui veritatem judicio mentis comprehendit. Super *Psalm.* XXXVII, cap. 46.

HUGO CARD.
Sapientia est quasi sapida scientia. Super *Ecclesiast.*, cap. VI

S. AUGUST.
*Definitio.* Sapientia nihil est aliud, quam modus animi, hoc est, quo sese animus librat, ut neque infra quam plenum est, coarctetur. *De Beata vita*, disput. 3.

LACT. FIRM.
Sapientia est intelligentia vel ad bonum, rectumque faciendum : vel abstinentia dictorum, factorumque improborum. *De Divin. inst.*, lib. 5, *de Justitia*, cap. 18.

S. THOM. AQUINAS.
Sapientia est divinarum rerum cognitio. 2, 2, quæst. 45. art. 1, argum. 2.

CICERO.
Sapientia est rerum divinarum, et humanarum scientia. Lib. 4 *Tusc. quæst.*, num. 57.

PLATO.
Sapientia est scientia, quæ rerum causas speculatur. Sizygia 6, *de Definit.*

S. BONAV.
*Divisio.* Est sapientia terrena, animalis, diabolica. In quantum est cum affluentia temporalium, terrena est ; in quantum est cum delectatione nefaria, animalis est ; in quantum est cum ambitione superba, diabolica est. Serm, 2 *in Hexamer.*

S. AMBROS.
*Differentia.* Aliud est communiter sapere, aliud sapere perfecte : qui communiter sapit, pro temporalibus sapit : qui perfecte sapit, nescit sua spectare commoda. Lib. 3 *Officior.*, cap. 2.

Sapientia humana consuitur, hoc est, addiscitur : Domini autem sapientia non assuta est, non quæsita. Serm. 3.

S. AUGUST.
Hæc est sapientiæ et scientiæ recta distinctio, ut ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis : ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis. Lib. 12 *de Trin.*, cap. 15.

SENECA.
Multum interest inter sapientiam et philosophiam : sapientia perfectum bonum est mentis humanæ : philosophia sapientiæ amor est, et affectatio. Epist. 89.

S. HIERON.
*Comparatio.* Sicut qui thesauros effodit, ejicit rudera terræ, et facit in altum foveam, sedulus insistit labori, donec ad thesauros quos quærit attingat : sic qui thesauros sapientiæ invenire desiderat, quidquid sibi terrenum inesse deprehenderit, expurget, fossam in se humilitatis faciat, nec quiescat donec inveniat. Lib. 1 *Prov.*, cap. 2, in illud : *Sicut thesauros effoderis.*

LACT. FIRM.
Sicut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis. *De Divin. instit.*, lib. 2, *de Origine erroris*, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.
1. Quanto excelsior virtus est sapientia, tanto magis nitendum est nobis, ut assequi eam possimus. Lib. 1 *Offic.*, cap. 26.

2. Omnis sapiens liber est, omnis autem insipiens servit. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum.*

3. Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. *Prosec.*

4. Ubi sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia, ibi fortitudo.

5. Sapiens idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus : nec ut parvulus fluctuat, ut circumferatur omni vento. *Ibid.*

6. Sapiens defectus rerum ignorat, et varium animum nescit. *Ibid.*

. AMBROS.

7. Sapiens manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide. *Ibid.*

8. Quocumque accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua omnia intelligit; nusquam se peregrinum, nusquam se hospitem judicat. Lib. 6, epist. 42, *ad Sabinum.*

ANTONIUS
E PADUA.

9. Sapiens sis tibi, et nihil deest tibi ad sapientiam : sin autem tibi non fueris, nulli eris : nam si sapiens fueris, tibimetipsi eris. Serm. 3, *Dom.* 3, *post Pascha.*

10. Beata illa domus, quam sapor sapientiæ afficit, in qua ipsa sapientia requiescit. Serm. *Dom.* 10, *post Trinit.*

. AUGUST.

11. Venite mortales ad studium sapientiæ, magnus hic fructus est : quid enim homini sapientia charius? venite igitur, ut sapientes sitis. Lib. 3, *contra Academicos,* cap. 9.

12. Major et miserabilior egestas nulla est, quam egere sapientia, et qui sapientia non eget, nulla re omnino egere potest. *De Beata vita,* disput. 3 diei.

13. Si sapientia non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. *De Moribus Eccles.*, cap. 17.

14. Nemo recte sapit, nisi acceperit spiritum sapientiæ. Epist. 105, *ad Sixtum.*

15. Melius est sapientiam mercari, quam auri et argenti thesauros : pretiosior est enim lapidibus optimis. *Contra Adimantum,* cap. 19.

16. Aliquid aliter sapere quam se res habet, humana tentatio est : nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est : in nullo autem aliter sapere quam res se habet, angelica perfectio est. Lib. 2, *de Baptismo,* cap. 5.

17. Multi sunt, qui dicta sapientiæ studiosissime inquirunt, eamque in doctrina, non in vita volunt habere; ut non per mores, quos jubet sapientia, perveniant ad Dei lucem, quod est ipsa sapientia, sed per sermones, quos habet sapientia, perveniant ad hominum laudes, quod est vana gloria. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 29.

18. Non invenit locum sapientia, ubi non est patientia. *De Verbis Apostoli,* serm. 4.

19. Qui sine vera sapientia æstimat se sapientem fieri posse, non sanus, sed æger : non sapiens, sed stultus est. Hab. in *Decret. Gratiani,* part. 2, causa 26, quæst. 2, can. *Qui sine.*

20. Ero cautior, cum sapiens fuero. Lib. 2, *contra Academ.*, cap. 3.

21. Est sine dubitatione monstruosius, sapientem non approbare sapientiam, quam sapientem nescire sapientiam. *Ibid.*, cap. 14.

22. Homo ordinatus, sapiens est. Lib. 1, *de Lib. arbit.*, cap. 9.

23. Infans nec stultus, nec sapiens est. *Ibid.*, lib. 3, cap. 24.

24. Sapiens peccat, si se averterit a sapientia. *Ibid.*

25. Sapientia est via recta, quæ ad veritatem ducit. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 5.

26. Homo intelligit sapientiam, et non est melior quamipsa sapientia. Lib. 2 *de Lib. arb.*, cap. 5.

27. Omne quod sapienter fit, non potest recte dici a sapientia esse separatum. *Ibid.*, cap. 10.

28. Docti quanto remotiores sunt a labe terrena, tanto magis sapientiam contuentur. *Ibid.*, cap. 11.

29. Sapientia omnes amatores suos nullo modo sibi invidos recipit, et omnibus communis est, et singulis casta. *Ibid.*, cap. 14.

30. Sapientia non est ab illo qui illuminatur, sed ab illo qui illuminat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 24.

31. Sapientia et stultitia, sunt sicut cibi utiles, et inutiles. Lib. 12, *Conf.*, cap. 15.

32. Non injusta pœna est post peccatum, interclusum esse aditum ad sapientiam. Lib. 2, *de Gen. contra Manich.*, cap. 22.

33. Virtus ad operationem, sapientia vero ad disciplinam pertinet. *De Morib. Eccles.*, cap. 16.

34. Sapientia si ita quæratur ut dignum est, subtrahere sese, atque abscondere a suis dilectoribus non potest. *Ibid.*, cap. 17.

35. Si duo sunt sapientes, quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior est. Epist. 57, quæst. 1.

36. Homo sapiens esse debet, si est ut maneat, si nondum est ut fiat : Deus autem sapiens non esse debet, sed est. Epist. 101.

37. Sapientia quos primo alligaverit, solvit postea; liberatisque sese donat ad fruendum : et quos primo temporalibus nexibus erudiverit, post æternis amplexibus alligat. Epist. 39.

38. Sapiens mens, id est, adepta sapientiam, antequam adipisceretur non erat sapiens. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 8.

39. Sicut nemo a seipso esse potest, ita etiam nemo a seipso sapiens esse potest, sed a Deo. In *Enchirid.*, cap. 1.

40. Sapientia sine eloquentia parum prodest, eloquentia vero sine sapientia est. Lib. 4, *de Doctr. christ.*, cap. 5.

41. Multi putant lumine suo fulgere animas, cum sapientes sunt. *Annot. in Job*, cap. 37.

42. Sapientia est solidus cibus post nutrimentum lactis. *Ibid.*, cap. 39.

43. Deus veritas est : nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat. *De Utilit. cred.*, cap. 15.

44. Quia bonum est sapientia, nemo dubitat quod bonum sit capacem esse sapientiæ. *de Nat. boni*, cap. 18.

45. Caret stultus sapientia, non igitur novit sapientiam : non enim oculis eam posset videre. *De Util. cred.*, cap. 13.

46. Rationales animæ de sapientia vivunt, quarum mors est insipientia. Lib. 1. *contra Advers. legis*, cap. 15.

47. Profecto sapiens eris, si te non esse credideris; atque ut sis, ab illo qui facit sapientes, pie, suppliciter, instanterque poposceris. Lib. 3, *de Anima et ejus orig.*, cap. 1.

48. Homines percipere possunt sapientiam, si se illius luci et calori admoverint; et amittere possunt, si inde malo affectu recesserint. Tract. 2, super *Joan.*

49. Mens nostra nisi veritatis lumine radietur, ad sapientiam non poterit venire. *Ibid.*, tract. 35.

50. Si dicendo te esse sapientem, stultus factus es, dic te stultum, et sapiens eris : sed dic, dic, et intus dic. Serm 8, *de Verb. Dom.* super illud : *Matth.* XI : *Et revelasti ea parvulis.*

S. BASILIUS MAGNUS.

51. Ut qui morbo laborant, medicinæ auxilio indigent : sic stulti, sapientia opus habent. Homil. in princ. *Proverb.* Hab. apud D. Joan. Damasc. lib. 1 *Parall.*, cap. 24.

S. BERNARD.

52. Quis in via morum, seu rerum notitia errare timebit duce sapientia? Serm *ad Milites templi*, cap. 11.

53. Quomodo dixerim in sapientia consummatum, quem video nec initiatum? Serm. 36, *de Parvis sermon.*

54. Sol non omnes, quibus lucet, etiam calefacit : sic sapientia multos quos docet quid sid faciendum, non continuo etiam accendit ad faciendum. Serm. 23, super *Cant.*

55. Sapientiæ otia, negotia sunt : et quo otiosior sapientia, eo exercitatior in genere suo. *Ibid.*, serm. 85.

56. Etsi sapiens aliis sis, deest tibi sapientia, si tibi non fueris sapiens. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

57. Sapientia mundi terrena est; animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum provocare. In *Declamat.*

S. BONAV.

58. Nulla virtus nec angelica, nec humana tantum fortificat, ut sapientia. Serm. 2, in *Hexam.*

S. CYPRIAN.

59. Sapiens ille est, qui humilis et mitis est. Hab. apud Bedam, in *Scintillis*, cap. 18.

DIDYM. ALEX.

60. Solus sapiens liber ac princeps est, etiamsi alioqui sexcentos corporis dominos habeat. Hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 73.

DIONYSIUS CARTHUS.

61. Si quis veram sapientiam velit acquirere, seipsum stultum reputet, saltem in se, quia ex seipso non habet, nisi ignorantiæ tenebras : nec cupiat in mundo sapiens reputari, sed amet nesciri. Super I *ad Cor.*, cap. III, art. 3.

S. FRANCIS. ASSISIAS.

62. Summa sapientia est, bona opera facere, bene se custodire, et judicia Dei considerare. In suis *Opusc.*, oraculo 25.

GLOSS. ORD.

63. Sapientia mundana, terrena est, animalis. et diabolica. Super *Matth.*, cap. V.

GLOSS. INT.

64. Quanto magis quis sapientiam de divinis assequitur, eo magis vitiis subjacere indignatur, et procul esse a virtutibus, quas requirit. Super *Ecclesiasten*, cap. 1.

65. Humana sapientia quanto contra Deum se erigit, tanto veritate superante coram omnibus erubescit. Super *Hierem.*, cap. XLVIII.

66. Ne sis sapiens tibi soli : proficere debes, et alios tecum docere. Super *Daniel*, cap. 2.

S. GREGOR. MAGNUS.

67. Ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipiuntur. Lib. 13 *Moral.*, cap. 14.

68. Valde difficile est, ut is qui se sapientem æstimat, mentem ad humilitatem reducat. *Ibid.*, lib. 16, cap. 27, super illud *Rom.* XIII : *Non plus sapere quam oportet.*

69. Sapientia hujus mundi infidelis est, quia mansura post mortem non est. *Ibid.*, lib. 31, cap. 20.

70. Nullus sapientiam plene recipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. *Ibid.*, lib. 18, cap. 25.

71. Qui divina sapiunt, supra homines sunt. *Ibid.*, cap. 28.

72. Minor est sapientia, si intellectu careat : et valde inutilis intellectus est, si ex sapientia non subsistat. *Ibid.*, lib. 1, cap. 16.

S. GREGOR. NAZ.

73. Sapientia ad auxiliandum, majora perficere potest in civitate, quam acies potentissimorum virorum. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. GREGOR THAUMAT.

74. Sapientiam auxilii in civitate plus est, quam potentissimorum hominum acies. *Prosec.*

75. Sapientia tanti facio atque æstimo, ut parvam etiam civitatem a paucis habitatam, atque adeo a magno rege cum exercitu circumcessam, magnam et frequentem existimem, si vel pauperem unum sapientem virum civem habeat. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

76. Sapientia ferro etiam ipso fortior est. *Ibid.*, cap. 9.

S. HIERON.

77. Sapientia vera non est in foliis, ac flore verborum : sed in medullis ac fructibus sensuum, quæ non aurem prætervolat, sed animum reficit. Lib. 15, super *Isaiam*, cap. 55, super illud : *Omnes sitientes, venite ad aquas.*

78. Nihil magis ad spem percipiendæ sapientiæ mentes erigit, quam cum eos in sapientia jam clarere miramur, aliquando parvulos et indoctos fuisse meminimus. Lib. 1 *Prov.*, cap. 4.

79. Quamlibet simplex quisque sit et rusticus, qui arcana sapientiæ comprehendere nequeat, si tamen sapientium exempla imitatur, jure inter sapientes annumerabitur. *Ibid.*, lib. 2, cap. 13, super illud : *Qui cum sapientibus graditur.*

80. Cum multi sint, qui sapientiam repromittant, difficile invenitur, qui discernere queat virum sapientem ab his qui videntur esse sapientes. Super *Ecclesiasten*, cap. VIII, super illud : *Quis ita ut sapiens?*

HUGO A S. VICTORE.

81. Sapientia illuminat, stultitia excæcat. Homil. 10, super *Ecclesiasten.*

82. Ubi sapientia semper est, semper lux est : et ubi sapientia non semper est, tantum lux est quantum sapientia est : et ubi sapientia nunquam est, nunquam lux est. *Ibid.*

83. Ille sapit secundum mensuram fidei, qui nil sapit, nisi quod credit esse sapiendum. In *Annot. super Epist. ad Rom.* in illud : *Non plus sapere.*

84. Sapientia habitare nescit, nisi in corde pacifico, et ideo illi, in quibus adhuc terrena desideria perstrepunt, quæ sit sapientia non noverunt. Lib. 3, *de Arca Noe morali*, cap. 1.

85. Si Christus est sapientia, qui sapientiam pro humana laude quærit, similis esse convincitur proditori Judæ, qui Christum vendidit. *Ibid.*, cap. 6.

86. Sapientia, per timorem seminatur, per gratiam rigatur, per dolorem moritur, per fidem radicatur, per compunctionem oritur. *Ibid.*

87. Omnium expetendorum prima est sapientia, in qua perfecti boni forma consistit. Lib. 1 *Didasc.*, cap. 2.

88. Summum in vita solamen, et studium sapientiæ : quam qui invenit, felix est : et qui possidet, beatus. *Ibid.*

89. Amor sapientiæ, etiam marcescente corpore, dilectorem sui non deserit. Lib. 3 *Didasc.*, cap. 15.

90. Vera sapientia semper virtutem habet comitem, quia hoc magis appetit scire quod magis expedit esse. Lib. 1 *Miscellan.*, codic. 1, tit. 43.

91. Mundana sapientia meretrix est. Super *Prov.*, cap. XXII.

92. Nihil perniciosius, quam sapientem se reputare, hæc est mors et cæcatio humilitatis. *Ibid.*, cap. XXVI.

93. Non est major stultitia, quam quod homo sibi sapiens esse videtur. *Ibid.*, cap. XXVIII.

94. Quinque modis sapientia concupiscitur : quidam discunt, ut sciant, quod est curiositas; quidam, ut scientes appareant, quod est vanitas; alii, ut vendant et lucrentur, quod est simoniaca pravitas; alii, ut alios ædificent, quod est laudata charitas; alii, ut ædificentur, quod est pia humilitas. Tres superiores sine fructu in concupiscendo abundant : hi colligunt manna, sed putrescit in ore eorum. Duo posteriores fructum metunt. Lib. 4 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 87.

HUGO CARD.

95. Sapientia hujus mundi est animalis, terrena, diabolica : animalis in luxuriosis, terrena in avaris, diabolica in superbis. Super III *Reg.*, cap. I.

96. Curiosi nimis sæpe accenduntur in sapientia perscrutandi, et accidit ut sapientia tanto altius recedat, quanto profundius inquiritur. Super *Ecclesiasten*, cap. VIII.

97. Bonus incomparabiliter est sapientiæ thesaurus, qui distributus recipit incrementum. Super *Ecclesiastic.*, cap. XX.

98. Sapientia cordis os regat et doceat, et os sapientiam cordis aliis manifestet et communicet. Super *Luc.*, cap. XXI, in illud : *Ego dabo vobis os et sapientiam.*

99. Difficile sane est inter sæcularia veram sapientiam invenire. Homil. 83 super *Joan.*

100. Sapienti quod stultum putatur, sapit : quod triste est, placet : quod molle est, displicet : quod fluxum est, horret. Serm. *de Pœnit.*

JOAN. TRITH.

101. Nunquam ad veram sapientiam pertingit homo, vitiorum affectibus pollutus. Orat. 1 *in Conventu abbat. habita.*

S. ISIDORUS HISPAL.

102. Omnis qui secundum Deum sapiens est, beatus est : nullus enim magis sapiens, quam quem docuerit Deus. *Prosec.*

103. Excelsior est omnibus rebus sapientia : nec esse potest ulla justitia sine sapientia.

104. Qui vero secundum sæculum sapiens est, secundum Deum stultus est. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 1, sent. 1.

105. Ille recte sapit, qui secundum Deum sapit. *Ibid.*, cap. 29, sent. 11.

106. Horret sapientia spumeum verborum ambitum, ac fuco mundialis eloquentiæ inflatis sermonibus perornatum. *Ibid.*, sent. 12.

107. Nihil sapientia melius, nihil prudentia dulcius, nihil scientia suavius. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 13.

108. Noxia non vitamus, nisi per sapientiæ in-

sidias : sapiens omnia prudenter examinat, et inter bonum et malum intelligendo dijudicat. *Ibid.*

109. Dilige sapientiam, et manifestabitur tibi : accede ad illam, et appropinquabit tibi : assiduus esto illi, et instruet te. *Ibid.*

110. Sapientiam cum cæteris impartiris, tibi magis hanc auges : sapientia dando largior fit, retinendo minoratur. *Prosec.*

111. Largiendo redundantior est sapientia; et dum plus confertur, plus abundat. *Ibid.*, cap. 14.

S. JUSTIN. MART. 112. Stulto, qui de sapientia quærit, sapientia tribuetur : qui autem prudens judicio suo videtur esse ei, magnæ ignominiæ nota inuretur. *Epist. ad Zenam.*

LACT. FIRM. 113. In sapientia omnia dictu prona sunt, auditu suavia, facilia intellectu, honesta susceptu. Lib. 1 *de Divin. inst.*, cap. 1.

114. Non in lingua, sed in corde sapientia est. *Ibid.*, lib. 3, cap. 13.

115. In sola religione, id est, in Dei summi notione, sapientia est. *De Ira Dei*, cap. 22.

116. Primus sapientiæ gradus est, falsa intelligere : secundus, vera cognoscere. Lib. 1 *de Divin. inst.*, cap. 23.

117. Qui sapientiæ studet, nondum sapit : sed ut sapere possit, studet. *Ibid.*, lib. 3, cap. 2.

118. Vulgus interdum plus sapit, quam sapiens, quia tantum opus est, sapit. *Ibid.*, cap. 5.

119. Nihil sapientia dignius inveniri potest. *Ibid.*, cap. 11.

120. Sapientia, nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exerceat, inanis et falsa est. *Ibid.*, cap. 16.

S. LEO I. 121. Sapientia, quæ desursum est, pudica est, pacifica, modesta, suadibilis, amans bonum, sine simulatione. *Adversus præsumpt. Michaelis, et Leonis Acridani episc.*, cap. 38.

122. Quid iniquius, quam iniqua sapere, et sapientioribus doctioribusque non credere. Epist. 10, *ad Flavian. Constantinop. episc.*, cap. 1.

S. PETRUS 123. Si semel suavitatem sapientiæ degustasses, omnia præter illam in fastidium verterentur : habet enim in se incomparabiles thesauros deliciarum, atque omnium bonorum gratiam largitur ad plenum. Epist. 81, *ad Simon. Carnotens. canonic.*

124. Sapientia in corde viri nihil sublimius : sed si sensibus carnis obscuretur, nihil vilius. *De Panibus*, cap. 14.

PHILO JUD. 125. Quis est finis recte sapiendi? seipsum et omnem creaturam damnare stultitiæ. *De Migrat. Abrahæ.*

126. Est mentis lumen sapientia, sicut e diverso insipientia tenebræ sunt animæ. Lib. 2 *de Victimis.*

127. Quidquid est sapientia præditum, amicum Deo, non servum est. Lib. *de Verbis Noe.*

128. Nihil sapientiæ tanto impedimento est, quanto natura carnium. *De Gigant.*

129. Primus est sapiens in humano genere, sicut gubernator in navi, magistratus in civitate, imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima. Lib. *de Abraham.*

130. Acquisitio sapientiæ non sensu discitur, sed mente sincerissima percipitur. Lib. de eo : *Quis rerum divinarum hæres sit.*

131. Nemo se placere Deo per mundi sapientiam putet, quæ tota carnalis est, et a vera sapientia cum omni sua vanitate destruitur. Epist. *ad Demetriad.* S. PROSPE

132. Apud se prudens est, et non apud Deum, qui sapientiam quam habet, non auctori omnis sapientiæ deputat, sed sibi suisque meritis et studiis. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XII, can. 16. S. REMIG

133. Apud se sapiens et prudens est, qui cum sit stultus sapientem se putat esse; et gloriatur in se, quia sperat scire, quod nescit. *Ibid.*

134. Nihil sapientiæ dono possidetur utilius, nihil invenitur difficilius, est enim thesaurus absconditus. Part. 1, tract. 1, *de Statu inter. hom.*, cap. 4 RICHARD. S. VICTOR

135. Quanta cautela cor custodiendum est, in quo sapientiæ thesaurus invenitur : quo nihil ditius, nihil tutius possidetur. *Ibid.*

136. Nihil sapientia ardentius diligitur, nihil dulcius possidetur : hinc est enim quod sapientes omnes esse volunt, pauci tamen admodum sapientes esse possunt. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 1.

137. Si quis vult esse sapiens, sit bonus : quia nemo vere est sapiens, nisi vere bonus. Lib. 6 *de Gubern. Dei.* SALVIAN

138. Sapientia christiani est timor et amor Christi : initium sapientiæ est in timore Christi, perfectio in amore. Lib. 4 *ad Eccles. catholic.*

139. Qui summum sapientiæ culmen attigerit, is et hominem se esse meminerit. In suo *Dione.* S. SYNE EPISCO

140. Cum a Deo divina sapere postulemus, tum ipsi quacunque ratione possumus, undequaque sapientiam comparemus. Epist. 136, *ad Herculian.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

141. Sapiens omnia sua bona secum portat. In *Sent.*, ab initio sent. 6. BIA PHILOS

142. Utilis est sapientia, propterea quod qui sapientes sunt, pietatem colere consueverunt. Lib. 4 *de Arte rhetor.* CICE

143. Plurima commoda veniunt, si moderatrix

omnium rerum præsto est sapientia. Lib. *de Invent. rhetor.*

144. Sapientia totius hominis custos et procuratrix est. Lib. 4 *de Finibus*, num. 17.

145. Sæpe etiam sub palliolo sordido latet sapientia. Lib. 3 *Tusc. quæst.*, num. 56.

146. Quisquis est, qui moderatione et constantia quietus animo est, sibique ipse placatus, ut neque tabescat molestiis, neque frangatur timore, nec sitienter quid appetat, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est vere sapiens. *Ibid.*, lib. 4, num. 37.

147. Nec quidquam sapere sapiens potest, qui sibi ipsi prodesse nescit. Lib. 3 *de Offic.*

148. Quid est optabilius sapientia, quid præstantius, quid melius, quid homine dignius? hanc qui expetunt, philosophi nominantur. Lib. 2 *de Offic.*

149. Sicut stultitia, etsi adepta est quod concupivit, nunquam se tamen satis consecutam putat : sic sapientia semper eo contenta est, quod adest : neque eam unquam sui pœnitet. Lib. 5 *Tusc. quæst.*

150. Sapientis est proprium, nihil quod pœnitere possit facere, nihil invitum; splendide, constanter, graviter, honeste omnia. *Prosec.*

151. Nihil ita expectare, quasi certo futurum : nihil cum acciderit, admirari, ut inopinatum, aut novum accidisse videatur. *Ibid.*

PLATO. 152. Humanam sapientiam haud magni, imo nihil plane æstimandam censes; solus vero Deus sapiens est. Sizygia 1, in *Apolog.*

153. Corpus impedimento est ad sapientiam ipsam comparandam. Sizygia 1, in *Dialogo Phædonis.*

154. Sapientia est ille rectus et genuinus nummus, cujus vice omnia hæc sunt commutanda, cujus gratia et cum qua omnia et vendantur et emantur. *Ibid.*

155. Omni studio curaque elaborandum est, ut virtutem sapientiamque in vita consequamur. *Ibid.*

156. Sapientes, sapientiæ ratione sapientes sunt. Sizygia 2, *de Scientia.*

157. Vera sapientia, felicitas est. Sizygia 2, in *Dialogo Eutydemi.*

158. Omni homini est incumbendum, ut non videatur tantum sapiens, sed etiam revera existat, sive privatim, sive publice.

159. Imperitia vitium est, sapientia virtus. Sizygia 4, lib. 1, *de Republ.*

160. Sapientiæ forma, si tanquam facies oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sui. Sizygia 5, in *Dialogo Phædri.*

SENECA. 161. Sapiens nihil facit, quod non debet : nihil prætermittit quod debet. Lib. 2 *de Clement. ad Neron.*, cap. 7.

162. Parcit sapiens, consulit, corrigit. *Ibid.*

163. Puto multos potuisse ad sapientiam pervenire, nisi putassent se pervenisse. *De Tranquillit. animi*, cap. 1.

164. Sapiens nihil perdere potest, omnia in se reposuit : nihil fortunæ credit, bona sua in solido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget, ideoque nec augeri, nec minui potest. *De Constant. sapientis*, cap. 5.

165. Nunquam decet sapientem facti sui pœnitere, nec unquam emendare quod sapienter fecerit, nec mutare consilium. Lib. 4 *de Benef.*, cap. 34.

166. Sapiens assectator sapientiæ, adhæret quidem in corpore suo, sed optima sui parte abest, et cogitationes suas ad sublimia intendit. Epist. 65.

167. Sapiens assuescit futuris malis, et quæ alii diu patiendo levia faciunt; hic levia facit, diu cogitando. *Prosec.*

168. Audimus aliquando voces imperitorum dicentium; Nesciebam hoc mihi restare; sapiens autem scit sibi omnia restare : quidquid factum est, dicit : Sciebam. Epist. 76.

169. Sapientia artium domina rectrixque est : artes serviunt vitæ, sapientia imperat. Epist. 85.

170. Sapiens ad utrosque casus aptus est : virtutem tam in secundis, quam in prosperis exhibet : bonorum rector est, malorum victor. *Ibid.*

171. Nihil aliud est sapiens, quam humani generis pædagogus. Epist. 88.

172. Sapiens vir, etiamsi nudus sit, sapiens apud te habeatur. *Sent.* 181. SIXTUS PHILOSOPH.

173. Non eris sapiens, si te reputaveris sapientem. *Sent.* 188.

174. Sapientia sapienti donum a Deo. *Sent.* 209.

175. Magnam scito esse sapientiam, per quam ferre potes ineruditorum insipientiam. *Sent.* 275.

176. Particeps Dei est, vir sapiens. *Sent.* 304.

177. Sapientis anima audit Deum, sapientis anima aptatur a Deo, sapientis anima semper est cum Deo. *Sent.* 401.

Vide etiam tit. *Doctrina*, sent. 118; *Dogma*, sent. 11; *Humilitas*, sent. 104; *Juventus*, sent. 24; *Malitia*, sent. 19, 82; *Mens*, sent. 114, 115; *Ob[illegible]*, sent. 17; *Perfectio*, sent. 9; *Scientia in genere*, sent. 89; *Senectus*, sent. 38; *Stultitia*, sent. 21; *Veritas*, sent. 9; *Via*, sent. 102.

## SAPIENTIA DEI.

*Definitio.* Sapientia Dei divinus est gustus, accommodatus animæ ad perficiendam fidem, corroborandam spem, infundendum vigorem. Part. 1 *de Casto connubio*, cap. 12. S. LAURENT. JUSTIN.

S. AMBROS. *Differentia*. Sapientia humana consuitur, hoc est, addiscitur : Domini autem sapientia non assuta est, non quæsita. Serm. 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Abscondita est Dei sapientia, dum non verbis, sed in virtute est : non humana ratione possibilis, sed spiritus efficacia credibilis. Super I *Cor.* II in illud : *Quæ abscondita est.*

S. AUGUST. 2. O sapientia, Dei, lux mentium ! nondum intelligunt homines quomodo fiant, quæ per te atque in te fiunt : et conantur æterna sapere, sed adhuc in præteritis et futuris rerum motibus cor eorum volitat, et adhuc vanum est. Lib. 2 *Conf.*, cap. 11.

3. Deus est sapientia in quo, et a quo, et per quem sapiunt quæ sapiunt omnia. Lib. 1 *Soliloq.*, cap. 1.

4. O suavissima lux purgatæ mentis sapientia ! non enim cessas innuere nobis, quæ et quanta sis : et nutus tui sunt omne creaturarum decus. Lib. 2 *de Libero arbit.*, cap. 16.

5. Per sapientiam Dei fiunt omnia, et quæ fuerunt, et quæ futura sunt, et ipsa non fit : sed sic est ut fuit, et sic erit semper : quin potius fuisse, et futurum esse, non est in ea, sed esse solum, quoniam æterna est : nam fuisse et futurum esse non est æternum. Lib. 9 *Confess.*, cap. 10.

6. Deus est sapientia mentes indigentes illuminans. *Ibid.*, lib. 7, cap. 6.

7. Sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum : ipse medicus, ipsa medicina. Lib. 1 *de Doctrina christ.*, cap. 14.

8. Frui Sapientia Dei, nihil est aliud quam ei dilectione cohærere. *De Fide et Symbolo*, cap. 9.

9. Nihil sapientius ipsa sapientia. *De Gen. imperf.*, cap. 16.

10. Principium creaturæ intellectualis, est æterna sapientia. Lib. 1 *de Gen. ad lit.*, cap. 5.

11. Audiuntur, vel videntur omnia bona præcepta in ipsa incommutabili sapientia. *Ibid.*, lib. 8, cap. 27.

12. Si sapientia Deus est, verus philosophus est amator Dei. Lib. 8 *de Civit. Dei*, cap. 1

13. Cognitio creaturæ in seipsa decoloratior est, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est. *Ibid.*, lib. 11, cap. 7.

14. Illuminatur anima luce sapientiæ Dei, sicut illuminatur anima luce corporea : et sicut aer tenebrescit ista luce desertus, ita tenebrescere animam intelligimus, sapientiæ luce privatam. *Ibid.*, cap. 10.

15. Sapientia Dei incomprehensibili comprehensione omnia incomprehensibilia comprehendit. *Ibid.*, lib. 12, cap. 18.

16. Rationales mentes per voluntatem impiam tenebrosæ, lucem sapientiæ Dei nusquam absentem comprehendere non possunt : quod ab ea longe sint affectu, non loco. Lib. 22 *contra Faust.*, cap. 2.

17. Homo in peccato non potest videre sapientiam, quia Deus est sapientia. Tract. 1 super *Joan.*

18. Sapientia Dei videri oculis non potest. *Ibid.* tract. 3.

19. Sapientia est Deus, et vult se amari ; non solum dulciter, sed et sapienter. Serm. 19 super *Cant.* S. BERNARD.

20. Multum desipit, qui sapientiam Dei aliud aliquid putat, nisi id quod præstantissimum sit, ordinare. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 46.

21. Vera sapientia, quæ Christus est, inveniri potest, præveniri non potest. Super *Sap.*, cap. VI. S. BONAV.

22. Solus sapiens dictus est Deus, non accipiens ab alio sapientiam, neque per cujusdam alterius sapientiæ participationem, sapiens nominatur. Lib. 1 *de Spiritu sancto.* DIDYM. ALEX.

23. Nullus sapientiam Dei plene recipit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum cura contendit. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 1, sent. 4. S. ISIDORUS HISPAL.

24. Vera sapientia Dei Christus est, quæ non ornatur verbis, nec luculenta oratione, sed fide cordis agnoscitur. Serm. 119. S. PETRUS CHRYSOL.

25. Unus solus est sapiens, qui solus Deus est. *De Migrat. Abrahæ.* PHILO JUD.

26. Homines quia sapere videntur, sapientes dicuntur : Deus vero cum sit, minus quam est prædicatur. *Ibid.*

27. Essentialiter Deus dicitur sapiens, et est : quia nihil est aliud esse, quam sapientem esse : nec sapientem esse, quam esse. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XVI, can. 27. S. REMIG.

28. Sapientia Dei in nobis operatur bonum, postquam ei mundum cordis præbuerimus habitaculum, et cogitationes in opera verterimus. *Epist. Paschal.* 3. S. THEOPH. ALEX.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

29. Solus Deus sapiens est. Sizyg. 1, in *Apolog.* PLATO.

30. Non possum dicere aliam quampiam esse animi partem diviniorem, quam hanc, circa quam sapientia Dei versatur. Sizygia 4, in *Dialog.* 1, *Alcibiadis.*

31. Sapientis nomen magnum est, solique Deo convenire videtur. Sizyg. 5, in *Dialogo Phædri.*

32. Sapientia in alto sedet, animorum magistra est, utilia molitur, paci favet, et genus humanum ad concordiam vocat. Epist. 90. SENECA.

33. Divina sapientia, vera est scientia. *Sent.* 392. SIXTUS PHILOSOPH.

## SATIETAS ET SATURITAS.

S. BONAV. *Divisio.* Quadruplex est saturitas : prima, bonorum temporalium; secunda, donorum spiritualium; tertia, præmiorum æternalium; quarta, tormentorum infernalium. Prima, miseri avari sunt, sicut canes bolismum patientes, qui nunquam saturari possunt. Secunda septem sunt panes, septem dona Spiritus sancti, quibus saturamur : sed heu ! quidam pecuniis et laboribus suis emunt sibi famem animæ, non saturitatem. Tertia, quia beati saturabuntur vere melle dulcissimæ gratitudinis. Quarta, qui malis consiliis contra proximos saturari non possunt in mundo, malorum consiliorum pœna saturabuntur in inferno. Serm. 4, *Dom.* 6, *post Pentec.*

HUGO CARD. Quadruplex est satietas : bonorum, beatorum, malorum, damnatorum. Super *Psalm.* XXI.

S. ISIDORUS HISPAL. *Differentia.* Inter saturitatem et satietatem hoc interest, quod saturitas de cibo tantum, satietas de reliquis dicitur rebus. Lib. 1 *Differ.*, different. 163.

S. ISID. PEL. *Productio.* Saturitas contumeliæ ac petulantiæ mater est. Lib. 1, epist. 383, *ad Philagrium.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1 Saturitas castitatem prodigit, nutrit illecebram. Serm. 37. *de Quadrag.*

2. Nec satietas unquam, nec finis aderit cupiditati. Serm. 81.

S. ANTONIUS DE PADUA. 3. Non aliter satiatur cor hominis auro, quam corpus hominis aura. Serm. *Dom.* 6, *post Pascha.*

S. AUGUST. 4. Licita est satietas, illicita est ebrietas : tamen modesti homines ut longe se faciant a turpitudine ebrietatis, castigant se aliquantum et a libertate satietatis. *De utilit. jejunii.*

5. Esurit pauper, esurit dives. Saturari quærit pauper, saturari quærit dives : saturatur pauper de vilis cibis, saturatur dives de pretiosis cibis. Saturitas æqualis est, possessio una est, quo ambo volunt pervenire : sed ille per compendium, ille circuit et vix fastidiosus satiatur. Serm. 5 *de Verbis Dom.*

6. Semper juncta est saturitati lascivia. Serm. 2, *Dom.* 1, *Quadrag.*

7. Saturitas castitatem prodit, nutrit illecebram. Serm. 1, *fer.* 4, *post Dom.* 2, *Quadrag.*

8. Exarsi aliquando satiari in inferis. Lib. 2 *Conf.*, cap. 1.

9. Luxuria satietatem atque abundantiam se cupit vocari. *Ibid.*, cap. 6.

10. Dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ; ipse enim transitus voluptas est. *Ibid.*, lib 10, cap. 31.

11. In cœlo satiabis me satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in æternum. Lib. *Medit.*, cap. 25.

12. Sicut ventus non satiat ventrem, nec umbra replet : sic nec temporalia, quæ sunt umbra æternorum, satiant animam. Super *Ecclesiasten.* S. BONAV.

13. Saturitas divitis non sinit eum dormire, qui sic saturatur ut semper famescat. Super *Luc.*, cap. IX, in illud, *Eccl.* V : *Saturitas divitis*, etc.

14. Experientia docet quod cunctæ res non satiant appetitum animæ rationalis, eo quod homines his omnibus adeptis ardentiores sunt in acquirendo. Serm. 3, *post Pascha.*

15. Omnis jucunditas, omnis suavitas, omnis potentia, omnis opulentia rerum creatarum, afficere cor hnmanum potest, satiare non potest. In *Soliloq.*, cap. 1.

16. Divinarum rerum nulla satietas est : sed quanto gustatur Dominus tanto suavius appetitur. Super *Psalm.* XXVI, vers. 12. CASSIODOR.

17. Discamus satiari, ne in sumendis alimentis corporis, gulæ magis quam necessitati serviamus. Homil. 19, super *Ezech.* S. GREGOR. MAGNUS.

18. Ars magna est satiari, ne unusquisque per satietatem carnis ad iniquitatem prorumpat turpitudinis. *Ibid.*

19. Quanto uberius satiari cupimus, tanto ei a quo totum accepimus, largius conferamus. Lib. 10, in *Registro*, indict. 5, cap. 7, epist. 7, *ad Savinellam.*

20. Satianda est caro, sed ad hoc usque, ut in bono nobis opere famulari sufficiat. Homil 19, super *Ezech.*

21. Esuriei succedit saturitas, saturitatem excludit esuries. Super *septem Psalm. Pœnit.* in *Psalm.* VI.

22. Quos saturitas de paradiso expulit, reducat esuries. Epist. 22, *ad Eustoch.* S. HIERON.

23. Morbi ex saturitate nimia concitantur. lib. 2, *advers. Jovian.*

24. Etiam ex vilissimis cibis vitanda satietas est. *Ibid.*

25. Multa in hoc mundo sunt, et hæc omnia cor hominis satiare non possunt. Lib. 7, super caput 7 *Cœlest. Hierarch.* HUGO A S. VICTORE.

26. Saturitatem ventris, sequitur levitas operis, et vanitas mentis. Lib. 2 *de Claustro anim.*, cap. 20.

27. Si vis satiari, desinas esse cupidus : quia dum cupidus fueris, satiari non poteris. Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 7. S. INNOC. III

28. Nihil ita corpori repugnat, et sanitati obest, ut satietas. Homil. 45 super *Matth. oper. perf.* S. JOANNES CHRYSOST.

29. Ubi venter satur, ibi dæmones et diabolus exultant. Homil. 71, super *Matth. oper. perf.*

30. Paucis de cœlestibus satiari, imbecillæ est animæ ; et parva accessione putare se ditescere, nauseabundæ est et miseræ, siquidem pietas insatiabilis est. Homil. 12, super I *Cor.*

31. Saturitas, ægritudinis mater est. Homil. 55 *ad Popul. Antioch.*

32. Ubi satietas fuerit, non potest esse appetitus : absente vero appetitu, quomodo potest adesse voluptas? *Ibid.*

S. JOAN. DAM. 33. Satietas contumeliæ initium est. Lib. 1. *Parall.*, cap. 77.

S. ISIDORUS HISPAL. 34. Non est usque ad satietatem reficiendum corpus, ne forte intereat animus : nam ex plenitudine ventris, cito excitatur luxuria carnis. In *Regula monachor.*, cap. 9.

S. PETRUS DAMIANUS. 35. Quid illius poterit concupiscentiam satiare, cui Deus non potest in possessione sufficere ? Opusc. 27.

RICHARDUS A S. VICT. 36. Finis desiderii, satietas est. Part. 1 *de Gradib. charit.*, cap. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 37. Omnium rerum satietas, vitæ facit satietatem. *De Senect.*, num. 76.

Vide etiam tit. *Avaritia*, sent. 70 ; *Certamen*, sent. 14 ; *Cibus*, sent. 119 ; *Fames*, sent. 9, 19 ; *Fornicatio*, sent. 45 ; *Laus*, sent. 40 ; *Libido*, sent. 59 ; *Mulier*, sent. 65 ; *Tribulatio*, sent. 86.

## SATISFACTIO.

S. ANTONIN. *Definitio.* Satisfacere est honorem Deo debitum reddere. Part. 3, tit. 14, *de Sacram.*, cap. 20.

S. AUGUST. Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere. *De Ecclesiast. dogmatibus*, cap. 54.

JOAN. GERS. Satisfactio est justitia, qua quis inclinatur reddere Deo bonum alias indebitum, in recompensationem alterius debiti, ut ablationem commodi proprii pro ablatione justi. Part. 4, in *Descript. terminor*, cap. *Justitia.*

S. THOMAS AQUINAS. Satisfactio est medicina curans peccata præterita, et præservans a futuris. In *supplemento*, part. 3, quæst. 12, art. 3.

*Productio.* Per satisfactionem tria magna bona proveniunt. Impetratio gratiæ, remissio pœnæ, expurgatio reliquiarum culpæ. Lib. 6. *Compendii Theolog. veritatis*, cap. 30.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Necesse est ut omne peccatum, satisfactio aut pœna sequatur. Lib. 1 *Cur Deus*, cap. 15.

2. Tunc est Deo grata satisfactio, cum in ejus mente qui satisfacit, nulla manet, murmuratio, sed pia jugiter fervet dilectio. *De Similitud.*, cap. 107.

3. Lacessit judicem, qui post posita satisfactione delicti, præmiis quærit honorari. In *Meditat.*

S. AUGUST. 4. Miserando Deus delet jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. In *Enchiridio*, cap. 70.

5. Quicunque convitio vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactionis. *Prosec.*

6. Vobis a verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera. In Regula 3, *ad Clericos.*

7. Qui multos offendit peccando, placare multos oportet satisfaciendo. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 11.

8. Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam, de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem. Homil. 50, *Ex quinquag. homil.*, cap. 5.

S. BERNARD. 9. Humilis et verecunda debet esse satisfactio, qua emendatur superba transgressio. Serm. 3 *Super Cant.*

10. Nunquam homo debet esse sine metu, quia satisfactio pœnitentiæ divino tantum judicio pensatur, non humano. Serm. 55 *ad Sororem.*

S. BONAV. 11. Offensus est humili satisfactione placandus. *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 10.

S. CÆSARIUS ARELAT. 12. Non levi, nec transitoria opus est satisfactione pro malis illis, propter quæ paratus est ignis æternus. Homil. 29.

CASSIODOR. 13. Magna infelicitas, perire sub pio Domino, ut tardes illi satisfacere, cui te cognoscis errasse. Super *Psalm.* CII, vers. 6.

S. CYPRIAN. 14. Qui pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt. *De Lapsis*, cap. 13.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 15. Beatus servus, qui benigne reprehensus, acquiescit et libenter satisfacit. In suis *Opusc.* in *Admonit. ad fratres*, cap. 22.

GLOSS. INT. 16. Cessat jam ira Dei, cui satisfecit pœna. Super *Thren.*, cap. IV.

S. GREGOR. MAGNUS. 17. Nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates, quas dileximus, e contrario appositis lamentis insequamur. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 31.

18. Nihil contulisse videtur adhibita satisfactionis lavatio, quem maculavit inhonestius iterata facinoris turpitudo. Super *septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* IV, vers. 18.

S. HIERON. 19. Grandi plagæ, alta et prolixa opus est medicina : grande scelus grandem habet necesariam satisfactionem. Epist. 22 *ad Susannam lapsam.*

HUGO CARD. 20. Satisfactio fit tripliciter. Deo, per orationem, sibi, per carnis macerationem : proximo, per eleemosynarum largitionem. Super *Gen.*, cap. XXVIII.

21. Non reputat diabolus si homo doleat, vel confiteatur : tamen dolet, sed dissimulat ; quod autem opere satisfaciat, hoc sustinere non potest, et maxime torquetur. *Ibid.*, cap. 31.

S. INNOC. III — 22. Satisfactio duabus partibus continetur ; una qua culpam vitamus, et altera qua pœnitentiam perficimus. Serm. 2 *de Mart.*

JOAN. CASS. — 23. Indicium satisfactionis et indulgentiæ est affectus peccatorum de nostris cordibus expulisse. Collat. 20 *Abbat. Pinufii*, cap. 5.

24. Tunc se is, pro satisfactione pervigilat a criminibus absolutum, ac de præteritis admissis veniam percepisse cognoscat, cum nequaquam cor suum eorumdem vitiorum illecebris senserit vel imaginatione perstringi. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. — 25. Satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat. Serm. *de Confess.*

26. Pejus est Dei offensam non satisfactione placare, quam peccando Dei bonitatem offendere. *Ibid.*

27. Serpentinum virus, satisfactionis antidoto recuratur. *Ibid.*

JOAN. SAR. — 28. Nihil persuadet propitiandum esse, nisi cum mens manum operis extendit ad satisfaciendum. *Prosec.*

29. Si quis enim fatetur culpam, inutilis est confessio, nisi satisfactionis animo currat ad veniam. Lib. 2 *de Nugis curial.*, cap. 27.

JOAN. TRITH. — 30. Stultissimus omnium hominum est merito judicandus, qui satisfacere in hac vita cum possit Deo pro peccatis, differt ad futuram. Lib. 1 homil. 13 *ad Monachos.*

ISIDORUS HISPAL. — 31. Pœnitentiæ satisfactio divino tantum pensatur judicio, non humano. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 13, sent. 17

S. LEO I. — 32. Gravis negligentia, majore satisfactione curanda est. Serm. in *Octava SS. Petri et Pauli.*

S. PETRUS DAMIANUS. — 33. Unusquisque quo magis gravatur offensis, eo majori gravandus est pondere satisfactionis. Opusc. 13, cap. 6.

RICHARD. A S. VICTORE. — 34. Cuilibet Pagano (quantumlibet criminoso) accepto baptismate, nulla injungitur satisfactio : Christiano autem criminaliter peccanti, sed jam pœnitenti et confitenti, non sufficit Sacerdotis absolutio sola sine satisfactione injuncta. Part. 1, *de Potest. ligandi et solvendi*, cap. 22.

S. VALER. EPISCOPUS. — 35. Non difficile homo cum opus fuerit, quodlibet impetrat, si fœneratori suo celeri satisfactione respondeat. Homil. 4, *de Promissis.*

36. Ubi prævenerit verborum culpa, mox per satisfactionem sequitur medicina. *Ibid.*, homil. 14, *de Bono humilit.*

Vide etiam tit. *Gratiarum actio*, sent. 68 ; *Patientia Dei*, sent. 27 ; *Pœnitentia*, sent. 337 ; *Purgatorium*, sent. 30 ; *Reconciliatio*, sent. 9, 13 ; *Tempus*, sent. 56.

## SCANDALUM.

*Etymologia.* Nota quod σκάλον, vel σκάνδαλον Græce, Latine dicitur vel obex (ad quem offendimus in via, non prævidentes pedibus nostris) vel læsio ipsa, qua in offendendo lædimur : vel ruina ipsa : unde versus. — HUGO CARD.

Scandalon æquivocum, obex impactio, casus. Super *Luc.*, cap. XVII.

*Definitio.* Scandalum, est quo quis præbet verbo, aut opere in legem delinquens, et alium ad iniquitatem inducens. Quæst. 64 *quæstionum compendio explicat.* — S. BASILIUS MAGNUS.

Scandalum est ubi recte ambulanti deceptio ad peccandum subjicitur. Super *Luc.*, cap. XVII, Hugo card. super *Lucam*, cap. XVII. — S. BONAV. & HUGO CARD.

Scandalum est dictum, vel factum minus rectum, præbens aliis occasionem ruinæ. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 31. Et S. Thomas Aquin., 2, 2, quæst. 43, art. 1. — S. BONAV. & S. THOMAS AQUINAS.

Scandalum proprie dicitur impactio pedis ad aliquam duriorem materiam. Super *Exodum*, cap. X. — HUGO CARD.

Illud scandalum proprie dicitur, ubi recto itinere ambulanti, deceptio aliqua instruitur ad peccandum, et subjicitur causa peccati. Homil. 25, in cap. XXXI *Numer.* — ORIGENES.

*Divisio.* Duplex est scandalum : activum, et passivum. Activum, quo quis alii dat occasionem ruinæ spiritualis : passivum, est ipsa ruina facta ad obicem mali exempli alterius. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 31. — S. BONAV.

Duplex est scandalum, activum et passivum. Scandalum, activum est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ : scandalum vero passivum, est malum, seu casus, quem alter incurrit ex dicto, vet facto alterius. *Prosec.* — DIONYSIUS CARTHUS.

Scandalum passivum est duplex : unum quod nascitur ex malitia scandalizantis, qui ex sua perversitate non vult dicta sua, seu facta alterius (quamvis bona) bene interpretari : quod appellatur scandalum Pharisæorum.

Alterum quod nascitur ex infirmitate, vel ignorantia scandalizati quod dicitur scandalum pusillorum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 14, art. 18.

Scandalorum genera sunt diversa. Prima sunt illa, quæ diaboli fraus parturit ; secunda sunt, quæ generat calliditas humana ; tertia sunt, quæ parit ipsa ex nobis suspicax, et incauta natura. Serm. 27. — S. PETRUS CHRYSOL.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Veritas nunquam relinquenda est propter scandalum. Serm. *Dom.* 6, *post Pascha.* — S. ANTONIUS DE PADUA.

S. AUGUST. 2. Coram pio vivens impie, etsi non obligat consentientem, cruciat tamen sentientem. Epist. 145 *ad Sebastian.*

3. Si quisquam patiatur aliquod scandalum, et in anima periclitetur, tantum os frigitur, quantum amat. Super *Psalm.* CI, vers. 4 : *Et ossa mea sicut cremium aruerunt.*

4. Illi patiuntur scandalum, qui relinquunt aut Christum, aut Ecclesiam. Super *Epist. B. Joan.*, tract. 1, de cap. II.

5. Qui scandalis gaudent, abundat in eis malignitas diaboli. Epist. 137.

S. BERNARD. 6. Constat ubi veritas, et veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalum quodlibet posse a quolibet committi, nec juste præcipi, nec innoxie consentiri. Epist. 7 *ad Adam Monach.*

7. Cum carpuntur vitia, et inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit quod argui debeat, non ille qui arguit. Epist. 78.

8. Ubi scandalum, ibi proculdubio charitatis est detrimentum. Epist. 82 *ad Abbat. S. Joan. Carnut.*

9. Verus amor non habet amaritudinem scandali. Serm. 13 *ad Sororem suam.*

10. Non omnium scandala æqua sunt lance pensanda ; aliter namque accipienda sunt scandala pusillorum, aliter Pharisæorum : illorum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitia descendit ; illi scandalizantur quia veritatem nesciunt, isti quia oderunt. *De Præcepto et dispens.*

11. Melius est ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur. *Apolog. ad Guillelm. Abbat.*, cap. *Jam vero.*

S. BONAV. 12. Proprias conscientias coinquinant, qui scandalizant proximos per argutas astutias, et astutas versutias, et versutas argutias. *Expos.* 2, *super Psalm.* CXVIII, cap. 7, vers. 14, art. 2.

13. Scandali privatio, puritatis est probatio : nam puritatis spectaculum, nullum objicit offendiculum : sicut purum speculum, nullum offendit oculum. *Ibid.*, cap. 11, vers. 5, art. 2.

14. In quantum potes sine peccato, vitare debes scandalum proximi : quod si de veritate est, pro scandalis relinqui veritas non debet. *Prosec.*

15. Est autem triplex veritas, quæ non debet pro scandalo relinqui : scilicet vitæ, doctrinæ et justitiæ. Super *Luc.*, cap. XVII, in illud : *Ut non veniant scandala.*

16. Hoc scandalum impietatis spiritualis est, cum quis malo exemplo animam proximi occidit, et ideo ipse dignus morte efficitur. *Ibid.*, etc.

17. Quis scandalizans obligatur, non solum ad reddendam animam suam, verum etiam animam scandalizatam ? *Ibid.*

18. Scandalum præbere, grave peccatum est ; sed maxime in his, quorum vita trahitur in exemplum. *Ibid.*

19. Quot scandala homines faciunt, tot lapides in Deum mittunt. Serm. 4 *Dom. pass.* super illud : *Tulerunt lapides*, etc.

20. Quam periculosum sit per scandalum perdere proximum, ostendit Eleazarus : legitur enim quod perdidit se corporaliter, ne proximos perderet spiritualiter. *Prosec.*

21. Eleazarus maluit vitam suam tormentis objicere, quam cuiquam magister perditionis existere. Serm. 2, *fer.* 3 *Pentec.*

22. Perdis proximum scandalizando, sed quod est miserabilius, perdis teipsum mortaliter peccando. *Ibid.*

23. Omne quod potest fieri, vel non fieri salva veritate, omittendum est propter scandalum. *Centiloq.*, part. 1, sect. 31.

24. Omnia agamus ne scandalizetur proximus: vita etenim etsi valde recta fuerit, scandalum aliis præbens, omne perdit. Lib. 3, *Pharetræ*, cap. 39.

25. Facilius grave peccatum occultum curatur quam scandalum. *De sex alis Seraph.*, cap. 3.

26. Qui religionis suæ scandalo non occurrit, honori proprio detrahit, et saluti : qui fidelis religionis filius est, nequaquam ejus scandalum parvi ducit. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 28.

27. Qui coram aliis, scandala seminat, tot et tantis condemnationibus dignus est, a quot et quantis videtur. *De Profess. monast.*, art. 9. DIONYSIUS CARTHUS.

28. Damnum quod ex scandalo oritur explicari non potest. *De non scandalizando.*

29. Ex aliorum scandalis, dum peregrinantur, lucrum cape. Adhort. 4. S. EPHRÆM.

30. Quanto quisque per scandalum destruxit, de tantis periculum damnationis incurrit : quantis detrimento fuit, de tantis damna contraxit. *Prosec.* S. EUSEBIUS EMISSEN.

31. Sicut ille valde admirandus atque laudandus est, cujus cursus multorum profectus est, ita ille merito lugendus est, cujus vita multorum ruina est. Hom. 7, *ad Monach.*

32. Qui cum plurimorum destructione se perdidit, cum plurimorum ædificatione se redimat. *Ibid.*, homil. 10.

33. In quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus : si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. Hom. 7, super *Ezech.*, super illud *Matth.* XV : *Omnis plantatio*, etc. S. GREGOR. MAGNUS.

34. Sunt quædam scandala, quæ omnino despicienda sunt : quædam vero cum vitari sine culpa possunt, despicienda non sunt, ne cum culpa serventur. Lib. 9 in *Registro*, indict. 4, cap. 39, epist. 39, *ad Theotistam patric.*

35. Quid est quod Dominus aliis scandalum esse permisit, aliis venire prohibuit ? nisi ut nos doceret, illa scandala quæ nos ad peccata implicant, contemnere, et ea scandala quæ placare sine peccato possumus, modis omnibus mitigare. *Ibid.*

36. Discordia consuevit scandala generare. *Ibid.*, lib. 2, indict. 10, cap. 3, epist. 3.

S. HIERON. 37. Quid necesse est in multorum scandala, ruinamque proferri, quæ secreto aut corripere valeas, aut emendare? Lib. 3, *advers. Ruffinum.*

38. Qui scandalizatur, parvulus est; majores enim scandala non recipiunt. Lib. 3, super *Matth.*, cap. 18, can. 2, num. 179, super illud : *Qui scandalizaverit unum*, etc.

39. Non quod necesse sit venire scandala, alioquin sine culpa essent, qui scandalum faciunt : sed cum necesse sit in isto mundo fieri scandala, unusquisque suo vitio scandalis patet. *Prosec.*

40. Necesse est quidem venire scandala : væ tamen ei, qui quod necesse est ut fiat in mundo, vitio suo facit, ut per se fiat. *Ibid.*, super illud : *Necesse est ut veniant scandala.*

HILARIUS 41. Domesticæ calumniæ scandala, gravissimum solent fidei excidium afferre. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Mirabilia testimonia tua.*

HUGO CARD. 42. Tria sunt in scandalo : impudentia, casus, læsio. Super *Psalm.* XLVIII.

JOANNES CHRYSOST. 43. Nihil ita offendit et nocet religioni Catholicorum, ut scandali ansam præbere infidelibus. Homil. 7, super *Gen.*

44. Nullus debet scandali dare occasionem, sed morum lenitate, tuba clarius omnes erudire, et suæ virtutis facere imitatores. *Ibid.*, homil. 33.

45. Scandala sunt rectæ ac probæ vitæ confusio atque perversio. Hom. 60, super *Matth. Oper. imperf.*

46. Quid prodest, si bonam vitam agendo teipsum salves, et malam famam habendo plurimos scandalizes? Homil. 6, *super Matth. oper. imperf.*

47. Vis non tibi venire scandalum? noli esse terrenus, sed cœlestis, et scandalum non habebis. Homil. 17, *ex divers. in Matth.*

48. Vita, etsi rectissima sit, si aliis fuerit scandalo, totum amittit. Homil. 56, super *Joan.*

49. Plures de scandalo pereunt, quam de crudelitate salvantur. Serm. 5, *fer.* 5, *Passion.*

50. Quæ tui sunt officii præsta, nemini dans ansam, seu belli, seu dissidii, seu scandali. Serm. 22, super *Epist. ad Rom.*

51. Omni plaga gravius est proximum scandalizare, nam sæpenumero mortem affert. Homil. 28, super I *Cor.*

52. Si graviter quis peccet, atque clam hoc faciat, et neminem scandalizet, minorem dabit pœnam : quam qui leviter peccavit, cum multorum scandalo. Serm. *contra concubinarios.*

53. Sicut ubicunque fuerit triticum, necesse est ut inveniantur illic et zizania : sic ubicunque fuerit bonum Dei, illic erit et scandalum inimici. Homil. 13, super *Matth. oper. imperf.*

54. Non plus te scandalizet malus, quam ædificet bonus. Lib. 1, *de Regimine claustr.* JOAN. TRITH.

55. Difficile scandalizatur, qui in suis actibus ut decet virum, dominatur. *Ibid.*

56. Nemo scandalizetur subito, quia non totum est scandalum, quod te scandalizet. *Ibid.*

57. Si super scandalo pusillorum terribilem pœnam statuit Deus, quid erit de scandalo prælatorum? Epist. 131, *ad Quemdam Prior.* PETR. BLES.

58. Lingua occasio est scandali, quoties in detractionis profluvium se diffundit. *Ibid.*, in *invectiva contra depravator.*

59. Scandalum offendit sensus, mentem turbat, confundit intelligentiæ puritatem, sanctos tentat, fatigat cautos, incautos dejicit, confundit omnia, conturbat omnes. Serm. 27. S. PETRUS CHRYSOL.

60. Omne scandalorum Seminarium tollitur, si singulis quibusque membris, non quod voluntas ambit, sed quod necessitas expedit, impleatur. Opusc. 13, cap. 19. S. PETR. DAM.

61. Non evadet scandalum, qui alteri infert scandalum. In *Hortulo Rosar.*, cap. 17. THOMAS A KEMPIS.

62. In tantum scandalum vitandum est, ut non solum temporalia lucra, sed etiam spiritualia ad tempus intermittenda sint, vel penitus omittenda ne in eis pusillus scandalizetur. Conc. 2, *de S. Michaele.* S. THOMAS A VILLA-NOVA.

Vide etiam tit. *Concordia*, sent. 6; *Crimen*, sent. 33; *Defensio*, sent. 12; *Detractio*, sent. 14; *Hæresis*, sent. 16; *Peccatum in genere*, sent. 310; *Prælatus*, sent. 189.

## SCELUS.

*Vide* CRIMEN.

## SCHISMA.

*Etymologia.* Schisma a scissura animorum est vocatum. Super II *Machab.*, cap. 12. GLOSS. ORD.

Schisma a scissura animorum nomen accepit; eodem enim cultu, eodem ritu credit ut cæteri, solo congregationis delectatur dissidio. S. ISIDOR. HISPAL.

*Definitio.* Schisma est vitium, quo quis sub sui - S. ANTO

mo Pontifice esse recusat, et membris Ecclesiæ ei subjectis communicare renuit. Part. 2, tit. 3, cap. 11.

Schismatici proprie dicuntur, qui propria sponte, et intentione se ab unitate Ecclesiæ separant. *Ibid.*

S. AUGUST. Schisma est eadem opinantem, atque eodem ritu colentem, quo cæteri, solo congregationis delectari dissidio. Lib. 20, *contra Faustum*, cap. 3.

Schisma est recens congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio. Lib. 2, contra *Crescon.*, cap. 7.

S. BONAV. Schisma est illicita dissensio eorum, inter quos unitas esse debet; vel illicitus ab unitate dissensus. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 26.

COLLECTOR. Schisma est, quando quis ab Episcopo suo, vel Ecclesiæ communione, sine novo tamen dogmate, secedit : nec pari jure cum cæteris assentit.

S. THOMAS AQUINAS. Schisma proprie est, quod intendit se ab unitate Ecclesiæ separari. 2, 2, quæst. 39, art. 1.

Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant. *Ibid.*

S. HIERON. *Differentia.* Inter hæresim et schisma hoc arbitror interesse : quod hæresis perversum dogma habeat; schisma autem quod ab Ecclesia se separet. Super *Epist. ad Titum*, cap. III, in illud : *Hæreticum hominem*, etc.

S. THOMAS AQUINAS. Hæresis et schisma distinguuntur : nam hæresis per se opponitur fidei, schisma autem per se opponitur unitati Ecclesiasticæ charitatis. 2, 2, quæst. 39, art. 1, in corpore ad 3.

S. AUGUST. *Origo.* Origo et pertinacia schismatis, nulla est alia, nisi odium fraternum. Lib. *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 11.

S. LEO IX. Mater pestilens schismatum superbia est, ejusque crudelissimæ filiæ, invidia, et vana gloria. *Adversus præsumptiones Michaelis*, cap. 38.

S. ANTONIN. *Comparatio.* Sicut amissio charitatis est via amittendi fidem, ita schisma est via ad hæresim. Part. 2, tit. 3, cap. 11.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Extra catholicam quidquid est, contrarium est. Super I *Cor.* III, in illud : *Ipse salvus erit.*

S. ANTONIN. 2. Non est schisma tantum in separatione membrorum a capite, sed etiam in separatione pertinaci membrorum ab invicem. Part. 2, tit. 3, cap. 11, § 7.

S. AUGUST. 3. Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Epist. 152, *ad Populum factionis Donatianæ.*

4. Nulli schismata facerent, si fraterno odio non excæcarentur. Lib. 1, *de Baptismo*, cap. 11.

5. Schismatis crimen, hæresim male perseverando facit. Epist. 164.

6. Petrus servo non libero, aurem dextram præscidit : ex quo significat eos, qui gladio schismatis feriuntur, servos esse carnalium desideriorum. *De Agone Christ.*, cap. 29.

7. Illi qui per ignorantiam extra veram Ecclesiam baptizantur, sacrilegio schismatis vulnerantur. Lib. 1, *de Baptismo contra Donatist.*, cap. 5.

8. Nec in hæresi aut schismate constitutum, sanctorum orationes poterant adjuvare. *Ibid.*, lib. 3, cap. 17.

9. Non potest esse religiosus in schismate constitutus. Lib. 4, *contra Crescon.*, cap. 21.

10. Schisma facere ab unitate Christi, aut in schismate esse, profecto malum est, et magnum malum. *Ibid.*

11. Idololatras in populo Dei gladius interemit, Schismaticos autem terræ hiatus absorbuit. Lib. 1, *de Baptismo contra Donatis.*, cap. 8.

12. Perditionem sibi maximam de indignatione Dei acquirunt, qui schisma faciunt. Epist. 76, *ad Magnum.* S. CYPRIAN.

13. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. *Prosec.*

14. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit : a fonte præcide rivum, præcisus arescet. *De unitate Eccles.*

15. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit et dividit Ecclesiam Christi. *Ibid.*

16. Ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore ruperunt. *Ibid.*

17. Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. *Prosec.*

18. Ardeant licet flammis, et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. *Ibid.*

19. Quam unitatem servat, quam dilectionem custodit, aut cogitat, qui discordiæ furore vesanus Ecclesiam scindit. *Ibid.*

20. Si Schismaticus extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ non potest præmia pervenire. *Ibid.*

21. Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere, et spirare non poterit, substantiam salutis amittit. *Ibid.*

22. Non potest sibi constare discordia : non po- GILLEBERT.

ANGLUS. test inter parientes schisma, perpetua pax servari. *Prosec.*

23. Ipsum schisma infidum est sibi; neque sibi cohærere diutius potest, quod charitatis pertentant dissolvere glutinum. Serm. 73, super *Cant.*

GLOSS. DEC. 24. Schisma committit, qui se a bonis separat. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. ORD. 25. Schismatici indigni sunt societate et communione sanctæ Ecclesiæ, nec memoria eorum inter Catholicos habetur. Super I *Paralip.*, cap. 26.

26. Nisi quædam veritatis simulatio præcedat, nec erunt schismata exacerbantium. Super *Deuter.* cap. 1.

27. Schismatici simulantes quod zelo justitiæ moveantur, incautos ad suum schisma trahere nituntur. Super I *Machab.*, cap. 12.

S. HIERON. 28. Nullum est schisma, quod non sibi aliquam confingat hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. Super *Epist. ad Titum.*, cap. 3, in illud: *Hæreticum hominem*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 29. Quia Schismaticus divisus est ab unitate et a societate superna per odium, in corpore suo non recepit Christum. Lib. 2, *Miscellan.*, codic. 2, tit. 19.

30. Schismatici adversantur Spiritui sancto, qui ob hoc missus est, ut charitatis et pacis unitatem reformaret in nobis. Super *Prov.*, cap. 6.

S. IGNATIUS MARTYR. 31. Nefandas hæreses, et eos qui schismata faciunt fugite, ut fontem malorum. Epist. 10, *ad Smyrnenses.*

JOAN. GERS. 32. Schisma disponit ad hæresim : quia recedens ab Ecclesia, errores fingit, ut recte discessisse videatur. *Prosec.*

33. Nulla est implicabilior irremediabiliorque divisio, quam illa quæ fit sub religionis prætextu. Tract. 2, *de Schism.*

34. Væ pesti schismaticæ, væ supra modum, si hæreses parturiat, quibus ipsum schisma irremediabiliter radicetur, et radicatum jugiter alatur, crescat, dilatetur atque roboretur. *Ibid.*

35. Heu schisma! fera pessima, monstrum horrendum, ingens, biceps, portentum pestiferum. *Proposit. coram Anglicis.*, consid. 1.

S. THOMAS AQUINAS. 36. Schismate infidelitas est deterior : quia hoc Ecclesiæ unitas, illa vero Dei ipsius veritas atque auctoritas directe violatur. 2, 2, quæst. 39.

37. Quanquam Schismatici habere ordinis potestatem possint : Jurisdictionis tamen auctoritate privantur. *Ibid.*, art. 3.

38. Ubi schismatis periculum timetur, a punitione peccatorum cessandum est. 2, 2, quæst. 43, art. 7.

Vide etiam tit. *Unitas*, sent. 51.

## SCIENTIA IN GENERE.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia.* A Discendo scientia dici potest; nam scire dictum est a discere, quia nemo scit, nisi qui discit. Lib. 1, *Etym.*, cap. 1.

S. ANTONIN. *Definitio.* Scientia est lucidus et completus habitus intellectus in certam rerum creatarum cognitionem intellectivam perducens. Part. 4, tit. 16, cap. unic., § 6.

PHILO JUD. Scientia est ex multis intellectis facultas, meditatione acquisita, ad finem aliquem bonum ac utilem. Lib. de *Quærenda eruditionis gratia.*

S. THOMAS AQUINAS. Scientia est donum Dei, quo homo certum et rectum judicium habet de rebus divinis, discernendo credenda a non credendis. 2, 2, quæst. 9, art. 1.

Scientia est recta ratio scibilium. *Ibid.* quæst. 55, art. 1.

S. AUGUST. *Differentia.* Hæc est sapientiæ et scientiæ recta distinctio, ut ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis : ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis. Lib. 12, *de Trinit.*, cap. 15.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. A pietate ad scientiæ spiritum conscenditur: nam quamvis videatur aliquis scientiam possidere, stultus est si male vivit. Super *Apocal.*, cap. 4.

S. ANSELM. 2. Gravat scire quod vel exequi, vel vitare non possis : gravat scire sine usu, atque opere cogitationis profundæ. *De Paradiso*, cap. 7.

3. Tribus causis scientia potest adipisci, scilicet doctrina experimento, et ratione. *De Similitud.*, cap. 156.

S. AUGUST. 4. Scientia ad finem charitatis adhibita multum est utilis, per se autem ipsam sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa est. Epist. 119. *ad Januarium*, cap. 21.

5. Omnes qui sciunt, non sunt participes scientiæ. *De Patient.*, cap. 6.

6. Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur. Lib. 12, *de Civitate Dei*, cap. 18.

7. Tria sunt hominum genera improbanda ac detestanda. Unum eorum, qui se arbitrantur scire quod nesciunt; alterum eorum, qui sentiunt quidem se nescire, sed non ita quærunt, ut invenire possint; tertium eorum, qui neque se scire existimant, nec quærere volunt. *De Utilit. credendi*, cap. 11.

8. Fons et origo omnis scientiæ Deus est, quem quanto plus quis bibet, tanto plus sitiet. *De triplici habitaculo*, cap. 5.

9. Ego scientiam non appello, in qua ille qui eam profitetur, aliquando fallitur. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 8.

10. Scientia non est nisi cum res aliqua firma ratione percepta, et cognita est. *De Quant. animæ*, cap. 26.

11. Omne quod scitur, ad scientiam pertinet. *Ibid.*, cap. 29.

12. Omne quod scimus, ratione scimus : nullus igitur sensus scientia est. *Ibid.*

13. Scientia per disciplinam datur, aut excitatur : nec quisquam nisi per disciplinam aliquid discit. Lib. 1, *de Lib. arb.*, cap. 1.

14. Scientia mala nunquam esse potest, quia ratione atque intelligentia paratur. *Ibid.*, cap. 7.

15. Scientia nostra, scientiæ Dei comparata, ignorantia Lib. 2 *Conf.*, cap. 4.

16. Quidquid non latet, scitur; et omne quod scitur, ad scientiam profecto pertinet. *De Quant. animæ*, cap. 29.

17. Sciri non potest quod nihil est. Lib. 2, *de Lib. arb.*, cap. 20.

18. In his rebus quas utcunque scio, magis te cupio esse scientem, quam scientiæ nostræ indigentem. Epist. 132.

19. Multi magis linguæ certaminibus, quam scientiæ luminibus, delectantur. Epist. 132.

20. Magis eligo cautam ignorantiam, quam falsam scientiam confiteri. Epist. 78.

21. Scientia creaturæ in comparatione scientiæ Creatoris quodammodo vesperascit. Lib. 18, *de Civit. Dei*, cap. 7.

V. BEDA. 22. Ubi scientiæ donum majus, ibi gravius est inexcusabilis noxæ periculum. Lib. 2, super *Luc.*, cap. 6, in illud : *Manus ejus dextra, arida*, etc.

S.BERNARD. 23. Sunt qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est. *Prosec.*

24. Sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est : scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

25. Sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est.

26. Sunt qui scire volunt ut ædificent, et charitas est : et item qui scire volunt ut ædificentur, et prudentia est. Serm. 36, super *Cant.*

27. Vinum scientiæ secularis inebriat quidem, sed curiositate non charitate, implens non nutriens, inflans non ædificans, ingurgitans non confortans. *Ibid.*, serm. 9.

28. Quid modus sciendi ? Quid, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? quo ordine; ut id prius, quod maturius ad salutem : quo studio; ut id ardentius, quod vehementius ad amorem : quo fine; ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam, vel proximi. *Ibid.*, serm. 36.

29. Quam salubrius disceres Jesum, et hunc crucifixum! quam scientiam haud facile (nisi qui mundo crucifixus erit) apprehendit. *Prosec.*

30. Falleris fili, falleris si te putas invenire apud mundi magistros scientiam quam soli Christi Discipuli, id est, mundi contemptores, Dei munere assequuntur.

31. Non hanc lectio docet, sed unctio : non littera, sed spiritus : non eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei.

32. Non recte proditur ad lumen scientiæ, nisi germen justitiæ præcedat ad animam; ex quo formetur granum vitæ, et non palea gloriæ.

33. Nondum tibi ad justitiam seminasti, nondum spei manipulos messuisti, et veram te præsumis sectari scientiam? Epist. 108, *ad Thomam de S. Audomaro.*

34. Multi multa sciunt, et se ipsos nesciunt : alios inspiciunt et seipsos deserunt. Lib. *Medit.*, cap. 1.

35. Multi quærunt scientiam, pauci vero conscientiam : si tanto studio et sollicitudine quæretur conscientia, quanto quæritur secularis et vana scientia, et citius apprehenderetur, et utilius retineretur. *De Inter. domo.*, cap. 21.

36. Non est dignus scientia, qui scientiæ insurgit præceptoris. *De Discipl. scholar.*, et hab. apud Bedam in *Axiomat. Philos.*, verbo *Non est.* BOETIUS.

37. Ubi majus est donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ. Super *Luc.*, cap. 10 in illud : *Operarii autem pauci.* S. BONAV.

38. Fructus omnium scientiarum est, ut in omnibus ædificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes. *De Reduct. artium ad Theolog.*

39. Beatus homo, qui scit Christum Jesum, etiamsi alia nescit : infelix, qui scit omnia alia, illum autem nescit. *Unde versus.*

Hoc est scire nihil, sine Christo plurima scire :
Si Christum bene scis, satis est, si cætera nescis.

40. Scientia quæ pro virtute inspicitur, per virtutem post modum melius invenitur. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 13.

41. Fratres, qui scientiæ curiositate ducuntur, in die tribulationis invenient manus suas vacuas. *Prosec.*

42. Ideo vellem eos magis roborari virtutibus, ut cum tempus tribulationis venerit, secum haberent Dominum in angustia.

43. Nolo fratres meos cupidos esse scientiæ et librorum, sed volo eos fundari super sanctam humilitatem : ventura est enim tribulatio, quando libri ad nihilum utiles, in fenestris et latebris projicientur. In suis *Opusc.*, collat. 15.

44. In libro crucis lege, et mundanæ ac curiosæ scientiæ ne vacaveris. In suis *Opusc.*, apophthegm. 32.

45. Perfecta scientia est, et cuncta sollicite agere, et scire de suis meritis se nihil esse. Super *Job*, cap. 37.

REGOR. 46. Tolerabilius Deo est, ut infirmitate atque
GNUS. ignorantia, cum humilitate quisquis jaceat, quam cum elatione cordis alta comprehendat. Lib. 17, *Moral.*, cap. 7.

47. Omnes elati scientiam habere non appetunt, sed ostentare. Lib. 23, cap. 4, num. 9.

48. Perfecta scientia est scire omnia, et tamen juxta quemdam modum scientem se esse nescire. *Ibid.*, lib. 27, cap. 22; num. 24.

49. Vera scientia afficit non extollit : nec superbientes quos repleverit, sed lamentantes facit. *Prosec.*

50. Cum quis vera scientia repletus fuerit, primo se scire appetit, et jam sui conscius, tanto per illam robustius sapit, quanto se infirmum in illa verius recognoscit. *Ibid.*, lib. 23, cap. 10, num. 17, super illud *Job.* XXXIII : *Dixit ergo in auribus meis.*

51. Ars et mira disciplinæ scientia est toto cordis adnisu addiscenda. *Prosec.*

52. Quem penuria sua non frangit, a gratiarum actione non retrahit, in rerum temporalium desiderium non accendit, scit humiliari.

53. Qui receptis rebus non extollitur, qui eas ad usum vanæ gloriæ non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer dividet, scit abundare.

54. Qui accepta alimenta non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit quam necessitas petit, scit satiari.

55. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate virtutis agit aliquid, unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire.

56. Quem nec abundantia in superbiam elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, scit abundare, sic penuriam pati. Homil. 19, super *Ezech.*, super illud, *Philip.* IV : *Scio et humiliari*, etc.

HIERON. 57. Non sufficit scire quod bonum est, nisi custodiatur attentius quod electum est. Epist. 22, *ad Eustoch.*

58. Scio quod nescio : pars enim scientiæ est, scire quod nescias. Lib. 13, super *Ezech.*, cap. 42.

59. Magis ego velim rusticitatem justam, quam doctam malitiam : quia in altero, licet minor, tamen gloria est : in altero juxta scientiæ profectum, majora supplicia sunt. Lib. 3 super *Epist. ad Ephes.*

60. Scientia pietatis est nosse legem, intelligere Prophetas, Evangelio credere, Apostolos non ignorare. *Prosec.*

61. Absque pietate notitia veritatis delectat ad præsens, sed æternitatem non habet præmiorum. Super *Epist. ad Titum*, cap. I, in illud : *Secundum finem electorum Dei*, etc.

62. In scientia avarus est, qui sensum non vult implere, quem cœpit. Super II *ad Cor.*, cap. IX in illud : *Hilarem datorem*, etc.

63. Illaudabilis est scientia, quam vita maculat HUGO A S.
impudica. Lib. 3 *Didasc.*, cap. 13. VICTORE.

64. Summopere cavendum est ei, qui quærit scientiam, ut non negligat disciplinam. *Ibid.*

65. Nullam scientiam vilem teneas, quia omnis scientia bona est. *Ibid.*, cap 14.

66. Multi scientiam habent, sed pauci sunt, qui noverint qualiter scire oporteat. *Ibid.*, lib. 5, cap. 9.

67. Coarctata scientia, jucunda non est. *Ibid.*, lib. 6, cap. 3.

68. Scire expedit quinque ; quid credendum HUGO CAR
sit, scilicet, articulos fidei : quid faciendum, scilicet præcepta ; quid vitandum, scilicet peccata ; quid timendum, scilicet pœnam æternam ; quid appetendum, scilicet vitam æternam. Super *Job*, cap. 27.

69. Scientia in tribus consistit : in fidei discussione, in temporalium administratione, in bona conversatione. Super *Psalm.* XXVIII.

70. Quatuor necessaria ad habendam scientiam : Primum est intellectus ; secundum, memoria ; tertium, oratio ; quartum, desiderium. Super *Prov.*, cap. II.

71. Hodie multi congregant scientiam, non in suis cordibus, sed in codicibus, et nesciunt quibus congregant. *Ibid.*, cap. XIII.

72. Non aliud desideres scire, quam quod necessarium est scire : neque nimis etiam de necessariis inquiras, aut subtilius quam valeas. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

73. Melior est bona vita sine scientia, quam scientia magna sine bona vita. Super *Ecclesiastic.*, cap. XIX.

74. Maxima pars intelligentiæ est scire quod JOAN. CAS
nescias. Collat. 4. *Abbat. Danielis*, cap. 9.

75. Non a scientia longe est, qui cœpit intelligere quid ignoret. Collat. 10, *Abbat. Isaac*, cap. 9.

76. Impossibile est, animam, quæ mundanis vel

tenuiter dissentionibus occupatur, donum scientiæ promereri. Collat. 14, *Abbat. Nesterotis*, cap. 9.

77. Impossibile est inexpertum quemquam, scientiam spiritalem vel agnoscere, vel docere, nam qui ne ad accipiendum quidem capax est, quomodo erit idoneus ad tradendum ? Collat. 14, *Abb. Nesterot.*, cap. 14.

78. Impossibile est immundum animum (quantalibet desudaverit lectionis instantia) adipisci scientiam spiritalem. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 79. Illud scire bonum est, quod proficit ad ædificationem scienti : hoc autem scire quod nihil prodest, magis nocet, et superfluum est. Homil. 50, super *Matth. Oper. imperf.*

80. Plerique sunt habentes scientiam multam, sed si sapienter dispensant. *Ibid.*, homil. 61.

81. Sapientia uniuscujusque in actu probatur, scientia autem in sermone. *Ibid.*

JOAN. SARE. 82. Illud quod scio futurum, si enim futurum non est, etsi forte putetur, non scitur tamen, quoniam illius quod non est, non scientia, sed opinio est. Lib. 2, *de Nugis curial.*, cap. 21.

S. IRENÆUS. 83. Ordinem serva tuæ scientiæ, et ne ut bonorum ignarus supertranscendas ipsum Deum. Lib. 2, *advers. Hæres.*, cap. 43.

S. ISID. HISP. 84. Ad majoris culpæ cumulum pertinet scire quemquam quod sequi debeat, et sequi nolle quod sciat. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 1, sent. 9.

85. Utile est multa scire et recte vivere : quod si utrumque non valemus, melius est ut bene vivendi studium, quam multa sciendi sequamur. *Ibid.*, sent. 11.

86. Nihil aliud agit amor mundanæ scientiæ, nisi extollere laudibus hominem. *Ibid.*, lib. 3, cap. 13, sent. 9.

87. Scientia a malis abstinet : summum enim bonum est, scire quid caveas : summa miseria, nescire quo tendas. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 13.

88. Scientiam quam aure concipis, ore effunde. *Ibid.*, cap. 14.

89. Nulla sit tibi curiositas sciendi latentia : scire non cupias, quod scire non licet. *Ibid.*, cap. 14.

LACT. FIRM. 90. Qui se putant scire quæ nesciunt, inepte arroganterque desipiunt. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 18.

91. Verum scire non nisi ejus est, qui sit doctus a Deo. *Ibid.*, lib. 7, cap. 7.

92. Opinari te scire quod nescias, non est sapientis, sed temerarii potius ac stulti. *Ibid.*, lib. 3, cap. 4.

S. PETR. BLES. 93. Velle scire, ut sciamus, superbia est : velle scire, ut sciamur, inanis gloria est : velle scire ut lucremur, simonia est : velle scire, ut ædificemur, prudentia est : velle scire, ut ædificemus, charitas est. Serm. 2 *de Adventu.*

PETRUS CEL. 94. Scientia quo melior est, eo ab invidis appetibilior. *De Panibus*, cap. 14.

S. PETRUS CHRYSOL. 95. Scientia illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti. Serm. 167.

PHILO JUD. 96. Viget semper ad scientias anima, cum vires corporis longa ætate marcescant et langueant. *De Somniis.*

97. Impigerrimus est amor scientiæ, inimicus somno, amicus vigiliis. Lib. *de Temulent.*

RICHARD. S. VICTORI 98. Scientia sanctitatis sine intentione bona, quid aliud est, quam imago sine vita ? *Prosec.*

99. Scientia sola sine sanctitatis effectu et bonitatis affectu, quid aliud est quam simulacrum vanum sine motu ? Part. 1, lib. 1 *de Erud. hom. inter.*, cap. 38.

ROBERTU A SORBON. 100. Plus sciet ille, qui minus sciet in Paradiso, quam omnes magistri qui sunt in mundo. Lib. *de Conscient.*

SALVIANU 101. Si plus scire cupias, quam sinaris : hoc ipsum genus quasi sacrilegæ temeritatis est. Lib. 3 *de Gubern. Dei.*

TERTULL 102. Nihil ultra regulam scire, omnia scire est. *Advers. hæreticos*, cap. 14.

S. THOMA AQUINAS 103. Omnis scientia operativa tanto perfectior est, quanto magis particularia considerat, in quibus est actus. Part. 1, quæst. 22, art. 3.

THOMAS A KEMPIS. 104. Quanto plus et melius scis, tanto gravius inde judicaberis, nisi sanctius vixeris. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 2, sect. 3.

105. Noli extolli de ulla scientia, sed potius time de data tibi notitia : si tibi videtur quod multa scis, scito tamen quia sunt multo plura quæ nescis. *Prosec.*

106. Si vis utiliter aliquid scire et discere : ama nesciri, et pro nihilo reputari. *Ibid.*

107. O quam cito transit gloria mundi ! quam multi pereunt per vanam scientiam in sæculo, qui parum curant de Dei servitio ! utinam vita eorum scientiæ ipsorum concordasset, tunc bene studuissent et legissent. *Ibid.*, cap. 3, sect. 6.

108. Scientia non habet hostem, nisi ignorantem. In *Doctrinal. Juvenum*, cap. 2, sect. 2.

109. Scientia scientiarum, est scire se nihil scire. *De vita Gerardi Magni*, cap. 18, sect. 20.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

EPICTET 110. Ne quid scire videri velis : quod si quid aliis esse videaris, ipse tibi diffidito. In suo *Enchirid.*, cap. 18.

111. Scientia omnium rerum, maxime hominem beatum felicemque reddere potest. Sizygia 2, in *Dialogo Euthydemi.*

PLINIU 112. Quæ scis, teneas et observes, aut scias melius. Lib. 8, epist. 24, *ad Maxim.*

SENECA. 113. Plus scire velle, quam sit satis, intemperantiæ genus est. Epist. 88.

114. Alicujus rei scientiam haberete, nec ignotum nec molestum. *De Quatuor virt.*

SIXTUS PHILOSOPH. 115. Multa velle scire, curiositas animi putanda est. Sent. 240.

SOCRATES. 116. Hoc unum scio, me nihil scire. In suis *Sent.*, sent. 2.

Vide etiam tit. *Arrogantia*, sent. 1 : *Eloquentia*, sent. 32 ; *Humilitas*, sent. 107 ; *Lectio*, sent. 36 ; *Studium*, sent. 43, 47 ; *Virtutum connexio* in genere, sent. 10, 14, 22 ; *Virtutum connexio* in specie, verbo *Scientia*.

## SCIENTIA DEI.

JOAN. SAR. *Definitio.* Scientia Dei est omnium quæ sunt, fuerunt, et futura sunt, vera comprehensio, et plena notitia. Lib, 2 *de Nugis curial.*, cap. 21.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Vani sunt certe omnes homines, quibus non inest Dei scientia : nec de his quæ videntur bona, potuerunt invenire eum qui est. Lib. 8, *Conf.*, cap. 1.

2. Scientia nostra, scientiæ Dei comparata, ignoranta est. Lib. 11, *Conf.*, cap. 4.

3. Omnia scit illa sapientia, quæ format omnia. *Annot. in Job*, 4, cap. 38.

4. Scientia creaturæ in comparatione scientiæ Creatoris quodammodo vesperascit. Lib. 11 *de Civit. Dei*, cap. 7.

5. Non propter inferiorum scientiam nuntiis indiget Deus ; quasi per eos fiat scientior : sed illo simplici ac mirabili modo novit omnia stabiliter, atque incommutabiliter. Lib. 5 *de Genesi ad lit.*, cap. 19.

S. JOANNES CHRYSOST. 6. Ex diligentia lectionum, nascitur scientia Dei. Homil. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 7. Non possum dicere aliam quampiam esse animi partem diviniorem, quam hæc, circa quam scientia Dei versatur. Syzygia 4, in *Dialog.* 1, *Alcibiadis.*

8. Vera germanaque scientia in eo est, qui vere est. Syzygia 5, in *Dialogo Phædri.*

## SCRIPTA.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Quæ vera esse in scriptis meis perspexeris, tene, et Ecclesiæ catholicæ tribue : quæ falsa, respue, et mihi qui homo sum, ignosce. Quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas. *De vera Relig.*, cap. 10,

2. Noli meis litteris quasi Scripturis canonicis inservire, sed in illis et quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede ; in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firme retinere. *Prosec.*

3. Noli meas litteras ex tua opinione, vel contentione : sed ex divina lectione, vel inconcussa ratione corrigere.

4. Si quid in eis veri comprehenderis, existendo non est meum : at intelligendo et amando, et tuum sit et meum.

5. Si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum : sed jam cavendo nec tuum sit, nec meum. Lib. 3, *de Trinit.*

6. Philosophi si quæ forte vera et fidei nostræ accommoda dixerunt, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda. Lib. 2, *de Doctrina christ.*, cap. 40.

7. Fateor me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, et scribendo proficiunt. Epist. 7.

8. Quod scriptum habetur, semper vacat ad legendum, cum vacat legenti. Epist. 1.

9. Utile est plures a pluribus fieri libros diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Lib. 1, *de Trin.*, cap. 3.

10. Sane quisquis legis, nihil reprehendas, nisi cum totum perlegeris: atque ita forte minus reprehendes. *De Mendacio*, cap. 1.

11. Aut utiliter scripsit quispiam, et non utiliter ab aliquo intelligitur : aut utrumque inutiliter fit, aut utiliter intelligit lector; cum ille contra, qui legitur, scripserit. Horum trium primum non improbo, ultimum non curo. *Prosec.*

12. Unum igitur genus est probatissimum, et quasi purgatissimum; cum et bona scripta sunt, et in bonam partem accipiuntur a legentibus. *De utilitate cred.*, cap. 5.

13. Evenit plerumque, ut cum bene senserit scriptor, bene etiam lector sentiat, sed aliud quam ille, et sæpe melius, sæpe inferius, utiliter tamen. *Ibid.*

14. Illud nihil ad rem cognoscendam valere arbitror, qualis fuerit ille qui scripsit : honestissime tamen bonus creditur, cujus litteris generi humano posteritatique consultum est. *Ibid.*

15. Solent scriptores rerum gestarum, cum in suam personam venerint, ita se contexere, tanquam de alio narrent quæ de se narrant. Lib. 17, *contra Faust.*, cap. 4.

16. Cum scribimus litteras, facit eas primo cor

nostrum, et deinde manus nostra. Tract. 18, super *Joan.*

17. Dicitur quisque agnoscere manum suam, cum id quod scripsit, agnoscit. *Ibid.*, Tract. 47.

18. Quisquis in Scripturis aliud sentit, quam ille qui scripsit, illis non mentientibus fallitur. *De Doctr. chr.*, lib. 1, cap. 35.

S. BASILIUS MAGNUS. 19. In parvo errore multus sermo peccat, per diligentiam vero scribentis id quod dicitur, corrigitur. Epist. 178, *ad Notarium.*

20. Scribe recte et ne seducas mentes per scriptorum obliquitatem ac torvitatem. Epist. 180, *ad Calligraphum.*

21. Superflua scribere, penitus vanum est : de vanis vero scribere, etiam ridiculum est. Epist. 59, *ad Meletium episc.*

S. BERNARD. 22. Quantus tumultus est in mente dictantium, seu scriptitantium? ubi multitudo perstrepit dictionum, ubi orationum varietas et diversitas sensuum concurrit : ubi sæpe respuitur quod occurrit, et requiritur quod excedit. Ubi quid pulchrius secundum litteram, quid consequentius juxta sententiam, quid planius propter intelligentiam, quid utilius ad conscientiam, quid denique cui, vel post, vel ante ponatur, intentissime attenditur, multaque alia quæ a curiosis in hujusmodi curiosius observantur, ubi nulla quies invenitur. Epist. 89, *ad Ogerium canonic. regular.*

S. FULGENT. 23. Libens feci, quod te velle libenter agnovi : malens incultus videri sermone, quam esse frigidus charitate. Epist. 6, *ad Theodorum*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 24. Mala me aliqua in scriptis meis, etsi dixisse non invenio ; tamen quia omnino non dixerim, non defendo : bona vero si qua, divinitus accipiens, dixi; meo videlicet vitio minus me dixisse profiteor. Lib. 36, *Moral.*, cap. 16, num. 26.

S. HIERON. 25. Moveas manum, figas stylum, commoveas te, et quidquid potes scriptis ostendas. Epist. 3, *ad Domnionem.*

26. Novum malitiæ genus, scribere quod occultes : si sunt vera, quæ scripsisti, cur publicum times? si falsa, cur scripsisti? Epist. 21, *ad Pammach. et Marcellin.*, lib. 1.

27. Quando sine nomine contra vitia scribitur; qui irascitur, accusator sui est. *Ibid.*

28. Obsecro vos ut fundatis pro me ad Dominum preces, ut quamdiu in hoc corpusculo sum, scribam aliquid gratum vobis, utile Ecclesiæ, dignum posteris. In præfat. super *Danielem.*

29. Nullus tam imperitus scriptor est, qui lectorem non inveniat similem. Lib. 12, super *Isaiam.*

HUGO CARD. 30. Quod loquimur, transit; quod scribimus, manet. Super *Job*, cap. XIII.

31. Multi sunt, qui nolunt scribi in cœlo cum pauperibus, sed in terra cum divitibus et sublimibus sæculi. Super *Psalm.* XXX.

32. Scriptores virtutem dant verbis, memoriam rebus, vigorem temporibus. *Prosec.*

33. Hos si de Ecclesia tollas, vacillat fides, charitas friget, spes decidit, jus perit, confunditur lex, in oblivionem transit Evangelium.

34. Impressura res papyrea est, et brevi tempore tota consumitur : scriptor autem membranis commendans litteras, et se et ea, quæ scribit, in tempus longinquum extendit.

35. Unde ipse ecclesiam ditat, fidem conservat, hæreses destruit, vitia repellit, mores instruit, et dat incrementa virtutibus. *De laude Scriptor.*, cap. 1.

36. Scriptor pietate insignis Dei præco est, quia voluntatem ejus et præsentibus annuntiat et futuris. *Ibid.*

37. Scriptor devotus Deum laudat, Angelos lætificat, justos confortat, peccatores emendat, humiles commendat, bonos conservat, superbos debellat, condemnat pertinaces. *Ibid.* JOAN. TRITH.

38. Fortius quæ scribimus, menti imprimimus *Ibid.*, cap. 6.

39. Non minus scriptor docet bona scribendo, quam prædicator sancta prædicando. *Ibid.*, cap. 11.

40. Gentilium scripta exterius verborum eloquentia nitent, interius vacua virtutis sapientia manent. Lib. 3, *de Sum. bono.* S. ISID. HISP.

41. Quandoque dicta laudabiliora casualiter scribenti se offerunt, quæ per studii vehementiam, et indaginem laboriosæ meditationis inveniri non possunt. Epist. 1, *ad Henric. reg. Anglor.* S. PETRUS BLES.

42. Omissis inanibus, scribas quæ Theologicam sapiant gravitatem, quæ ad honestatem fructificent, et ædificent ad salutem. *Ibid.*, epist. 76, *ad Petrum.*

43. Breve vobis scribere inceperam, sed breve crevit in longum : exuberante dictandi materia, stylus licentius debito evagatus est in immensum. *Ibid.*, epist. 103, *ad Radingens. abbat.*

44. Optime compensatur, si arguitur imperitiæ scriptor, dummodo proficiat sapienter auditor. *Opusc.* 27, cap. 5. S. PETRUS DAMIANUS.

45. Liber, si placet, debet exhibere satietatem : si displicet, debet movere fastidium. Lib. 5, epist. 2, *ad Nymphidium.* S. SIDONIUS EPISCOPUS.

46. Quoties liber quispiam scribi jubetur, non tantum honorem spectat auctor a merito, quantum ab obsequio. *Ibid.*, lib. 9, epist. 16.

47. Non te offendat auctoritas scribentis, utrum parvæ vel magnæ litteraturæ fuerit, sed amor THOMAS A KEMPIS.

puræ veritatis te trahat ad legendum : non quæras quis hoc dixerit, sed quid dicatur attende. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 5, sect. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

…I ; US II. 48. Quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur. Lib. 3, epist. 7, *ad Caninium Rufum*.

49. Liber offensis, liber et secundis casibus et adversis caret. Lib. 5, epist. 20, *ad Ursum*.

…ENECA. 50. Turpe est aliud loqui, aliud sentire. Epist. 24.

51. Quære quid scribas non quemadmodum et hoc ipsum, non ut scribas, sed ut sentias : ut illa quæ senseris, magis applices tibi, et veluti signes. Epist. 115.

52. Scribe, ut dum scripseris, legas; omnia ad mores et ad sedandam rabiem affectuum referens Epist. 89.

53 Quoties scribens aliquid dicturus es, scito morum tuorum te hominibus chirographum dare. *De moribus.*

SCRIPTURA SACRA.

…GO A S. …CTORE. *Definitio.* Scripturæ divinæ sunt, quas a Catholicæ fidei cultoribus editas, auctoritas universalis Ecclesiæ ad ejusdem fidei corroborationem in numero divinorum librorum computandas recepit, et legendas retinuit. Lib. 4, *Didascali*, cap. 1.

…N. CASS. *Comparatio.* Scriptura sacra agro optimo ac fertili comparatur, qui cum multa gignat ac proferat, quæ ad hominum victum sine aliqua ignis coctione proficiant : quædam nisi prius flammæ calore mitigata, omnem asperitatem suæ deposuerint cruditatis, vel incongrua usibus humanis, vel noxia sentientur. Collat. 8, *Abbat. Sereni.*, cap. 3.

ZEPHYR. PAPA MART. Sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium et inhærentes firmamento sanctæ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas. In *Decretis*, part. 1, dist. 48, can. *Sicut.*

SENTENTIÆ PATRUM.

…TONIN. 1. Sacra scriptura est vera domina omnium facultatum. Part. 1, tit. 1, cap. 3, § 4.

2. Tanta est sapientia Scripturæ, tanta ejus profunditas, ut nullus valeat plene intelligere. Part. 3, in prologo § 2.

3. Studium sacræ scripturæ illuminat intellectum : et inflammat affectum. Part. 4, tit. 11, cap. 2, § 3.

4. In sacra scriptura reperiuntur Dei perfectiones. Omnipotentia in Genesi : Dei clementia in Exodo; reverentia et majestas in Levitico; patientia in libro Numeri; fortitudo in bellis Josue; longanimitas et misericordia in volumine Judicum; providentia in libris Regum. Et sic de aliis. Part. 4, tit. 11, cap. 3, § 2. *Prosec.*

5. Respice ibi, et invenies Abel devotionem, Enoch contemplationem, Noe credulitatem, Abrahæ fidelitatem, Isaac patientiam, Jacob prudentiam, Joseph castitatem, Moysi charitatem, Phinees sanctam æmulationem, Aaron devotam oblationem, Judæ audaciam, Josue confidentiam, Booz æquanimitatem, Samuelis integritatem, Job redargutiones, Tobiæ correctiones, David misericordiam, Salomonis pœnitentiam in Ecclesiaste, Eliæ zelum pietatis, Elisæi telum æquitatis, Isaiæ stabilitatem, Jeremiæ magnanimitatem, Ezechielis vigorem, Danielis fervorem, Mathathiæ singultus, Judæ Machabæi cultus, Eleazari amorem patriæ, Raziæ virorem latriæ, Christi Domini obedientiam, Matris ejus innocentiam, Baptistæ confessionem, Angelorum exultationem, Petri longanimitatem, Pauli sublimitatem, Andreæ magisterium in cruce, Jacobi desiderium in luce, Joannis sapientiam, Thomæ scientiam, Alphæidis justitiam, Philippi refulgentiam, Bartholomæi nobilitatem, Matthæi sanctitatem, Simonis constantiam, Thaddæi reverentiam, Matthiæ humilitatem, Marci sinceritatem, Lucæ vigilantiam, Barnabæ eminentiam. *Ibid.*

6. Hic habet infans quod lactet, puer quod laudet, adolescens quod corrigat, juvenis quod sequatur, senior quod precetur. *Prosec.*

7. Hic discunt feminæ pudicitiam, populi inveniunt pietatem, viduæ judicem, pauperes protectorem, advenæ custodem.

8. Hinc inveniunt reges quod audiant, judices quod timeant.

9. Hæc tristem consolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat, divitem, ut se cognoscat, increpat.

10. Omnibus se suscipientibus apta medicamenta tribuit, nec peccatorem despicit, sed per pœnitentiam remedium ei ingerit.

11. Post hæc Deus ostenditur, simulacra irridentur, fides asseritur, perfidia repudiatur, justitia ingreditur, prohibetur iniquitas, misericordia laudatur, crudelitas abdicatur.

12. Veritas requiritur, mendacium damnatur, dolus accusatur, prædicatur pœnitentia, pax sequenda promittitur, spes certa nutritur : sed quod his omnibus excellentius est, post hæc Christi sacramenta laudantur. *Ibid.*, cap. 4, § 2.

13. Scriptura divinitus inspirata, salutaris et utilis est, ad examinandum quod conveniens est, et honestum, et ad erudiendum atque corrigendum : ex ea enim discimus per quem, et a quo facti sumus, et ad quem tendamus. Epist. 5, *ad Episcopos.* S. ATHANAS. PATRIARCH.

S. AUGUST. 14. Mira profunditas divinorum eloquiorum, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas : horror est intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris. Lib. 12, *Conf.*, cap. 14.

15. Odi hostes eloquiorum tuorum, Deus meus, vehementer : o si occidas eos de gladio bis acuto, et non sint hostes ejus; sic enim amo eos occidi sibi, ut vivant tibi. *Ibid.*

16. Omnes qui legimus, nitimur hoc indagare atque comprehendere quod voluit ille quem legimus : et cum eum veridicum credimus, nihil quod falsum esse vel novimus vel putamus, audemus eum existimare dixisse. *Prosec.*

17. Dum ergo quisque conatur id sentire in Scripturis sanctis, quod in eis sensit ille, qui scripsit : quid mali est, si hoc sentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium Deus, ostendis verum esse, etiamsi hoc non sensit ille, quem legit? *Ibid.*, cap. 18.

18. Divinarum Scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum, atque potemus. *De vera Relig.*, cap. 51.

19. Ipsa locutio divinarum Scripturarum secundum cujusque linguæ proprietatem accipienda est. *Ibid.*, cap. 50.

20. Habent consuetudinem divinæ Scripturæ de rebus humanis ad divinas res verba transferre. Lib. 1, *de Genesi contra Manich.*, cap. 14.

21. Sincera et solida res est Scriptura, nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec ullo linguæ tectorio inane aliquid ad pendulum crepitat : multum movet, non verborum, sed rerum avidum, et multum terret factura securum. Epist. 1, *ad Volusianum.*

22. Hic physica, quoniam omnes naturarum causæ in Deo Creatore sunt. *Prosec.*

23. Hic ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus, et proximus.

24. Hic logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis, nonnisi Deus est.

25. Hic laudabilis reipublicæ salus : neque enim conditur et custoditur optima civitas, nisi fundamento et vinculo fidei, firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur : quod summum ac verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissime se diligant homines, cum propter illum se diligant, qui quo animo diligant, occultare non possunt. Epist. 3, *ad Volusianum.*

26. Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. *Prosec.*

27. Non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate; sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant.

28. Tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt : verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet, cum sonsummaverit homo, tunc incipit. *Ibid.*

29. Modus ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis; ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. *Ibid.*

30. Ea, quæ sancta Scriptura in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, et inerudita, quasi pauper ad divitem : sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens : sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur. *Ibid.*

31. His salubriter et prava corriguntur, et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. *Ibid.*

32. Ille sanctæ Scripturæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam. *Ibid.*

33. Titubabit fides, si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas : porro fide titubante, charitas etiam ipsa languescit. Lib. 1, *de Doctrina christ.*, cap. 37.

34. Opus est mitescere pietate, neque contradicere divinæ Scripturæ, sive intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit; sive non intellectæ, quasi nos melius sapere, meliusque præcipere possimus : sed cogitare potius et credere id esse melius et verius quod ibi scriptum est, etiamsi lateat, quam id quod nos per nosmetipsos, sapere possimus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 7.

35. Non præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, et eo modo informat mores hominum. *Ibid.*, lib. 3, cap. 10. *Prosec.*

36. Non asserit Scriptura nisi Catholicam fidem, rebus præteritis et futuris et præsentibus : præteritorum narratio est, futurorum prænuntiatio, præsentium demonstratio. *Ibid.*

37. Quidquid homo extra Scripturam didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est,

ibi invenitur : et cum ibi quis invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum, mirabili altitudine, et mirabili humilitate discuntur. *Ibid.*, lib. 2, cap. 42.

38. Instructus divinarum Scripturarum studiosus, cum ad eas perscrutandas accedere cœperit, illud Apostolicum cogitare non cesset, Scientia inflat, charitas ædificat. *Ibid.*, cap. 41.

39. Homo timens Deum, voluntatem ejus in Scripturis sanctis diligenter inquirit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1.

40. Sententiarum veritas in sanctis libris Ecclesiasticis investiganda est. Lib. 2, *de Doctr. christ.*, cap. 31.

41. Major est Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas. Lib. 2, *de Genesi ad litt.*, cap. 5.

42. Scriptura si loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat. *Ibid.*, lib. 5, cap. 3.

43. Quidquid est in Scripturis sacris, altum et divinum est : inest omnino veritas, et reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina et plane ita modificata, ut nemo inde haurire non possit, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devote ac pie ut vera religio poscit, accedat. *De utilitate credendi*, cap. 6.

44. Legenda est Scriptura divina, et Spiritus sancti dispensatio cognoscenda, et intuenda prophetia, et rejicienda carnalis servitus, et liberalis intelligentia retinenda. *Contra Adimantum.*, cap. 15.

45. Sanctarum Scripturarum auctoritatibus colla subdenda sunt, ut ad intellectum per fidem quisque perveniat. Lib. 1, *de Peccator. meritis et remiss.*, cap. 21.

46. Cum in sacris voluminibus litterarum, aliqua veluti diversum sonante sententia movetur lector, vel sollicitatur auditor, certa et inconcussa fide cognitum teneri debet, et nusquam deesse veritatem. *De Prædestinat. et gratia*, cap. 1.

47. Scriptura sacra communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus est, apte singulis necessaria subministrans. In *Prologo Psalm.*

48. Litteræ, quæ de cœlesti civitate nobis venerunt, ipsæ sunt Scripturæ. Super *Psalm.* XC, conc. 2.

49. In Scripturis sanctis profunda sunt mysteria, quæ ad hoc absconduntur ne vilescant, ad hoc quæruntur ut exerceant, ad hoc aperiuntur ut pascant. Super *Psalm.* XL.

50. In nullis Scripturis aliud inquiratis, quam charitatem, nemo vobis aliud præcipiat. Quidquid obscurum est in Scriptura, hæc ibi occulta est : quidquid ibi planum est, hæc ibi aperta est. Si nusquam aperta esset, non te pasceret : si nusquam occulta, non te exerceret. *Ibid.*

51. Honora Scripturam Dei, honora verbum Dei, etiam non apertum, differ pietate intelligentiam. Noli protervus esse, accusare aut obscuritatem, aut quasi perversitatem Scripturæ : perversum hic nihil est, obscurum autem aliquid est non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 6.

52. Quod in sancto Evangelio breviter dicitur, non breviter oportet exponi, ut quod auditur, intelligatur, verba enim pauca Domini, sed magna sunt, non numero æstimanda, sed pondere : nec ideo contemnenda quia pauca, sed ideo quærenda quia magna. Tract. 37, super *Evang. Joan.*, de cap. VIII.

53. Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam latissimamque doctrinam sine ullo errore comprehendit, et sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est charitate. *De Laudibus charit.*

54. Thesaurus magnus est divinarum Scripturarum, habens in se mirabilia præcepta et multa, tanquam multas gemmas, et pretiosa monilia, et vasa ingentia, et magni metalli : sed quis potest scrutari thesaurum istum, et uti eo et pervenire ad omnia quæ ibi sunt? *De Disciplina christiana*, cap. 1.

55. In eo quod in Scripturis intelligis, charitas patet : in eo quod non intelligis, charitas latet. Ille tenet, et quod patet et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. *De Laudib. charit.*

56. Scriptura evidens est, auctoritas Scriptura fundatissima est, fides in Scriptura Catholicissima est. *De Verb. Apost.*, serm. 14.

57. Sacrarum lectio Scripturarum divinæ est præcognitio non parva beatitudinis : in his enim quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest qualis sit, vel quo tendat. Serm. 1, *fer.* 6, *post Dom. Pass.*

58. Lectio assidua Scripturarum purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. *Ibid.*

59. Geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, seu quia a mundi vanitatibus abstractum, hominem ad amorem Dei perducit. *Ibid.*

60. Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur et pascitur, et beatissimus est ille qui divinas Scripturas vertit in opera *Ibid.*

61. Legite Scripturam, quia omni melle dulcior

est, omni pane suavior, omni vino hilarior, lenior oleo, sublimior auro, et argento purior. Serm. 38, *ad Fratr. in eremo.*

62. Scriptura est omnium sapientiarum et doctrinarum magistra et domina, quæ docet exterius blandos, et interius fraudulentos cognoscere. *Prosec.*

63. Hæc est scientia scientiarum, angelorum ferculum, archangelorum pulmentum, apostolorum gloria, patriarcharum fiducia, prophetarum spes, martyrum corona, virginum fortitudo, monachorum refectio, episcoporum vacatio, sacerdotum cellarium, puerorum principium, viduarum doctrina, conjungatorum pulchritudo, mortuorum resurrectio, viventium sempiterna protectio. *Ibid.*

64. Qui Scripturas non comprehendunt, timeant Deum, et simplici corde quod non intelligunt, quærant : ne cum volunt verbis sacrilegis concidere veritatem, quam videre non possunt, redeat illis securis in crura. Lib. 1, *de Gen. contra Manichæos,* cap. 5.

65. Quantum accedimus in Scripturis, et in eis assuescimus, tantum nobis locutiones earum innotescunt. *Ibid.,* cap. 9.

66. Obscura est Scriptura, et remota a sensibus hominum : sed quoquo modo se habeat, antequam intelligatur, credenda est. *Ibid.,* cap. 11.

67. Quidquid divinarum Scripturarum perspicua firmatur auctoritate, sine ulla dubitatione credendum est. Epist. 112, in *Prologo.*

68. In Scripturis sanctis Deus homines docet, quomodo cum hominibus agant, et ipsi Deo serviant. *De Agone Christ.,* cap. 8.

69. Scriptura divina ab una lingua profecta per varias interpretum linguas, innotuit gentibus ad salutem per orbem terrarum disseminata. Lib. 2, *de Doctr. christ.,* cap. 5.

70. Spiritus sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus, fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Lib. 2, *de Doctr. christ.,* cap. 6.

71. Debet divinarum Scripturarum tractator et doctor, defensor esse rectæ fidei, ac debellator erroris, et bona docere, et mala dedocere. *Ibid.,* lib. 4, cap. 4.

72. Sapienter dicit homo, tanto magis vel minus, quanto in Scripturis magis, minusque profecit. *Ibid.,* cap. 5.

73. Qui Scripturam intelligere non potest, Scripturæ Dei det honorem, sibi timorem. Lib. 1, *de Gen. ad lit.,* cap. 20.

74. Quando in Scripturis sanctis legimus mala a Sanctis facta, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla. *Contra Mendac.,* cap. 9.

75. Auctoritatem Scripturarum religionis nostræ, cæteris quibusque litteris anteponimus. Lib. 14, *de Civit. Dei,* cap. 7.

76. Multa in Scriptura umbrosa atque condensa sunt, quæ mentem quærentis exerceant. *Ibid.,* lib. 18, cap. 32.

77. Translatio Scripturæ veteris Testamenti per septuaginta duos interpretes, de Hebræo in Græcum mirabilis ac stupenda est : cum ad hoc opus separatim singuli sederint. *Ibid.,* cap. 42.

78. Intelligenda sunt in Scriptura sancta, et non temere accusanda, quæ imperitis videntur esse contraria. *Contra Adimant.,* cap. 3.

79. Sancta Scriptura non temerarios et superbos accusatores, sed diligentes et pios lectores desiderat. *Ibid.*

80. Sancta Scriptura verbis nostris loquens, etiam per hæc verba demonstrat nihil digne de Deo dici posse. *Ibid.,* cap, 7.

81. Nostrorum librorum auctoritas, tot gentium consensione, per successiones Apostolorum, Episcoporum, conciliorumque roborata, vobis adversa est. Lib. 13, *contra Faust.,* cap. 5.

82. Qui Scripturam adverso animo legit, quia non ideo scrutatur ut sciat; sed quod nescit, scire se putat, hæc præsumptio tumidæ arrogantiæ, oculum cordis vel claudit, ut omnino non videat, vel distorquet ut perverse videat, et aliud pro alio probet aut improbet. *Ibid.,* lib. 16, cap. 14.

83. Accipite integre canonicas Scripturas, si integri esse desideratis. *De fide contra Manich.,* cap. 23.

84. Hæretici Scripturas tenent ad speciem, non ad salutem. Lib. 3. *de Bapt. contra Donat.,* cap. 19.

85. Sanctæ Scripturæ et docent et exhortantur. *De Gratia Christi,* cap. 10.

86. Merebitur homo Scripturam intelligere, si orando pulset, et non rixando accedat ad ostium veritatis. Tract. 8, super *Joan.*

87. A Domino quidem est Scriptura; sed nihil sapit, si non ibi Christus intelligatur. *Ibid.,* tract. 9.

88. Natæ hæreses non sunt nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene : et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. *Ibid.,* tract 18.

89. Putemus Scripturam Dei tanquam agrum esse, ubi volumus aliquid ædificare. Non simus pigri nec superficie contenti, fodiamus altius, donec perveniamus ad petram; petra autem erat Christus. *Ibid.,* Tract. 23.

90. Scripturæ nobis in hujus sæculi nocte tanquam lucernæ accenduntur, ne in tenebris remaneamus. *Ibid.*, tract 35.

91. Hæc est, quæ, corda illuminat, linguam purificat, conscientiam probat, animam sanctificat, fidem confortat, diabolum rejicit, Peccatum spernit, animas frigidas calefacit, lumen scientiæ ostendit, tenebras ignorantiæ expellit, tristitiam sæculi extinguit, lætitiam Spiritus sancti accendit, sitienti potum tribuit, naturam frænat, prohibet levitatem, temperat dolorem, confert spem, coronat senem, docet juvenem, mitigat dedignantes, instruit errantes, sanat ægros, roborat infirmos, mentem stabilitat, excitat somnolentos, otiosos increpat, pigros incitat, reges humiliat, humiles exaltat, rectas vias indicat, eleemosynam imperat. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 92. Otiosum verbum in Scriptura esse dicere, blasphemia ingens est. Homil. 10, in *Hexam.*

S BERNARD. 93. Scriptura facile afficit, et allicit ad legendum : ita ut quod in ea latet, delectet etiam cum labore investigare, nec fatiget inquirendi forte difficultas, ubi eloquii suavitas mulcet. *Prosec.*

94. Uude constat hoc opus non humano ingenio, sed spiritus arte ita compositum, ut quamvis sit difficile intellectu, sit tamen inquisitu delectabile. Serm. 1, super *Cant.*

95. Scriptura sacra est puteus Jacob, ex quo hauriuntur aquæ quæ in oratione funduntur. In *Speculo Monachor.*

S. BONAV. 96. In Scriptura vir sapiens, profunda fluviorum perscrutatur, et abscondita producit in lucem. *De principiis sacræ Script.*

97. Est sacræ Scripturæ inattingibilis altitudo, propter auctoritatem inviolabilem; inexhaustibilis plenitudo, propter profunditatem imperscrutabilem; infallibilis certitudo, propter processum irrefellibilem; impretiabilis valitudo, propter fructum inæstimabilem; incontaminabilis pulchritudo, propter puritatem impermixtibilem; incoarctabilis amplitudo, propter diffusionem irrefringibilem. *De principio sacræ Script.*

98. Scriptura sacra est Fluvius voluptuosissimus, propter dulcores suavissimarum delectationum; luminosissimus, propter fulgores lympidissimarum speculationum; ignitissimus, propter fervores ardentissimarum inflammationum; impetuosissimus, propter vigores sublimissimarum elevationum. *Ibid.*, super illud, *Apoc.* XXII : *Ostendit mihi fluvium.*

99. Scriptura sacra quasi potio temperata est : si ejus amaritudo palatum tuum contristat, quid accusas medicum ? quod non prodest tibi, prodest alteri. *Ibid.*

100. Injustis sacra Scriptura videtur injusta, insipientibus stulta, obscœnis immunda, vanis superflua : sapientibus autem videtur omnis sapientiæ contentiva. *Ibid.*

101. In Scripturis sacris præterita sine falsitate describuntur; præsentia plus quam videantur, ostenduntur; futura quasi perfecta narrantur. *Ibid.*

102. Ubique in Scripturis veritas regnat, ubique divina virtus irradiat, ubique panduntur humano generi profutura. *Ibid.*

103. Sacra Scriptura est panis : nam panis in clibano est sermo in historia abditus : in sartagine, est sermo moralis decoctus : in craticula, est sermo mysticus, et allegoricus. Super *Psalm.* XL.

104. Quinque sunt verba, quibus tota Scriptura comprehenditur : crede, fuge, age, time, appete, crede in Deum, fuge vitium, age bonum, time supplicium, appete præmium. Serm. 3, *Dom. 4, Quadr.*

105. Scripturæ divinæ sancta profunditas communes sermones habet, ut eam universi incunctanter admittant : sensus autem recondit veritatis arcano, ut ipsis studiosissime vitalis sententia debeat indagari. In *Prologo*, super *Psalm.* cap. 15. CASSIODOR.

106. Scriptura sacra multis modis genera suæ locutionis exercet, definitionibus succincta, schematibus decora, verborum proprietate signata, syllogismorum complexionibus expedita, disciplinis irrutilans. *Ibid.*

107. Scriptura sacra, schola est cœlestis, eruditio vitalis, adjutorium veritatis, disciplina certissime singularis, quæ discipulos occupat sensibus fructuosis, non inanium lenocinatione verborum. Super *Psalm.* XV.

108. In scripturis divinis assidua cogitatione meditari, nullum tædium, nulla satietas est : sed quanto quis plus hauserit, tanto amplius dulcia sensa perquirit. Super *Psalm.* LXXVI, vers. 12.

109. Cur homini Christiano fideli non liceat spectare, quod licuit divinis litteris scribere ? *De Spectacul.*, cap. 2. S. CYPRIAN.

110. In sacris Scripturis quasi speculo vides, et agnoscis teipsum, et faciem cordis tui. *Prosec.* [illegible]

111. Ibi imperfectum tuum clarissime conspicis, quid agendum restat, et qualiter proficere debeas, discis. In *Exhort. ad Novit.*, art. 9.

112. Ex divinis Scripturis divitias tibi congrega, et thesauros qui nunquam eripi tibi poterunt, illosque in cœlum præmittere satagito. *De vita Religiosa.* S. EPHRÆM.

113. Nihil discors est in divina Scriptura, neque opposita dictio adversus dictionem reperitur. Hæres. 70, *contra Audianos.* S. EPIPHAN.

S. FRANCIS. TITELM. 114. Sancta Scriptura, magis oblectat pios animos, quam aures delicatas, linguasque disertas : mentium enim, non aurium delicias spectat. In *Annot. super Psalm.* XXXII.

S. FULGENT. 115. In Scripturis sacris studium tui cordis impende; et ibi si fueris, quis sis, quique debeas esse, cognosce. Epist. 6, *ad Theodorum*, cap. 9.

GLOSS. INT. 116. Quantum quisque ex Scriptura proficit, tantum et ipsa proficit apud ipsum. Super *Ezech.*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 117. Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur : ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus; ibi sentimus quantum proficimus, ibi a profectu quam longe distamus. Lib. 2, *Moral.*, cap. 1.

118. Sacra Scriptura omnem scientiam, atque doctrinam sine aliqua comparatione transcendit, vera prædicat, ad cœlestem patriam vocat, a terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis immutat. *Prosec.*

119. Dictis obscurioribus exercet fortes, et parvulis humili sermone blanditur : nec sic clausa est ut pavesci debeat, nec sic patet ut vilescat; quia usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur.

120. Quæ legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus sensibus levat : aliquo modo cum legentibus crescit, a rudibus lectoribus quasi recognoscitur, et amen doctis semper nova reperitur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 11.

121. Hæretici quia Scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam quibusdam nisibus rodunt. *Ibid.*, cap. 1.

122. Non est secura lætitia in divinis paginis, vel fortia, vel multa cognoscere, sed cognita custodire. *Prosec.*

123. Nam qui bene intelligit, quid intelligendo sperari debeat, agnoscit : quanto enim intellectu latius extenditur, tanto ad explenda opera enixius ligatur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 3.

124. Magnæ utilitatis est, ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat quod capere non potest otiosus. Homil. 6, super *Ezech.*

125. Scriptura sacra staturam habet, quia mores ad standum dirigit : altitudinem habet, quia in cœlesti patria æternæ vitæ gaudia promittit : horribilem aspectum babet, quia omnibus reprobis gehennæ supplicia minatur. *Ibid.*, super illud : *Statura quoque erat rotis.*

126. Scriptura sacra est recta in præceptis, alta in promissionibus, horribilis in minis. *Ibid.*

127. Scriptura sacra in utroque testamento, et admonendo recta est, et promittendo alta, et minando terribilis. *Ibid.*

128. Divina eloquia cum legente crescunt : nam tanto illa quisque altius intelligit, quanto in eis altius intendit. *Ibid.*, homil. 7, super illud : *Cumque ambularent*, etc.

129. Mira atque ineffabilis sacri eloquii virtus, cum superno amore legentis animus penetratur. *Ibid.*

130. Quo spiritus legentis tendit, illuc divina eloquia levantur : quia si in eis altum quid videndo et sentiendo quæsieris, hæc eadem sacra eloquia tecum crescunt, tecum in altioribus ascendunt. *Ibid.*, super illud : *Quocumque ibat spiritus*, etc.

131. Legentis spiritus si quid in sacris eloquiis scire morale, aut historicum quærit, sensus hunc moralis historiæ sequitur : si quid typicum, mox figurata ocutio agnoscitur. *Ibid.*

132. Hæc tria in sacro volumine scripta sunt : Lamentationes; Carmen; Væ. Lamentationes, quia in eo scripta est pœnitentia peccatorum; Carmen, quia ibi prænuntiantur gaudia justorum; Væ autem, quia illic expressa est damnatio reproborum. Homil. 9, super *Ezech.*

133. Scriptura sacra est aliquando cibus, aliquando potus. In locis obscurioribus, quæ intelligi nequeunt, nisi exponantur, cibus est; in locis vero apertioribus, potus est. *Ibid.*, homil. 10.

134. In ejus ore Scriptura sacra dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis Dei replentur : quia ei suavis est ad loquendum, cui interius impressa ad vivendum fuerit. *Ibid.*, homil. 10.

135. Nemo in sacræ Scripturæ scientia ita perfectus est, ut proficere ultra non possit : quia inferior est omnis profectus hominis divinitatis altitudine eam inspirantis. Super lib. *Reg.*

136. Scriptura sacra tam mirabiliter ab omnipotente Deo condita est, ut etsi multipliciter videatur exposita, non desint tamen ei secreta, quibus servet occulta. *Ibid.*

137. Sacra Scriptura, quia divinitus inspirata, tanto sublimius etiam præclara hominum ingenia superat, quanto ipsi præclari homines Deo inferiores sunt : et nihil in illa spiritali sublimitate conspiciunt, nisi quod ejus ipsius divinæ dignationis bonitate revelatur. *Ibid.*

138. Scriptura sacra suavis est in superficie litteræ, altior in typis allegoriæ, moribus instruendis utilis, lucida in exemplis exhibendis, in locis tamen singulis et historica asserere, et typica proferre, et conferre moralia solet. *Ibid.*

139. Qui verbum Scripturæ accipit, non in amore, sed in scientia, de plenitudine accipit, non

verbi, sed libri. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. 4, super illud : *Ascende ut comedas mecum.*

140. Civitas spiritualis Redemptoris est Scriptura sacra : hæc civitas suis civibus tot defensionum munimina confert quot præcepta, tot arma eis præbet, quot consilia salutis. Lib. 1, in I *Reg.*, cap. 1, exposit. allegoricæ, super illud : *Et ascendebat vir*, etc.

141. Sacra eloquia visioni maris simillima narrantur : quia in eis sunt magna volumina sententiarum; et cumuli sensuum. Homil. 6, super *Ezech.*, super illud : *Et aspectus rotarum*, etc.

142. Tanto magis debemus sacram Scripturam legere, quanto nos conspicimus sub tribulationum fasce lassari. Lib. 2, in *Registro*, ind. 10, cap. 37, epist. 87, *ad Natalem episc. Salonit.*

143. Ut vilescere Scriptura sacra nota non possit, sic mire disposita est, ut cognita nesciatur : et eo legatur gratius, quo quotidie discitur; ac dum semper recentia intimat, suavius oblectet. *Prosec.*

144. Qui nova velut nova contemnunt, illa quæ probant vetera, curarum sæcularium saturitate fastidiunt.

145. Dum quis terrenarum rerum cura immoderatius pascitur, in ea quæ valde placere solet, recenti Scripturarum dulcedine non lætatur. *Ibid.*

GREGOR. NYSS. 146. Dicere verbum aliquod in Scriptura redundare, est grave nefas : quod si nihil redundat, nihil est inane, nihil supervacuum. Orat. 1 super illud : *Faciamus hominem*, etc.

HIERON. 147. Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. Epist. 4 *ad Rustic.*

148. Totum quod legimus in divinis libris, nitet quidem et fulget, etiam in cortice; sed dulcius in medulla est : qui edere vult nucleum, frangat nucem. Epist. 13 *ad Paulin.*

149. Maximum ad justitiam auxilium, est implere divinis eloquiis animum : et quod opere exequi cupias, semper corde meditari. Epist. 14, *ad Celantiam.*

150. Sint divinæ Scripturæ semper in manibus tuis, et jugiter mente volvantur. *Ibid.*

151. Scripturam sacram cognoscere, secumque semper revolvere, ingens ad conservandam justitiam beneficium est. *Ibid.*

152. Ad sanctarum Scripturarum gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina est, ubi dolorum certa remedia. Epist. 24, *ad Julian.*

153. Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri : sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant : hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Epist. 1, *ad Paulin.*

154. Magis Scripturæ auctoritate ducimur, quam cujuslibet eloquentiæ sæcularis. *In quæst. super Genes.*

155. Nihil in Scriptura magis agere debes, quam animam divinis eloquiis pascere, et quantum ei per totam sufficere possit diem, hoc eam veluti cibo pinguiore satiare. Epist. 1, *ad Demetriad.*

156. Ita Scripturas sacras lege, ut semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam non solum sciri, sed etiam impleri jubet : nihil enim prodest facienda didicisse, et non facere. *Ibid.*

157. Debes sanctas Scripturas sine intermissione meditari, his tuam replere mentem ; et malis cogitationibus locum auferens, divinis animum sensibus occupare. *Ibid.*

158. Ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est. Lib. 1 super *Isaiam.*

159. Quid loquar de physica, ethica, et logica? quidquid potest humana lingua proferre, et mortalium sensus accipere, volumine sanctarum Scripturarum continetur. *Ibid.*

160. Moris est Scripturarum, obscuris manifesta subnectere : et quod prius sub ænigmatibus Prophetæ dixerint, aperta voce proferre. Lib. 5, super *Isaiam*, cap. 19, super illud : *Onus Ægypti*, etc.

161. In explanatione sanctarum Scripturarum, non verba composita, et oratoriis floribus adornata, sed eruditio et simplicitas quæritur veritatis. Lib. 3, super *Amos.*

162. Quicunque Scripturam aliter intelligit, quam sensus Spiritus sancti efflagitat, quo conscripta est (licet de Ecclesia non recesserit) tamen hæreticus appellari potest. Lib. 3 super *Epist. ad Galat.*, cap. 5, in illud *Rom.* VIII : *Sapientia carnis inimica est Deo.*

163. Si quidquam est, quod in hac vita sapientem virum teneat, et inter pressuras et turbines mundi æquo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor, meditationem Scripturarum. Super *Epist. ad Ephes.*

164. Hæretici corrupto intelligentiæ sensu divinorum dictorum testimonia usurpant, et de his mentiuntur. Lib. 4 *de Trinit.* S. HILAR.

165. Hæreticus dat Scripturam stylo Antichristi compositam. Lib. *contra Arianos, et Aurent.*

166. In sacra Scriptura quidquid docetur, veritas est : quidquid præcipitur, bonitas : quidquid promittitur, felicitas est. *De Scriptur. et Scriptor.*, cap. 1. HUGO A S VICTORE.

167. Quisquis sacræ Scripturæ cibo pasci renuit, vitam animæ suæ perdere jam incipit. In *Prolog.* 1, *Allegoriar. Veteris Testam.*

168. Triplices intellectus sunt divinæ Scriptu-

ræ, quasi tres mensæ. Videlicet, historialis, mysticus et moralis. *Prosec.*

169. Prima simplicibus, secunda doctoribus, tertia communis utrisque.

170. In prima cibus gratior, in secunda subtilior, in tertia dulcior.

171. Prima saporem continet exemplorum, secunda vim mysteriorum, tertia dulcedinem morum.

172. In una Christus vinum ministrat, in secunda frangit panem, in tertia docet.

173. Prima pascit miraculis, secunda figuris, tertia verbis : res miraculorum corroborat fidem, impletio figurarum spem, doctrina morum charitatem. Lib. 3 *de Claustro anim.*, cap. 8.

174. Scriptura sacra est liber vitæ, cujus origo æterna, cujus incorruptibilis essentia, cujus cognitio vita, cujus Scriptura indelebilis, cujus inspectus desiderabilis, cujus doctrina facilis, cujus scientia dulcis, cujus profunditas imperscrutabilis, cujus verba innumerabilia, et unum tamen verbum omnia, Lib. 2 *de Arca Noe*, cap. 11.

175. Sunt nonnulli, qui divinæ Scripturæ scientiam quærunt, ut vel divitias congregent, vel honores obtineant, vel famam acquirant : quorum intentio quantum perversa, tantum est miseranda. Lib. 5 *Didasc.*, cap. 10.

176. Solidus est cibus iste sacræ Scripturæ, et nisi masticetur, transglutiri non potest. *Prosec.*

177. Tali te moderamine uti oportet, ut dum inquirendo subtilis fueris, in præsumendo temerarius non inveniaris. *Ibid.*, lib. 6, cap. 4.

178. Cathedra Doctoris sacra Scriptura est, in qua jugiter populo præsidere debet, et per auctoritatem præceptionis, et per exemplum conversationis. Lib. 1 *Miscellan.*, tit. 75.

179. Divina Scriptura in quibusdam locis, quasi panis difficile editur, in quibusdam sicut vinum facile sorbetur, in omnibus quasi medicamentum et oleum animæ, dum sumitur, medetur. Lib. 1 *Miscellan.*, tit. 56.

180. Divina Scriptura cæteris omnibus Scripturis, non solum in materia sua, sed etiam in modo tractandi, subtilitate et profunditate præcellit. Lib. 1 *de Sacram.*, part. 1, cap. 5.

HUGO CARD. 181. Ad hoc tendit tota Scriptura, ut revocet a malo per timorem, et promoveat ad bonum per amorem. In fine *Prologi, super lib. Judic.*

182. Sacra Scriptura est vas ciborum et potuum spiritualium, quibus reficiuntur, et inebriantur spiritualiter animæ Sanctorum. Super *Prov.*, XXV.

183. Sacram Scripturam, per quam cognoscitur Deus, pie legite, et perfecte intelligite : pie legit, qui cum devotione legit quæ legit : et quæ non intelligit, non reprehendit, sed studiose inquirit. Super *Sapient.*, cap. 1.

184. Scriptura non solum cibus est, ubi difficilis est : sed etiam potus, ubi est facilis, vel vinum æternæ jucunditatis. Super *Isaiam*, cap. 65.

IDIOTA. 185. Quidquid latet, quidquid patet in divinis sermonibus, et in tota sacra Scriptura, dilectio ipsa comprehendit. Lib. 1 *Contemplat. de Amore Dei*, cap. 26

JOAN. CAS[SIAN.] 186. Festinandum tibi est, si ad veram Scripturarum scientiam vis pervenire, ut humilitatem cordis immobilem primitus consequaris : quæ te non ad illam quæ inflat, sed ad eam quæ illuminat scientiam charitatis consummatione perducat. Collat. 14, *Abb. Nesterot.*, cap. 10.

S. JOANN[ES] CHRYSOS[TOMUS]. 187. Nihil in divinis litteris temere, et absque causa positum, etiam verbum quod fortuitum videri posset magnum thesaurum in se latentem continet. Homil. 10, super *Gen.*

188. In divinis litteris nihil superfluum, nec onerosum, nihilque rationi contrarium continetur. *Ibid.*

189. Quanto quis Scripturis sacris est familiarior, tanto magis videre potest latentem in ipsis thesaurum, pluresque percipere ineffabilium divitiarum fructus. Homil. 13, super *Gen.*

190. Talibus verbis Scriptura sacra utitur, ut ejus arcana mysteria discere possimus. *Ibid.*, homil. 15.

191. In divinis Scripturis, etiam in brevi lectione sensuum gravitas, et ineffabiles inveniuntur divitiæ. *Ibid.*, homil. 16.

192. Mos divinæ Scripturæ est, a rebus contingentibus nomina locis imponere, sicubi res contingant. *Ibid.*

193. Non est syllaba, vel apiculus in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus. *Ibid.*, homil. 21.

194. Nulla est in humana natura vel corporis, vel animæ passio, quæ medicinam ex sacra Scriptura accipere nequeat. *Prosec.*

195. Ingreditur quis huc tristitia et negotiorum sollicitudine oneratus, statim ut audivit Prophetam dicentem : Quare tristis es anima mea? spera in Deum, omnem illam mentis tristitiam excutit.

196. Alius extrema premitur inopia, gravatim fert, et mœret videns alios divitiis affluere, et magno apparatu et pompa stipari : audit hic Prophetam dicentem : Jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet, et non timeas, cum ditatus fuerit homo, etc.

197. Alius despicitur et contemnitur, et ab amicis relinquitur, et hoc est quod mentem ejus maxime conturbat, si huc venerit, audiet dicen-

tem : Amici mei, et proximi mei adversum me steterunt. *Ibid.*, homil. 29.

198. Unus scopus divinæ Scripturæ est, ne quid factorum intermittat, sed veritatem homines doceat. *Ibid.*

199. Ingens bonum est divinarum Scripturarum peritia ; hæc enim facit animam optimis moribus præditam, hæc in cœlum mentem transfert, hæc gratitudinis studiosum reddit hominem. *Ibid.*, homil. 35.

200. Magna divinæ Scripturæ virtus est, et multæ in verbis latent sententiarum divitiæ. *Ibid.*, homil. 37.

201. Nullam Scripturæ habent rationem pulchritudinis, vel compositionis verborum, habent enim gratiam domesticam effulgentem, et pulchritudinem quæ dicuntur. *Ibid.*

202. Prorsus non opinetur Catholicum, quod apparuerit Scripturæ sententiis esse contrarium. Homil. *de Adam et Eva.*

203. Scripturæ thesaurum præbent paratum iis, qui quærunt opes in ipsis reconditas : satis est introspexisse, ut omni expleti fructu discedant, satis est tantum aperuisse, ut illico videant gemmarum splendorem. Homil. 2 *de Verbis Isai.*

204. Quidquid terribile est in Scripturis, usu vilescit. Homil. 30, super *Matth. Oper. imperf.*

205. Quidquid quæritur ad salutem, totum adimpletum est in Scripturis sacris. *Prosec.*

206. Qui ignarus est, inveniet ibi quod discat.

207. Qui contumax est et peccator, inveniet ibi futuri judicii flagella, quæ timeat.

208. Qui laborat, inveniet ibi glorias et promissiones vitæ perpetuæ, quas meditando amplius ad opus.

209. Qui pusillanimis est et infirmus, inveniet ibi mediocres justitiæ cibos, qui etsi pinguem animam non faciunt, tamen mori non permittunt.

210. Qui magnanimus est et fidelis, inveniet ibi spirituales escas continentioris vitæ, quæ perducant eum fere ad Angelorum naturam.

211. Qui percussus est a diabolo, et vulneratus est in peccatis, inveniet ibi medicinales cibos qui eum per pœnitentiam revocent ad salutem. *Ibid.*, homil. 41.

212. Omnis Scriptura divina mensa est, in qua panis verbi nutriens animas positus est, supra quam omnes Christiani recumbunt et epulantur in spiritu. *Ibid.*, homil. 53.

213. Magnum præcipitium, profundum barathrum est, Scripturarum ignoratio : et magna salutis perditio, nihil de divinis legibus scire. Conc. 3 *de Lazaro.*

214. Omnium medicinarum thesaurus, divinæ Scripturæ sunt : sive stultitiam exuere, sive affectus sedare, sive pecuniarum cupiditatem expellere, sive dolores contemnere, sive fortem animum induere, sive adversa æquo animo tolerare velimus, quam plurima hinc remedia invenire possumus. Homil. 36, super *Joan.*

215. Hæretici sacras deleverunt litteras, inficiati sunt Scripturam, omnino in illam intendere non valentes. Serm. 11, super *Epist. ad Philip.*

216. Si quid vel discere, vel ignorare opus sit, in Scriptura sacra addiscemus. Si arguere falsitatem, inde hauriemus : si corrigi, si castigari, ad exhortationem, ad solatium : si quid desit et oporteat adipisci, ex ea discimus. Homil. 9, super II *Tim.*

217. Nihil præclarius, nihil animarum saluti conducibilius est, quam divinas Scripturas perscrutari. Lib. 4 *de Fide Orthod.*, cap. 18. S. JOAN DAM.

218. Ejusmodi est Scripturarum gratia, ut exhauriri atque consumi nequeat. *Ibid.*

219. Scias sanctam Scripturam esse tanquam puteum Jacob, ex quo hauriuntur aquæ vivæ lacrymarum, devotionis et dulcedinis. *De Sanctimonialibus.* JOAN. GERS.

220. Nihil in hac vita dulcius apprehenditur, nihil jucundius ac securius possidetur, nihil ita mentem a voluptatibus retrahit, sicut amor et scientia vera Scripturarum. Lib. 2 *de Vir. illustr. Ord. S. Bened.*, cap. 145. JOAN. TRITH.

221. Qui est amator sanctarum Scripturarum, sicut leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum. *Prosec.*

222. Ipsa sacra scientia dat suo amatori in tribulatione constantiam, in adversitate tolerantiam, in humilitate victoriam.

223. Docet vitia fugere, virtutes diligere, terrena despicere, cœlestia quærere, Deum super omnia amare. *Ibid.*

224. Scriptura torpentes ad devotionem excitat, mentem ad dilectionem Dei inflammat, contemptum præsentium suggerit, voluptatem carnis occidit. *Prosec.*

225. Sine illa, hominis vita, aut voluptas, aut vanitas est : quia qui scientiam Scripturarum non amat, quid aliud quam vana potest diligere? *Ibid.*

226. Testimonium sacræ Scripturæ est fortissimum ad arguendum, stabile ad corripiendum, efficax ad docendum, jucundum ad consolandum et validum. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 2.

227. Nullius hominis consolatio tam efficax et sancta homini tribulato spiritu, sicut exhortatio sacræ Paginæ. Quidquid quæris, ibi invenies : quod desideras, ibi habes. *Ibid.*

228. Studium sacræ Scripturæ mentem a torpore excitat, torpentem terret, proficientem laudat, nescientem docet, doctum honorat. *Ibid.*

229. Inter omnia hujus mundi quæque voluptuosa, jucunda, vel delectabilia, nihil me, teste Deo, plus delectat, plus satiat, plus et efficacius consolatur, quam sacra Scriptura ; ibi invenio quod volo, instruor quid quæram, confirmor ut sperem. *Ibid.*

230. Sancta sacræ Scripturæ commendatio est, ut eam nemo explicare valeat : profunditas nimia, latitudoque maxima, quam nullus comprehendere potest. *Ibid.*

231. In sacra Scriptura animæ cibus et potus est, dum juxta gratiam a Deo unicuique concessam sibi quisque quod faciat, inquirit et invenit. *Ibid.*

232. Hic cibus sacratissimus est spiritus, hic consolatio mœstorum, confortatio debilium, liberatio captivorum, et refectio sanctarum animarum. *Ibid.*

233. Quod de sacris Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *Ibid.*

234. Quanto quisque magis in sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit : sicut terra, quæ quanto amplius excolitur, tanto uberius fructificat. In cap. 4 *Regul. S. Bened.*, verbo *Sacras.*

235. Tota series divinarum Scripturarum, quid continet aliud quam textum quemdam bonorum ordinem, quæ Deus hominibus vel jam præstitit, vel etiam se daturum repromisit ? Lib. 1, homil. 4 *ad Monachos.*

236. Scio vere nihil in hac vita homini salubrius posse contingere, quam si divinas cœperit Scripturas veraciter amare. *Ibid.*

237. Quanto quis in perdiscendis Scripturis fuerit studiosior, tanto minus carnalium voluptatum ardoribus inflammatur. *Ibid.*

238. Sacra Scriptura, est fons sapientiæ, semita justitiæ, forma disciplinæ, apotheca salutis, magistra veritatis. *De Laude Scriptor.*, cap. 2.

S. IRENÆUS. 239. Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a verbo Dei, et spiritu ejus dictæ. Lib 1. *Advers. hæres.*. cap. 47.

240. Apponenti vel auferenti de Scriptura, pœnam non modicam fore necesse est. *Ibid.*, lib. 6, cap. *Venit.*

S. ISID. HISP. 241. Omnis latitudo Scripturarum in oratione Dominica, et Symboli brevitate concluditur. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 51.

242. Quanto quisque magis ut sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit : sicut terra quæ quanto amplius excolitur, tanto uberius fructificat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 9, sent. 2.

243. Eloquia sacra exterius incompta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientia fulget. *Ibid.*, cap. 13, sent. 3.

S. LAURENT. JUSTIN. 244. Quidquid dicitur quod Catholicarum auctoritate Scripturarum non probatur, a sancta non approbatur Ecclesia. *Prosec.*

245. Est quidem fundamentum solidum, super quod omnis fidei veritas, omnisque veritatis solidatur auctoritas. *De Casto Connub.*, cap. 19.

246. Sacra Scriptura nobis est a Domino exhibita, ut in ipsa intellectus nostri curiositas solidetur, et velut in quodam speculo, interna nostra facies videatur. *Prosec.*

247. Ibi quid verum, quid falsum sit conspicitur, ibi pulchra cognoscuntur : ibi quantum intellectus proficiat, quantum capiat, sine offuscatione aperitur. *Ibid.*

S. MAXIMUS MART. 248. Sine Scripturis sanctis, nulla vere est conceptionum vis Deo digna. Centur. 4 *de Virt. et vitio*, cap. 82.

PETRUS BLES. 249. Scriptura est cithara David, per quam Saulis insania temperatur. *Prosec.*

250. Scriptura est vomer Samgar aratorius, quo terra nostri cordis excolitur.

251. Hæc est maxilla asini, in qua Samson sitiens reficitur, et mille Allophyli occiduntur. Epist. 125 *ad Gualter., episc. Rothomag.*

252. Sunt quidam, qui sacram Scripturam timent, alii irrident, alii destruunt, alii contemnunt, alii per eam transeunt, alii habitant in ea, qui timent eam, pigri sunt : qui irrident, superbi : qui destruunt, hæretici ; qui contemnunt, falsi fratres : qui transeunt, hospites : qui habitant, cives. *Ibid.*, serm. 12 *Quadrag.*

S. PETRUS DAMIANUS. 253. Cuncta divinarum Scripturarum eloquia ad nil aliud, nisi ad animarum salutem crebris sunt voluminibus exarata. Quidquid enim in his præcipitur, quidquid prohibetur, totum proculdubio ad provectum fit animarum. Lib. 5, epist. 12 *ad Quemdam thesaurar.*

254. Sacrarum Scripturarum paginæ semper versentur in manibus : in his totus esto, his immorare, in his jugiter requiesce. Lib. 6, epist. 29 *ad Stephan. monach.*

RUPERT. ABB. 255. Nihil dicendum novum, nihil docendum est, quod non constat auctoritate Scripturarum. Lib, 1, super *Numer.*, cap. 8.

S. THEODOR. 256. Divinis Scripturis suavius nihil est. Lib. 3, super *Cant.* in illud : *Qui pascit inter lilia*, etc.

THEOPHYLACTUS. 257. Nihil tam utile est, ut Scripturarum diligens scrutatio. Super *Luc.*, cap. 16, in illud : *Mittas eum in domum*, etc.

S. THOMAS AQUINAS. 258. Scriptura sacra est regula fidei, cui nec addere, nec subtrahere licet. 2, 2, quæst. 1, art. 9.

259. Auctor sacræ Scripturæ, est Spiritus sanctus : non solum verborum, sed etiam rerum. Super 1 *Sent.*, quæst. 3 prologi, art. 5.

260. Sacræ Scripturæ auctoritas, superior est omni ratione. Super 1 *Sent.*, dist. 2, art. 1.

THOMAS A KEMPIS. 261. Veritas est in Scripturis sanctis quærenda, non eloquentia : omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo facta est. *Prosec.*

262. Quærere potius debemus utilitatem in Scripturis, quam subtilitatem sermonis. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 5.

S. VALER. EPISCOP. 263. Ea, quæ in divinis eloquiis præcipiuntur, non solum non facere, sed etiam ignorare, peccatum est. *Epist. ad Monachos.*

S. ZEPHYR. PAPA ET MART. 264. Sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium et inhærentes firmamento sanctæ Scripturæ, non obscurat mundana iniquitas. In *Decretis Gratiani*, part. 1, distinct. 38, can. *Sicut.*

Vide etiam tit. *Auctoritas*, sent. 17 ; *Christianus*, sent. 102, 103 ; *Doctrina*, sent. 121 ; *Lectio*, sent. 3, 9, 38, 50, 54, 59, 60, 65, 74, 76, 77, 85, 100, 102, 104, 105, 111, 112, 119 ; *Psalmus*, per totum ; *Res*, sent. 87 ; *Scrutari*, sent. 12, 15 ; *Studium*, sent. 29, 51, 56, 57, 61 ; *Thesaurus*, sent. 5.

## SCRUPULOSITAS.

ANTONIN. *Definitio.* Scrupulus est vacillatio quædam consurgens cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus et incertis. Part. 1, tit. 3, cap. 10, § 9.

### SENTENTIÆ PATRUM.

ANTONIUS. 1. Diabolus investigat complexiones hominum, et quos videt parvi cordis et pusillanimes et scrupulosos, ipsos aggreditur, et scrupulis occidit. Part. 1, cap. 10, § 10.

2. Mille surgunt apud aliquos scrupuli, more canum oblatrantes, et lacerare minanter ipsos qui volunt ire viam Dei, quos convincere et compescere melius quam per contemptum nequimus. *Ibid.*

3. Consilium salubre est, frequenter agere contra scrupulos leves et tepidos, vitando eos ad aliorum judicium ; quatenus ex consuetudine fiat homo robustus, solidus, et tranquillus in exercitio spirituali. *Ibid.*

4. In dubiis tutior via est eligenda, propter quod scrupulosus eligit viam rigidiorem. *Ibid.*

5. Ex scrupulo procedens tristitia, consumit vigorem et robur animi. *Ibid.*

6. Scrupulus causatur ex complexione ad timorem idonea, ex ægritudine melancholica, et ex tentatione diabolica. *Ibid.*

7. Ille se ad id quod credit et diligit, perventurum esse desperat, cui malæ conscientiæ scrupulus inest. Lib. 1. *de Doctr. christ.*, cap. 40. S. AUGUST.

8. Deponendæ sunt scrupulositates quædam superfluæ, quæ conscientiam in erroris confusionem inducunt, In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 9. S. BONAV.

9. Scrupulositas intelligentiam mysteriorum Dei superflua curiositate non invenit, sed fidem perdit, quam constat esse ducem salutis. Tract. 14. S. GAUDENT.

10. Cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Lib. 32 *Moral.*, cap. 17. S. GREGOR. MAGNUS.

11. Scrupulum cogitationis scrupulosæ, aperta ratio dissolvat. Lib. 3 *Dialogi.*, cap. 24, verbo *Scrupulum.*

12. Conscientia scrupulosa, omnia dubitat, et de omnibus disputat. Super *Prov.*, cap. 19. HUGO CARD.

13. Scrupulosus, vitæ aliorum est enucleator. Homil. 11. super *Epist. ad Hebr.* S. JOANNES CHRYSOST.

14. Scrupulosis contra scrupulos agendum est, et ex ficto operis pede certandum. Tract. *de Præparat. ad Missam.*, consid. 6. JOAN. GERS.

15. Causant scrupuli inquietudinem mentis, quam fluctuare faciunt, a qua sicut muscæ morientes perdunt suavitatem odoris, id est, devotionis et amoris sentimentum. Lib. 4, *de Consol. Theolog.*

16. Etsi turbationem aut vacillationem cor pati videtur ex scrupulosis motibus, modo per has, modo per illas passionum fluctuationes, maneat tamen divinus amor firmus. *Ibid.*

17. Periculosa est scrupulositas, quæ conscientiam in errorem præcipitat. Lib. 1, *ad Monachos*, homil. 24. JOAN. TRITH.

18. Rejice superfluos atque inanes scrupulos ; hi enim illuminationem internam prohibent, et conscientiam formidine, anxietate, privatoque amore devenustant. In *Speculo spirit.*, cap. 1. LUDOVICUS BLOSIUS.

19. Conscientiæ scrupulos, tanquam gravia impedimenta, Asceta semper devitet. In *Instit. spirit.*, cap. 8.

20. Qui scrupulositatem in anima pro parvis rebus habet, et non pro magnis, omnium quæ facit, mercedem amittit. Lib. 5, libell. 13, num. 14. [illegible]

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

21. Hominis conscientiam semper scrupulus urit. Syzyg. 6, in *Dialogo Axiochi.* PLATO.

22. Expavescimus dubia pro certis : non servamus modum rerum, statim in timorem venit scrupulus. Epist. 13. SENECA.

Vide etiam tit. *Suspicio*, sent. 15.

## SCRUTARI.

S. BONAV. *Definitio*. Scrutari est inquirere, investigare, subtiliter inspicere. Super cap. 5, *Joannis*.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quid curiose quæris investigare quod tibi non expedit scire, nec cognoscere datur? Lib. 1, *de Interpellat.*, cap. 9.

S. AUGUST. 2. Ex consuetudine rerum expertarum, inexperta opera divina infirmitas metitur humana. Epist. 146, *ad Consentium*.

3. Mens humana prius hæc quæ facta sunt per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit, et deinde quærit eorum causas. Lib. 4. *de Genesi ad litt.*, cap. 32.

4. Ad cœlestia arcana penetranda, ratio per se non sufficit, nisi adjuta fuerit. *De Spiritu et anima*, cap. 37.

5. Laudabilior animus est, cui nota est miseria sua, quam qui ea non aspecta vias siderum et naturas rerum scrutatur. *De Spiritu et anima*, cap. 50.

6. Quanto magis suavia sunt quæ jubet qui juvat, tanto magis ea scrutatur amans, ut cognita faciat, et faciendo cognoscat, quia perfectius cognoscuntur cum fiunt. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 67.

7. Nihil est melius, nihil dulcius, quam divinum scrutari nullo strepente thesaurum; dulce est, bonum est. Homil 25 *ex Quinquaginta homil.*

S. BERNARD. 8. Desinat anima quandiu in terris est, quæ in cœlis sunt, curiosius investigare, ne forte scrutatrix majestatis opprimatur a gloria. *Prosec.*

9. Teipsum attende, et altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. Serm. 38, super *Cant.*

10. Formidolosa est scrutatio majestatis; at voluntatis tam tuta quam pia. *Ibid.*, serm. 62.

11. O custos cordis, si nondum es idoneus intrare ad temetipsum, quomodo ad illa rimanda idoneus eris, quæ sunt intra vel supra teipsum? prius redi ad te, quam rimari præsumas quæ sunt supra te. *De inter. domo*, cap. 65.

S. BONAV. 12. Scrutatio sacræ Scripturæ facienda est, cum diligentia, cum vehementia, cum reverentia, diligenter explorando, vehementer laborando, reverenter orando. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, vers. 2.

13. Humilitatis est scrutari, non imprudenter, non impudenter, sed prudenter; imprudenter scrutantur curiosi, impudenter luxuriosi, prudenter virtuosi. *Ibid.*, cap. 5, vers. 5, art. 4.

14. Perscrutatio nimia perducit ad insipientiam. Super *Ecclesiasten*, cap. 7, in illud : *Ne plus sapias*, etc.

15. Scrutamini Scripturas : scrutamini, inquam, acumine ingenii, subtilitate studii, diligentia scrutinii, et in lumine fidei : studium instantiam signat operis, scrutinium diligentiam meditationis. Super *Joan.*, cap. 5, in illud : *Scrutamini Scripturas*.

S. CYRILLUS ALEX. 16. Cave, ea quæ supra naturam sunt, curiosius inquiras. Homil. 12 *de Festis Paschal.*

S. DIONYS. AREOPAG. 17. Unusquisque majora altioraque se non debet intelligere; sed de iis solis, quæ ipsi pro captu permissa sunt cogitare. Epist. 8, *ad Demophilum monach.*

DIONYSIUS CARTHUS. 18. In feminis periculosa valde est profunda secretorum perscrutatio divinorum. *De mortificat. vivifica*, art. 11.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 19. Divina opera non discutienda sunt, sed credenda. Homil. 1 *de Symbolo*.

20. Quisque ille es, qui obscurorum profunda non fide, sed curiositate rimaris; hoc potius insinua cordi tuo, ut divinas dispensationes quanto difficilius investigare te videris, tanto reverentius admireris. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 21. Magna discretione opus est, ne velit quis divinam naturam rimari ultra quam potest. Super *Exod.*, cap. 19.

S. GREGOR. MAGNUS. 22. Humana mens perscrutari non valet divina secreta, et omne quod ratione perscrutari non potest, credere contemnit, et per inquisitionem nimiam in errorem labitur. Lib. 16 *Moral.*, cap. 27.

23. Cum spirituali a scrutari volumus, necesse est ut ab intentione nostra carnalia removeamus. *Prosec.*

24. Quia mens interna non penetrat, quam exteriorum actuum pulvis cæcat. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. 2.

HAYMO. 25. Quando mens infirmantium actiones curiose perscrutatur, a semetipsa recedit. Serm. 2, *Dom.* 3 *post Pent.*

S. HIERON. 26. Solent vicini non suam, sed alienam discutere vitam. In *Regula Monachor.*, cap. 19, *de Laude et Detract.*

HUGO A S. VICTORE. 27. Mala et pestilens curiositas est, quæ secretum alienum improbe scrutari contendit. Lib. 3, *de Arca Noe morali*, cap. 16.

28. Sunt nonnulli, qui scrutari arcana conantur, et inaudita cognoscere, multa scire, et nihil facere. Lib. 5, *Didasc.*, cap. 10.

HUGO CARD. 29. Scrutatur Deus secreta, corda, renes, prælatos, ecclesiam, religiones, peccatum, opera humana voluntatem, scrutatur diabolus carnem, bonos ad perdendum, sapientiam; scrutatur fatuus uxores alienas, opera Dei, majestatem Dei, opera

propria; scrutatur sapiens scripturas, confessores, latentia sua peccata. Super *Psalm.* LXIII.

30. Quidam scrutantur, ut sciant, hæc est curiositas; ut laudentur; hæc est vanitas; ut lucrentur, hæc est cupiditas; ut pervertant, ut hæretici; ut ædificentur, hæc est prudens humilitas; ut ædificent, hæc est charitas. Super *Psalm.* CXVIII.

31. Investigare quid de aliis dicatur, magnum periculum est : quoniam aliorum laus quandoque nos urit invidia, et infamia eorum quandoque nos inquinat, aut consensu, aut placentia. *Prosec.*

32. Vacare talibus, nihil aliud est, quam venena sitire, et cyniphes aut muscas venari.

33. Denique cum infamia fœtor sit et fama odor : qui talia perscrutantur, velut canes sunt, qui omnia sibi occurrentia olfaciunt, et ad singula nares suas applicant. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

ANNES YSOST. 34. Curiosus et nimius rerum divinarum perscrutator, nihil proficit, nihil invenit præter ultimum supplicium. Homil. 23, super *Joan.*

35. Aliorum facta curiose disquirere, impudentiæ singularis potissimum id argumentum est. Homil. 14, super I *Timot.*

36. Noli scrutari, o homo, causas proximi tui : sed si loquax es, et hoc vitio detineris, loquere quæ tua sunt ad Deum. Homil. 21, super *Epist. ad Hebr.*

37. Scrutari non semper ignorantis est, sed exacte cognoscere volentis. Homil. 7, super I *Cor.*

38. Erudire, o homo ! in terrenis, et iis quæ hic sint : cœlum autem non temere, nec curiose scruteris; et utinam cœlum, et non cœli Dominum. *Prosec.*

39. Terram non nosti, dic mihi, de qua es, in qua es, ex qua nutritus es, quam habitas, quam calcas : sine qua nec respirare potes, et ea quæ tam procul absunt, temere discutis ? Homil. 7, super I *Thess.*

JOAN. LIM. 40. Gravissimum est, velle abyssum judiciorum Dei curiose perscrutari. Grad. 26.

IDORUS ALENS. 41. Sic divina scrutare mysteria, ut semper ea cogites immensa. Lib. 1. *de Sum. bono.*, cap. 8, sent. 19.

42. Ea quæ sunt supra hominis intelligentiam, scrutanda non sunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1, sent. 7.

43. Sicut solis radius dum conspicitur, acies oculi hebetatur : sic et qui immoderate altiora se scrutatur, ab intentione veri obtunditur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 23.

LOQUUS EL. 44. Sordida mens sanctarum rerum quidquam utiliter perscrutari non potest. Lib. 1, epist. 304, *ad Chæremon.*

ACHAR. 45. Quanto plus volueris ratione sensum Dei scrutari ac penetrare, tanto plus in profundum descendes, et nihil comprehendes. Homil. 12. ÆGYPT. SEN.

46. Quod scire licet, discutere non licet : credere convenit, non convenit perscrutari. Serm. 49. S. PETRUS CHRYSOL.

47. Doctrinæ causa aliquid quærere ac sciscitari, perquam utile est. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 3, *Parall.*, cap. 73. PHILO JUD.

48. Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda : quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda : ne et in illis illicite curiosi, et in istis, damnabiliter inveniamur ingrati. Lib. 1 *de Vocat. gent.*, cap. 21. S. PROSPER.

49. Non appetamus habere cognitum, quod Deus voluit esse secretum : et ubi investigari non potest quare ita judicet, sufficiat scire quis judicet. *Ibid.*, lib. 2. cap. 21.

50. Extremæ dementiæ est, rationem arcanorum curiose indigare. Quæst. 68, super *Genes.* S. THEODOR.

51. Quod si curiosius aliquid inquirere libet ejusdem tuæ curiositatis compendium sit divinæ laudis et gloriæ celebratio. Serm. 6 *de Provident.*

52. Nihil tam utile est, ut Scripturarum diligens scrutatio. Super *Luc.*, cap. XVI, super illud : *Mittat eum in domum Patris mei*, etc. THEOPHYLACTUS.

53. Nemo curiose aliorum facta velit perscrutari, nemo alios inspiciendo, se negligat : sed ante omnia curam sui gerens de reliquis taceat, quæ ad ejus commissionem non spectant. Serm. 3 *ad Novit.*, divis. 1. THOMAS A KEMPIS.

54. Quæ supra nos nihil ad nos. In suis *sententiis*, sent. 1. SOCRATES.

Vide etiam tit. *Curiositas*, sent. 35; *Invenire*, sent. 33, 34; *Judicium Dei*, sent. 40; *Mysterium*, sent. 24, 36; *Sapientia*, sent. 95.

## SECRETUM IN GENERE.

*Definitio.* Secretum est omne quod a nemine, vel a tam paucis scitur, ut neque sit famosum, neque notorium. COLLECTOR.

### SENTENTIÆ PATRUM.

1. Non est fragilitatis nostræ, cœlorum secreta discutere. *De fide et symbol.*, cap. 6. S. AUGUST.

2. Boni per malorum acumina vanitatis, diligentius arcana veritatis inquirunt. Lib. 1 *contra advers. legis*, cap. 6.

3. Cruciant me cordis arcana. Lib. *Medit.*, cap. 4.

4. Secretum Dei intentos debet facere, non adversos. Tract. 27, super *Joan.*

5. Quædam secreta nimis abdita, cum dici a docente possint, portari a discente non possunt. Tract. 97 super *Joan.*

6. Regni Dei arcana et secreta prius quærunt

credentes, quo faciant intelligentes. Homil. 32 *ex Quinquag. Homil.*

S. BERNARD. 7. Quid tam amicum verecundo animo, quam secretum? porro secretum et nox et lectulus habet. Serm. 86, super *Cant.*

8. Secretum consilium, secretum quærit auditum. Epist. 107 *ad Thomam præposit.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 9. Sancta anima, quæ secretum suum custodire voluerit, assiduitatis malum tota animi virtute fugiat. Epist. *Ad quosdam.*

CASSIODOR. 10. Licet nobis multo celsiores sint potestates cœlorum, nulli tamen creaturarum datum est cogitationum nostrarum plenissime secreta cognoscere. Super *Psalm.* VII, vers. 10. *Scrutans corda,* etc.

DIONYSIUS CARTHUS. 11. In feminis periculosa valde est profunda secretorum perscrutatio divinorum. *De mortificat. vivifica.*, art. 11.

S. GREGOR. MAGNUS. 12. Qui occulta et intima quærit, et exteriora non deserit : ea quæ nescit adire, non invenit. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. IV.

13. Secreta non habemus aliunde, quam ex eo quod non omnibus fidem habemus. Serm. 8, super *Epist. ad Ephes.*

S. LAURENT. JUSTIN. 14. Ex charitatis refrigeratione nascuntur secreta. *Ibid.*

15. Ubi incomposita est lingua, ibi nil potest esse occultum. *De discipl. Monast. conversat.*, cap. 15.

PHILO JUD. 16. Est primum et efficacissimum, quod nemo secretum recte committit ebrio. *De Plant. Noe.*

## SECRETORUM REVELATIO.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAGNUS. 1. Familiaris est Dominus simplicibus, quibus non dedignatur arcana sua revelare. In *Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtute*, cap. 30.

2. Peccat Deo, qui commissa sibi secreta mysteria, putaverit indignis esse vulganda. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 2, vers. 3.

S. ANTONIN. 3. Non unicuique manifestes secreta tua, sed tali qui possit, et velit juvare. Part. 4, tit. 5, cap. 20, § 7.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. Qui confessionem, non dico verbo (quod pejus est omni homicidio) sed signo vel alio quocunque modo occulto, vel manifesto, irrisorie, vel applausorie denudant et manifestant (audacter dico) gravius peccant proditore Juda, qui Dei Filium Judæis vendidit. Serm. 2 *Dom.* 1 *Quadrag.*

S. AUGUST. 5. Nullum procedit rei alicujus ex ore corporis verbum, cujus est in corde silentium. *De continent.*, cap. 1.

6. Secretorum revelatio, quia nihil est turpius, nihil execrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos, sed omnia replens amaritudine indignationis, et odii atque doloris felle cuncta aspergens, omnino cavenda est. *De Amicitia,* cap. 13.

7. Amicorum revelare secreta, sacrilegium est : quo fides amittitur, et animæ captivatæ desperatio importatur ; ut patet in Achitophel proditore. *Ibid.*

8. Ad securitatem spectat, sine timore et suspicione omnium consiliorum inter amicos, et secretorum revelatio. *Ibid.*, cap. 17.

9. Omne secretum quod sobrietas custodit, temulentia publicat. *De Sobrietate,* cap. 3.

10. Res quæ nunquam debet de corde discedere, nec ab ore discedat. Tract. 7 super *Epist. Joan.*

V. BEDA. 11. Secreta Regis celare, bonum est, magnalia autem Dei revelare, honorificum. In suis *Prov.*, verbo *Secreta.*

S. BERNARD. 12. Proditor secretorum, et tenax malarum suspicionum, utrobique perversus est. *De Inter. domo,* cap. 31.

13. Nullum secretum est, ubi ebrietas est. Serm. 25, *ad Sororem.*

S. BONAV. 14. Qui secreta revelat, est sicut saccus sine fundo, et sicut vas sine opertorio. Tit. 3 *Diætæ*, cap. 7.

CASSIODOR. 15. Magni secreti dignitas, densiore velamine pertegatur. Super *Psalm.* CVII.

S. CYPRIAN. 16. Gloriosi ducis est, commissa sibi signa servare. Epist. 73 *ad Jubaianum.*, cap. 3.

S. EPHRÆM. 17. Nihil illo homine miserabilius, qui secretum nullum tegit, sed ad arcana detegenda ac prodenda est promptissimus. *De iis qui carent longanimitate.*

GLOSS. IN. 18. Frustra quæris ab hominibus in terra, quod solus Deus novit in cœlo. Super *Daniel.*, cap. 2.

HAYMO. 19. Quanto magis Sancti in præsenti vita affliguntur, eo amplius illis secreta cœlestia manifestantur. Super *Apocal.*, cap. 1, in illud : *Quæ dicitur Pathmos,* etc.

S. HIERON. 20. Secreta cordis motu corporis, et gestibus indicantur. Lib. 3 super *Ezech.*, cap. 8, super illud *Matth.* XII : *Ex abundantia cordis os loquitur.*

21. Si quis voluerit tuis misceri amicitiis : et hunc videris prioris amici pandentem secreta, hunc veluti perfidum cave. Lib. 2 super *Prov.*, cap. 20, super illud : *Et qui revelat mysteria.*

HUGO A S. VICTORE. 22. Affabilitas familiarem facit, familiaritas secretum aperit, apertio secretorum amicitiam servat. Lib. 3 *de Claustro animæ*, cap. 5.

JOAN. CASS. 23. Ad seniores semper sunt summa diligentia cuncta quæ in cordibus oriuntur, sublato confusionis velamine, decelanda. Collat. 2 *Abbat. Moysis*, cap. 11.

S. JOANNES CHRYSOST. 24. Ne dixeris ea quæ nosti, sed sile, si vis bonum nomen habere. Homil. 4 super *Acta Apost.*

25. Caveas secretorum revelationem; si quidem fugatur amicus, maxime si secreta illius revelaveris. Serm. 9 super *Epist. ad Ephes.*

26. Si omnes fuerimus amici, nihil opus erit secretis : et si charitas nobis fuerit, non erit inter nos secretorum revelatio. *Ibid.*

27. Ubi nulla sunt secreta, ibi non potest esse ex secretorum revelatione amicitiæ diremptio. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 28. Non omnibus ea quæ sunt clausa, aperienda sunt. Lib. 5, *de Sum. bono,* cap. 48. sent. 3.

S. LAURENT. JUSTIN. 29. Citius panduntur secreta precibus, quam studio. *De ligno vitæ,* tract. 13, *de Orat.,* cap. 2.

PETRUS BLESENS. 30. Mysterii, vel secreti revelatio execrabilis est. *De amicitia,* cap. 12.

S. PETRUS DAMIANUS. 31. Stultus quidquid occultum est, per impatientiam fandi, producit in medium ! prudens, si dictet utilitas, sub clave silentii servat arcanum. Lib. 6, epist. 27 *ad Petr. Cerebros. monach.*

S. THOMAS AQUINAS. 32. Loquaces homines ea, quæ silentio premi debebant, evomentes, linguæ prurigine quodammodo laborantes, in aures auditione indignas profundunt. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 2; *Parall.,* cap. 84.

33. Revelare secreta in malum personæ, est contra fidelitatem. 2, 2, quæst. 68, art. 1.

34. Non omnino est secretum, quod per sufficientes testes potest probari. *Ibid.*

IN VIT. PATR. 35. Quacunque hora tegimus peccatum fratris nostri, teget etiam Deus nostrum : et quacunque hora prodiderimus culpas fratrum, et Deus nostras similiter prodet. Lib. 5, libell. 9, num. 6.

SENECA. 36. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Ebrietas,* sent. 16; *Mysterium,* sent. 27.

## SECULUM, SECULARIS.

GLOSS. ORD. *Etymologia.* Sæcula dicuntur a sequendo, eo quod sequuntur in semet redeundo, ac revertendo. Super *Epist. ad Hebr.,* cap. 1, in illud : *Per quem fecit et sæcula.*

HUGO A S. VICTORE. Sæculum dicitur a sequendo, quia unum sequitur post aliud. Super *Epist. ad Rom.* in illud : *In sæcula sæculorum.*

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio.* Sæculum nihil est aliud, quam periodus cujuslibet rei. Part. 1, *Summæ, quæst.* 10, art. 2, in corp. ad 1.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quid mihi prodest carere sæcularibus, nisi fuero mitis et mansuetus? Lib. 5, super *Luc.,* cap. 6, in illud : *Beati mites.*

2. Non mediocre periculum est, si cum habeas tanta eloquia Dei, loquaris quæ sæculi sunt, audias quæ sæculi sunt. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 22, vers. 4.

S. ANTONIN. 3. Malus sæcularis est vere mortuus, et bonus regularis vere vivens. Part. 1, tit. 5, cap. 1, § 13.

S. AUGUST. 4. Vana sæculi hujus, si inexperta concupisti, experta contemnas : fallax est enim in eis suavitas, et infructuosus labor, et perpetuus timor; et periculosa sublimitas, initium sine prudentia, et finis cum pœnitentia. Epist. 82, *ad Largum.*

5. Amatores hujus sæculi, quando res velut prosperas habent, fastu respuunt salubres monitus, et quasi anilem reputant cantilenam : quando autem in adversis agunt, magis cogitant evadere unde ad præsens anguntur, quam capere unde curentur, et unde perveniant ubi angi omnino non possint. *Ibid.*

6. Mare hoc sæculum est, non solum tempestatibus scopulisque periculosum, verum etiam bestiis cupiditatum insidiantibus abundans. *De Cataclysmo.,* cap. 1.

7. Amas sæculum, absorbebit te : amatores enim suos vorare novit, non portare. *De Verbis Dom.,* serm. 13.

8. O vita sæculi quæ tantos decipis, de propriis tantos seduxisti, tantos excæcasti, quæ dum fugis nihil es, dum videris umbra es, dum exaltas fumus es : dulcis es stultis, amara sapientibus, timenda es et fugienda. *Prosec.*

9. Sæculum vanum est dum multa promittit, decipit eum qui ejus amicus voluerit esse, inimicus Dei constituetur, amicitia enim sæculi, inimicitia Dei est.

10. Vita sæculi, vita atrocissima, quam honores tumidant, dolores æstuant, aeres morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci solvunt.

11. Vitam sæculi tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ superbiunt, paupertas ejicit, juventus extollit, senectus incurvat, frangit infirmitas, mœror consumit, et super his omnibus mors atrocissima succumbit vi furibunda. Serm. 49 *ad fratr. in Eremo.*

12. Homines non valent causas contexere sæculorum priorum, quas experti non sunt, cum his quas experti sunt. Lib. 3 *Conf.,* cap. 7.

13. Ibam per viam sæculi latam, nec deserebas me. *Ibid.,* lib. 6, cap. 5.

14. Nostras orationes sæpe sauciat et debilitat caligo, et tumultus sæcularium. Epist. 81.

15. Omnis creatura non ante sæcula, sed a sæculis : unigenitus autem ante sæcula, per quem facta sunt sæcula. Lib. 5 *de Gen. ad lit.,* cap. 19.

16. Sæcularia dicuntur multa, quæ in hoc sæculo sic aguntur, ut brevi etiam tempore transeant. Lib. 16 *de Civit. Dei,* cap. 26.

17. Sæculorum ordo tanquam pulcherrimum carmen est. *Ibid.*, lib. 11, cap. 18.

18. Nemo potest transire mare hujus sæculi, nisi cruce Christi portatus. Tract. 2 super *Joan.*

19. Lætitia sæculi vanitas. *Ibid.*, tract. 7.

20. Populus fidelis non novit gaudere de sæculo. *Ibid.*

21. Iter hujus sæculi molestum est, plenum est tentationibus; in rebus prosperis ne extollat, in rebus adversis ne frangat. *Ibid.*, tract. 12.

22. Si sæculum non amaremus, ad eum qui nos vocavit, pia mente perpetuo pulsaremus. *Ibid* tract. 40.

V. BEDA. 23. Amor sæculi, contemptus est Dei : amor sæculi, thesaurizat morti. In suis *Prov.*, verbo *Amor.*

S.BERNARD. 24. In hoc sæculo, conculcat fortior minus fortem ; ridet sapiens indoctum; simplicem fallit astutus; potens despicit imbecillem. Serm. 2, *Nativit.*

25. Minus damnabile est in sæculo perire, quam in monasterio. Serm. 2, *de S. Michaele.*

26. Quid tibi cùm sæculo, qui sæculum sprevisti? Epist. 2, *ad Fulconem.*

27. Multo facilius reperies multos sæculares converti ad bonum, quam unum quempiam de religiosis transire ad melius. Epist. 96, *ad Richard. abbat.*

28. Mare, sæculum est; naves, Ecclesiæ. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

29. In sæculo est Vita laboriosa, vita criminosa, vita carnalis, vita terrestris, vita turbulenta vita litigiosa, vita contentiosa, vita diabolica, vita luxuriosa, vita vitiosa, vita plena vitiis, vita iniquitatis. Serm. 20, *ad Sororem.*

CASSIODOR. 30. Lacus hoc sæculum est, qui quasi delectabilis ac tranquillus creditur; sed quas profunditates et mensuras habeat ignoratur. Super *Psalm.* XXVII, vers. 1, *Descendentibus in lacum.*

31. Odio debent esse, quæ sæculi sunt, ut rebus cœlestibus totus impendatur affectus. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Odivi omnem viam iniquitatis.*

S. CYPRIAN. 32. Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 10.

33. Vinci a sæculo non potest, qui unde vincatur in sæculo non potest. *De Lapsis*, cap. 5.

34. Molestiis et laqueis sæcularibus obligari non debent, qui divinis rebus et spiritualibus occupati sunt. Epist. 66, *ad Clerum et plebem Furnitanorum.*

DIONYSIUS CARTHUS. 35. Quid tam vile, tam impium, tamque horrendum et fugiendum quam sæculum? *Prosec.*

36. Quid tam injuriosum, tam ingratum, tam insensatum, imo tam furibundum ac stultum, quam sæculum! In *Exhort. ad Novitios*, art. 1.

37. Non potest ad divinæ contemplationis dulcedinem, cor sæcularibus plenum negotiis aspirare; sed oportet ut sæculo moriatur. *De Mortificat. vivifica.* art. 12.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 38. Magnam sæculo rapit prædam, qui se abstrahere contendit e sæculo. *Serm. de castigat.*

GLOSS. ORD. 39. Præsenti sæculo quasi tabernaculo utimur. Super illud *Isaiæ* 38 : *Quasi tabernaculum pastorum.*

S. GREGOR. MAGNUS. 40. Plerumque ex actione sæcularium confunditur vita Religiosorum. In præfat. *Moral.*, in cap. 2.

41. Qui præ amore præsentis sæculi a sensu rationis alienus est, dum quidquid pro mundo sustinet, leve reputat, laboris amaritudinem quam tolerat ignorat. Lib. 7 *Moral.*, cap. 8.

42. Omnes hujus sæculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles. *Prosec.*

43. Nam pro temporali gloria usque ad mortem desudare appetunt, et pro spe perpetua ne parum quidem in labore subsistunt.

44. Pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, et pro cœlesti mercede, vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant.

45. Terreno judici toto etiam die assistere, fortes sunt, in oratione vero coram Domino, vel unius horulæ momento lassantur. *Ibid.*, lib. 19, cap. 19, num. 25.

46. Repente alta sæculi corruunt, pulchra transeunt, læta et prospera evanescunt. Lib. 5, in I *Regum*, cap. 3, super illud : *Et servite Domino.*

47. Qui in amore cœlestium fixus, sæculum perfecte despexerit, nulli omnino vanitati succumbit, nulla hunc adversitas dejicit, nulla prosperitate corrumpitur, flagellis proficit. In *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* II, vers. 13 : *Sperantem autem in Domino.*

S. HIERON. 48. Facile sæculi rumpit vincula amor Dei, et gehennæ timor. Epist. 1 *ad Heliodor.*

49. Quid agis, frater in sæculo, qui major es mundo? *Ibid.*

50. Delicatus es frater, si et hic vis gaudere cum sæculo et postea regnare cum Christo. *Ibid.*

51. Quando eras in sæculo, ea quæ erant sæculi diligebas : nunc autem, quia sæculum reliquisti, serva fœdus, quod pepigisti. *Ibid.*, Epist. 8, *ad Demetriad.*

52. Noli inter sæculares esse monachus, et inter monachos sæcularis. Epist. 35, *ad Julian.*

53. Difficile, imo impossibile est, ut in utroque sæculo quis primus sit, ut et in cœlo et in terra appareat gloriosus. *Ibid.*

54. Proh pudor! fragilior sexus vincit sæculum, et robustior superatur a sæculo. Epist. 46, *ad Rustic.*

55. Sæculum est ut mare impatiens natura, et sine ventis inflatum, erigens scilicet in ipsa tranquillitate minaces atque terribiles fluctus. Epist. 6, *ad Amicum.*

56. Nihil fugacius sæculo, rebusque sæculi : quas dum tenemus, amittimus. Lib. 3, super *Amos*, cap. 6, super illud *Psalm.* LXXX. : *Jubilate Deo*, etc.

S. HILARIUS

57. Rem sæculi famulus Dei, non sine sæculi ipsius vitiis assequetur. Super *Matth.*, can. 19.

HUGO A S. VICTORE.

58. In hoc sæculo diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro delectatur, anima excæcatur, totus homo conturbatur. Lib. 4. *de Anima.* cap. 5.

S. JOANNES CHRYSOST.

59. In præsenti sæculo omnis lætitia periculosa est, omnis securitas casibus plena, omnis jucunditas laqueis impeditur. Hom. *de Eo quod scriptum est in lect. judic.*, cap. II.

60. Qui sæcularibus rebus servit, et illis deditus in proposito perseverat, necesse est ut ille cœlestem amittat thesaurum. Homil. 64, super *Matth. oper. perf.*

61. Crebra pericula in sæculo sunt, alia super alia detrimenta semper accedunt, spes tenuis, magna tam pecuniarum, quam corporis servitus sollicitudoque animi continua. *Ibid.*, homil. 68.

62. Vinculum hujus sæculi est terrenarum rerum affectio. Homil. 69, super *Joan.*

63. Quemadmodum spina ubicunque tangitur, tangentem pungit : ita sæcularia, ubicunque comprehenderis, lædunt. *Ibid.* 87.

64. Nulli est dubium inimicum esse sæculum sanctis Domini. Quis enim sanctorum in sæculo persecutionem non fuit perpessus, aut ab inimicis jugulatus? Serm. 1 *de Martyrib.*

65. Nemo diligitur a sæculo; nisi qui execrabilis fuerit Deo. *Ibid.*

66. Figura hujus sæculi depressa est, vilis, temporalis, nihil habens sublime, nihil stabile, nihil recti : sed omnia perversa. Serm. 20, super *Epist. ad Rom.*

67. Sicut spina undecunque capiatur, tenentem pungit; sic sæcularia undecunque detineas amplectentem se, vel foventem contristant. Homil. 32, *ad Popul. Antioch.*

68. Sentite præsentis sæculi fragilitatem, quam instabilis sit, quam cito fugiat omne quod in eo magnum videtur, quamque fluxus et corruptibilis sit illius status, ita ut omnia tanquam in scena agantur et mimo. Lib. 1, *de Sacerd.*

69. Qui post abrenuntiationem, cum sæcularibus versatur : in eosdem laqueos, in quos sæculares incidunt, incidet. Gradu 3.

S. ISIDORUS HISPALENS.

70. Satis rarum est, ut qui inter sæculi voluptates positus est, a sæculi vitiis maneat illibatus, in quibus etsi non cito implicetur, aliquando tamen attrahitur. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 17, sent. 2.

71. Curæ sæculares mentes exagitant : si ergo vis esse quietus, nihil sæculi appetas; semper mentis enim requiem habebis, si a te sæculi curas abjeceris. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 17.

72. Qui in rerum sæculi amore defigitur, in Deo nullatenus delectatur : nemo potest amplecti Christum, simul et sæculum. *Prosec.*

73. Difficile est Deum simul et sæculum diligere, utraque simul amari æqualiter non possunt.

74. Propter Deum ergo renuntia omnibus, a sæculi curis te propter Deum suspende.

75. Sine impedimento sæculi, Deo servire stude.

76. Nullus te amor sæculi a Dei amore separet, nulla te sollicitudo rerum sæcularium ab intentione Dei suspendat. *Ibid.*

S. LAUREN. JUSTIN.

77. Nemo se decipiat, nullusque inanis spei seducatur fallacia, putans in sæculo facile se posse salvari. *De contemptu mundi*, cap. 15.

78. Sæcularium quam periculosa sit vita percipitur, quorum conversatio socialis est cum peccatoribus, cupidis, elatis, incompositis, et moribus effrænatis. *De compunct. et complanct.*, cap. 2.

S. NILUS.

79. Sæcularium conversationes mentem a Deo segregant : quapropter ipsos nec alloquere, sed alloquentes declina. Paræenes. 88.

PETR. BLES.

80. Nemo dicit anathema sæculo, nisi in Spiritu Dei. Epist. 137, *ad Alexandr. de S. Albano.*

S. PETRUS DAMIANUS.

81. Sæcularibus relinquatur sæcularia jura componere, satis sit servis Dei perituro huic mundo se mortuos exhibere. Opusc. 12, cap. 27.

TERTULL.

82. Nihil interest, ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis. *Ad Martyr.*, cap. 2.

83. Omnia imaginaria sunt in hoc sæculo, et nihil veri. *De Corona militis*, cap. 13.

S. THOMAS AQUINAS.

84. Sæcularis vitæ consuetudo consiliis observandis impedimentum præstat. *Contra retrahentes ab ingressu Relig.*, cap. 6.

IN VITIS PATR.

85. Sæculi vita diaboli hamus est, execranda voluptate, tanquam illecebra quadam obductus, per quam eos, qui in fraudem inducuntur, ad imum inferni gurgitem trahit. Lib. 1, in *Vita Barlaam et Josaphat*, cap. 25.

Vide etiam tit. *Deliciæ*, sent. 7; *Fructus*, sent. 37; *Intentio*, sent. 11; *Monachus*, sent. 139; *Mortificatio*, sent. 18, 20; *Occupatio*, sent. 8; *Religiosus*, sent. 179; *Relinquere*, sent. 221; *Renuntiatio* in genere, sent. 1, 35, 36, 37; *Vanitas*, sent. 48; *Victoria* in genere, sent. 46.

## SECURITAS.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia*. Securus dicitur, quasi sine cura. Lib. 10, verbo *Securus*.

S. BONAV. *Definitio*. Securitas est habitus secundum quem imminentes incommoditates, et rei inchoatæ affines non formidantur. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 43.

S. THOMAS AQUINAS. Securitas est quædam perfecta quies animi a timore. 2, 2, quæst. 129, art. 7.

S. BERNARD. *Productio*. Securitas negligentiam parit; et sæpe incautum ad vitia transacta reducit. *De inter. domo*, cap. 45.

S. BONAV. Ex securitate nascitur voluptas. Super *Ecclesiasten*, cap. 9.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Dei favore ubique tutus esse quisque potest: offenso autem Domino, etiam domi non potest illæsus nec securus manere. Lib. 1 *Offic.*, cap. 24.

2. In omnibus actionibus, in quibus tibi es bene conscia, nunquam audeas esse secura. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem*.

S. ANTONIN. 3. Ille vere est securus, qui seipsum possidet, et ab exterioribus non movetur. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 2.

S. AUGUST. 4. Timor insolita et repentina exhorrescit, rebus quæ amantur adversantia, dum præcavet securitati. Lib. 2 *Confess.*, cap, 6.

5. Nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur; ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Lib. 10 *Conf.*, cap. 32.

6. Nemo securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere. Lib. 2, *de Lib. arbitrio*, cap. 14.

7. Loth exercitio malorum probatus, inter Sodomitas sanctus fuit: in monte vero securitate torpens inebriatus, cum filiabus suis peccavit. *De conflictu vitior. et verit.*, cap. 14.

8. Nemo perverse sit securus: ista enim duo occidunt animas; aut desperatio, aut perversa spes. *De verb. Dom.*, serm. 59.

9. Nemo est tanta firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus. Serm. 2, in *Sabbato post Dominic. Quinquag.*

10. Periculossima est in ultimum diem promissa securitas. Serm 1, *fer.* 3, *post Dom. Palmar.*

11. Tardum cor securum est. Epist. 216.

12. Securus es de Deo, quod non mutatur, de homine autem nemo prudenter securus est. *De Catechiz. rud.*, cap. 25.

13. Infirmis animis hostis securitas. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 30.

S. BERNARD. 14. Cavendum est ne quis ubi summum periculum est, insana sit temeritate securus. Serm 3, *Dedicat. Ecclesiæ*.

15. Nusquam est securitas, neque in cœlo, neque in Paradiso, multo minus in mundo: In cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia divinitatis, Adam in Paradiso de loco voluptatis, Judas in mundo de schola Salvatoris? Serm. *de Ligno, fœno, et stipula*.

16. Quid tutum in Babylone, si Jerusalem manet scrutinium. Serm. 55, super *Cant.*

17. Si vis pacem et securitatem veram habere, vide ne unquam securus sis: sciens pro certo nihil tibi tam timendum sicut præsentem securitatem, quæ sine dubio æternum generat timorem. Lib. *de Passione Dom.* cap. 22.

18. Quanto sumus securi de præteritis, tanto debemus esse solliciti de futuris. Serm. 55, *ad Sororem*.

S. BONAV. 19. Adeptio veritatis, est vera securitas. Super *Sap.* cap. 6.

20. Bona est securitas, ubi bona est custodia. Serm. 1 *Dom. in octava Paschæ*.

S. CYPRIAN. 21. Nemo diu tutus, periculo proximus. Epist. 62, *ad Pomponium*. cap. 1.

S. DOROTH. 22. Qui vere salvari optat, nullo tempore usque ad ultimum spiritum de se debet esse securus. Doctrina 22.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 23. Qui in securitate vitiis deditus est, in libertate captivus est. Homil. in *Litaniis*.

S. FRANCISC. ASSISIAS. 24. Ex nimia securitate minus cavetur hostis. In suis *Opusc.* collat. 6.

GLOSS. INT. 25. Innocens semper securus est. Super *Job*, cap. xv.

S. GREGOR. MAGN. 26. Sæpe quem tentationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas stravit. Lib. 2, *Moral.*, cap. 27.

27. Sæpe mens dum de virtutis suæ severitate resolvitur, insidiante adversario, inopinatæ culpæ telo perforatur. *Ibid.*, lib. 9, cap. 7.

28. Electi quique quamdiu in vita sunt, securitatis sibi confidentiam non promittunt. *Ibid.*, lib. 20, cap. 5.

29. Sæpe multis grave periculum, incauta securitas fuit, ut callidi hostis insidias non tentati, sed jam prostrati cognoscerent. *Ibid.*

30. Dum mens secura redditur, in torporem laxatur. *Ibid.*, lib. 1, cap. 17.

31. Minus in quanto sit tentationum bello considerat, qui se per securitatem relaxat. *Ibid.*, lib. 2, cap. 10.

32. Sicut malis præsens securitas labor est, ita bonis præsens labor perpetuam securitatem parit. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12, super illud Job. XI : *Et defossus securus dormies.*

33. Apud semetipsum in labore timoris deficit, qui securitatis sociam viam relinquit. *Ibid.*, lib. 12, cap. 21, num. 20.

34. Sunt impii, qui ita securi sunt quasi justorum facta habeant, perversa mente gaudent in facinoribus, per culpam suam quotidie ad supplicium trahuntur, et securi sunt. *Ibid.*, lib. 16, cap. 25, num. 29.

35. Grave periculum est incauta securitas, et valde utile, etiam cum stamus, formidare ruinam. *Ibid.*, lib. 20, cap. 5.

36. Conversio securitatem parit : mater autem negligentiæ solet esse securitas. *Ibid.*, lib. 24, cap. 7.

S. GREGOR. NYSS.

37. Nihil pejus est, quam securitatis gratia multa percurrere. In *Apologet. de Sua fuga.*

38. Melius est in periculis esse, quam secure agere. Epist. 50, *ad Cæsarium fratr.*

S. HIERON.

39. Sanctus securus esse non debet, quamdiu in hujus vitæ agone versatur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

40. Timor virtutum custos est : securitas ad lapsum facilis. Epist. 5, *ad Fabiolam.*

41. Apud Christianos securitas periculis emitur. Epist. 6, *ad Amicum.*

42. Ubertas securitatem, securitas negligentiam, negligentia contemptum parit. Lib. 9, super *Hierem.*, cap. 32, super illud : *Qui posuisti signa*, etc.

HUGO A S. VICTORE.

43. Sicut justus in supplicio est securus, ita impius in securitate est pavidus. Lib. 2, *de Arca Noe morali.*, cap. 5.

HUGO CARD.

44. Res quæ habetur in sinu, secura est. Super *Luc.*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST.

45. Multo magis laboriosum est in securitate concupiscentias vincere, quam in periculo divitias posse contemnere. Homil. 31, super *Matth. oper. imperf.*

46. Qui in malitia vivit, omni caret securitate Homil. 9, super I *Cor.*

JOAN. TRITH.

47. Nunquam prudenter in securitate præsumitur, cum periculum non vitatur. Part. 1, *de Regione claustr.*, tract. 2, reg. 2, art. 7.

48. Securitas periculo proxima est. *De vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 4.

S. ISIDORUS HISPAL.

49. Periculosa est securitas in hac vita malorum; et bonorum dolor tranquillus : nam iniquus post mortem ducitur cruciandus, justus vero dormit post laborem securus. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 1, sent. 8.

50. Quamvis quisquis sit justus, nunquam necesse est ut sit in hac vita securus : sed semper humilis caveat, ne in fine corruat. *Ibid.*, cap. 5, sent. 15.

51. Nullus in hac vita securus est, ut ille, qui nihil præter Christum appetit possidere. *De conflictu vitior. et virt.*

S. LAURENT. JUSTIN.

52. Solus ille securus incedit, qui sub ducatu graditur verbi Dei. In *Fascicul. amoris*, cap. 2.

53. Multi pereunt securitate : pericula quippe hominem circumspectum, vigilantem, sollicitum et robustum faciunt : securitas dormitantem, lentum, impudentem et remissum. *Prosec.*

54. Sed donec viget fames, donec vivit caro, donec diabolus insidiatur, noli esse securus, nullum locum, nullum tempus invenies, in quo valeas esse securus. *De Discipl. Monast. conversat.*, cap. 14.

PETRUS BLESENS.

55. Securitas est, quæ non timet calumnias proximorum, non insidias latronum, nec impetus hostium. Serm 31, *de S. Augustino.*

S. PETRUS CHRYSOL.

56. Cui deest securitas, quies perit. Serm. 22.

S. PROSPER.

57. O quantum securitatis habent, qui sibi bene sunt conscii ! et quantum perturbatos humiliat perpetratio pudenda peccati ! Lib. 2, *de vita contemplat.*, cap. 18.

[illegible]

58. Securitas sine abundantia est securitas egestatis, abundantia sine securitate, est abundantia plena timoris et periculi. Super *Psalm.* CXLVII, vers. 2.

SALVIANUS.

59. Qui securitate nimia vitiantur, desinunt esse perditi, cum destiterint esse securi. Lib. *de Gubern. Dei.*

60. Nemo sibi in vita, in morte, in dono blandiatur, pœnalis est homini ac perniciosa securitas. *Ibid.*, lib. 4, *ad Eccles. Cathol.*

TERTULL.

61. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam et firmam securitatem : at qui sollicitus est, is vere poterit esse securus. *De cultu fœminar.*, cap. 2.

THOMAS A KEMPIS.

62. Semper Sanctorum securitas plena timoris Dei extitit, nec eo minus solliciti et humiles in se fuerunt, quia magnis virtutibus, et gratia emicuerunt. *Prosec.*

63. Pravorum autem securitas, ex superbia et præsumptione oritur, et in fine in deceptionem suiipsius vertitur. Lib. 1, *de Imit. Christi.*, cap. 20, sect. 3.

64. Nunquam promittas tibi securitatem in hac vita, quamvis bonus videaris cœnobita, aut devotus Eremita. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA.

65. Securitas securitate mutua paciscenda est. Lib. 1, *de Clementia ad Neron.*, cap. 19.

66. Securitatis magna portio est, nihil inique facere. Epist. 105.

67. In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, et contra injurias fortunæ inter beneficia firmetur. Epist. 18.

Vide etiam tit. *Certamen*, sent. 67; *Confidentia*, sent. 26; *Frui*, sent. 4; *Laqueus*, sent. 45; *Osculum*, sent. 20; *Periculum*, sent. 41, 43, 44; *Prosperitas*, sent. 17; *Sæculum*, sent. 59; *Temporale*, sent. 25; *Timor Dei*, sent. 40.

## SEDUCTIO.

HUGO CARD. *Etymologia*. Seductio est seorsum ducere. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 6.

DIONYSIUS CARTHUS. *Definitio*. Seductores sunt omnes, qui vitiosis exemplis, pravis suggestionibus, blandis promissionibus, aut comminationibus, seu alio quovis modo, proximos suos decipiunt. Super 1 *Joan.*, cap. 2, art. 2 in illud : *Qui seducunt vos.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Sunt qui seducunt per philosophiam, magno et blando, et honesto nomine colorantes, et fucantes errores suos. Lib. 3, cap. 4.

2. Ad quod aliquando persecutor proferebat flammam, ad hoc tu producis linguam : seducendo facis, quod ille occidendo non fecit. Tract. 5, super cap. 1, *Evang. Joan.*

3. Seducere, decipere est, nec Christus seductor, nec Apostoli ejus, nec quisquam seductor debet esse Christianus. *Prosec.*

4. Seducere aliunde aliquem ad aliud persuadendo, ducere est. Si a malo ad bonum, bonus seductor est : si a bono ad malum, malus seductor est. *Ibid.*, tract. 29, de cap. 7.

5. Hæreticus seductus multos seducere cupit, alios pecunia, alios potentia : tales sibi congregat, quos plurimum secum simul perdat. Serm. 1 *Dom.* 5, *post Epiph.*

6. Quid tam miraris, si te seducit inimicus, quando tuiipsius seductor es? Serm. 11, *Dom.* 5, *post Epiph.*

7. Etiamsi sapiens primus homo factus est, potuit tamen seduci. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 34.

8. Calcabat me inimicus invisibilis; et seducebat me, quia ego seductilis eram. Lib. 2, *Conf.*, cap. 3.

9. Iste mundus tanta rerum labe contritus est, ut etiam speciem seductionis amiserit. Epist. 45.

10. Non te seducat filius falsitatis, si filius es veritatis. *De Cantico novo*, cap. 5.

11. Habitare vult diabolus corda hominum, et loqui ibi omnia, quæ valent ad seductionem. Tract. 4, super *Epist. Joan.*

S. BERNARD. 12. Seductor ut vendat, cum amaritudine blanditur. *Ibid.*, tract. 7.

13. Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori. Serm. 77, super *Cant.*

14. Turpe est falsitate posse seduci, et veritate reduci non posse. Epist. 232.

15. Sicut magna crudelitas est affligere ægrotantes; sic magna perversitas est, seducere simplices. Super *Luc.*, cap. 17. S. BONAV.

16. Usitatum est hosti, homines ad prunas seducere : ibi Dominum negavit Petrus. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 32.

17. Diabolus obsessa semel pectora, mollissimis seductionibus decipit. Homil. 3, *Epiphaniæ*. S. EUSEBIUS

18. Seductor sæpe sanctitatem simulat, ut ad iniquitatem trahat. Lib. 25, *Moral.*, cap. 14, num. 20. S. GREGOR. MAGNUS.

19. Seductiones venenatis verborum sagittis animas inficiunt. Lib. 20, in *Registro* ind. 5, cap. 38, epist. 38, *ad Firmin. Episc.*

20. Qui seduci possunt, quandoque non reversuri possunt. Et hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2; *de Pœnit.*, dist. 2, can. *Citius*.

21. Periculosior est persecutio seductoris, quam aperte sævientis. Super *Psalm.* LXIX. HUGO CARD.

22. Magis insistit diabolus, satagit, et laborat, ut seducat magnum, quam parvum; justum, quam impium; sapientem, quam fatuum; ut seductione magni seducantur et parvi; ut in seductione justi, seducantur et impii; ut in seductione sapientis, seducantur et fatui. Serm. 1, *Dom.* 1, *Quadrag.* S. INNOC. III.

23. Evam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit : sed seductio Evæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit vitam. *Serm. de Genesi.* S. JOANNES CHRYSOST.

24. Prius peccatis plurimis excæcatur homo, et sic diaboli seductione seducitur, et cadit in mortem. Homil. 19, super *Matth. Oper. imperf.*

25. Omnis seductio non potest esse seductio, nisi habuerit boni colorem, per quod videatur bonum esse quod malum est. *Ibid.*, homil. 29.

26. Spirituales viros seductio non consumit, sed carnales. *Ibid.*, homil. 45.

27. Non est seducentium virtus, sed negligentia seductorum : si seducentium esset virtus, omnes seducerentur. Nunc autem ex eo quod non omnes seducuntur, apparet quia seductorum est negligentia, non seducentium virtus. *Ibid.*, homil. 48, super illud 24 : *Et seducent multos.*

28. Nihil est, nihil est, inquam, quod ita pariat inimicitias, sicut seductio et deceptio. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

29. Qui seducitur, quid consentiat, evidenter ignorat. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 17, sent. 3. S. ISIDORUS HISPALENS.

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

30. Illud omnium gravissimum est, quempiam a seipso seduci, cum enim ne minimum quidem PLATO.

abscedit, sed præsens semper adest is, qui seducit, quomodo non id gravissimi periculi sit plenum ? Syzygia 3, in *Dialogo Gratili.*

## SEMEN.

### SENTENTIÆ PATRUM.

1. Aliud est semen diaboli, aliud semen est Christi : quod seminat Christus, regnum est Dei ; quod seminat diabolus, peccatum est. Lib, 3. *Hexam.*, cap. 10.

S. AUGUST. 2. Impii quod in aperto jam clamare metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Epist. 105.

3. Ille sibi hominem sine semine operatus est, qui in rerum natura sine seminibus operatur et semina. Epist. 3.

4. Semina exorta sunt ex herbis et lignis, non autem illa ex seminibus, sed ex terra. Lib. 5 *de Gen. ad lit.*, cap. 4.

5. Omnia primordia seminum, sive unde omnis caro, sive unde omnia fruteta gignuntur, et humida sunt, et ex humore concrescunt. *Ibid.*, cap. 7.

6. In semine omnia fuerunt primitus, non mole corporeæ magnitudinis, sed vi causali. *Ibid.*, cap. 23,

7. Bona semina spargite, non terreat hyems. *De Quinque hæres.*, cap. 6.

8. Semen futuræ messis, opera sunt misericordiæ. *De octo quæst. Dulcitii*, quæst. 4.

9. Nolite attendere ad utilitatem cophini, sed ad charitatem seminis, et potestatem seminatoris. *De discipl. Christ.*, cap. 1.

10. Si pro semine bono, non fructum, sed spinas attulerimus : non semen accusabitur, sed spinis ignis debitus præparatur. Tract. 3, super *Joan.*

11. Messis prima de cruce ventilata est, ut esset semen unde alia messis consurgeret. *Ibid.*, tract. 31.

12. Homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, ad hominem venit, verbum malum seminavit, et occidit. *Ibid.*, tract. 42.

13. Seminantes non deficiamus, tempore enim proprio metemus. *Ibid.*, tract. 73.

14. Aperite cor ad semina bona. Tract. 5, super *Joan.*

15. Seminationis nostræ mercedem, non in isto tempore quo seminamus speremus : hic enim messem cum labore serimus, sed in futuro fructus illius cum gaudio colligemus. Homil. 18 *ex Quinquag. Homil.*

S. BONAV. 16. Duo sunt quæ expellunt semen verbi divini de corde hominis ; scilicet malæ suggestiones hominum, et tentationes dæmonum. Super *Lucam*, cap. 8, in illud : *Et volucres cœli comederunt illud.*

17. Tot semina jacis, quot bona opera facis. Serm. 4 *Dom. Pass.*

18. Bonum non seminat, nisi bonus, qui semen bonæ voluntatis ad bona opera studet producere. Super illud *Moral.* 13 : *Qui seminavit bonum semen*, etc. GLOSS. INT.

19. Quid est sermo, nisi semen ? qui dum ordinate emittitur, audientis mens, quasi concipientis uterus ad boni operis prolem fœtatur : si vero importune defluit, emittentem polluens, generandi virtutem perdit. Lib. 23 *Moral.*, cap. 15, super illud : *Job.* XXXIII : *Spiritus Dei fecit me.* S. GREGOR. MAGNUS.

20. Ecce in uno grano minimi seminis, latet tota quæ nascitura est arboris moles. *Prosec.*

21. Consideremus nunc ubi in illo parvo grano seminis latet fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis odorisque magnitudo, ubertas fructuum, viriditas foliorum : contrectatum namque seminis granum non est validum.

22. Non est validum ; unde ergo processit ligni duritia ? Non est asperum, unde asperitas corticis erupit ? Non est saporum, unde sapor in fructibus ? Olfactum nil redolet, unde odor in fructibus fragrat ? Nihil in se viride ostendit, unde foliorum viriditas exivit ? cuncta ergo in semine simul latent, quæ tamen non simul latent, quæ tamen non simul ex semine prodeunt.

23. Ex semine quippe producitur radix, ex radice procedit virgultum, ex virgulto oritur fructus, ex fructu etiam producitur semen, quia semen latet in semine. Homil. 26, super *Evang.*

24. Quisquis copiosum in cœlis fructum habere desiderat, seminare, dum tempus est, non omittat. Lib. 10 in *Registro*, ind. 5, cap. 7, epist. 7 *ad Savinellum.*

25. Lubrica mens semen perversum, quod primum sine modestia concipit, quasi parturiens postmodum sine pudicitia effundit. Super *Ecclesiasten*, cap. 2. HUGO CARD.

26. Si semen non fructificat ; non est hoc vitio seminis, neque seminantis, sed semen suscipientis. Super *Luc.*, cap. 8, in illud : *Exiit qui seminat*, etc.

27. Non negligendum est hoc malum, quod ab occultis parvisque seminibus augetur quotidie, et ab ortu suo latius longiusque distenditur. *De grat. et Lib. arb.*, cap. 1.

28. Nec terra sine semine, nec semen sine terra fructificat. Homil. 14, super *Matth. Oper. imperf.* S. JOANNES CHRYSOST.

29. Non agricolæ, neque seminum causa : sed terræ conditione non naturaliter insita, sed voluntate constituta, major atque minor progressio fit. Homil. 45, super *Matth.*

30. Ibi spes est metendi, ubi fuerit diligen- S. LEO I.

tia seminandi. Serm. 4 *de Jejun. septimi mensis.*

31. Qui serit non ad id respiciat,quod reliquit. Serm. 1 *de Resurr. Dom.*

NICOLAUS PAPA. 32. Dispensatio est nobis cœlestis seminis injuncta : væ, si non sparserimus. Habet. in *Decret. Gratiani,* part. 1, dist. 4, can. *Dispensatio.*

TERTULL. 33. Semen, ut reddat, intercipit : ut custodiat, perdit : ut integret, vitiat : ut ampliet, prius decoquit : siquidem uberiora et cultiora restituit, quam exterminavit. *De Resurr.*, cap. 12.

## SENECTUS.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Senex dicitur, quasi nesciat, propter nimiam ætatem, vel sensuum diminutionem, eo quod jam per vetustatem desipiat. Serm. *Dom. post Trin.*

PLATO. *Definitio.* Senectus est imminutio animati, a tempore contingens. Syzygia 6 *de Definit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sicut æqualium usus dulcior, ita senum tutior ; qui magisterio quodam et ductu vitæ colorat mores adolescentium, et velut murice probitatis inficit. *Prosec.*

2. Namque si hi qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt ; quanto magis adolescentes cum senibus debent novum sibi iter vitæ aggredi, quo minus errare possint, et a vero tramite virtutis deflectere ?

3. Nihil enim pulchrius, quam eosdem senes, et magistros vitæ, et testes habere. Lib. 1 *Offic.*, cap. 43.

4. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest ; non annorum canities est laudanda, sed morum ; nullus pudor est ad meliora transire. Lib. 5, epist. 31 *ad Valentinanum Imperat.*

5. Vere senectus illa venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. *Prosec.*

6. Ea est enim veneranda canities, quæ est canities animæ, in canis cogitationibus et operibus effulgens. Lib. 7, epist. 60 *ad Anisium.*

7. Senectus ipsa in bonis moribus, dulcior est, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior. Lib. 1 *Hexam.*, cap. 8.

8. Senectus non capillis canis in capite, sed sensibus computatur : ille ergo bene senescit, qui bene senserit. Lib. 2 *de Abraham,* cap. 9.

S. ANTONIN. 9. Cum experientia sit magistra rerum, et senes plura fuerint experti, juvenes pauca : hinc est quod prudentiores sunt senes, et difficulter in juvenibus prudentia reperitur. Part. 1, tit. 5, cap. 1, § 7.

10. Senibus sunt labores corporis minuendi. Part. 4, tit. 4, *de Temper.*, cap. 10, § 1.

11. Senes consilio debent alios juvare, et exempla imitatione digna ministrare. *Ibid.*

S. AUGUST. 12. Sit senectus vestra puerilis, et sit pueritia senilis ; ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia. Super *Psalm.* CXII, vers. 3.

13. Plus omnibus religioni operam dare senibus convenit, quos præsentis sæculi florida ætas transacta deseruit. *De duodecim abusion.*, cap. 2.

14. Dum hujus vitæ defectus appropiat, nihil aliud cogitare quam quomodo futuræ vitæ aditus propere comprehendatur, quisque senex appetat. *Ibid.*

15. Qualiter in senectute ille ministrari sibi sperabit, qui in adolescentia senioribus obedientiam exhibere contemnit ? *Ibid.*, cap. 3.

16. In senibus sobrietas et morum perfectio requiritur. *Ibid.*

17. Sicut fructus in arbore non invenitur, in qua pampinus, aut flos prius non apparuerit : sic et in senectute honorem legitimum assequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicujus exercitationibus non laboraverit. *Ibid.*

18. Tantus est in malis senibus plerumque gurges aviditatis, et insatiabilis vorago ventris et gutturis : ut quanta boni senes prudentia serenantur, tanta isti vinolentia sepeliantur. Serm. 2 *Dom.* 23, *post Trinit.*

19. Senectus aliam ætatem quam speret, non habet. Epist. 110.

20. Futura dicitur senectus in juvene, sed tamen futura non est, si ante moriturus est. Lib. 6 *de Gen. ad lit.*, cap. 17.

21. Non omnis senior senex, omnis autem senex senior dici potest. Lib. 6, *Locut. super Josue.*

22. Quanta est vita hominis etiamsi senescat ? aut cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant nisi longam infirmitatem ? *De Catechiz. rud.*, cap. 16.

23. Decrepitam senectutem omnes optant, antequam veniat, omnes de illa cum venerit, murmurant. Tract. 32, super *Joan.*

24. Si senex eris, pulcher non eris. *Ibid.*

25. Senes intraverunt, infantes exierunt : senectus enim veternosa, vetusta vita ; infantia autem regenerationis, nova vita. Tract. 1 super *Epist. Joan.*

S. BASILIUS MAGNUS. 26. Venerabilius quodammodo est in natura humana, quod antiquius est. Serm. 4 *Exercitament.*

27. Ad efficiendum senem, plus in senili prudentia, quam in capillornm canitie momenti est. Apud D. Joan. Damasc. lib. 1 *Parall.*, cap. 68.

BERNARD. 28. Morum insignia et ornamenta virtutum in illis proculdubio cernimus senibus, qui ab ipso tirocinio primævæ ætatis usque ad perfectum virum disciplinis cœlestibus exercitati per viam Domini fortiter cucurrerunt. *De ord. vitæ.*

29. Matura ætas multis laboribus exercitata, jam novit per experientiam, quod didicit per scientiam. *Ibid.*

ASSIODOR. 30. Senectus humana morbis gravissimis sauciata tendit ad finem, querelis onerosa, colore deformis est. Super *Psalm.* XCI, vers. 16.

VAGRIUS. 31. Canities senum, morum est lenitas : vita autem ipsorum, vera scientia. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 68.

EUSEBIUS MISSEN. 32. Quanto quis magis senior est, tanto plus studere debet ædificationi et perfectioni. Homil. 3 *ad Monachos.*

OSS. INT. 33. Verus senex est, non ætate ; sed moribus, vel sapientia. Super III *Reg.* XI.

GREGOR. MAGNUS. 34. Senes sunt, qui non sola quantitate temporum ; sed morum grandævitate maturi sunt. Lib. 19, *Moral.*, cap. 11.

GREGOR. NAZ. 35. Si quis in senium vergit, nequaquam tamen anima senescat, suscipiat dissolutionem tanquam præscriptum necessariæ libertatis diem ; placide ad reliqua pergat, ubi nemo amplius intempestivus est, vel senex : omnes spiritali ætate perfecti. Orat. 25.

36. Turpe est senescere ætatem, non senescere lasciviam. Orat. 3, *de S. Lavacro.*

HIERON. 37. Præstat canities cum prudentia conjuncta imperitæ juventuti. Hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 68.

38. Omnes pene virtutes mutantur in senibus, et crescente sola sapientia, decrescunt cæteræ virtutes. Epist. 2, *ad Nepotianum.*

39. Cuncta quæ per corpus exercentur, fracto corpore minora fiunt. *Ibid.*

40. Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum dulcissimos fructus metit. *Ibid.*

41. Jam incanuit caput, tremunt genua, dentes cadunt, et fronte ob senium rugis arata, vicina est mors in foribus ; velimus, nolimus, senescimus. *ad Furiam.*

42. Noli annorum nos æstimare numero, nec sapientiam canos reputes, sed canos sapientiam. Tom. 1, epist. 13, *ad Paulinum.*

43. Impudicos senes, ætas lasciva condemnat. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 44. Inter abusiones hujus sæculi, sola major est senis obstinatio, qui morti proximus, mortis adventum non exhorret, audit nuntios mortis, et credere non vult eis. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 15.

45. Senectus est fastidiens, frigida, querulosa pigra, infirma, curva, sterilis. Lib. 4, *de propriet. rerum*, cap. 17.

HUGO CARD. 46. Senectus justi venerabilis est, non quia diuturna, sed quia moribus comprobata, et virtutibus plena. Super *Sapient.*, cap. IV : *Cani sunt sensus hominis.*

47. Ille bene canus est, qui bene sensatus est. *Ibid.*, super illud : *Cani sunt sensus hominis.*

48. Ille bene senex est, qui est mundus et simplex. *Ibid.*

49. Senectus venerabilis in duobus consistit, in sensu sapientiæ, et munditia vitæ. *Ibid.*

S. INNOC. III. 50. Si quis ad senectutem processerit, cor ejus statim affligitur, caput concutitur, languet spiritus, fœtet anhelitus, facies rugatur, statura curvatur, caligant oculi, nares effluunt, crines defluunt, tremit tactus, deprimit actus, dentes putrescunt, aures surdescunt. Lib. 1 *de Contempt. mundi*, cap 9.

51. Senex facile provocatur, difficile revocatur, cito credit, et tarde discredit, tenax, et cupidus, tristis, et querulus, velox ad loquendum, tardus ad audiendum, laudat antiquos, spernit modernos, vituperat præsens, commendat præteritum, suspirat, et anxiatur, torpet, et infirmatur. *Ibid.*

JOAN. CASS. 52. Non omnium seniorum, quorum capita canities tegit, quosque vitæ longævitas sola commendat, nobis sunt imitanda vestigia, vel sectanda ; seu traditiones ac monita suscipienda : sed eorum quos laudabiliter vitam suam, ac probatissime comperimus in juventute signasse. *Prosec.*

53. Sunt nonnulli, quorum etiam (quod est lugubrius) major est multitudo, qui ignavia senescentes, auctoritatem sibi non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt. Collat. 2, *Abbat. Moysis*, cap. 13.

S. JOANNES CHRYSOST. 54. Canities tunc est venerabilis, quando ea gerit quæ canitiem decent : cum vero juveniliter ineptit, plus juvenibus ridicula erit. Homil. 7, super *Epist. ad Hebr.*

55. Vere confusio est et irrisio, ut qui canitie ornentur extrinsecus, intrinsecus autem animum habeant puerilem. *Ibid.*

56. Rex quidam est senex, si voluerit : et eo, qui purpuram habet, regalior, si passiones animi vincit, et velut armigeros, subjicit, passiones. *Ibid.*, homil. 8.

JOAN. GERS. 57. Senes citius frangas, quam flectas. Tract. *de parvul. ad Christum trahendis.*

JOAN. TRITH. 58. Senex facile provocatur, cito credit, et tarde discredit. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Seniores.*

59. Senior sine maturitate, quasi fistula sambuci contrita pedibus ludentium. Lib. 1. hom. 11, *ad Monachos*.

60. Qualis quisque senex inveniri desiderat, talis adolescens vivat. *De vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 5.

61. Esse senex desideras, dici recusas. *Ibid.*, cap. 8.

LACT. FIRM. 62. Nihil est opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas. Lib. 6 *de Divin. Inst.*, cap. 11.

PETRUS BLESENS. 63. Vides senes valetudinarios, quorum membra frigescunt, cupiditas fervet : caro senectute opprimitur, et ambitio juvenescit. Epist. 141, *ad Gualter. Rothom. archiep.*

PHILO JUD. 64. Revera senior, non ex longitudine temporis, sed ex laudata vita spectatur. *Prosec.*

65. Siquidem qui multum ætatis in corpore vixerunt sine probitate, longævi pueri dicendi sunt; quia nunquam disciplinas attigerunt dignas canitie. *De Abrahamo.*

RICHARD. A S. VICTORE. 66. Melior est senectus morum. quam annorum : meritorum, quam temporum. Part. 1 *de Different. sacrificii Abrahæ et Mariæ.*

67. Senectus bona est, quando exterior sensus decrescit, interior vero excrescit. *Prosec.*

68. Senectus bona, quando eo ipso interior homo roboratur, quo exterior homo infirmatur. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 69. Senectus bona est, quæ cum tarde invadit, etiam dolores non infert : nam tam qui cito consenuit, quam qui tarde, sed non absque dolore, incommoda utitur senectute. Lib. 1 *Rhetor.*, cap. 5.

CATO POETA 70. Multorum cum facta senex, et dicta recenses,
Fac tibi succurrant, juvenis quæ feceris ipse.
Lib. 1 *Distichor.*, *Metr.* 30.

71. Cum sapias animo, noli irridere senectam :
Nam quicunque senet, sensus puerilis in illo est.
*Ibid.*, lib. 4.

CICERO. 72. Nihil opere, aut manu factum, quod non aliquando conficiat et consumat vetustas. Orat. 40, *pro Marcello*, num. 11.

73. Quid est jucundius senectute stipata studiis juventutis? *De Senectute*, num. 28.

74. Conare mature fieri senem, si diu velis esse senex. *Ibid.*, num. 31.

75. Ita sensim sine sensu ætas senescit, nec subito frangitur, sed diuturnitate extinguitur. *Ibid.*, num. 38.

76. Est quiete et pure atque eleganter actæ ætatis placita ac levis senectus. *De Senect.*

77. Nemo est tam senex, qui se annum non putet vivere posse. *Ibid.*

78. Senectus si nihil aliud quidquam vitii apportet secum cum advenit, unum id satis est, quod diu vivendo, multa quæ non vult, videt. *Ibid.*

79. Si senectus habet aliquid tanquam pabulum studii atque doctrinæ, nihil est otiosa senectute jucundius. *Ibid.*

80. Perpauci veniunt ad senectutem, quod accideret, si melius et prudentius viveretur. *Ibid.*

81. Mens et ratio et consilium in senibus est. *Ibid.*

82. Senectutis nullus est terminus, recteque in ea vivitur, quo ad minus officii exequi possis et tueri. *Ibid.*

83. Miserrima res, senex egens. In *Sentent.*, sent. 3. DIOGEN[ES]

84. Eheu! quam miserum est, fieri metuendo senem. In suis *Sentent.*, sent. 117. MIMUS P[UBLIUS]

85. Multi ad extremum senectutis limen perveniunt, ut in iis verum comperiatur proverbium, bis pueri, senes. Syzygia 6 in *Dialogo Axiochi.* PLATO

86. Quid in senectute felicius, quam quod dulcissimum est in juventa? Lib. 2, *Epist. ad Nepotem*. PLINIUS

87. Nihil turpius est, quam grandis natu senex : qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem. *De tranquillit. animi*, cap. 3. SENEC[A]

88. Quid est turpius, quam senex vivere incipiens? Epist. 13.

89. Satis multum temporis sparsimus, incipiamus in senectute vasa colligere : in freto viximus, moriamur in portu. Epist. 19.

90. Si vis senem facere et implere vitam, non annis adjiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Epist. 21.

91. Nil habet quod speret, quem senectus ducit ad mortem. Epist. 30.

92. Tam stultus est, qui mortem timet, quam qui senectutem : nam quemadmodum senectus adolescentiam sequitur, ita mors senectutem. Epist. 30.

93. Turpis et ridicula res est, elementarius senex. Epist. 36.

94. Ante senectutem curavi, ut bene viverem : in senectute curo, ut bene moriar. Epist. 61.

95. Senectus insanabilis morbus est. Epist. 108.

96. Complectamur senectutem, et amemus, plena est, si illa scias uti. *Prosec.*

97. Gratissima sunt poma, cum fugiunt; pueritiæ maximus in exitu decor est : deditos vino, potatio extrema delectat : quod in se jucundissimum hominis voluptas habet, in finem sui differt.

98. Jucundissima est ætas devexa jam, non tamen præceps : quam dulce est cupiditates fatigasse ac reliquisse! Epist. 12.

99. Clamo mihi ipse : numera annos tuos, et

pudebit eadem velle, quæ volueras puer. Epist. 27.

VALER. MAX. 100. Duæ res, quæ hominibus amarissimæ videntur, sunt senectus et orbitas. Lib. 6 *Dictor. memorabil.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Adolescentia*, sent. 6; *Ætas*, sent. 8; *Discere*, sent. 6; *Honor*, sent. 130; *Humilitas in genere*, sent. 15; *Jejunium*, sent. 64; *Juventus*, sent. 3, 4; *Lascivia*, sent. 10, 23; *Locutio*, sent. 17; *Malitia*, sent. 71; *Mores*, sent. 65; *Novitius*, sent. 58; *Obstinatio*, sent. 29; *Otiositas*, sent. 78; *Profectus*, sent. 98; *Reverentia*, sent. 22, 26; *Severitas*, sent. 23; *Spes*, sent. 72; *Vita humana*, sent. 106.

## SENSUS IN GENERE.

HILO JUD. *Etymologia.* Sensus, sicut allusio Græci nominis ad εἰς Θεσιμ indicat, objecta infert intellectui. Lib. *Quod Deus sit immutabilis.*

ISIDORUS SPALENS. Sensus sunt dicti, quia per eos anima subtilissime totum corpus agitat vigore sentiendi. Lib. 11, *Etymolog.*, cap. 1.

JOANNES DAMASC. *Difinitio.* Sensus est ea animi vis, quæ res materia constantes arripit ac dijudicat. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 18.

THOMAS QUINAS. Sensus est quædam deficiens participatio intellectus. Part. 1, *Summæ*, quæst. 77, art. 7.

*Divisio.* Quinque sunt exteriores sensus : visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Part. 1, *Summæ*, quæst. 78, art. 3.

ISIDORUS HISPAL. *Differentia.* Inter sensum, et memoriam hoc interest : sensus rei cujusque est adinventio, memoria rei inventæ recordatio : ille excogitata reperit, hæc reperta custodit. Lib. 2 *de Di[..]r.*, differ. 20.

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Nullo modo se erigere potest, abjectus et vilis sensus, atque ignobilis, demersus in omnem infirmitatis voraginem vitæ hujus cupiditate. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum.*

ANTONIN. 2. Cum male custodiuntur sensus, ejicitur Christus, et intrat diabolus. Part. 1, tit. 2, cap. 3, § 7.

AUGUST. 3. Sensus res tradunt memoriæ. Lib. 10, *Conf.*, cap. 10.

4. Sunt quinque partiti corporis sensus, qui nec sine corpore, nec sine anima esse possunt; quia neque sentire est nisi viventis, quod ab anima est corpori, neque sine corporeis instrumentis, et quasi vasis atque organis videmus, audimus, cæterisque tribus utimur sensibus. Epist. 3, *ad Volusianum.*

5. Sensu nos multæ bestiæ superant : itaque humana anima quanto in sensus declinat, tanto magis similiorem hominem pecori facit. *De Quantit. animæ*, cap. 28.

6. Sensus rationi vicinus est. *De Genesi ad litt. imperf.*, cap. 15.

7. Duo sunt in homine sensus, unus interior, et alius exterior : et uterque bonum suum habet, in quo reficitur. *Prosec.*

8. Sensus interior in contemplatione divinitatis, sensus exterior in contemplatione humanitatis.

9. Cum exterior sensus carnalis bono suo utitur, interior sensus mentis quasi obdormit.

10. Non cognoscit bona interioris sensus, qui jucunditate bonorum exteriorum capitur.

11. Qui in carne vivit, in carne sentit, et dolores carnis fugit in quantum potest.

12. Cum mortuus fuerit sensus animæ, quo vivit in carne, tunc vivificari incipiet sensus ille, quo sentiet semetipsum, et tunc sciet dolores suos, et incipiet sentire vulnera sua tanto gravius, quanto propius. *De Spiritu et Anima*, cap. 9.

13. Quidquid occurrit sensibus, non pro vero est approbandum. Lib. 3 *contra Academ.*, cap. 16.

14. Ea quæ sensu capiuntur, extra etiam nos esse sentiuntur, et locis continentur. *Ibid.*

15. Sensum puto esse, non latere animam quod patitur corpus. *De quantit. animæ*, cap. 23.

16. Sensu nos multæ bestiæ superant, mente autem ratione et scientia nos Deus illis præposuit. *Ibid.*, cap. 28.

17. Pueri vagientes, quanto alieniores a ratione sunt, tanto facilius discernunt sensu. *Ibid.*

18. Admonetur anima ne se ultra quam necessitas cogit, refundat in sensus, sed ab his potius ad seipsam colligat. *Ibid.*

19. Aliquando veracior est sensus quam opinio, et aliquando veracior opinio quam sensus. Lib. 3 *de Lib. arb.*, cap. 8.

20. Subjacent sensui corporis quæcunque corporea. *Ibid.*, cap. 25.

21. Mente colligimus ad quæ nostri sensus penetrare non possunt. *De decem Chordis*, cap. 5.

22. Omnibus sensibus est sua cuique accommodata modificatio corporum. Lib. 2 *Conf.*, cap. 5.

23. Tardus est sensus carnis, quoniam sensus carnis est, et ipse est modus ejus. *Ibid.*, lib. 4, cap. 10.

24. Sensus aut natura movetur, aut consuetudine. *De Princip. dialecticæ*, cap. 7.

25. Sensus corporis ab aliquo incipit loco, nec percurrit totum, nisi ad cujus finem pervenerit. Epist. 56.

26. Omnia quæ corporeus sensus attingit, ne puncto quidem temporis eodem modo manere possunt. Epist. 214.

27. Sentire homo non potest, nisi vivat. Epist. 3.

28. Pars cerebri anterior origo sensuum est. Lib. 7 *de Gen. ad lit.*, cap. 17.

29. Quæ remota non sunt a sensibus nostris, præsentia nuncupantur. Lib. 11 *de Civit. Dei*, cap. 3.

30. Ad humanum sensum vel alliciendum vel offendendum, mos valet plurimum. *Ibid.*, lib. 15, cap. 19.

31. Nihil sensibile est quod sentiri non potest. *De duab. anim.*, cap. 6.

32. Omnis anima nullo corporis sensu, sed solo intellectu percipi potest. *Ibid.*, cap. 2.

33. Omnis sensus ab anima inest corpori. Lib. 4 *de Anima et orig.*, cap. 6.

34. Quando quisque nascitur antequam uti possit mente atque ratione, non regitur nisi sensibus. Tract. 15, super *Joan.*

35. Omnes corporis sensus cordi nostro nuntiant quid senserint foris. *Ibid.*, tract. 18.

36. Sensus hominis donum Dei est. Lib. 1 *contra Julian.*, cap. 9.

V. BEDA. 37. Qui suos non servat sensus, mortis sibi ipse reddit aditus. Lib. 2, super *Luc.*, cap. 7, in illud : *Qui viderit mulierem*, etc.

S.BERNARD. 38. Non nocet sensus, ubi non est consensus. *De inter. domo*, cap. 19.

BOETIUS. 39. Felicissimi cujusque sensus delicatissimus est : et nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis adversitatis insolens, minimis quibusque prosternitur. Lib. 2 *de Consolat. Philos.*, prosa 4.

S. GREGOR. MAGNUS. 40. Dum exteriores sensus ab hujus vitæ sollicitudinibus sopio, vacante mente vivacius interna cognosco : foris dormio, sed intus cor vigilat : quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo. Lib. 23 *Moral.*, cap. 12, num. 21, super illud *Cant.* v : *Ego dormio, et cor meum vigilat.*

41. Ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum sensuum disciplina servanda est. *Ibid.*, lib. 21, cap. 2.

HESYCHIUS. 42. Gravem molestiam internus homo contrahit ab externis sensibus. Centur. 2, sent. 70.

S. HIERON. 43. Capite sano, omnes sensus vigent. Epist. 13 *ad Paulin.*

HUGO CARD. 44. Peccatum mortale, quod concipitur per aliquem de sensibus, occidit sensus interiores et exteriores. Super *Job*, cap. XXXI.

45. Facilius est suggestiones diaboli superare, quam insultus sensus carnalis, diabolus enim resistendo vincitur. Super *Proverb.*, cap. XVII.

46. Hostis noster est proprius sensus, ad quem debellandum mittit nobis Dominus contradictores. Super *Ecclesiasten*, cap. IX.

JOAN. CASS. 47. Nemo nobis magis, quam sensus, qui vere est intimus noster domesticus, adversatur. Collat. 18 *Abb. Piammon.*, cap. 16.

S. JOANNES CHRYSOST. 48. Sensus omnis in gustu est. Homil. 13 super I *Tim.*

S. ISIDORUS HISPALEN. 49. Solertia meliorem sensum reddit, pejorem facit negligentia : sensum desidia obtundit, segnitiem industria destruit. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 12.

50. Sensum torpor exasperat, sensum desidia obtundit, industria acuit, exercitatione proficit sensus, experientia plus scit. *Ibid.*

PHILO JUD. 51. Principes sunt, qui sensus regunt et refrænant insatiabilem eorum impetum, quo rapiuntur ad supervacanea. *De Agricultura.*

52. Sensuum integritas humoribus vitiosis facile corrumpitur. *De Joseph.*

THALASSIUS. 53. Include sensus intra quietis præsidium, ne in sua desideria mentem distrahant. Hecatontad. 2, sent. 10.

THOMAS A KEMPIS. 54. Noli nimis in sensu tuo confidere, sed velis etiam libenter aliorum sensum audire. *Prosec.*

55. Si bonum est tuum sentire, et hoc ipsum propter Deum dimittis, et alium sequeris, magis exinde proficies. Lib. 1 *de Imit. Christi*, cap. 9, sect. 2.

S. THOMAS A VILLA NOVA. 56. O quam felix, quam sapiens, quam pacifica et quieta esset anima, si in humano corpore a Deo illuminata sine sensibus viveret, vel potius si a sensibus voluntarie alienata, eis uti despiceret. Conc. fer. 6 post *Dom.* 3, *Quadrag.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTELES. 57. Omnis sensio diuturna noxia est valde sensui ipsi, adeo ut aliquando eum privet vi sentiendi. Lib. 11 *Theolog.*, cap. 2.

58. Sensus non cognoscit vere aliquid per animum, nisi illud præjudicet intellectus agens supra animum ipsum. *Ibid.*, lib. 12, cap. 20.

59. Sensus ubi sejunctus ab intelligentia est, laborem velut insensibilem habet. Sect. 11 *Problem.*, quæst. 33.

SENECA. 60. Omnia quæ sensibus serviunt, nos accendunt, et irritant. Epist. 58.

Vide etiam tit. *Custodia*, sent. 4; *Evagatio*, sent. 47, 48; *Insidiæ*, sent. 25; *Judicium propr.*, sent. 10, 11, 17, 18; *Oculus*, sent. 12; *Sensus quinque*, *Superfluitas*, sent. 1.

## SENSUS QUINQUE.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTON. 1. Cum male custodiuntur sensus, ejicitur Christus, et intrat diabolus. Part. 1, tit. 2, cap. 3, § 7.

S. AUGU. 2. Non sentimus ratione, sed aut visu, aut auditu, aut olfactu, aut gustu, aut tactu. *De quant. animæ*, cap. 29.

3. Sensibus tenemus, quæ aut videndo, aut contrectando, aut audiendo, aut gustando, aut odorando cognoscimus. *De decem Categor.*, cap. 5.

4. In ipsis sensibus, quibus anima per corpus utitur, nihil est oculis præferendum. *De Morib. Eccles.*, cap. 20.

5. Sunt quinque partiti corporis sensus, qui nec sine corpore, nec sine anima esse possunt : quia neque sentire est nisi viventis, quod ab anima est corpori, neque sine corporeis instrumentis, et quasi vasis atque organis, videmus, audimus, cæterisque tribus utimur sensibus. Epist. 3 *ad Volusian.*

6. In nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinque partitus. Epist. 57, quæst. 2.

7. Ad interioris hominis sensum, non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non spiramentum narium, non gustus faucium, non ullus corporis tactus accedit. Lib. 11 *de Civit. Dei*, cap. 27.

8. Quinque sensus mulcet voluptas, offendit dolor. Tract. 15 super *Joan.*

9. Quinque sensus non ad æternitatem nos regunt, sed ad ista temporalia vel appetenda, vel fugienda. *Ibid.*

10. Propter corporis unitatem, oculus et sibi et auri videt. *Ibid.*, tract. 18.

11. Per quinque sensus, quasi per quasdam januas, aut mors, aut vita ad animam nostram ingreditur. Homil. 35 *ex Quinquag. Homil.*

12. Anima inchoat motum in omnibus sensibus a subtilitate ignis, sed non in omnibus ad idem pervenit. In visu enim pervenit, represso calore usque ad ejus lucem; in auditu usque ad liquidiorem aerem calore ignis penetrat; in olfactu transit aerem purum, et pervenit usque ad humidam exhalationem; unde crassior hæc aura subsistit; in gustu et hanc transit, et pervenit usque ad humorem corpulentiorem, quo etiam penetrato atque trajecto, cum ad terrenam gravitatem pervenit, tangendi ultimum sensum agit. Lib. 3 *de Genesi ad lit.*, cap. 5.

SS. ORD. 13. Sensus exteriores sunt quasi quædam corporis fenestræ, per quas latrones ad interiora ingrediuntur bona gratiæ rapientes. Super II *Reg.* XI.

14. Adam si in obedientia perseverasset, sensus corporis ad nullam malam voluptatem verterentur. Super *Apocal.*, cap. XVII.

GREGOR. GNUS. 15. Nullum latet quod quinque sensus corporis nostri, videlicet, visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus, in omne quod sentiunt atque discernunt, virtutem discretionis, et sensus a cerebro trahunt. *Prosec.*

16. Et cum unus sit judex sensus cerebri, qui intrinsecus præsidet, per meatus tamen proprios sensus quinque discernit, Deo mira operante, ut neque oculus audiat, neque auris videat, neque os olfaciat, neque naris gustet, neque manus odoretur.

17. Et cum per unum sensum cerebri omnia disponantur, quilibet tamen horum sensus aliud facere non potest, præter id quod ex dispositione conditoris accepit. Lib. 11 *Moral.*, super illud *Job.* XII : *Nonne auris verba dijudicat?*

18. Visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus, quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, et ea quæ extra ejus sunt substantiam, concupiscat. *Prosec.*

19. Per hos etenim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. *Ibid.*, lib. 21, cap. 2, super illud : *Pepigi fœdus cum oculis meis*, etc.

20. Ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum sensuum disciplina servanda est. *Prosec.*

21. Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt : et nisi interioris gravitatis pondere, et quasi juvenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque, et levia mentem enervem trahunt. *Ibid.*

22. Quinque carnis sensibus præditi sumus, videlicet visu, gustu, olfactu, auditu, atque tactu. *Prosec.*

23. Operari autem exterius sine istis corporeis quinque sensibus non valemus.

24. His quippe officiis suis judex animus interius præsidet, et quid exterius agere juste possit, quasi iisdem officiis deservientibus agnoscit. Homil. 17, super *Ezech.* super illud : *Et mensus est portam*, etc.

25. Per quinque sensus, quasi per quasdam fenestras, vitiorum in animam introitus est : non enim potest ante Metropolis et arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus. *Prosec.* S. HIERON.

26. Anima capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu. Lib. 2, *advers. Jovian.*

27. Sensus noster illud cogitat quod videt, audit, odoratur, gustat, attrectat ; et ad ejus rei trahitur appetitum, cujus capitur voluptate. *Prosec.*

28. Nec audire quippiam, nec videre possumus, nisi sensus in ea quæ cernimus et audimus fuerit intentus. *Ibid.*

29. Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes : anima vero in aurigæ modum retinet fræna currentium. *Ibid.*

30. Sine quatuor sensibus vivere possumus, id est, sine aspectu, auditu, odoratu, atque tactu : absque gustu autem et cibis, impossibile est humanum corpus subsistere. *Ibid.*

31. Sensus debent circumcidi, scilicet lingua, HUGO CARD.

ne loquatur falsa, vel otiosa; pes, ne currat ad illicita; manus ne accipiat libenter munera, et ne perpetret mala; auris ne audiat detractionem; oculus, ne videat vanitatem. Super *Gen.*, cap. 17.

32. Quinque passiones, quinque sensibus sunt annexæ. Super I *Reg.*, cap. VI.

33. Perfecti debent esse in custodia quinque sensuum, ut vana non videant, mala non audiant, dulcia non gustent, suavia non olfaciant, mollia non palpent. Super II *Reg.* XV.

JOAN. CASS. 34. Omni nobis cautione curandum est, ut omnes nostri corporis sensus, tanquam sacrosancta Domini holocausta in omnibus illibata atque intacta servemus. Collat. 21, *Abbat. Theonæ*, cap. 26.

S. IRENÆUS. 35. Unaquæque manus nostra digitos quinque habet, sed et sensus habemus quinque : quæ in nostris sunt visceribus, in quinque possunt numerari, cor hepar, pulmones, splen, et renes. Lib. 2, *advers. Hæres.*, cap. 42.

S. ISID. HISP. 36. Per sensus carnis, morbus irrepit menti. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 28, sent. 1.

37. Vitia quando per sensus carnis labem animæ ingerunt, in ipsis sensibus regnant. *Prosec.*

38. Neque enim aliunde peccamus, nisi videndo, audiendo, attrectando, gustando, atque tangendo. *Ibid.*

39. Unicuique sensui propria natura data est : nam quod videndum est, oculis capitur : quod audiendum, auribus : mollia et dura, tactu æstimantur : sapor gustu, odor, naribus ducitur. Lib. 2 *Etymol.*, cap. 1.

S. LAURENT. JUSTIN. 40. Grandis sensibus tuis est adhibenda custodia, ne amabilem solitudinis tuæ diripiant fructum. *De vita solitar.*, cap. 8.

S. NILUS. 41. Sensus visus, cæteris sensibus præstat. *De Orat.*, cap. 144.

PHILO JUD. 42. Sensus in quinque dividitur, in usum, auditum, gustum, odoratum et tactum; quorum singulis Deus attribuit certas materias, et instrumenta propria ad subjecta judicanda. *Prosec.*

43. Colores visui, voces auditui, sapores gustui, vapores odoratui, tactui vero mollities et durities. *De mundi Opific.*

44. Disce quid visus, quid auditus, quid gustus, quid odoratus, quid tactus sit. *Prosec.*

45. Quid sit videre et quomodo videas, quid audire et quomodo audias, quid odorari, quid gustare, quid tangere et quomodo fiant hæc singula. *De Somniis.*

RUPERTUS ABB. 46. Cum quinque sint fenestræ nostræ, per quas mors ingreditur (id est quinque sensus corporis) in animam, tanquam fur aut prædo, omnium ad ejusdem mortis opus, visus efficacissimus est. Lib. 1, super *Hierem.*, cap. 75.

S. THOMA[S] AQUINAS. 47. Omnibus quinque sensibus dignior est visus : quia et spiritualior est, et plura demonstrat, quam alii sensus. Super I *Cor.*, cap. XII, lect. 3.

THOMAS A KEMPIS. 48. Sensuum custodia, puritatis est causa, pacis disciplina, devotionis camera. In *Hortulo Rosar.*, cap. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 49. Gustus est sensus ex omnibus maxime voluptarius, dulcedineque præter cæteros sensus commovetur. Lib. 3, *de Oratore*, num. 99.

50. Sensus interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Lib. 2, *de Natura deor.*, num. 140.

## SENTENTIA.

COLLECTO[R]. *Definitio*. Sententia est determinata acceptio alterius partis contradictionis. Judicium certum de altera parte contradictionis.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sententia, sententia superiore mutatur. Lib. 2, *de Virgin.*

2. Quot homines, tot sententiæ. *Ibid.*

3. Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. Lib. 2, super *Luc.*, cap. I, in illud : *Zacharias pater ejus*, etc.

S. ANTONIN. 4. Sis sine acceptione personarum : mox ubi liquebit de causa, justam de utraque parte feras sententiam. *Prosec.*

5. Nam dum causa anceps est, protelanda est sententia : quia festinata judicia pariunt pœnitentiam.

6. Si igitur in judicando periculum vitari non potest, nihil utilius quam differe sententiam.

7. Si autem alterutrius periclitatur utilitas, et rei difficultas moram non exigit, iniquissimum est judicium protelari. Part. 3, tit. 3, cap. 1, § 9.

S. ATHANAS. MAGNUS. 8. Sententia a majoribus confirmata, irrefutabilem habet confirmationem. *Oration. contra Idola.*

S. AUGUST. 9. Sententiarum veritas in sanctis libris Ecclesiasticis investiganda est. Lib. 2, *de Doctr. christ.*, cap. 31.

10. Mutata vita, mutatur sententia. Serm. 47, *ad Fratr. in eremo.*

11. Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut sponte confessum. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 2, quæst. 1, can. *Nos.*

12. In diversitate sententiarum verarum concordiam parit veritas. Lib. 12 *Conf.*, cap. 30.

13. Sententia propria mutanda est ad voluntatem Dei. Epist. 65.

14. Qui sententiam suam quamvis falsam at-

que perversam nulla pertinaci animositate defendunt, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. Epist. 162.

15. Turpe est mutare sententiam, sed veram et rectam : nam et stultam, et noxiam, et laudabile et salubre est. Epist. 210.

16. De his quæ animo ac mente sentiuntur, sententia vocabulum accepit. Lib. 2, *de Civit. Dei*, cap. 3.

17. Nullus sententiæ propriæ adhærere debet. Lib. 2, *de Anima et orig.*, cap. 16.

18. Qui cum judicio legunt, nulla venenata sententiarum pravitate læduntur. *Ibid.*, cap. 17.

19. Nimis amando sententiam usque ad hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. Lib. 2, *de Baptismo contra Donat.*, cap. 5.

20. Tutius est plurium, quam unius aut paucorum privatam sententiam sequi. *Ibid.*, lib. 3, cap. 4.

21. Ecclesiæ Catholicæ sententia cujusvis doctissimi sententiæ præponenda. *Ibid.*, lib. 5, cap. 17.

22. Sicut laudabile est a vera sententia non amoveri, ita culpabile persistere in falsa : quam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare. Lib. 3, *contra Crescon.*, cap. 3.

23. Sententia loquatur, cujus verba sic fulgent, ut si eam volueritis abscondere, quarumlibet tenebrarum latebras, suo nimio splendore perrumpat. *Ibid.*, cap. 21.

24. Humana temeritas cum in sententiam nefandi præcipitatur erroris, relinquere propter vanitatem pudet, et defendere contra veritatem non pudet. *Ibid.*, lib. 4, cap. 38.

BEDA.

25. Gravis animus dubiam non habet sententiam. In suis *Proverb.*, verbo *Gravis*.

BERNARD.

26. Nec præceps sis in sententia, nec vehemens in vindicta. Epist. 42, *ad Henric. Senonens. archiep.*

BONAV.

27. Mos perversarum mentium esse dignoscitur, si qua sententiæ suæ contraria propter istorum certitudinem inficiari non possunt, fraudulenta calliditate pervertere, et ad sensum trahere conantur repugnantem. In *Apolog. Pauper.*, resp. 3, cap. 3.

CYRILLUS HIEROSOL.

28. Justi judicis est, de singulis factis apte sententiam pronuntiare. Cateches. 2.

FELIX PAPA.

29. Absente alia parte sententia a judice dicta nullam obtineat firmitatem. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2 causa 3, quæst. 9, can. *Absente*.

GLOSS. DECR.

30. Sententia, quæ misericordiam vetat, fugienda est. In *Decretis Gratiani*.

GLOSS. ORD.

31. Sententiam veram certamque de ipsis rebus non habemus, qui non possumus hominum indagare conscientiam. *Prosec.*

32. Si suspiciones vitare non possumus (quia homines sumus) definitivas tamen firmasque sententias continere debemus. Super illud I *Cor.* IV : *Meipsum judico.*

GRATIAN.

33. Sententiam, quæ vetat misericordiam, non solum tenere, fratres, sed etiam audire, fugite : quia potior est misericordia. In *Decret.*, part. 1, dist. 50, can. *Ponderet.*

34. Apud Deum maledicitur, qui moribus dissonam profert sententiam. *Ibid.*, etc., can. *Si quis dixerit.*

35. Sententia injusta potius judicem lædit, quam eum in quem temere fertur. *Ibid.*, etc., can. *Nolite*, § *Hæc sententia.*

S. GREGOR. MAGNUS.

36. Non debet is pœnam sustinere canonicam, in cujus damnatione non est canonica prolata sententia. Lib. 2 *ex Registro*, indict. 11, cap. 48, epist. 9, *ad Antonium subdiacon.*

37. Omnipotens Deus plerumque mutat sententiam, consilium nunquam. Lib. 16, *Moral.*, cap. 4.

38. Sententia a sensu vocata est, et recta quæ intelligit sapiens, non ex sola scientia, sed ex sententia dicere appetit, qui nequaquam tantummodo sciendo dicere, sed sentiendo desiderat experiri quod dicit. *Ibid.*, lib. 23, cap. 10 num. 17.

39. Omnis sententia quo plus sacræ Scripturæ testimoniis confirmatur, facilius creditur. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 53, epist. 53, *ad Secundin. inclusum.*

40. Grave est satis indecens, ut in re dubia, certa dicatur sententia. *Ibid.*, lib. 8, ind. 3, cap. 80, *ad Constantium episc.*

41. Plerumque justæ serveritatis sententia per clementiam temperatur : magnæ autem districtionis hoc judicium est, ubi* animadversionis sententia replicando asseritur. Lib. 2, in I *Reg.*, cap. 3, super illud : *Prædixi enim*, etc.

42. Judicii ordo confunditur, si ante inventæ culpæ discussionem, sententia proferatur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4, *Applicate huc universos angulos*, etc.

43. Sententia non a suo judice dicta, nihil firmitatis obtineat. Lib. 11, in *Registro*, ind. 6, cap. 54, epist. 54, *ad Joan. Defensor.*

44. Sententia quæ sine scripto dicta fuerit, ne nomen quidem sententiæ habere meretur. *Ibid.*

45. Summopere præcavendum est, ne rectores Ecclesiæ, et qui publica judicia exercent, in dictandis sententiis, ullatenus levitate aut furore ducti, sint præcipites : sed causis prius diligenter ventilatis, cum res quæ ignorabatur ad notitiam pleniter venerit, tunc divina et humana lex resolvatur : et tunc secundum quod ibi constitutum

est (remota personarum acceptione) definitiva proferatur sententia. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, caus. 2, quæst. 3, can. *Summopere.*

S. HIERON. 46. Non pudet Christianos verbis dubiis hærere, et ambiguas librare sententias, quibus loquens magis, quam audiens decipitur? Epist. 15, *ad Pammach.*

47. Ubi quid ambiguum est, non cito sententiam proferamus. Lib. 2, super *Matth.*, cap. 13, can. 10, num. 140, super illud : *Qui seminat bonum semen.*

S. JOANNES CHRYSOST. 48. Nullæ sententiæ sunt ferendæ, nisi probatio præcedat. Homil. 42, super *Genes.*

49. Judicium præcedit mores, sententia actibus prior est. Serm. *de Jacob et Esau.*

50. Fons est perenniter manans divinarum vis sententiarum, nunquam deficiens, nunquam interquiescens. Homil. 5, *de Fide Annæ.*

51. Nunquam diversa merita, una adstringit sententia. Serm. *de Elia.*

52. Non a male, sed a bene valentibus accipienda est sententia. Homil. 14, super I *Cor.*

53. Non confundamus divinas litteras, neque sancti Spiritus sententias propriis sententiis pervertamus. Lib. 2, *de Compunct. Cordis.*

JOAN. TRITH. 54. Facilius impeditur sententia, quam revocetur. *De ruina Monast. Ordin.*, cap. 5.

S. ISIDORUS HISPAL. 55. Melior est ex scientia veniens, quam ex opinatione sententia : nam illa vera est, ista dubia. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 1.

NICOLAUS PAP. 56. Altera parte absente, diffinitiva non feratur sententia. Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 3, quæst. 9, can. *Revera.*

PETR. BLES. 57. Temerarium est in re periculosa et ardua, præcipitare sententiam. Epist. 44, *ad Arnulph. Lexoviens. episc.*

58. Tu non nisi ex assertione partium, et rationabili animi motu sentias ad sententias esse procedendum. *Ibid.*, tract. *de Inst. episcopi.*

S. PETRUS DAMIAN. 59. Sæpe sententia quæ ab uno considerata juris æquitate depromitur, ab aliis præjudicium deputatur. Opusc. 7, cap. 26.

PHILO JUD. 60. Ingenue sine fuco e sincera conscientia liberam sententiam depromere decet generosos animos. Lib. *Quod omnis probus liber sit.*

61. De incertis tutius suspenditur sententia. *De Profugis.*

RICHARD. A S. VICTORE. 62. Nulla sententia certior redditur, quam quæ ex communi animi conceptione formatur. Part. 1, lib. 4, *de Trinit.*, cap. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 63. Pertinax, et in sententia obfirmatus, de sententia non decedit, etiamsi suadeat ratio. Lib. 7, *Moral.*, cap. 9.

CICERO. 64. Vitiosum est in sententia, si quid absurdum, aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum est in verbis, si inquinatum, si abjectum, si non aptum, si durum est. *De optimo genere Orator.*, num. 7.

65. Quot homines, tot sententiæ. Lib. 1, *de Finib.*, num. 15.

MIMUS PUBL. 66. Gravis animus dubiam non habet sententiam. In suis *Sent.*, sent. 151.

SENECA. 67. Judex quam tulit de reo, sententiam, revocare non potest; immutabilis est, semel emissa. Lib. 3, *Controv.* 23.

68. Multi sunt, qui detracto verbo, aut mutato aut adjecto, putant se alienas sententias lucrifecisse : qui hoc faciunt, similes videri solent furibus, alienis poculis ansas mutantibus. *Ibid.*, lib. 5, *Controvers.* 34.

69. Difficilis est sententia, quæ non rem, sed vim rei quærit. Lib. 3, *de Benef.*, cap. 8.

Vide etiam tit. *Hæresis*, sent. 14; *Judicii corruptio*, sent. 68; *Mulier*, sent. 93; *Orator*, sent. 45; *Reus*, sent. 16.

## SEPULTURA.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. In sepulturis Christianorum, requies defunctorum est. Lib. 2, *Offic.*, cap. 28.

2. Nullis unquam negata defunctis inhibentur supremæ commercia sepulturæ. Lib. 5, epist. 31, *ad Valentinianum Imper.*

3. Sericæ vestes, et auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna viventium, non subsidia defunctorum sunt. *De Nabuthe*, cap. 1.

4. Unguentum accipis, o dives, postquam mortuus es, et fœtidus es, perdis alienam gratiam, nec acquiris tuam. *Ibid.*

5. Sola virtus comes est defunctorum, sola sequitur misericordia. Lib. 7, super *Luc.*, cap. XVII in illud : *Hominis cujusdam divitis*, etc.

6. Homines frustra pretiosa struunt sepulcra, quasi ea animæ, et non solius corporis receptacula sint. *De Bono mortis*, cap. 10.

S. ANTON. 7. Qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis et psallentium tantummodo vocibus debent ad sepulcrum deferri. Part. 1, tit. 5, cap. 1, § 10.

S. AUGU. 8. Ubicunque corpora fidelium sepeliantur, vel insepulta etiam inimicorum rabie relinquantur, aut pro eorum libidine dilacerata absumantur, non ideo vel minus integra, vel minus gloriosa in eorum resurrectione futura sunt. In quæst. *super Genes.*, lib. 1, quæst. 161.

9. Provisus sepeliendis corporibus locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum. *De Cura pro mortuis*, cap. 4.

10. Nec aliquid obest fidelibus negata eorum corporibus sepultura : nec aliquid, si exhibeatur infidelibus, prodest. *Ibid.*, cap. 9.

11. Corpori humano quidquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium. *Ibid.*, cap. 18.

12. Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 12.

13. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla. *Ibid.*

14. Sepultura humanorum corporum Christianis etiamsi fuerit negata, nil adimit. *Ibid.*, in titulo, cap. 12.

15. Multa corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam a cœlo et terra separavit, quam totam implet præsentia sui, qui novit unde resuscitet quod creavit. *Ibid.*, cap. 12.

16. Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum : sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium præbuit angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt. *Ibid.*

17. Sepulturæ curam philosophi contempserunt *Ibid.*

18. Non sunt contemnenda et abjicienda corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium. *Ibid.*, cap. 13.

19. Antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, et exequiæ celebratæ, et sepultura provisa : ipsique cum viverent, hæc de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus, filiis mandaverunt. *Ibid.*

20. Non hoc apud Deum perit, quod ex animis hominum membris officii diligentiæque persolvitur. *Ibid.*

21. Morere ut vivas, sepelire ut resurgas. *De verb. Apostoli*, serm. 15.

22. Qui humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum, etiamsi id faciat mente tranquilla adductus, officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. *De morib. Eccles.*, cap. 27.

23. Defuncta corpora necessariornm officiis sunt deducenda ad sepulturam, nec simulate, sed religiose : non autem deserenda inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morsibus projicienda. Epist. 19, cap. 2.

BONAV. 24. Sepulcra fœtida et immunda sunt intus, sed extra sunt pulchra : unde merito sepulcra dicuntur quasi semipulchra. Super *Luc.*, cap. XI, in illud : *Quia estis ut monumenta.*

25. Non valet impio Ecclesiastica sepultura, sed potius est ei ad pœnam. Serm. 2, *de S. Jacobo.*

26. Quid illi diviti valuit marmoreus locus? quid illi decor ille purpureus? quid turba plorantium famulorum, postquam ductus est ad infernum? *Ibid.*

27. O quam dura est domus ista sepulcri, et quam stricta, quam fœtida ; quam paupercula, et quam obscura, quæ communis est omnibus divitibus et pauperibus, rusticis et regibus, viris et mulieribus, parvulis et senibus! Serm. 2, *de S. Jacobo.*

28. Heu! qui paulo ante vivebat in deliciis in palatio, totus manducatur a vermibus in sepulcro *Ibid.*

29. A sepultura sacra excluduntur omnes excommunicati, omnes hæretici, usurarii, et omnes peccatores, nisi prius absoluti fuerint et confessi. *Ibid.*

30. Contemptus corporum mortuorum, non ad parvam refertur injuriam : nam si sepelire est pietatis officium, volatilibus cœli abjicere, magna crudelitatis constat exemplum. Super *Psalm.* LXXVIII, vers. 2. CASSIODOR.

31. Ad excitandam memoriam filiorum, diligenter commendatur sepultura patrum. Super *Gen.*, cap. 47. GLOSS. INT.

32. Sepelire mortuum, est opus misericordiæ; et ideo de condemnatis ad mortem, et suspensis in patibulo præcipitur hic quod non priventur sepultura. Super *Deuter.*, cap. 21. GLOSS. ORD.

33. Pompa funeris, agmina exequiarum sumptuosa, diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum qualiacunque solatia sunt; non adjutoria mortuorum. Super illud I *Thessal.* IV: *Sicut et cæteri, qui spem non habent.*

34. Cura sepeliendi et sepulcra construendi inter bona opera in Scripturis sanctis deputata sunt : impleant ergo homines erga suos officia postremi muneris. *Ibid.*, cap. 4.

35. Qui apud memorias Martyrum sepelitur, hoc tantum videtur mihi prodesse defuncto, ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur. In *Decretis*, part. 2, causa 13, quæst. 2, can. *Non æstimemus.* GRATIAN.

36. Grave nimis est, et procul nimis est a sacerdotis officio alienum, pretium de terra concessa putredini quærere, et de alieno velle facere luctu compendium. Lib. 7, *ex Registro*, indict. 2, cap. 55, epist. 55, *ad Januarium episcop. Sardiniæ.* S. [illegible] MAGN.

37. Sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, si quidem parentes ipsius,

proximive hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus : peti vero aut aliquid exigi, omnino prohibemus. *Ibid.*

38. Quod valde irreligiosum est, ne aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium. *Ibid.*

HAYMO. 39. Mortuo sepultura debetur. Serm. 2, *Dom.* 2, *post Pent.*

S. HIERON. 40. Legimus quamsæpe ad funera et ad sepulturas quorumlibet Sanctorum, angelos advenisse. et exequiis eorum obsequia præstitisse : nec non et animas electorum usque ad cœlos cum hymnis et laudibus detulisse. Epist. 10, *ad Paulam et Eustoch. de Assumpt. B. M.*

41. Ex simplici sepultura Domini, ambitio divitum condemnatur, qui nec in tumulis quidem possunt carere divitiis. Lib. 4, super *Matth.*, cap. 27, can. 1, num. 349, super illud : *Accepto corpore Joseph*, etc.

HUGO CARD. 42. Obsequim funeris in quatuor consistit : in lacrymis, in vigiliis, in orationibus, in oblationibus. Super *Genes.*, cap. 23.

43. Honestas sepulturæ, cum sine superfluitate et superstitione est, opus est misericordiæ. Super *Ecclesiastic.*, cap. 38.

S. INNOC. III 44. Casualiter mortuus privari non debet Ecclesiastica sepultura. Lib. 3, *Decret.*, const. 75.

S. JOANNES CHRYSOST. 45. Sepulturam non prohibeo, sed modus servetur, ut tegatur corpus, non nudum mandetur terræ. Homil. 84, super *Joan.*

46. Ubicunque sepeliamur, Domini est terra et plenitudo ejus. Homil. 26, super *Epist. ad Hebr.*

S. JOANNES DAM. 47. Omne sepulcrum fœtore refertum est, mœrorisque causa, et delectationis hostis. Orat. 2, *de Assumpt. beatæ Mariæ Virginis.*

LACT. FIRM. 48. Ultimum et maximum pietatis officium, est peregrinorum et pauperum sepultura. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 12.

49. Non patiamur figuram et figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere, sed reddamus id terræ, unde ortum est. *Prosec.*

50. Et quamvis in homine ignoto necessariorum sepulturam implemus, nulli prorsus munus negandum.

51. Et quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem, quæ est multo certior justiorque ; cum jam non homini præstatur, qui nihil sentit ; sed Deo, cui charissimum sacrificium est opus hoc justum. *Ibid.*

ORIGENES. 52. Homini mortuo sepultura religiose deferenda est. Homil. 3, in cap. 3, *Levitici.*

S. PETRUS CHRYSOL. 53. Miser dives accepit ante animæ, quam corporis sepulturam : nec ante quieti corporis, quam pœnali traditus est sepulcro. Serm. 124.

S. PETRUS DAMIAN. 54. Qui hodie induitur purpura, cras includitur sepultura : hodie qui hominibus dominatur, cras a vermibus factus putredo corroditur. *Prosec.*

55. Hodie qui regalibus infulis redimitur, cras vilibus panniculis exanime cadaver obvolvitur.

56. Hodie splendet coronatus in regalis excellentiæ solio, cras fœtet marcidus in sepulcro. Lib. 7, epist. 7, *ad Agnetem Imperatric.*

57. Hinc est quod sepultura vocatur ex more memoria, sc. ut per eam memorentur vivi, et percipiant refrigerium mortui. Serm. 2, *de Translatione S. Hilarii.*

58. Sepulcrum domus est vermium. Serm. 2.

PHILO JUD. 59. Vivi habent suas patrias, mortuorum omnis terra sepulcrum est. Lib. *de Joseph.*

60. Pars est benedictionis sepeliri; et e contra, maledictionis, sepultura carere more asini. Lib. 14, super *Joan.*, cap. 16, in illud: *Quia Parasceve erat.*

S. THOMAS AQUINAS. 61. Sepultura inventa est, ne horror et fœtor, sit vivis, et ad fidem resurrectionis futuræ. Super 4, sent. dist. 15, quæst. 2, art. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 62. Justitia est vita jam functis debitum præstare. Lib. 1 *de Virtutibus*, cap. 4.

PLATO. 63. Mortuis parentibus ea pulcherrima est sepulturæ forma, quæ moderatissima est. Syzygia 4, lib. 4 *de Legibus.*

64. Sepulcra sint in locis nullo modo excultis, neque ad culturam aptis, eaque nec magna, nec magno opere exquisita, sed ut defunctorum corpora recipiant. *Ibid.*, lib. 12.

PLINIUS J. 65. Impensa monumenti supervacua est, memoria nostri durabit, si vita meruimus. Lib. 9, *epist.* 19 *ad Rusonem.*

SENECA. 66. Omnibus natura sepulturam dedit, naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit : suffixorum corpora crucibus in sepulturam suam defluunt : eos qui vivi uruntur, pœna funerat ; sed homicida sui, insepultus abjicitur. Lib. 8 *Declamat.*, controvers. 4.

67. Ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit : quem sævitia projecerit, dies condet. Epist. 92.

68. Non defunctorum causa, sed vivorum inventa est sepultura : ut corpora et visu, et odore fœda amoverentur. *De remediis fortuitor.*

S. VALER. MAXIMUS. 69. Hostis judicatus, ultimo supplicio affectus, sepulturæ honore spolietur. Lib. 4, *Dictor. memorabil.*, cap. 7.

Vide etiam tit. *Infernus*, sent. 98; *Parentes*, sent. 55; *Suffragia defunctor.*, sent. 14, 15, 18, 23.

## SEQUI CHRISTUM.

. BONAV. *Difinitio.* Sequi Christum est se perfecte illi configurare. In cap. 18, *Luc.*, super illud : *Veni, sequere me.*

Quid est crucem accipere, et Dominum sequi, nisi patientiam servare, dum contingit affligi? Serm. 3, *de sancto Andræa.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

. AMBROS. 1. Tunc citius nostra exauditur oratio, cum Christum, quem mens alloquitur, etiam corpus sequatur. Serm. 56 *de Cruce Christi.*

2. Is qui Deum sequitur, tutus semper est. Lib. 4 *de Abraham*, cap. 2.

3. Disce vir, disce Christiane, quomodo verum Jesum sequi debeas. Super *Psalm.* XXXVII.

4. Si vis nil Regi debere terreno, relinque omnia, et sequere Christum. Lib. 9 super *Luc.*, cap. XX, in illud : *Cujus habet imaginem*, etc.

5. Societas Christi, esca est Christiani. Serm. 61 *de Pentecoste.*

6. Sequamur Jesum semper, nec desinamus : quod si semper sequamur, nunquam deficimus, dat enim vires sequentibus se. Lib. 7, epist. 54 *ad Siricium.*

ANSELM. 7. Christum fortiter imitari, dignum est et salubre et honorificum. In *Speculo Evang.*, serm. cap. 1.

ANTONIUS E PADUA. 8. Quid est a mundo exire, et ad Christum ire, nisi vitia refrænare, et animam vinculo amoris Deo religare? Serm. *Dom.* 5, *post Pascha.* super illud : *Quia à Deo existi.*

9. Surge et sequere me, ut non ulterius calces terram, sed ascendas in cœlum. *De Passione Salvatoris.*

AUGUST. 10. Qui didicerunt à Domino Jesu Christo mites esse et humiles corde, plus cogitando et orando proficiunt, quam legendo et audiendo. Epist. 112, *ad Paulinum.*

11. Quisquis vestigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit. Lib. 3 *de Doctrina christi.*

12. Crux carnis ipsa crucifigenda est, et transfigenda clavis timoris Dei, ne solutis et liberis membris reluctantem portare non possis : sequi enim Dominum, nisi eam portans, omnino non vales : nam quomodo eum sequeris, si non es ejus? Epist. 38, *ad Lætum.*

13. Incipiat proficere homo, incipiat velle ascendere, velle contemnere terrena, fragilia, temporalia, felicitatem sæculi pro nihilo habere, Deum solum cogitare, lucris non gaudere, a damnis non contabescere, omnia etiam sua velle vendere, et pauperibus tribuere, et sequi Christum. Super *Psalm.* CXIX.

14. Cum sequeris viam Christi, non tibi sæculi prosperitates promittas : per dura ambulavit, sed magna promisit. *Prosec.*

15. Sequere, noli tantum attendere qua iturus es, sed et quo venturus sis : tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiam pervenies sempiternam. Super *Psalm.* XXXVI, canc. 2, vers. 23.

16. Ut quid claudicatis ambobus inguinibus? Si Deus eligitur, serviatur illi : si mundus eligitur, ut quid fictum cor quasi Deo accommodatur. Lib. 4 *de Symbolo fidei*, cap. 1.

17. Non dedignetur quod fecit Christus., facere Christianus. Tract. 58, super *Evang. Joan*, de cap. XIII.

18. Via tibi factus est ipse Salvator, surge ambula, pigrescere noli. Habes quo, sed forte quæris quo? vides viam, et quæris quo ducat hæc ipsa via? ad vitam ducit : si amas vitam, et cupis ad vitam venire, a via noli errare. *De quatuor virt. charit.*

19. Via nostra Christus est, Christum attende. Pati venit, sed et glorificari : contemni, sed etiam exaltari : mori, sed etiam resurgere. Opus te terret? mercedem vide. Serm. 6 *de Verbis Dom.*

20. Nihil dignius est quam ut homo sui auctoris sit imitator, et secundum modum propriæ facultatis divini sit operis executor. Serm. 2, *Sabbat. post Dom. Quinquages.*

21. O quam plures sunt qui prius dæmonem sequuntur quam Deum! Serm. 33, *ad Fratr. in eremo.*

22. Deum si sequimur, bene : si assequimur, non tantum bene; sed etiam beate vivimus. *De morib. Eccles.*, cap. 6.

23. Multi consentiunt diabolo, et pauci Deum sequuntur. *De Cathechiz. rud.*, cap. 19.

24. Non vehementius diabolum prosternimus, quam cum humilitate Deum sequimur. *Ex homil. quinquaginta*, homil. 50, cap. 3.

25. Qui vult sequi Christum amando negat seipsum : si enim, perit homo amando se, profecto invenitur negando se. Serm. 47 *de Diversis*, cap. 1.

26. Fias imitator Christi : non Antichristi : Dei, non adversarii Dei. Imitatio Christi est humilitas. imitatio diaboli est elatio. Serm. 2, *Exercitamentor.*

27. Multa tibi toleranda, ut ad Christi imitationem pervenias; alapa seu pugillo cæsus es? expuit aliquis in faciem? eadem et Dominus est passus : calumniam pateris? et Dominus : nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Homil. 10 *de Ira.*

28. Discere semper habet, qui Christum vult imitari. In suis *Proverbiis*, verbo *Discere.* V. BEDA

29. Christum sequi, imitari est : quem non

tantum gressu, quam affectu oportet consectari. Lib. 2, super *Luc.*, cap. v, in illud : *Secutus est eum.*

30. Magna cupiditate sequendi Dominum ductus est, qui in nullo prorsus hujus vitæ respectu vel cogitationem sibimet reservat. *Ibid.*

S. BERNARD. 31. Si hominis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi auctorem tuum. *Prosec.*

32. Si non potes forsitan sequi eum quocumque ierit, dignare vel sequi quo tibi condescendit : hoc est, si non potes sublimem incedere semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis.

33. A cujus rectitudine, si qui etiam de virginibus deviaverint, ut verum fatear, nec ipse sequuntur agnum quocumque ierit.

34. Sequitur quidem agnum coinquinatus humilis, sequitur et virgo superbus, sed neuter quocumque ierit. Homil. 1, super *Missus.*

35. Tu qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum : ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Serm. 3 *de Nat. Domini.*

36. Quidam sunt, qui non sequuntur Christum, sed fugiunt : alii non sequuntur, sed præeunt : nonnulli sequuntur, sed non assequuntur : alii sequuntur, et consequuntur. *Prosec.*

37. Non sequuntur sed fugiunt, qui necdum peccare desistunt.

38. Non sequuntur, sed præeunt, qui magistrorum sententiis, suas præferunt.

39. Sequuntur, sed non assequuntur, qui segniter ac remisse agunt, vel usque ad finem non perseverantes, de medio itinere revertuntur.

40. Sequuntur, et consequuntur, qui viam humilitatis Christi devoto mentis affectu perseveranter imitantur.

41. Fructus imitationis Christi, mansio est æternæ beatitudinis. Serm. 22 *de Parvulis serm.* per totum.

42. Imitator Christi tria debet agere : simplicis innocentiæ sensum tenere, ut cum Christo puer efficiatur ; abjectum et humilem habitum amare, ut infantiæ Christi pannis vilibus involvatur ; in disciplina simpliciter ambulare, ut cum Christo in præsepio positus inveniatur. In suis *Sentent.*, cap. *Imitator.*

43. Quis non potest Christum libenter atque alacriter currat, qui ab errore liberat, et errata dissimulat : qui deinde merita vivendo tradit, præmia moriendo conquirit. Serm. 21, super *Cant.*

44. Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi ? *Prosec.*

45. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam, factus est obediens usque ad mortem. Epist. 253, *ad Abbat. Garin.*

46. Sane felices liquet esse, qui exonerati sunt, et sequuntur Dominum expediti. In *declamat.*

47. Væ portantibus crucem Christi, et non sequentibus Christum. In *Apolog. ad Guillelm. abbat.*

48. Nudus Christum nudum quisque sequatur. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 23.

49. Qui crucem post Christum portat, debet mundo mori : nam crucem ferre, semetipsum est mortificare : crucem ferre et non mori, simulatio hypocritarum est. Serm. 1 *ad Sororem.*

50. Bajulum crucis non gravat, sed levat : non deprimit, sed extollit : non quassat, sed erigit. Serm. 2, in *Cœna Domini.* S. BONA

51. Impedimenta ne perfecte Christum homo sequatur, sunt septem : criminale flagitium, corporale solatium, temporale negotium, particulare litigium, populare consortium, paternale hospitium, puerile desiderium. Super *Luc.*, cap. 5, in illud : *Secuti sunt eum.*

52. Magna honorificentia est sequentis Dominum in præsenti, et magna mirificentia præmii in futuro. Collat. 41, in cap. VIII, *Joan.*

53. Vere dicuntur crucem ferre et Dominum sequi, qui noverunt a deliciis abstinere, et carnem ne valeat lascivire, sobrietate coercere. Serm. 3, *de S. Andræa.*

54. Multi vellent sequi Christum in prosperis et non in adversis : vellent cum Christo regnare, et non cum ipso certare in stadio. Tit. 2 *Diætæ*, cap. 1.

55. Verus Dei cultor, Christique discipulus, ad hoc potissimum attento mentis conatu intendere debet, ut Christi Jesu crucem circumferat jugiter, tam mente, quam carne. *De ligno vitæ.*

56. Non potest expedite sequi Christum, qui oneratus est temporalibus rebus. Lib. *Medit. vitæ Christi*, cap. 21.

57. Multi sunt qui Deum nolunt imitari in prosperis, unde necesse est deterreri in adversis. In *Soliloq.*, cap. 4.

58. Hæc est summa et perfectissima Christi imitatio, hæc est summa et perfecta religio et religiosa perfectio, scilicet Christum sequi in passione et morte. Part. 1. in *Stimulos amoris*, cap. 4.

59. Quid beatius quam illum sequi, qui humanum genus inflictam mortem fecit evadere ? *Psalm.* XXIII. CASSIOD

60. Non poterit quis Deum imitari, nisi eo quod sancte colat : neque colere, nisi eum imitetur. In *Orat. adhort. ad gentes.* CLEME ALEX

CYPRIAN. 61. Si Christum continentia sequitur, quid est illi cum terreno cultu, et cum ornamentis ? quibus dum hominibus placere gestit, Deum offendit. *De discipl. et habitu virgin.*, cap. 3.

DIONYSIUS CARTHUS. 62. Qui Christi confessor dicitur, Christum quem confitetur imitetur. *De unit. eccles.*

63. In imitatione conversationis Passionisque Christi, tota nostra consistit perfectio. Super *Epist.* I *Petri*, cap. IV, art. 8.

64. Nudos quærit nudus Jesus. In *Exhort. ad Novit.*, art. ult.

EUSEBIUS CÆSARIENS. 65. Impossibile est divitiis affluere, et Christum sequi. Epist. *ad Damas. Papam, de Morte D. Hieron.*

66. Sequentes Dominum tanto verius crucem tollunt, quanto acrius se edomant, et erga proximos charitatis compassione crucientur. Super lib. *Judic.*, cap. 7.

GLOSS. ORD. 67. Mali Christum sequuntur, ut morientem læti aspiciant : mulieres sequuntur, ut quem vivere desiderabant, moriturum, morientem, et mortuum plorarent. Super illud *Luc.* XXIII : *Sequebatur illum multa turba.*

S. GREGOR. MAGNUS. 68. Sequentes Dominum tanto verius crucem tollunt, quanto acrius et se edomant, et erga proximos suos charitatis compassione crucientur. Lib. 30 *Moral.*, cap. 17, num. 33.

69. Redemptor noster per mortale corpus, omne quod egit, hoc nobis in exemplum actionis præbuit, ut pro nostram virium modulo ejus vestigia sequentes, inoffenso pede operis præsentis vitæ carpamus viam. Lib. 1 *Dialogi.*, cap. 9, verbo *Redemptor.*

HAYMO. 70. Tanto liberius Christum sequi potes, quanto minus divitiarum funibus fueris illigatus. Serm *de S. Andræa.*

71. Maximum est sequi Christum, ut cum despectu quippiam possidendi, etiam omnia agere secundum voluntatem Dei studeamus. Lib. 7, super *Levit.*, cap. 23.

S. HIERON. 72. Nudum Christum nudus sequere : durum, grande, difficile : sed magna sunt præmia. Epist. 4, *ad Rustic.*

73. Veni, sequere me : verba vertis in opera, si nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior scandis scalam Jacob. Epist. 13, *ad Paulinum.*

74. Nos suffarcinati auro, Christum pauperem sequimur. *Ibid.*

75. Tutissimum est ejus vestigia sequi, qui dixit : Ego sum via, veritas et vita. Epist. 14, *ad Celantiam.*

76. Quid eo sapientius, qui contempta mundi stultitia, Christum secutus est, Dei virtutem, et Dei sapientiam? Epist. 26, *ad Pammach.*

77. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris : Christum autem sequitur, qui peccata dimittit, et virtutum comes est. *Ibid.*

78. Qui in Christum credimus, Christi sectemur exempla. Lib. 1, *advers. Jovian.*

79. Crux Christi facilis est; nudum post Christum ire, ludus est, jocus est. Lib. 2, *dialog. advers. Pelag.*

80. Vis esse perfecto, et in primo stare fastigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere Salvatorem, et nudam solamque crucem, nuda sequaris et sola. Epist. 28, *ad Hedibiam.*, quæst. 1.

81. Si vis partem habere cum Christo, Christi tibi exemplo vivendum est. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

82. Mens Christum sequens, non diu sæculi sustinet onus, nec se patitur istiusmodi vinculis alligari. Epist. 19, *ad Præsidium, de Cereo paschali.*

83. Si Christi cœperis sequi, et in ejus servitio perseveraveris militare, finis militiæ tuæ erit regnum non terræ et temporis, sed æternitatis et cœli. Epist. 24, *Ad quemdam militem.*

84. Nihil est dignius, quam ut homo sit auctoris sui imitator, et secundum modum propriæ voluntatis divini sit operis executor. In *Regula monachor.*, cap. 18, *de Laude Religion.*

85. Ne semel putemus ardorem fidei posse sufficere, semper crux portanda est, ut semper nos Christum sequendo amare doceamus. Lib. 1, super *Matth.*, cap. 10, can. 5, num. 96, super illud : *Qui non accipit crucem suam*, etc.

86. Cui mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum. Lib. 3, super *Matth.*, cap. XVI, can. 2, num. 170, super illud : *Et tollat crucem suam*, etc.

87. Multi divtias relinquentes, Dominum non sequuntur : sequitur autem Dominum, qui imitator ejus est, et per vestigia illius graditur. Lib. 3, super *Matth.*, cap. 19, can. 2, num. 194, super illud : *Si vis perfectus esse*, etc.

88. Sequendus Jesus est, non tam pedibus, quam virtutibus. *Ibid.*, cap. 20.

89. Docemur Christum secuturi, et sæcularis vitæ sollicitudine, et paternæ domus consuetudine non contineri. Super *Matth.*, can. 3. S. HILAR.

90. Iste sequitur factorem suum, qui tendit ad quod dirigitur, qui festinat pervenire quo invitatur, qui legibus bene præsidentis obtemperat, qui jubentis imperio spontanea se ad omnia voluntate inclinat. Homil. 10, super *Ecclesiasten*, in illud : *Ut sequi possit factorem suum*, etc. HUGO A S. VICTORE.

91. Christi imitatores quanto descendunt ad vilia et aspera, tanto ascendunt ad gloriam et delicias Paradisi. Super *Gen.*, cap. XXVIII. HUGO CARD.

92. Tria requiruntur ad hoc, quod aliquis sit discipulus Christi : scilicet ut relinquat sua, suos, et seipsum, sic se tribulationi exponat. Super *Psalm.* XCIII.

93. Quidam sequebantur Christum, ad vitæ reformationem, ut discipuli; ad morborum curationem, ut infirmi; ad observationem fidei, ut Pharisæi; ad corporalem refectionem, ut egeni; ad novorum miraculorum considerationem, ut curiosi. Super *Marc.*, cap. X.

94. Abneget se homo in prosperitate, tollat crucem in adversitate patienter sustinendo, et sequatur Dominum in vera dilectione. Super *Luc.*, cap. 9.

95. Qui inceperunt Dominum sequi, non debent retro respicere, vel quasi canis ad vomitum redire, ne cum uxore Loth mutentur in statuam salis. *Ibid.*, cap. 9.

96. Maxima gloria est, sequi Dominum. Super *Joan.*, cap. 6.

97. Plurimi sunt, qui Deum sequuntur, et non assequuntur, quia fugit ab eis. Super I *Tim.* IV.

IDIOTA. 98. Magna gloria est, sequi Dominum. Lib. 2, *Contemplat. de vera patientia*, cap. 3.

JOAN. CASS. 99. Multis viis ad Deum tenditur; et ideo unusquisque illam quam semel arripuerit, irrevocabili cursus sui intentione conficiat, ut sit in qualibet professione perfectus. Collat. 14, *Abbat. Nesterotis*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 100. Qui relicto diabolo venit ad Christum, difficile revertitur ad diabolum. Homil. 2, super *Matth. oper. imperf.*

101. Qui a diabolo venit ad Deum, nunquam debet amplius per illam viam ambulare, per quam venit ad diabolum. *Prosec.*

102. Venisti per viam fornicationis? ambula per viam castitatis : venisti per viam avaritiæ! ambula per viam eleemosynæ. Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regno vadis diaboli, et fis proditor Christi. *Ibid.*

103. Nihil est dignius, quam ut homo sit auctoris sui imitator, et secundum modum propriæ facultatis divini operis sit executor. *Ibid.*, homil. 38.

104. Valde mirum et prodigiosum est, eos qui videntur crucem suam sustulisse et sequi Christum, per latam et spatiosam velle incedere viam. Lib. 1, *de Compunct. cordis.*

JOAN. TRITH. 105. Ille veraciter Dominum sequitur, qui ejus servat humilitatem. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 1.

106. Si volumus sequi Christum in cœlum ascendentem, oportet ut eum hic in terris imitemur humiliantem. In cap. 7, *Regul. S. Bened.*, grad. 2, verbo *Gradus.*

107. Christum imitari quisquis recusat, non Christianus est : quoniam quisquis Dominum et Salvatorem nostrum non sequitur, nihil ei prodest ad salutem quod Christianus nuncupatur. Lib. 1, homil. 1, *ad Monachos.*

108. Nemo Christum in veritate sequitur, qui carnem suam delicate nutrit. *Ibid.*, homil. 15.

109. Nemo cum Christo regnabit in cœlis, qui eum sanctis moribus non imitatur in terris. *Ibid.*, homil. 17.

110. Si minister Christi es, Christum sequere : si autem imitari renueris, Christi minister non es. Epist. 14, *ad Nicol. Presbyt. Mernicens.*

111. Nec nostro ministerio Deus indigens, jussit ut eum sequeremur : sed ut nobisipsis attribueret salutem. Sequi enim Salvatorem, participare est salutem, et sequi lumen, participare est lumen. Lib. 4, *Advers. hæres.*, cap. 28. S. IRENÆUS.

112. Tu præda onustus incedis, et spolia geris, quæ irritant animos, etiam tuorum : quot periculis quot casibus, cum his malis opibus subjaces? Sequere Deum abjectis operibus, quæ te premunt : libera teipsum compedibus et catenis, et expeditus ad Deum curras. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 12. LACT. FIRM.

113. Qui Deum secuti, parentes corporisque desideria contempserint, et virtutem præferentes voluptatibus, innocentiam justitiamque servaverint, hos Deus ut sui similes recognoscit. *De ira Dei*, cap. 19.

114. Deus nobis sequendus est, Deus adorandus : quoniam in eo est materia rerum, et ratio virtutum, et fons bonorum. *Ibid.*, cap. 23.

115. Si præcipientem Christum sequi non potes, sequere antecedentem. Lib. 4, *de Divin. inst.*, cap. 24.

116. Quisquis rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cœlum; non hominem sequi, sed Deum. *Ibid.*, lib. 6, cap. 8.

117. Magna prorsus res est abnegare se, tollere quotidie crucem, et sequi Christum. *De Obedient.*, cap. 26. S. LAURENT. JUSTIN.

118. Nihil est dignius, quam ut homo sit sui auctoris imitator, et secundum modum propriæ facultatis, divini sit operis executor. Serm. 5, *Quadrag.* in fine. S. LEO I.

119. Frustra appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi. Serm. 5, *de Nativit.*

120. Summa totius Philosophiæ Christianæ hæc est, ut ducem nostrum Jesum per veram humilitatem sequi contendamus. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 7. LUDOVICUS BLOSIUS.

121. Gaudeat discipulus, dum imitatur magistrum : exultet servus, dum sequitur Dominum. Lib. 1, *Enchirid. parvulor. Document.* 12.

S. MAXIMUS MART.

122. Qui Dei charitatem in se possidet, non fatigatur sequendo Dominum Deum suum. Centur. 1, *de Charit.*, cap. 28.

123. Nemo qui servit mundi materiæ, Dominum imitari potest. *De Incarnat. Verbi.*

PETR. BLES.

124. Sequere eum, quem voveras sequi, et ipse votis tuis misericorditer et efficaciter aspirabit. Epist. 11, *ad Cleric. quemdam.*

125. Quod Filium Dei decuit, vos dedecere non debet. *Ibid.*, epist. 147, *ad Episc. Bangoriens.*

126. Omnis Christi actio, Christiani est lectio. *Ibid.*, serm 9, *de Purificat.*

PETR. CEL.

127. Nihil ad cœlum, euntibus tutius, quam sequi stratam sanguine Christi tinctam. Lib. 7, epist. 5, *ad Abbat. Villariens.*

S. PETRUS CHRYSOL.

128. Decipit, non accedit, qui promittit Dominum incaute sequi. Serm. 19, in princ.

S. PETRUS DAMIANUS.

129. *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Solemne Verbum, magna promissio, opus sanctum, dignum benedictione, relinquere omnia, et sequi Christum. *Prosec.*

130. Hæc sunt verba voluntariæ persuasoria paupertatis, quæ monasteria genuerunt, quæ claustra monachis, anachoretis silvas copiosius repleverunt.

131. Magnum revera est, relinquere omnia; sed majus, Christum sequi : cum multos omnia reliquisse, nec Christum secutos fuisse legamus.

132. Hoc opus, hic labor est, hic salutis humanæ summa consistit : nec Christum possumus sequi, nisi omnia relinquamus; quia oneratus eum sequi non potest.

133. Merito relinquit omnia qui sequitur eum, qui est super omnia. Serm. 9, *de S. Benedicto.*

134. In imitatione Christi, summa nobis felicitas reservatur. Serm. 47, *de Exalt. S. Crucis.*

135. Abnegator sui, sectator est Christi. Opusc. 11, cap. 19.

PHILO JUD.

136. Revera solus liber est, qui solum Deum sequitur. Lib. *Quod omnis probus liber sit.*

137. Qui pietatis et summæ virtutis sectator factus est, Deum sequi studet. Lib. *de Abraham.*

138. Debet curare mens, ut non modo indefessa et intenta sequatur Deum, verum etiam per callem rectam incedat, nec ad dextram declinans, nec ad lævam. *De migrat. Abrahæ.*

S. PROSPER.

139. Quid est Christum sequi, nisi præstare beneficia etiam ingratis? non retribuere secundum merita sua malevolis? orare pro inimicis, amare onos, misereri perversis, invitare aversos, suscipere in charitate conversos, et æquanimiter pati ubdolos ac superbos? Lib. 2, *de Vita contempl.*, ap. 21.

RICHARDUS A S. VICT.

140. Christum sequere, si non vis errare. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 77.

SALVIANUS.

141. Ubi sequimur Christum? videlicet vestigia Salvatoris sequimur in circis, vestigia Salvatoris sequimur in theatris. Lib. 6, *de Gub. Dei.*

142. Qui expediti, aut omnibus, aut pene omnibus sarcinis Salvatoris viam sequuntur et Dominum Jesum Christum non sanctitate tantum, sed etiam paupertate imitantur, Christi imagines sunt. *Ibid.*, lib. 2, *ad Eccles. Cathol.*

S. THEODOR.

143. Imitatur Deum, quantum imitari licet, qui ea diligit odioque prosequitur, quæ Deus amat ac detestatur. Lib. 12, *di Virtute activa.*

THOMAS A KEMPIS.

144. Habet Jesus multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos bajulatores suæ crucis. *Prosec.*

145. Multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis, sed pauci usque ad bibendum calicem Passionis. Lib. 2, *de Imit. Christ.*, cap. 11.

146. Tolle crucem tuam, et sequere Jesum, et ibis in vitam æternam : præcessit ille bajulans sibi crucem, et mortuus est pro te in cruce, ut et tu tuam portes crucem, et mori affectes in cruce. *Ibid.*, cap. 12, sect. 2.

147. Vita tua, vita nostra : nisi tu nos præcessisses et docuisses, quis sequi curaret ? *Ibid.*, lib. 3, cap. 18, sect. 3.

148. Sequere me, ego sum via, veritas et vita : sine via non itur ; sine veritate non cognoscitur, sine vita non vivitur. *Prosec.*

149. Ego sum via quam sequi debes : veritas, cui credere debes : vita, quam sperare debes.

150. Ego sum via inviolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis.

151. Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata. *Ibid.*, cap. 56.

152. Christus veritas est, et qui sequitur Christum, amator est veritatis, et omnis virtutis. In *Hortulo Rosar.*, cap. 10, sect. 2.

153. Fuge mundum et sequere Christum, ut evadas infernum, et intres cum eo in cœlum. In *Hospital. pauper.*, cap. 9.

S. THOMAS A VILLA NOVA.

154. Jam sine munusculis nemo sequitur Deum. Conc. *de S. Romano.*

S. VALER. EPISCOPUS.

155. Non longe nobis quærendus est, quem sequamur. Homil. 26.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO.

156. Vetera sunt præcepta sapientium ; sequi Deum, et se noscere. Lib. 5 *de finibus.*

PLATO.

157. Danda est opera, ut Deo quam proxime fieri potest assimilemur, atque conformemur : Deo autem nos assimilat justitia et sanctitas cum sapientia conjuncta. Syzygia 2 *de Scientia.*

158. Deo gratum amicumque hominem necesse est, cum queat maxime talem evadere qualis sit Deus. Syzygia 4, lib. 11 *de Legibus.*

SENECA.

159. Deum sequere, quæ autem dementia est potius trahi, quam sequi? *De beata vita*, cap. 15.

160. Optimum est Deum (quo auctore cuncta proveniunt) sine murmuratione comitari : malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Epist. 105.

161. Honor summus Deo, est scire eum et imitari : simile quidem Deo per omnia nihil est, grata tamen ei est, inferioris (quantum possibile est) imitatio. Sent. 38.

162. Relinquens quæ possides, sequere verbum Dei. *Ibid.*, sent. 255.

163. Sapiens sequitur Deum, et Deus animam sapientis. *Ibid.*, sent. 404.

Vide etiam tit. *Christianus*, sent. 61; *Jesus*, sent. 50; *Imitatio*, sent. 6; *Laqueus*, sent. 9; *Militia*, sent. 3; *Negare Deum*, sent. 24, 25; *Patria*, sent. 11; *Paupertas Christi*, sent. 24; *Pœnitentia*, sent. 123; *Proprietas*, sent. 99; *Relinquere*, sent. 73, 93; *Renuntiatio sui*, sent. 5; *Via*, sent. 18.

## SERVIRE DEO.

DIONYSIUS CARTHUS. *Definitio.* Quid est Christo servire nisi diabolo, mundo, carni, ac propriæ voluntati victorialiter dominari? Super *Apocalyps.*, cap. 5. art. 6.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Tripliciter servimus Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobismetipsis, cognoscentes eum in semetipso. Lib. 4, *Miscellan.*

HUGO CARD. Modus serviendi Deo triplex est : per munditiam interiorem, per bonam operationem, per rectam intentionem. Super *Luc.*, cap. 1.

S. THOMAS AQUINAS. Duplex est Dei servitus : una timoris, alia amoris : timoris, quæ non competit Sanctis; amoris, quæ Sanctis convenit. Super *epist. ad Rom.*, cap. 1, lect. 1, in illud *Joan.* 15 : *Jam non dicam vos servos*, etc.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. *De fuga sæculi*, cap. 2.

2. Suis se abneget, qui servire Deo gestit. *Ibid.*, etc.

3. Servitus Dei voluntatis est, non necessitatis : est enim necessitatis infirmior, voluntatis fortior : quia pulchrius est bonum, quod non ex necessitate fit, sed ex voluntate. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum*.

3 *bis*. Servum Dei non custodia corporalis, sed Domini providentia sepire consuevit. Lib. 5. *Epist. orat. in Auxentium.*

S. AMBROS. & S. AUGUST. 4. Deo servire, regnare est. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem*. S. Augustin., lib. *Medit.*, cap. 32.

S. AMBROS. 5. Tuus sum ego, et facilis vox et communis videtur, sed paucorum : satis rarus enim est, qui potest dicere Deo, Tuus sum. Ille dicit, qui non solum voce, sed et corde dicit ; ille dicit, qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non novit. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 12, vers. 6 : *Tuus sum ego.*

6. Servus Domini nihil debet alienis : pretiosa hæc servitus, quæ virtutum constat expensis. *Ibid.*, serm. 26, vers. 2.

7. Disce Deo esse subjectus, ut non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum. Lib. 10, super *Luc.*, cap. 22, in illud : *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

8. Prudenter Deus tibi servire vult, non ut nimietate sua debiles fiant, qui serviunt, et postea medicorum suffragia requirant. *Prosec.*

9. Temperandum est enim, ut si fieri potest, cœptum obsequium gradatim provehatur, quam per inconsiderantiam minuatur. Super I, *Tim.* V.

10. Nulla major est dignitas ; quam servire Christo. In *Exhort. ad Virgines.*

11. Melius esset ut Deo quis sine professione serviret spontaneus, quam in monasterio professione se alligans servire cogeretur invitus. *De similitud.*, cap. 81. S. ANSELM.

12. Vacare Deo non otium, scilicet malum, sed negotium negotiorum. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 14, § 1. S. ANTONIN.

13. Miles Christi habere debet equum bonæ voluntatis, sellam humilitatis, strepas, seu strapedas constantiæ, calcaria gemini timoris, frænum temperantiæ, clypeum fidei, loricam justitiæ, galeam salutis, lanceam charitatis. Serm. *Dom.* 21, *post Trinit.* S. ANTONIUS DE PADUA.

14. Generale pactum est societatis humanæ, obedire Regibus suis : quanto magis Deo regnatori universæ creaturæ ad ea quæ jusserit sine dubitatione serviendum est? Lib. 3 *Conf.*, cap. 8. S. AUGUST.

15. Ille ab omnibus liberat, cui servire omnibus utilissimum est, et in cujus servitio placere perfecte sola libertas est. *De Quantitate animæ*, cap. 34,

16. Non creaturæ potius, quam Creatori serviamus. *De vera Relig.*, cap. 10.

17. Optimus minister tuus est, Deus, qui non magis intuetur hoc a te audire, quod ipse voluerit : sed potius hoc velle, quod a te audierit. Lib. 10 *Confess.*, cap. 26.

18. Tales servos suos meliores esse Deus judicat, qui ei serviunt liberaliter. *De vera Relig.*, cap. 14.

19. Liberaliter Deo Angeli serviunt, sed non hoc Deo, sed ipsis prodest. *Ibid.*

20. Deus nostra servitute non indiget, nos vero

dominatione illius indigemus : ut operetur, et custodiat nos, et ideo verus solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram utilitatem salutemque servimus. Lib. 8 *de Genesi ad litteram*, cap. 11.

21. Justus liberaliter Deo servit, injustus autem compeditus. servit. *Prosec.*

22. Boni tota voluntate Deo serviunt, mali autem necessitate. *De Agone christiano*, cap. 7.

23. Ubi homo Deo non servit, nullo modo potest juste corpori, aut humana ratio vitiis imperare. Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 21.

24. Quamlibet videatur animus corpori, et ratio vitiis laudabiliter imperare : si tamen Deo animus et ratio ipsa non servit, sicut sibi serviendum esse ipse Deus præcepit, nullo modo corpori vitiisque recte imperat. *Ibid.*, cap. 25.

25. Sperate felicius, cui servitis instantius. *De sancta Virginitate*, cap. 27.

26. Magna felicitas est, esse Dei servum, etsi cum compedibus. Super *Psalm.* XCIX, vers. 1 : *Servite Domino in lætitia.*

27. Libera servitus est apud Dominum, libera servitus, ubi non necessitas, sed charitas servit. *Ibid.*

28. Servum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit. *Ibid.*

29. Servus es Domini, libertus es Domini, non te sic quæras manumitti, ut recedas de domo manumissoris tui. *Ibid.*

30. Ut quid claudicatis ambobus inguinibus ? Si Deus eligitur, serviatur illi : si mundus eligitur, ut quid fictum cor quasi Deo accommodatur? Lib. 4 *de Symbolo fidei*, cap. 1.

31. Scio Domine, scio et fateor, quia indignus quidem sum tibi servire, sed tu non es indignus servitio creaturæ tuæ : da ergo mihi, Domine, unde tu es dignus, et ego ero dignus unde sum indignus. *Prosec.*

32. Fac me quomodo vis a peccatis cessare, ut quomodo debeo possim tibi servire. In *Medit.*, cap. 10.

33. Christi ille non famulus, sed subsannator est et derisor, qui ejus se servum dicit, cui servire dissimulat. *De Vita christiana*, cap. 1.

34. Vis ut serviat tibi caro tua ? oportet te servire Deo tuo : regat te præpositus, ut possit a te regi subjectus ; infra te est caro tua, supra te est Deus tuus. *De utilit. jejunii.*

35. Vis ut serviat caro tua animæ tuæ ? Deo serviat anima tua : debes regi, ut possis regere. *De verb. Dom.*, serm. 43.

36. Qui Deo se committit, diabolum non timet. *Ibid.*, serm. 28.

37. Non est laboriosa, sed amabilis et optanda, servitus in Dei laudibus perpetuo assistere. Serm. 4 *de Innoc.* et in ord. 1.

38. Qui propter lucrum temporale servit Deo, quisquis talis est, mercenarius est. Hab. apud Gratianum in *Decretis*, part. 2, causa 8, quæst. 1, can. *Sunt.*

39. Tibi serviat quidquid utile puer didici, tibi serviat quod loquor et scribo et lego. Lib. 1, *Conf.*, cap. 15.

40. Non me fecisti ut sic te colam : sed ut quasi terram, ut sis incultus si te non colam : serviam tibi. *Ibid.*, lib. 13, cap. 1.

41. Magna est utilitas homini, quod Deo servit. Lib. 8 *de Gen. ad lit.*, cap. 13.

42. Nihil hac pœna justius, quam ut non ad omnem nutum serviat corpus animæ, sicut Domino suo detrectavit ipsa servire. *Ibid.*, lib. 9, cap. 11.

43. Quibusdam est utilis servitus : et Deo quidem ut serviatur utile est omnibus. Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 21.

44. Omnes sensus meos, cogitatus et actus dirigere digneris, ut de cætero tibi serviam. Lib. *Medit.*, cap. 37.

45. Oportet animam affectibus quidem imperare, Deo autem servire : neque enim fieri potest, ut ipsa simul et peccatum et Deum pro Rege habeat : verum necesse est ut vitium sub potestatem redigat, Domino autem omnium serviat. Apud. D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 30. S. BASILIUS MAGNUS.

46. Coactum servitium Deus non quærit. In suis *Prov.*, verbo *Coactum.*

47. Fidelius et gratius Deo obsequium est, quod amore magis, quam metu geritur. *Ibid.*, verbo *Fidelius.* V. BEDA.

48. Robusti corpore, nisi Deo, a quo vires habent, devote famulentur, pro hoc pœnas patientur, *Ibid.*, verbo *Robusti.*

49. Professio hæc est fidei Christianæ, ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est. Serm. *de verbis Psalm.* XXIII. S. BERNARD.

50. Nullus sapiens ab illius se vellet absolvere servitio, cui servire regnare est, quis autem regnare nolit ? *Prosec.*

51. Vis regnare feliciter ? servi benigno Jesu et regnabis ; quia illi servire, regnare est. Lib. *de Passione Domini*, cap. 30.

52. Ministerium ministrorum Christi triplex est, servitutis, charitatis et dignitatis ; servitutis, corporis est castigatio ; charitatis, mentis devotio ; dignitatis, corporis Christi consecratio. Primum fit in afflictione ; secundum in hilaritate ; tertium in humilitate. Primum est sacrificium timoris ; secundum est sacrificium amoris ; tertium est sacrificium laudis. Lib. 8 *Florum*, cap. 11

BOETIUS.

53. Dei agi frænis atque obtemperare, justitiæ summa libertas est. Lib. 1 *de Consolat. Philos.*, prosa 5.

S. BONAV.

54. Cui Dominus plus benedixit in naturalibus vel spiritalibus vel temporalibus donis, plus merito ipsi servire debet. Serm. *Dom.* 5 *post Pent.*

55. Qui Deo servit amore, rectus et bonus est : qui tantum timore, curvus est et malus in voluntate. Serm. 1 *Dom.* 17 *post Pent.*

56. O quam securum, quam fructuosum est, huic regi servire qui nihil quærit a servo, quod sibi sit inutile, sed solum quod servo sit ad salutem. Serm. 2 *de Sancto Nicolao.*

57. Omnis qui accedit ad Dei servitium, se præparare debet ad bellum, quia statim armatur diabolus contra eum. Serm. 2 *de S. Agnete.*

58. Ille minister dignus amore non est, qui propter Dominum portare mala non potest. *Prosec.*

59. Sunt multi, qui tantum Deo serviunt in prosperis : sed nunquam ad Deum clamant, nisi cum se sentiunt in adversis. Serm. 2 *de Sancto Marco.*

60. Multi sunt boni mercenarii, qui spe æternorum Deo serviunt : sed nemo bene servit, nisi qui servit ei ex charitate. Super lib. 3 *Sent.*, dist. 27, art. 2 quæst. 2.

61. Servire Deo, beatitudo animæ, sanitas corporis, prudentia spiritus, vita cœlestis. In *Alphabet. Relig.*, lect. 22.

62. Servus Dei inhis quatuor versari debet, ut Deo intendat orando, psallendo, meditando, studendo devotioni. Lib. 1 *de Profect. Relig.*, cap. 33.

63. Si tu pro velle tuo servis Domino, ipse te remunerabit pro velle suo : si autem tu studueris ei servire pro velle suo, ipse remunerabit te pro omni velle tuo. *Ibid.*, lib. 2, cap. 25.

64. O quam felix est, cui datum est mundum contemnere, et Christo servire ! omni enim libertate melior est servitus Christi. In *Collat. de Contemptu sæculi.*

65. Felix hæc servitus, imo gloriosa libertas est, qua quis sponte in regiam venditus servitutem, Deum et ejus vicarios potius quam seipsum super se regnare constituens, suæ prorsus renuntiat voluntati. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 4.

S.CÆSARIUS AREL AT.

66. Omnes Sancti qui Deo fideliter serviunt, lectioni et orationi vacare, et in bonis operibus perseverare contendunt. Homil. 8.

CASSIODOR.

67. Tunc magis quisque liber redditur, cum fuerit Dei sorte captivus. Super *Psalm.* XVII vers. 42.

68. Deo virtutes cœlestes serviunt, cui omnis potentia famulatur. Super *Psalm.* XLV, vers. 7.

69. illi sub lætitia Domino serviunt, qui eum supra cuncta diligunt, et invicem se fraterna charitate respiciunt. *Prosec.*

70. O libera servitus ! o servitium supra cunctas dominationes eximium ! quibus talis lætitia tribuitur, qualis in regnorum gloria non habetur. Super *Psalm.* XCIX, vers. 1 : *Servite Domino in lætitia.*

71. Dei non est servus, nisi qui Sanctorum fuerit cœtibus aggregatus. Super *Psalm.* CXVIII, vers. 122 : *Suscipe servum tuum,* etc.

72. Servus Dei veraciter nequaquam dici potest, nisi qui ejus famulatur arbitrio. *Ibid.*, vers. 125 : *Servus tuus sum ego.*

CLEMENS ALEX.

73. Ille solus est pius ac religiosus, qui pulchre ac citra ullam reprehensionem in rebus humanis Deo servit. Lib. 7 *Strom.*

DIONYSIUS CARTHUS.

74. Summa ingenuitas est, Christi servum existere, atque sub ejus dominio permanere. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1 art. 3.

75. Hoc potissimum Deo debemus, quod sicut totum quod sumus et habemus, ab ipso accepimus : sic totum ejus obsequiis et laudibus mancipemus. In *Hymno de temp. feriali ad Vesperas.*

S. EPHRÆM.

76. Dum vires nobis suppetunt, Domino in timore et recto corde serviamus. *De recta vivendi ratione*, cap. 91.

77. Cui non placet ministrare Domino uni, serviet multis. *De timore Dei.*

EVAGRIUS.

78. Si in corpore tanquam corporis expers Deo inservire cupis, cura ut sine ulla intermissione precationem occulte in pectore tuo habeas. *De octo vitios. cogit. de Superbia.*

S. FRANCIS. ASSISIAS.

79. In hoc solum cognoscam si es servus Dei, si errantem fratrem misericordia reducas ad Deum, et si graviter errantem amore non desieris. In suis *Opuscul.*, epist. 6, *ad Fratr. Eliam.*

80. Ille est servus Dei, qui non irascitur, nec turbatur pro aliquo, recte vivit, et sine proprio. *Ibid.*, in admonit., *ad Fratres*, cap. 11.

81. Heu ! quam bonum est, fratres, Deo, servire : melior est Dei servitus, quam principatus. *Prosec.*

82. Sed quis est, qui certo cognoscit se esse servum Dei ? nihil melius est quam esse servum Dei, nihil tamen difficilius est homini certo cognoscere, quam si est Dei servus.

83. Ego vobis confiteor, quod rogavi Dominum ut mihi dignaretur ostendere, quando sum servus Dei, et quando non : ipse autem Dominus benignissimus sua dignatione respondit mihi : Servum meum veraciter te esse cognosce, cum sancta cogitas, loqueris, et operaris. In suis *Opusc.*, collat. 13.

S. FRANCIS. TITELMAN. 84. Fidelis Domini servus est, qui cogitat quæ Domini sui sunt, qui loquitur quæ Domini sui sunt, et operatur quæ sunt Domini. In *Annot. super Psalm.* XIV vers. 3 : *Qui loquitur veritatem*, etc.

85. Oportet eos qui sancte vivere volunt, et fideliter Deo in finem usque servire, nihil dissimulare, neque grande, neque parvum, quidquid in se vitiosum deprehenderint. In *Annot. super Psalm.* XXXI.

S. FULGENT. 86. Ille Deo non vero servit, qui creaturæ servierit : quia ubi Deo non vero servitur, ibi Dei veritas in mendacium commutatur. Lib. *ad Donatum*, cap. 5.

GILLEBERT. ANGLUS. 87. Est obsequendi necessitas jure conditionis, sed necessitatem ignorat libertas dilectionis. Serm. 19 super *Cant.*

GLOS. DECR. 88. Deo propter Deum est serviendum. In *Decret. Gratiani.*

GLOSS. INT. 89. Non timore sed amore servias. Super illud *Gen.* XVII : *Et esto perfectus.*

90. Non vult Deus coacta servitia : amore enim servitur ei, non timore; mente, non corpore. Super *Exod.*, cap. XXXV.

GLOSS. ORD. 91. Omnis persona, omnis dignitas, omnis consanguinitas Christi servitio postponenda est. Super *Num.*, cap. VI.

GLOSS. INT. 92. Unusquisque secundum quod vires sibi suppetunt in verbo et factis obsequium studeat præstare Deo. Super III *Reg.* X.

93. Sicut ab Angelis servitur Deo in cœlis, ita ab hominibus serviatur in terris. Super II *Paralip.* III.

GLOSS. ORD. 94. Tantummodo qui per fiduciam amoris non timet, digna Deo reddit obsequia. Super *Job*, cap. IX.

95. Nulla melior majorve potestas, quam servire Deo ; cui bene servit amor. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXIII.

96. Quam rarus est Domino propter Dominum serviens ! Super *Matth.*, cap. XXIV.

97. Ministrat conditori, qui ejus judicia pertimescens, de suis se virtutibus humiliat. Super illud XVII *Luc.* : *Et ministra mihi.*

98. Nemo potest Deo servire, qui mortua habet opera. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 9 in illud : *Ad serviendum Deo viventi.*

GLOSS. INT. 99. Quo majori libertate utimini apud homines, eo liberius divino famulatui sitis subjugati. Super illud I *Petri* : *Quasi liberi*, etc.

S. GREGOR. MAGNUS. 100. Vir bene Deo subjectus scit inter transeuntia stare ; scit inter lapsus decurrentium temporum mentis gressum figere; scit nec ad subjecta se erigere, nec ad objecta trepidare. Lib. 31 *Moral.*, cap. 14.

101. Soli Deo servit, qui bonis operibus prava non inserit : nam qui sic bona agit, ut mala non deserat, Deo soli nequaquam servit. Lib. 3 in I *Reg.*, cap. V, super illud : *Et servite soli Deo.*

102. Ille vere Deo servire appetit, qui ab hoc sæculo mente transire didicerit. Homil. 3 super *Ezech.*

103. Divina obsequia tunc bene exhibentur, cum exhibentis persona carnalis voluptatis sordibus non fœdatur. *Prosec.*

104. Et acceptum Deo tunc est munus ministerii, cum per sanctæ conversationis munditiam Deo placita est persona ministri. Lib. 2 in I *Reg.*, cap. 2.

105. Magnum est soli Domino servire, quod est instanter bona agere, bonis actibus reproba non miscere. *Ibid.*, lib. 3, cap. 5.

106. Eis qui fideliter Deo serviunt tanto amoris vinculo conjungitur Deus ; ut quidquid eis ingeritur, divinæ injuriæ adscribatur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 1.

107. In omni corde Domino servire est, peccandi nullam in corde intentionem retinere. *Prosec.*

108. Omne quidem cor ad servitium Conditoris inflectitur, quando sic bona agit, ut mala per propositum nulla teneat. *Ibid.*, lib. 5, cap. 2.

109. Divina obsequia cum instanti fervore magnæ devotionis exercenda sunt. *Ibid.*

110. Serviendo Deo, ejus mandata complentur : cui nimirum in veritate servimus, quando ejus præcepta pro sola superna retributione perficimus. *Prosec.*

111. Nam qui de bono opere temporalem mercedem expetit, Deo in veritate non servit, quem falso proposito in sua operatione non diligit.

112. Qui in veritate Deo servire cupiunt, totum cor in divinis obsequiis ponere jubentur : ut sic quæ Dei sunt agant, ut in mente aliquid quod contra Deum sit, non retineant. *Ibid.*

113. Ut agriculturæ finis est, frugum perceptio : ædificationis, ædium habitatio : navigationis, divitiæ : certaminis, corona : sic virtuosæ vitæ finis est, ut servus Dei, et sis et voceris. *De vita Moysis.* S. GREGOR. NYS.

114. Deo servire, summa libertas est : ab ejus servitute recedere, turpissimus servitus est. Serm. *de Confessor.* RAYMO.

115. Non potestis duobus dominis servire ; et audet quisquam mendacem Christum facere, Mammonæ et Domino serviendo ? Epist. 1 *ad Heliodor.* S. HIERON.

116. Felix et omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat servientem, quem extrema dies Salvatori invenerit militantem. Epist. 34 *ad Julian.*

117. Quanta felicitas, non uxoris servum esse, sed Christi : non carni servire, sed spiritui ! qui enim adhæret Domino, unus spiritus est. Lib. 1 *adversus Jovian.*

118. Nihil honorabilius, nihilve gloriosius, quam servitus Christi : hæc sane præferenda imperatorum fastigio : hæc dignitati regiæ, hæc cuique sæculi gloriæ. In *Regula monachor.*, cap. 12.

119. Sunt qui in prosperis Domino serviunt, in adversis recedunt. Lib. 1 super *Prov.*, cap. III, super illud : *Disciplinam ne abjicias.*

120. Grandis dignitatis est et meriti esse servum Domini, et non servum peccati. Super *Psalm.* CXV, vers. 6.

121. Sicut in cœlo Angeli tibi serviunt, et creatura servit : ita serviat et homo. Super *Psalm.* XLVIII, vers. 6.

122. Dei ille est, qui non est servus peccati. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1 in illud : *Paulus servus Dei.*

HUGO A S. VICTORE. 123. Deo servire, est Deum diligere : qui non diligit, non servit ; et qui diligit, servit : qui parum diligit, parum servit; qui multum diligit, multum servit : et qui perfecte diligit, perfecte servit. *De Allegor.* super *Exod.*, lib. 3, cap. 4.

124. Sive divites sint, sive pauperes, sive nobiles, sive ignobiles : quicunque accedunt ad servitium Christi, justum est, ut vivant de annona Christi. Super *Regul. S. August.*, cap. 1 super illud I *Tim.* V : *Dignus est enim operarius mercede sua.* Serm. 88, *de Divers.*

125. Quam longe homo est a Deo, qui accedere jubetur, ut servus Dei fiat : quam longe est ab eo, ubi Filius est, qui nec dum esse cœpit, ubi servus est. Lib. 1 *Miscellan.*, cod. 1, tit. 69.

HUGO CARD. 126. Quanto quis magis servit Deo, tanto amplius desideria multiplicantur. Super *Gen.*, cap. XXVI.

127. Servire debemus Domino tribus de causis; quia justum est, quia honestum est, quia utile est. *Prosec.*

128. Justum est, ut serviamus ei, quia nos fecit, quia nobis servivit, quia nos emit.

129. Et tanto devotius debemus ei servire, quanto nos digniores creavit.

130. Et quanto pretiosiori pretio nos emit, tanto ardentius ei servire debemus. Super *Psalm.* II.

131. Maxima gloria est in præsenti homini, servire Deo. Super *Psalm.* LXXII.

132. Si hodie servis Domino, ne glorieris, quasi de futuro securus : quia qualis esse in futurum possis, aut quomodo vitam finiturus sis, prævidere non vales. Super *Prov.*, cap. XXVII.

133. Servitii Dei qualitas in duobus consistit ; ut serviat quis Deo propter ipsum, et quod levet se super se. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VIII.

134. Summæ dignitatis est, ut Deo serviamus. Lib. 1 *Contemplat. de Amore Dei*, cap. 21. IDIOTA.

135. Vere ille liber fit, qui cœperit Deo esse captivus. Lib. 7 *de Incarnat.*, cap. 1. JOAN. CASS.

136. Qui in timore servit Deo, invitus servit propter timorem : pœnam quidem evadit, sed mercedem justitiæ non habet. Homil. 42 super *Matth. oper. imperf.* S. JOANNES CHRYSOST.

137. Sicut nihil prodest meretrici, si nomen habeat castum : sic nihil prodest peccatori; si Dei servus dicatur. *Ibid.*, homil. 45.

138. Non est gratuitum quod Deo servitur; quia præmium est, quo servitus ista pensatur; ut jam negotiatio sit ista, non servitus; mercatio sit, non famulatus. Homil. 1 in dictum *Joan.* XV : *Vos amici mei estis*, etc.

139. Qui præmiis in obsequium cogeris, qui donis ad officia invitaris, quid faceres, si gratuitum subires servitium, qui tam liberale Christi contemnis imperium? *Ibid.*

140. Amari non potes, si Christum contemnis : contemni non potes, si servieris : servus non eris, si parueris. *Ibid.*

141. Christo servire, promoveri est : et obsequi, sublimari. *Ibid.*, homil. 2.

142. O veneranda pietas Christi! qui præmia tibi, ut obsequaris, promittit : dignitatem, ut famuleris, ostendit : amicitiis invitat, ut servitutem extorqueat. *Ibid.*

143. Apud Deum odibilior est, qui servum Dei se dicit, et mandata diaboli facit. Homil. 45 super *Matth. oper. imperf.*

144. Fieri non potest, ut qui gloriæ servus est, Christi quoque sincerus sit servus. Serm. 5 super *Epist. ad Philip.*

145. Immundi non possunt servire Deo. Homil. 15 super *Epist. ad Hebr.*

146. Cum lacrymis servi Deo, ut possis diluere peccata tua. *Ibid.*

147. Hæc vere magna dignitas est, ac bonorum caput, servum esse Jesu Christi : qui Christi germanus ac legitimus servus est, nunquam committet, ut cujusquam alterius servus fiat, alioqui non esset Christi servus. Serm. 1 super *Epist. ad Philip.*

148. Servus Christi nihil habet præter Christum, nihil amat, nihil curat, nihil quærit nisi Christum. Lib. 1, homil. 1 *ad Monachos.* JOAN. TRITH.

149. Gratis serviendum est Domino, quia bonus est. Lib. 2 *ad Monachos*, serm. 6.

150. Servitus erga Deum, Deo quidem nihil præstat, nec opus est Deo humano obsequio : ipse autem servientibus ei, vitam, et incorruptelam, et S. IRENÆUS.

gloriam æternam tribuit. Lib. 4 *adv. Hæres.*, cap. 28.

S. ISIDORUS HISPALENS. 151. Dei servum sine intermissione legere, orare, et operari oportet, ne forte mentem otio deditam spiritus fornicationis subripiat. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 19, sent. 5,

152. Multi inveniuntur Deo libere servientes, sub dominis constituti flagitiosis, qui etsi subjecti sint illis corpore, prælati tamen sunt mente. *Ibid.*, cap. 47.

153. Melior est subjecta servitus, quam elata libertas. *Ibid.*

LACT. FIRM. 154. Fuge sceleratas religiones, et vivo Deo famulare. *De ira Dei*, cap. 22, verbo græco φεῦγε, post *Sibyllam*.

155. Non est fas hominem relicto Deo, census ac vitæ datore, terrenis fragilibusque famulari. *Ibid.*, cap. 23.

156. Servire Deo nihil aliud est, quam bonis operibus tueri et conservare justitiam. Lib. 3 *de Divin. Inst.*, cap. 9.

S. LAURENT. JUSTIN. 157. Nihil Christo Domino famulanti difficile, nihil arduum, nihilque æstimandum est asperum. *De obedient.*, cap. 26.

LUDOVICUS BLOSIUS. 158. Nimis infidelis Deo est, qui quando Deus eum consolatur, Deo servire vult : sed quando spirituali consolatione destituitur, mox a Deo recedit, et impura illicitaque solatia perquirit. In *Speculo spirit.*, cap. 13.

PETRUS BLESENS. 159. Coacta servitia Dominus non acceptat : nimirum obsequia quæ Deo impendimus, non ex opere, sed potius ex voluntate pensantur. Epist. 123 *ad Richard. Londonens. episc.*

160. Vacuum a sæcularibus oportet esse animum, divinæ servitutis obsequio consecratum. *Ibid.*, tract. *De Inst. episc.*

161. Tota ratio humilietur, totus intellectus captivetur in obsequium Christi. *Ibid.*, epist. 134, *ad Wilhelm. electum.*

162. Deo militetis, saltem ad modicum tempus, atque fæces vestræ senectutis immoletis Altissimo, qui juventutis et adolescentiæ vestræ florem in rebus nugatoriis expendistis. *Ibid.*, *Epist. ad quemdam ludimag.*

PHILO JUD. 163. Servire Deo, maxima est gloriatio : non modo libertate major, sed et divitiis, et principatu, et omnibus rebus (quas mortales mirantur) pretiosior. Lib. *de Cherubin.*

164. Deo servire optabilius est, quam regnare. Lib. 1 *de Monarch.*

165. Deo continue servire, non solum libertati præferendum est, sed et regno vel maximo. *De Plant. Noe.*

166. Apud omnes qui recte sapiunt, nihil honestius habetur, nihil optabilius, quam Deo parere. Lib. *de Abrahamo.*

167. Quanta dignitas, et quanta beatitudo esse Dei servum; cui nullo præcedente merito, tanta præstantur! Super *Psalm.* CXLII. vers. ultimo. S. PROSPER.

168. Deo quisquis servit, ille vere est nobilis : qui rebellis invenitur, degener. In *Peristephano, de Hymno Romani mart.*, vers. 129. PRUDENT.

169. Non contumeliosum est servire Deo, sed valde honorificum. Quæst. 12 super *Jesum Nave.* S. THEODORET.

170. Piorum hominum honor, servire Deo est. Super *Psalm.* LXI, vers. 4.

171. Coactam servitutem non admittit Dominus, voluntariam autem laudat, et diligit perfectam animi alacritatem. Super I *Paralip.*

172. Servire Christo, Deo gratum est. Lib. 5 super *Epist. ad Rom.*, cap. XIV.

173. Stude cum summa reverentia Deo servire in lætitia cordis, sicut Angeli sancti in cœlis. Medit. 25 *de Christi Pass.*, cap. 3. THOMAS A KEMPIS.

174. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, præter amare Deum, et illi soli servire. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 1.

175. Melior est profecto humilis rusticus, qui Deo servit : quam superbus philosophus, qui se neglecto cursum cœli considerat. *Ibid.*, cap. 2.

176. Ubi invenietur talis, qui velit Deo servire gratis? Lib. 2 *De Imit. Chr.*, cap. 11, sect. 3.

177. Non magnum mihi videri debet servire tibi, sed potius magnum mihi et mirandum apparet, quod tam pauperem et indignum digneris in servum recipere, et dilectis servis tuis adunare. *Ibid.*, lib. 3, cap. 10.

178. O grata et jucunda Dei servitus, qua homo veraciter efficitur liber et sanctus ! *Prosec.*

179. O amplectendum et semper optandum servitium, quo summum promeretur bonum, et gaudium acquiritur sine fine mansurum ! *Ibid.*

180. Infelix est et miser, qui Deo non servit, vanus est et instabilis, et perdit totum quod habet. *De Hospital. pauper.*, cap. 3, sect. 2.

181. Qui Deo servire statuit, debet ei potius, quam parentibus obedire. In *Dialog. Novit.*, cap. 8.

182. O magna cæcitas filiorum Adam ! qui malunt servire peccato cum labore, quam Deo cum jucunditate. *Conc. de pedere.* S. THOMAS A VILLA-NOVA.

183. Ipse sibi servitium indicit, qui invitus servit, nam si voluntati servitium accommodes, non te famulum Dei invenies esse, sed filium. Serm. 3 *de Arcta vita.* S. VALER. CEMELIENS.

184. Ista est servitus intolerabilis, quam indicit tyrannicæ, hoc est, diabolicæ dominationis superbia, impiæ captivitatis injuria : ad officium vero, non ad servitium pertinet voluntarie superiori personæ exhibere famulatum. *Prosec.*

185. Nunquam potest fieri, ut sine offensa diem

transigat, quem negligentia addictæ servitutis accusat. *Ibid.*

186. Servitii tui hæc est ratio, ut beneficia Christi semper recolas. *Ibid.*

187. Inter omnia custodias præcepta justitiæ; uni Deo servias, Trinitatis honore servato. *Ibid.*

188. Apud Dominum gratiosa servitus locum comparat dignitatis. *Ibid.*, homil. 7 *de Misericord.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 189. Legibus qui servit, Deo servit. Syzygia 4, lib. 6 *de Legibus.*

190. Optimo illa modo constat servitus, quæ Deo paret : immoderata vero est illa, quæ hominibus exhibetur. Syzygia 6, epist. 8 *ad Dionem.*

SENECA. 191. Nihil cogor, nihil patior invitus, nec invitus servio Deo, sed assentio. *De constantia sapient.*, cap. 5.

192. Deo parere, libertas est. *De beata vita*, cap. 15.

SIXTUS PHILOSOPH. 193. Liber eris ab omnibus, cum Deo servieris. Sent. 255.

Vide etiam tit. *Cadere*, sent. 80; *Cleritus*, sent. 143; *Displicere*, sent. 31; *Habere*, sent. 57; *Invitus*, sent. 36; *Militia*, sent. 61, 70; *Rectitudo*, sent. 18; *Reddere rat.*, sent. 31; *Redemptio humana*, sent. 71; *Religio Christi*, sent. 25; *Religiosus*, sent. 99, 141, 142: *Relinquere*, sent. 120; *Rex*, sent. 40; *Sacrificium*, sent. 81; *Sæculum*, sent. 75; *Sequi Christ.*, sent. 82; *Servitus*, sent. 29, 42; *Subjectio*, sent. 65; *Tentatio*, sent. 66; *Tepiditas*, sent. 37; *Vocatio Dei*, sent. 28; *Utilitas*, sent. 6.

## SERVITUS.

S. JOANNES CHRYSOST. *Etymologia.* Servi dicuntur a servando : si servaveritis quod estis, servi boni eritis. Homil. super *Psalm.* CXVIII.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio.* Servitus est impedimentum boni usus potestatis, et ideo naturaliter eam homines fugiunt. Part. 1 *Summæ*, quæst. 2, art. 4, ad. 3.

S. BONAV. *Differentia.* Quidam hominum serviunt mundo, corpori suo, diabolo, Christo. Serviunt mundo cupidi, et avari; serviunt corpori suo gulosi, et lascivi; serviunt diabolo timidi, et superbi; serviunt Christo humiles, et abjecti. Serm. 2 *de S. Nicolao.*

S. ISIDORUS HISPAL. Inter servitutem et servitium hoc interest, quod servitus necessitas sit serviendi, servitium dicimus numerum servorum. Lib. 1 *Differ.*, different. 5.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non natura servum facit, sed insipientia; nec manumissio liberum, sed disciplina. Lib 2, epist. 7 *ad Simplicianum.*

2. Servit peccator formidini, servit malitiæ, seavit iracundiæ, et sibi videtur liber; sed magis servit, quam si sub tyrannis positus foret. *Ibid.*

3. Quam miserum! ut qui nascimur in libertate, moriamur in servitute. *Ibid.*

4. Servum te dicis, libertus es : si liberum te jactas, servus es. Lib. 4 *de Jacob.*, cap. 3.

5. Servilis est omnis passio; et qui servus est peccati, multorum servus est. *Prosec.*

6. Servit omnis, qui auctoritatem puræ non habet conscientiæ.

7. Servit quicunque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus dicitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore dejicitur.

8. Qui subjectus est vitiis, multis se dominis addixit, ut servitio ei exire vix liceat. Lib. 2, *de Jacob.*, cap. 3.

9. Non conditio fortuita servum facit, sed probrosa insipientia. *Ibid.*

10. Servile est omne peccatum, libera est innocentia. *De Joseph.*, cap. 4.

11. Servit ac miseram servitutem ducit qui ipse sibi dominos facit, ipse vult habere quos timeat : nihil enim tam speciale servitutis est, quam semper timere. *Ibid.*

12. Quam misera servitus, servire peccatis? semper in laqueis, semper in vinculis, nunquam liber a compedibus, qui servit semper criminibus. *De Nabuthe*, cap. 6.

13. Qui suæ potestatis est ut non serviat, nec alienæ potestatis est ut serviat, quamvis potestate sua servire possit. *Prosec.* S. ANSELM.

14. Quamdiu non illa, quæ est serviendi, sed illa quæ non est serviendi utitur potestate, nulla res potest illi dominari, ut serviat. In *Dialogo de Libero arbitrio*, cap. 2.

15. In homine quamdiu ipsa voluntas recta est, nec servit, nec subjecta est cui non debet. *Ibid.*, cap. 5.

16. Iniquus est, qui vult sibi servire quod infra se est, cum ipse servire superiori nolit. Lib. 1, *de Doctr. christiana*, cap. 23. S. AUGUST.

17. Bonus, si serviat, liber est, malus autem etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed, quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum. Lib. 4, *de Civit. Dei.*, cap. 3.

18. Felicius servitur homini, quam libidini, cum sævissimo dominatu vastet corda mortalium. *Ibid.*, lib. 19, cap. 15.

19. Qui noluerit servire charitati necesse est ut serviat iniquitati. Exposit. 2, super *Psalm.* XVIII, vers. 14.

20. Noli servire cum murmure : non enim id agunt murmura tua, ut non servias; sed ut malus servus servias. Super *Psalm.* XCIX.

21. Verus est dominus, qui servo non indiget, et quo servus indiget. Epist. 5.

22. Qui per charitatem servit, libere servit. In Expos. *Epist. ad Galat.*, cap. v.

23. Magis debent patres quod dominantur, quam servi tolerare quod serviunt. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 16.

24. Nomen servitutis culpa meruit, non natura. *Ibid.*, cap. 15.

25. Puto justum esse ut majori servias, quo tibi minor obtemperet. *De utilit. jejunii*, cap. 5.

26. Servus es, servum habes, sed dominus ouos servos habet : servus tuus plus est in potestate Domini tui quam in tua. *Ibid.*, cap. 4.

27. Magna est iniquitas cum in homine superiora inferioribus turpiter serviunt. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 19.

28. Liberat a servitute solus dominus, qui illam non habuit. Tract. 41, super *Joan.*

29. Servum si haberes, velles ut serviret tibi : servum tuum non fecisti, et te servum Deus fecit. Vis ut tibi serviat cum quo factus es, et non vis servire ei a quo factus es. *De decem Chordis*, cap. 10.

30. Servus es, ne contemnas dominum. Tract. 29, super *Joan.*

V. BEDA. 31. Ardua res nimium, famulari post dominatum. In suis *Proverb.*, verbo *Ardua.*

S. BERNARD. 32. Nulla turpior servitus graviorve, quam servitus Judæorum ; quia quocumque ierint, post se trahunt, et ubique dominos offendunt suos. Lib. 1, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

33. Coacta servitus miserabilior, sed affectata miserior est. *Ibid.*

BOETIUS. 34. Famuli si vitiosi moribus sunt, perniciosa domus sarcina est. Lib. 2, *de Consolat. philos.*, prosa. 5.

35. Extrema servitus est, vitiis servire. *Ibid.*, lib. 5, prosa. 2.

S. BONAV. 36. Nihil miserabilius quam peccato servire. Collat. 42, in cap. viii, *Joan.*

37. Nulla est turpior servitus, quam illa quæ est vitiis servire. Collat. 42, super cap. viii, *Joan.*

38. Servitus dæmonum est magis timenda, quæ non finitur, quam servitus hominum, quæ aliquando finitur. *Ibid.*

39. Grave est offenso servire, qui nullo placatur obsequio. Serm. 2, *Dom. 3, post Pascha.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 40. Quid spei relinquitur servienti, ubi æterna mors juncta est servituti? Homil. 4.

41. Si forte hominis cujusque servus duris Domini sui urgeatur imperiis, quocumque fugiendo evadere et declinare iniquum dominum potest, servus vero peccati quo fugiet? *Ibid.*

GLOSS. ORD. 42. Licet hominibus quis serviat, Dei tamen non hominum servus est, si in servitute quam hominibus impendit, Dei gratiam semper inquirit. Super *Levit.*, cap. 26.

S. HIERON. 43. Nimium potens est, qui servire non cogitur. Epist. 4, *ad Rustic.*

44. Fidelius et gravius semper obsequium est, quod ab amore, quam quod a metu proficiscitur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

45. Quid a servitute animi indignius, quidve turpius? quam cum in eo aut dominatur odium, aut regnat invidia, quam cum eum aut avaritia possidet, aut captum ira tenet, vel certe cætera sibi vitia vendicant? *Prosec.*

46. Multo est indignius mente servire, quam corpore : a quo enim quis superatur, hujus et servus est. Epist. 1, *ad Demetriad.*

S. HILARIUS. 47. Gravis est captivitas corporalis, quæ jure libertatis amisso, victorum dominatui subditur : et serviunt tum quidem corpora, sed nequaquam capitur fidelis animæ libertas. Super *Psalm.* cxxv.

HUGO A S. VICTORE. 48. Servus debet esse obediens, fidelis, sapiens, hilaris, promptus. Lib. 4, *de Proprietatibus rer.*, cap. 17.

HUGO CARD. 49. Peccatori omnis creatura hostis : Justo vero serviunt omnia. Nihil ergo est quod metuat justus, cui omnis creatura famulatur. Super *Josue*, cap. iii.

50. Vere illi servi sunt, qui vitiis serviunt : liberi vero, qui justitiæ famulantur. Super *Ecclesiastic.*, cap. xxxiii.

S. INNOC. III. 51. O extrema conditio servitutis? Natura liberos genuit, sed fortuna servos constituit. *Prosec.*

52. Servus cogitur pati, et nemo sinitur compati : dolere compellitur, et nemo condolere permittitur : sic ipse non suus est, ut nemo sit sibi : miseri qui castra sequuntur, quia miserum est vivere aliena præda. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 15.

S. JOANNES CHRYSOST. 53. Servitus gravissima est in ordine libertatis, præsertim si liberis imperetur. Homil. 29, super *Gen.*

54. Gratus servus non quærit curiose modum eorum quæ fiunt, sed relinquit incomprehensibili Domini sui providentiæ, et credit dictis. *Ibid.*, homil. 38.

55. Servorum mos est, quando non permittitur eis more suo agere, et impediuntur eorum conatus, statim Dominorum ruptis frænis, fugam capessunt. *Ibid.*

56. Grati servi est, ut nunquam obmurmuret, et curiosior sit in his, quæ a domino suo fiunt, sed in silentio et gratitudine suscipiat omnia. *Ibid.*, homil. 45.

57. Omnis qui diaboli sequitur voluntatem servus est diaboli, etsi liber sit : qui autem obe-

dit Deo, ille vere ingenuus est, etsi fuerit servus. Homil. 41, super *Matth. oper. imperf.*

58. Ingenuitatem spiritualem, non sordidat servitus corporalis, nec turpitudinem spiritualem honestat corporalis libertas. *Ibid.*

59. Servus fidelis domino absente probatur, præsente autem domino quidquid fecerit, non est laus servi, sed domini. *Ibid.*, homil. 53.

60. Hosti domini sui servus nunquam famulatur, nisi a domino atrocissima severitate vexetur. Serm. 1, *de Martyrib.*

61. Quid tibi profuerit, quod nemini hominum servias, si teipsum affectibus subjicias? Homil. 19, super I *Cor.*

62. Servus corruptus, pestis liberorum. Homil. 9, super *Epist. ad Coloss.*

S. JOAN. DAM. 63. Præstabilius est homini servum effici, atque adeo servorum servum, quam a turbidis animi affectibus in servitutem trahi. Lib. 1 *Parall.*, cap. 12.

JOAN. GERS. 64. Servitus eo major est, quo dominatio major est. Serm. *ad Regem Franciæ*, nomine *Universit. Paris.*, partit. 2, verit. 1.

JOAN. TRITH. 65. Servitia quanto sunt magis gratuita, tanto magis accepta. In cap. 7, *Regulæ S. Bened.*, grad. 3, verbo *Inter.*

S. ISIDORUS HISPAL. 66. Melior est subjecta servitus, quam elata libertas. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 47, sent. 4.

LACT. FIRM. 67. Nullus alteri servit, nisi coactus : omne enim imperium metu constat. *De ira Dei*, cap. 23.

S. LEO I. 68. Non fiat ibi servitus, ubi debet esse dominatus. Serm. 1, *de Resurrect. Dom.*

PETR. CELL. 69. Servitus peccati est servitutum servitus : servus namque peccati, servus est tot dominorum, quot vitiorum. *Prosec.*

70. Imperant ei vitia; non domini, sed tyranni : non benevoli, sed inimici. Præsunt, sed sine utilitate : imperant, sed sine miseratione : mandant, sed sine discretione.

71. Sub his dominis vita nequior, mors melior, si tamen non amarior : si enim servus petat panem, accipit lapidem, si piscem, serpentem ; si escam, viperam ; si vinum, venenum. *De Panibus*, cap. 15.

PHILO JUD. 72. Servitus quædam animi, quædam corporis dicitur : corporibus dominantur homines, animis affectus et vitia. Lib. *Quod omnis probus liber sit.*

73. Qui humili servilique animo, humilibus servilibusque negotiis dat operam, servus est. *Ibid.*

74. Nemo malus liber est, sed omnes serviunt. *Ibid.*

75. Nullus ita insanit, ut servus, qui domino adversari non veretur. Habet. apud divum Joannem Damascenum, lib. 1 *Parall.*, cap. 100.

S. THEOFOR. 76. Qui vere amat, nec ei quidem quem amat, servire recusat. Super *Epist. ad Galat.*, cap. v.

S. THOMAS AQUINAS. 77. Corpora servorum obnoxia sunt, et adscripta dominis, mens quidem est sui juris. 2, 2, *Quæst.* 104, art. 5.

S. VALER. EPISCOPUS. 78. Ipse sibi servitium indicit, qui invitus servit. Homil. 3, *de Arcta vita.*

79. Non habet in quo possit erubescere, cui necesse est invito servire. *Ibid.*, homil. 10, *de Parasitis.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 80. Cum omnis servitus est misera, tum vero intolerabile est, servire impuro, impudico, effœminato, et nunquam sobrio. Orat. 45, *Philipp.* 3, num. 12.

81. O rem miseram ! domino servire non potuimus, conservo servimus. Lib. 12, epist. 3, *ad Cassium.*

DIOGENES. 82. Servi heris, improbi serviunt cupiditatibus. In *Sentent.*, sent. 12.

PLATO. 83. Improbum decet servire, utilius enim est ; quia improbitas, servile quippiam est. Syzygia. 4, in *Dialogo* 1, *Alcibiadis.*

SENECA. 84. Sibi servire, gravissima servitus est. Lib. 3, *Quæst.*

85. Paucos servitus, plures servitutem tenent Epist. 22.

86. Nulla servitus turpior est, quam voluntaria. Epist. 47.

87. Infelix ! servis hominibus, servis rebus, servis vitæ. Epist. 77.

88. Heu quam miserum est ! discere servire, ubi sis doctus dominari. In suis *Proverb.* in fine positis.

SIXTUS PHIL. 89. Ministrare aliis melius est, quam ab aliis ministrari. Sent. 326.

VALERIUS MAXIMUS. 90. Esto servus, quoniam liber esse nescisti. Lib. 2, *Dictor. memorab.*, cap. 1.

Vide etiam tit. *Corpus*, sent. 67 ; *Divitiæ*, sent. 89 ; *Dominus*, sent. 14 ; *Dormire*, sent. 56 ; *Iniquitas*, sent. 40 ; *Libertas*, sent. 6 ; *Libido*, sent. 5 ; *Mortis timor*, sent. 6, 7 ; *Necessitas*, sent. 29 ; *Sapientia* in genere, sent. 2 ; *Stultitia*, sent. 2, 3, 4 ; *Virginitas*, sent. 66.

## SEVERITAS.

S. ISID. HISP. *Etymologia.* Severus dicitur, quasi sævus verus : et sic severitas quasi sæva veritas. Lib. 10, *Etymol.*, verbo *Severus.*

HUGO A S. VICTORE. *Definitio.* Severitas est, per quam judiciaria vindicta sequendo veri rigorem districtius in peccantem exercetur. *De fruct. carnis et spiritus*, cap. 14.

HUGO A S. VICTORE. *Differentia.* Severitas a crudelitate differt. Hæc corrigit, illa cruciat : hæc justis convenit, illa perversos comitatur. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 16.

S. ISIDORUS HISPALENS. Inter asperum et ferocem hoc interest, quod asper ad tempus, ferox a nativitate sit. Lib. 1, *Differ.*, different. 7.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nimia severitas extorquet plerumque terrore mendacium. Lib. 9, epist. 72, *ad Irenæum*.

S. ANTONIN. 2. Melior est severitas, etsi cum aliquali excessu, quam nimia mollities et remissio. Part. 1, tit. 4, cap. 10, § 3.

S. AUGUST. 3. Prodest et severitas vestra, cujus ministerio quies adjuvatur, et nostra : prodest et intercessio nostra, cujus ministerio severitas temperatur, et vestra. Epist. 54, *ad Macedonium*.

4. Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis, charitas sincera subveniat. Epist. 50, *ad Bonifac.*

5. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. Epist. 48, *ad Vincentium*.

6. Si contagio peccati multitudinem invaserit, disciplinæ divinæ severa misericordia necessaria est. Lib. 3, contra *Epist. Parmeniani*, cap. 2.

7. Non dormiat severitas disciplinæ, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio charitatis. Lib. 3, contra *Epist. Parmeniani*, cap. 2.

8. Deinceps caveat examinantis severitatem, qui clementiam subvenientis expertus est. Super *Psalm.* XXIV, vers. 11.

9. Frequenter plagis disciplina corrigitur, si nihil proficiant hortamenta justorum. Serm. 2, *Dom. 4, Quadrag.*

10. Severus vultus, custos est disciplinæ. *Ibid.*

S. BERNARD. 11. Si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica; matres fovendo, patres corripiendo exhibeatis. Serm. 23, super *Cant.*

12. Severitas nunquam remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit. Epist. 25, *ad Hugon. Rothomag. archiep.*

13. Vigor justitiæ semper fervidus sit, sed nunquam præceps. *Ibid.*

14. Non sis in corrigendis remissior, non severior in parcendis. Epist. 42, *ad Henric. Senonens. archiep.*

15. Ille convenientior habitus est, si tu actu quidem severus sis, vultu serenus, verbo serius. Lib. 4, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

S. BONAV. 16. Plus nocet prælatus misericors, et abjiciens rigorem disciplinæ, quam prælatus rigidus sine misericordia. Serm. 23, in *Hexam.*

17. Sæpe veritas corrigit, quem severitas non constringit. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, vers. 5, art. 1.

18. Severitati debet adjungi pietas. Super *Luc.*, cap. 3, in illud : *Facite dignos fructus*, etc.

GLOSS. LIBR. 19. Excedendum est potius circa misericordiam, quam circa severitatem. In *Decretis Gratiani*.

S. GREGOR. MAGNUS. 20. Quanto nobis nostri judicis facta est severitas temperata, tanto erga se debet fieri nostra infirmitas accensa. Homil. 30, super *Evang.*

21. Quando severitatem excessus qualitas exigit, agendum est, ut et culpam ultio corrigat, et correctis postea gratia non negetur. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 16, epist. 16, *ad Clementinam, Patriciam.*

22. Sancti quando foris sæviunt, intus per amorem liquescunt. Lib. 6, in I *Reg.*, cap. 3.

23. Juvenes plerumque severitas admonitionis ad profectum dirigit : senes vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. Part. 3, *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 2.

S. HILAR. 24. Bona est severitatis disciplina. Super *Psalm.* CXVIII, vers 65 : *Bonitatem fecisti cum servo tuo.*

25. Necesse est esse severitatis officium peccata arguentis, et vitia corrigentis. *Ibid.*

JOAN. CASS. 26. Evidens indicium est animæ necdum vitiorum fæcibus eliquatæ, in criminibus alienis affectu misericordiæ non condolere, sed rigidam judicantis tenere censuram. Collat. 11, *Abb. Chæremonis*, cap. 10.

S. JOANNES CHRYSOST. 27. Per Deum severitas vitam, per diabolum blanditia mortem intentat : apud Deum est severitas, sed benigna : apud diabolum autem blanditia, sed nociva. Serm. *de Genesi.*

28. Non facile severitas judicis flectitur, ubi edicti admonitio annullatur. Serm. super illud *Isaiæ* : *Si volueritis.*

29. Asperitas mansuetudine, non alia asperitate dissolvitur. Homil. 26, super I *Cor.*

JOAN. TRITH. 30. Severitas infirmioribus nequaquam est placida, nisi benignitatis dulcedine fuerit aliquantulum temperata. Part. 1, *de Regione claustral.*, tract. 2, reg. 2, art. 3.

S. JUSTIN. MART. 31. Tum severitas lenitate utilior est, iis maxime, qui corrigi non possunt. *De necessar. quibusdam quæst.*, explicat. 80.

LACT. FIRM. 32. Severitas, nisi se intra congruentes nocentium pœnas coerceat, fit sæva crudelitas. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 14.

PETRUS BLESENS. 33. Debet mansuescere quandoque severitas. Epist. 100, *ad Amic. suum.*

[illegible] 34. Legalium sanctionum severitas reprimat, quos honestatis pudor ab excessibus injustitiæ non coarctat. *Prosec.*

35. Vigorem sentiant legis, quos rectitudinis limitem prævaricare convincit violentia pravitatis. Lib. 8, epist. 2, *ad Cinthium.*

36. Enervato rigore justitiæ, status evertitur disciplinæ : et dum ultoriæ severitatis censura re-

primitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur. Opusc. 57, cap. 2, dissertat. 1.

SALVIANUS. 37. Hinc cognosci potest, quam iniqui et pravi sumus : aliis severissimi sumus, nobis indulgentissimi : aliis asperi, nobis remissi. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

S. THOMAS AQUINAS. 38. Agenda sunt multa cum invitis, benigna quadam asperitate plectendis. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 12, lect. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 39. Salutaris severitas vincit inanem speciem clementiæ. Lib. *Epist. ad Brutum*, epist. 1.

MIMUS PUBL. 40. Bono justitiæ proxima est severitas. In suis *Sent.*, sent. 64.

SENECA. 41. Severior loci disciplina format ingenium, aptumque magnis conatibus reddit. Epist. 51.

42. Severior esto in judicio, quam in sermone, vita quam vultu. *De quatuor virt.*

43. Sis severus, non sævus, sed hilarem non spernens. *Ibid.*

44. Proximus justitiæ modus, severitas. *De Moribus.*

45. Severissime nos adversum peccantes gerimus, et ipsi eadem committimus. In suis *Proverb.*

46. Severitas assidua, amittit auctoritatem. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Judicium*, sent. 46, 116; *Magister*, sent. 46; *Nimietas*, sent. 25 ; *Prælatio*, sent. 27, 28 ; *Punitio*, sent. 45; *Reddere rat.*, sent. 102; *Sanctitas*, sent. 41; *Vindicta*, sent. 13.

## SIGNUM.

S. AUGUST. *Definitio.* Signum est quod seipsum sensui, et præter se aliquid animo ostendit. *De princ. Dialect.*, cap. 5.

Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire. Lib. 2, *de Doctr. christ.*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Signa cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur. Epist. 5.

2. Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum sed res per signa discuntur. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 2.

3. Omne signum res aliqua est, non autem omnis res etiam signum est. *Ibid.*

4. Signa divinitus data, quæ in Scripturis sanctis continentur, per homines nobis indicata sunt, qui ea conscripserunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 2.

5. Habent bestiæ quædam inter se signa, quibus produnt appetitum animi sui. *Ibid.*

6. Omnia signa verbis comparata paucissima sunt. *Ibid.*, cap. 3.

7. Homines docti videri volunt, non rerum scientia, sed signorum. *Ibid.*, cap. 13.

8. Ea est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere. *Ibid.*, lib. 3, cap. 5.

9. Christiana libertas eos quos invenit sub signis utilibus, interpretatis signis quibus subditi erant; elevatos ad eas res, quarum illa signa sunt, liberavit. *Ibid.*, cap. 8.

10. Sub signo servit qui operatur, aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet. *Ibid.*, cap. 9.

11. Qui non intelligit quid significet signum, et tamen signum esse intelligit, non ipse premitur servitute. *Ibid.*

12. Christus vetera signa rerum non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit. *Orat. adversus Judæos*, cap. 3.

13. Sacrificia visibilia cum sint in terrenis rebus exigua, magnarum et divinarum signa sunt rerum. Lib. 1, *contra advers. legis*, cap. 1.

14. Noluit Christus stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam. Tract. 3, super *Joan.*

15. Christi signum in fronte gestamus, de quo non erubescimus, si et in corde gestamus. *Ibid.*

16. Qui perdidit signum Christi, accepit signum diaboli. *Ibid.*, tract. 1.

17. Cuicunque rei ponis signum, ideo ponis, ne confusa cum aliis, agnosci a te non possit. *Ibid.*, tract. 25.

18. Multi facile habent in fronte signum Christi et corde non recipiunt verbum Christi. *Ibid.*, tract. 50.

19. Vere nobilibus signis nobilis ille Spiritus sanctus nobiliter non signavit. *Prosec.* S. BONAV.

20. Signat Spiritus sanctus electos signo veritatis credendorum, signo honestatis morum, signo paupertatis terrenorum, signo charitatis Dei et proximorum. Serm. 1, *Pent.*

21. Si quis pro signo sui rancoris, accipit signa tui amoris, statim confunditur. *Ibid.*, serm. 2.

22. Consignavit Christus animas nostras proprio spiritu, et membra corporis nostri suo sanguine pretioso. *Ibid.*, serm. 2.

23. Gloriosi ducis est, commissa sibi signa servare. Epist. 73, *ad Jubaianum*, cap. 3. S. CYPRIAN.

24. Vitæ vera æstimatio in virtute est operum, non in ostensione signorum : nam sunt plerique qui etsi signa non faciunt signa tamen facientibus dispares non sunt. Lib. 1, *Dialogi*, verbo *Ego.* S. GREGOR. MAGNUS.

25. Qui devota mente Deo adhærent, cum rerum necessitas exposcit, exhibere signa solent : ut mira quæque aliquando ex prece faciant, ali-

quando ex potestate. *Ibid.*, lib. 2, cap. 30, verbo *Qui.*

26. Per signa animarum lucra quærenda sunt, et illius gloria, cujus virtute illa eadem signa geruntur. Lib. 9, in *Registro*, ind. 4, cap. 58, epist. 58, *ad Augustinum episc. Anglorum.*

27. Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum. Lib. 2, *Dialogi*, cap. 33.

S. HIERON. 28. Scias in signorum magnitudine, non naturæ mutationem, sed Dei omnipotentiam demonstrari. Epist. 27, *ad Eustoch.*

HUGO CARD. 29. Per signa exteriora sæpe dignoscitur dispositio mentis. Super *Ecclesiasten*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 30. Non minus signum est vincere absque signo eos qui persequuntur, quam signa facere. Homil. 37, super *Acta Apost.*

31. Absque nobilitate morum nihil signa valent. Homil. 33 super *Matth.*

S. PETRUS CHRYSOL. 32. Signa fidei sunt præstanda, non dolis : credenti danda sunt, non sunt tentanti : et facienda sunt ad petentis salutem, non ad facientis injuriam. Serm. 11.

## SILENTIUM.

*Vide* TACITURNITAS.

## SIMONIA.

S. ANTONIN. *Definitio.* Simonia non est aliud, quam emere, vel vendere, vel alium contractum non gratuitum facere pro spiritualibus habendis pretio rei temporalis. Part. 2, tit. 1, cap. 4, § 1.

Exigere vel exactus solvere, aut promittere, aut pacisci pro aliquo spirituali consequendo, pro pecunia seu re, quæ pretio potest æstimari, expressa simonia est. *Ibid.*

Emere vel vendere officia ecclesiastica, simonia est. *Ibid.*, cap. 5, § 21.

S. BONAV. Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 30.

JOAN. GERS. Simonia est vitium, quo minus justo appretiari videntur sacramenta, dum pretio temporali quæruntur compensari. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Justitia.*

Simonia est vitium, quo quis inclinatur vendere usum rei, quæ non subest potestati hominis, sed Dei : vel ubi non cadit commutatio. *Ibid.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Lepram cum Giesi a sancto suscepisse se credant Elisæo, qui gradum sacerdotalem æstimant comparare. *De Dignit. sacerd.*, cap. 5.

2. Sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari : ita et hi qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus : ita ut videas in Ecclesia passim quos non merita, sed pecuniæ ad episcopatus ordinem provexerunt. *Ibid.*

3. Nempe hoc est quod doles, quia archiepiscopus carnaliter episcopum fecit : nam propter pecuniæ spiritaliter leprosum ordinavit. *Prosec.*

4. Oculis quidem carnalibus videtur quasi episcopus, et divinis obtutibus inspicitur leprosus magnus.

5. Per pecuniam acquisivit indebitum ordinem, et Deum perdidit in interiore homine : caro suscepit dignitatem, et anima perdidit honestatem.

6. Quod dedit cum episcopus ordinaretur, aurum fuit : et quod perdidit, anima fuit : cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit; quod dedit, lepra fuit.

7. Si gratia gratis datur, et auro non æstimatur; a te cur gratia pecuniis comparatur? gratiam, cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti : si gratiam non recepisti, quomodo episcopus effici potuisti? *Ibid.*

8. Non pretio taxatur Dei gratia, nec in Sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium sacerdotis. Lib. 4 super *Luc.*, cap. IV in illud : *Et multi leprosi erant*, etc.

9. Cito turpem sequitur lepra mercedem, et pecunia corpus animumque male quæsita commaculat. *Prosec.*

10. Inexpiabilis est enim venditi culpa mysterii, et gratiæ : vindicta cœlestis transit ad posteros. *Ibid.*, in illud : *Nemo eorum mundatus est*, etc.

11. Per manum presbyteri pretium perditionis animæ ipsius tibi diabolus dedit. *Prosec.*

12. Si reus est ille, qui hominem homini vendit, quanto magis reus existis, qui hominem Christi sanguine redemptum non homini, sed, quod perniciosius est, diabolo vendidisti. Super *Apocal.*, cap. XVIII.

13. Quicunque res ecclesiasticas (id est spiritualia) quæ dona Dei sunt, non ad hoc, ad quod instituta sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simonia est. Part. 2, tit. 1, cap. 4, § 2. S. ANTONIN.

14. Pecunia potest dari et recipi pro spirituali re, vel circa spiritualia licite et sine simonia, quinque modis : ratione præmiationis, ratione sustentationis, ratione provocationis, ratione punitionis, ratione vitandæ vexationis. *Ibid.*

15. Cum simonia sit emere, vel vendere spirituale : vel annexum spirituali : quid spiritualius, quid sanctius Christo? quem Judas vendendo simoniæ peccatum incurrit, et ideo laqueo suspensum crepuisse fertur. *Prosec.* S. ANTONIUS DE PADUA.

16. Sic omnis simoniacus, nisi vere eum pœnituerit, laqueo damnationis æternæ suspensus, medius crepabit. Serm. *Dom. 4. Quadrag.*

S. AUGUST. 17. Qui pretium recipit de sacramentis, Giezita est, et plenus lepra. Serm. 37 *ad Fratr. in eremo.*

18. O sacerdos si sacramentum dare distuleris, etiamsi fueris omni paupertate vallatus, non pastor es, non minister Christi, sed mercator es. *Ibid.*

19. Non petas, non etiam tantum pro baptismo recipias, si cum Simone perire non velis. *Ibid.*

20. Facto pacto sacramentum vendit sacerdos, et Salvatorem suum prodit cum Juda. *Ibid.*.

21. Spontanea et sincera voluntate porrige sacramenta, nihil petendo, nihil expectando, nihil de promisso desiderando, sed si tibi datur, juste recipis, juste possidere potes. *Ibid.*

22. Qui sacramentum emit, vel Ecclesiam, vel præbendas, vel Ecclesiarum introitus, vel sæculari potentia hoc pro se procuravit, sciat quod cum Giezi et Simone jam damnatus est, et leprosus factus est. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 23. Cauponariam rebus spiritualibus superinducis, cum vendis Dei donum : venditio enim facta est, sed tu cum veluti satanæ venditus sis, gratia privaberis. Epist. 176, *ad Episcopos.*

S. BERNARD. 24. Ipsa Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, et tenebrarum negotium transiere : nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Serm. 6 super *Qui habitat.*

25. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, et quo latius, eo desperatius, eoque periculosius, quo interius. Serm. 77 super *Matth.*

26. Nunc sub pannis infantiæ Jesu quæritur simonia, et inter nascentes virtutes, emortuorum vel cadavera vitiorum scrutatur curiosa malitia. Epist. 51 *ad Haymericum Rom. sedis cancellar.*

27. Nunc trahit sua quemque voluptas, et odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem, quorum certa est damnatio. In *Declamat.*

S. BONAV. 28. Simoniaci hodie largitatem reputant magnam curialitatem. Serm. 5 in *Hexam.*

29. Ubi recipitur persona propter pecuniam, simonia est: quia ibi venditur spirituale, idest, consortium spiritualis societatis pro temporali, scilicet pro pecunia. In *libello Apologetic.*, quæst. 18.

S. CYPRIAN. 30. Diaboli hæc sunt negotia, et nundinatores ejus, quicunque hæc exercent commercia. *De jejun. et tent. Christi*, cap. 6.

S. GELASIUS PAPA. 31. Dantem pariter et accipientem damnatio Simonis involvit. Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 1, quæst. 1, can. *Quos.*

32. Gieziticus dicendus est, qui vendit gratiam ; simoniacus, qui emit : unde simoniaci emptores appellandi sunt. *Ibid.*

GLOSS. 33. Quod detestabile sit crimen simoniæ, quatuor exemplis probatur. Primo exemplo Giezi, qui propter simoniam quam commisit factus fuit leprosus; secundo, exemplo Judæ, qui vendidit redemptorem omnium, propter quod laqueo se suspendit; tertio, exemplo Simonis magi, qui propter simoniam, quam committere voluit, fuit a Petro damnatus ; quarto, exemplo Christi, qui omnibus peccatoribus in templo dimissis, solos simoniacos in detestationem criminis excludit. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 34. Fur est, qui per simoniam intrat, et postquam intraverit malo exemplo occidit. Super illud *Joan.* x : *Omnes quotquot venerunt fures sunt.*

GRATIAN. 35. Benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur. In *Decret.*, part. 2, causa 1, quæst. 1, can. *Benedictio.*

36. Tolerabilior est Macedonii, et eorum qui circa ipsum sunt, Spiritus sancti impugnatorum impia hæresis, quam simoniacorum. *Prosec.*

37. Illi enim creaturam et servum Dei Patris et Filii, Spiritum sanctum delirando fatentur; isti vero Spiritum sanctum efficiunt suum servum. *Ibid.*, can. *Eos.*

38. Non solum qui spiritualia, sed etiam qui temporalia eis annexa pretio accipiunt, vel tribuunt, simoniaci judicantur. *Ibid.*, causa 1, quæst. 3, can. *Sed*

S. GREGOR. MAGNUS. 39. Nulla sit in electione episcopi venalitas, ne dum electores præmia appetunt, discretionem electionis amittant : et illum dignum ad hoc esse arbitrentur officium, qui non datione, sed meritis placuerit. *Prosec.*

40. Non solum indignus est sacerdotio, sed et aliis erit culpis obnoxius, quisquis Dei donum pretii præsumpserit venalitate mercari. Lib. 4 in *Registro*, indict. 13, cap. 67, epist. 23 *ad Castarium Notarium.*

41. Ipse qui pretio ad sacrum Ordinem perducitur, jam in ipso provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venumdare quod emit. *Ibid.*, cap. 95, epist. 52, *ad Virgilium episcopum Arelat.*

42. Cum simoniaca hæresis sit contra sanctam Ecclesiam exorta, cur non perpenditur ? cur non videtur? quia cum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat. *Ibid.*

43. Grave omnino, et ultra quam dici potest, facinus est, Spiritum sanctum, qui omnia redemit, in officio sacri Ordinis venumdare. *Ibid.*, lib. 7, indict. 1, cap. 5, epist. 5 *ad Brunichildam regin. Francorum.*

44. Si in ecclesiasticis officiis quemquam habeat locum pecunia, fit sæculare quod sacrum est. Lib. 7 in *Registro*, indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagrium episc.*

45. Si nulla de actu probatio, sollicitudo nulla de moribus, nulla sit de vita discussio : sed ille solummodo dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur, simoniacum est. *Ibid.*

46. In sacerdotum officiis ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio, ut ad summa non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio. *Prosec.*

47. Grave omnino est facinus, Dei donum velle pretio comparare, vel vendere. *Ibid.*

48. Ubi dona supernæ gratiæ venalia judicantur ad Dei servitium, non vita quæritur ; sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. *Prosec.*

49. Quis veneretur quod venditur ; aut quis non vile putet esse quod emitur? *Ibid.*, cap. 113, epist. 113 *ad Brunichildam.*

50. Simonia diabolica est plantatio, quæ in ipso Ecclesiæ ortu surrepsit : sed zelo apostolicæ ultionis percussa atque damnata est. *Ibid.*, cap. 114, epist. 114 *ad Theodoric. et Theodebert. reges Francorum.*

51. Si dignus is beneficio creditur, cui non actionis merita ; sed præmiorum copia suffragatur, restat ut nihil sibi in honoribus ecclesiasticis gravitas, nil defendat industria, sed totum auri prophanus amor obtineat. *Ibid.*

52. Tenet captivum cor sæva cupiditas, et licitum esse suadet malum quod imperat : atque id agit ut uno eodemque gladio et dantem et accipientem interimat. *Ibid.*, lib. 9, indict. 4, cap. 49, *ad Virgilium episcopum Arelat.*

53. Nihil in dandis ecclesiasticis beneficiis auri sæva fames inveniat, nihil blandimenta surripiant : nihil gratia conferat : sed vitæ sit provectus, sapientiæ incrementum, modestia morum. *Ibid.*, cap. 50, epist. 50, *ad Aetherium episc. Galliæ.*

54. Sicut episcopum non decet manum, quam imponit, vendere : ita minister, vel notarius non debet in ordinatione ejus, vocem suam, vel calamum venumdare. Lib. 12 in *Registro*, in suis *Decret.*, verbo *Antequam.*

55. Vehementer dolendum est, quod ad Dei dona non meritis acceditur, sed præmiis prosilitur. *Ibid.*, lib. 9, ind. 4, cap. 55, epist. 55, *ad Clothar. regem Francor.*

56. Quinam sunt hodie in templo Dei, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt? *Prosec.*

57. Columba ergo venditur, dum manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Homil. 17 super *Evang.*

58. Ipse qui ad sacrum Ordinem simonia perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis vendere quod emit. Lib. 4 in *Registro*, indict. 13, cap. 100, epist. 56.

59. Cum quem quis pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat. *Ibid.*

60. Quicunque pretii studet datione sacrum Ordinem mercari : dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. *Ibid.*, lib. 7, ind. 2, cap. 110, *ad Syagrium episc.*

61. Nullus pro adipiscendis Ecclesiasticis ordinibus dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere. *Ibid.*

62. Presbyter si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit, non solum Ecclesia privetur : sed etiam sacerdotii honore spolietur. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 5, quæst. 1, can. *Presbyter.*

63. Quia altare, et decimas, et Spiritum sanctum emere, vel vendere, simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignorat.

64. Quisquis contra simoniacam hæresim pro officii sui loco vehementer non exarserit, cum eo se non dubitet portionem habiturum, qui prius commisit hoc piaculare flagitium. *Ibid.*, can. *Quisquis.*

65. Quicunque sacros Ordines vendunt, aut emunt, sacerdotes esse non possunt : anathema danti, anathema accipienti, hoc est simoniaca hæresis. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, caus. 1, quæst 1, can. *Quicunque.*

66. Si quis dator, vel acceptor, Dei Ecclesias vel Ecclesiastica beneficia (quæ quidam præbendas vocant) sub pecuniæ interventu susceperit, sive dando emerit, sive accipiendo vendiderit, a Simonis non excluditur perditione. *Ibid.*, caus. 1, quæst. 3, can. *Si quis.*

67. Non solum Dominus vendentes de templo ejecit, sed etiam ementes : quia non solum illi rei sunt, et ab Ecclesia alieni, qui spiritualia dona vendunt, sed etiam qui emunt, quod carius vendere possint. Serm. *Dom.* 11, *post Pent.* RAYMO.

68. Nemo ambigat Jerusalem propter simoniam fuisse subversam. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 1, quæst. 1, can. *Judices.* S. HIERON.

69. Simoniacæ hæresis contagium jam olim in Balaam pullulavit : dehinc hujus hæresis duo leguntur auctores pestilentes emersisse. Alter sub Prophetica, alter sub Apostolica doctrina : prius Giezi magister esse vendentium, deinde Simon auctor videtur emptorum. Horum sectatores sicut non sunt in errore diversi, ita nec in damnatione discreti. Lib. 2 *de Sacram.*, part. 10, cap. 2. HUGO A S. VICTORE.

70. Simoniaci, qui sacramenta aut beneficia Ecclesiastica sub pretio ponunt emendo, vel vendendo ; isti ejecti sunt de Ecclesia, si non numero, tamen merito. *Unde versus* : HUGO CARD.

Qui sacra venumdant, vel pro sacro pretium dant;
Hos procul expello, facto de fune flagello. Super *Luc.*, cap. XIX.

S. JOANNES CHRYSOST. 71. In simonia nihil refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris. Homil. 3, super *Acta Apost.*

72. In Ecclesia venales factæ sunt dignitates : mille hinc mala nascuntur, et tamen nemo est qui corrigat, nemo est qui reprehendat, sed viam quamdam atque sequelam nacta est hæc merces. Serm. 6, super *Epist. ad Ephes.*

JOANNES SARESB. 73. Pulsant et præcipitant potestates, si obsequia non sufficiunt, si intercessiones non prosunt, vires suas ambitio exerit, suæ et alienæ facultatis divitias ostendit, jam palam loquitur et in montem elationis ascendit, et clamat : Hæc omnia tibi dabo, si a fundamento fidei cadens promoveris me. *Prosec.*

74. Hoc si quidem cadere est cum certum sit ex auctoritale sanctorum Patrum, quod per hæresim simoniacam a sinceritate fidei corruit, quisquis in spiritualibus, id est, rebus sacris et Ecclesiasticis, mercimonium avaritiæ committit.

75. Nec refert quod pecunia intercedat in contractu, vel ante, vel post, cum omni tempore negotiantes in talibus damnatio simoniacæ pravitatis involvat. Lib. 7, *de Nugis Curial.*, cap. 19.

S. ISID. PEL. 76. Homo profane profano mundo sacerdotium accepisti, rem videlicet cœlestem pecunia suffuratus, novumque Caipham te præbens, ut qui res arcanas et mysticas argento tibi compararis. Lib. 1, epist. 111, *ad Zozimum presbyterum.*

77. Quisquis sacerdotium mercatur, hunc Christi carnificem Caipham esse constat. *Ibid.*, Epist. 315, *ad Leontium episc.*

PETRUS BLESENS. 78. Simoniacum promovet, non honestas, sed cupiditas ; non moralitas, sed venalitas ; non scientia, sed pecunia ; non electio, sed ambitio ; non meritum ; sed pretium ; non virtus, sed contractus. Epist. 120, *ad Decan. Turonens.*

79. O negotiatio detestanda ! pro honore transitorio animam perdere : quis scit, si hodie, vel cras subitatio mortis eum rapiat, et non sit qui eripiat ? *Prosec.*

80. Sic illum dementavit ambitio, ut per fas et nefas Ecclesiarum personatus acquirat, nec proponat Deum ante conspectum suum, nec vereatur judicia Dei.

81. Infelix ob inanis gloriæ ventum suam animam jugulat, et insuper se infinitis et insolubilibus debitis obligare non cessat. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. 82. Ille proculdubio dicendus est mercator Ecclesiæ, qui per terrena quæ redemit, ad honoris culmen ascendit : et per corporalis commercium lucri emptor efficitur nihilominus sacramenti. Lib. 1, epist. 13, *ad Alexandr. Papam.*

83. Venalitas, si sibi nota est, contaminat consecrantem : gratuita consecratio mundare non valet emptorem. *Prosec.*

84. Obscœnitas immundi fœda commercii, sordidat mundum : gratuita manus impositio, non potest emaculare pollutum.

85. Dignitas, licet per manus impositionem gratuito sit accepta, nequaquam tamen mundat emptorem. *Ibid.*

86. Res Dei gratis accipienda est, gratis danda, non venaliter percipienda. *Ibid.*

87. Canonica sententia est illa, qua dicitur : Si quis Episcopus, aut presbyter, aut Abbas per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, dejiciantur ipse et ordinator ejus, et a communione sancta modis omnibus abscindantur, et sit anathema sicut Simon Magus a Petro. *Ibid.*

88. Non solum qui majoribus præferuntur Ecclesiis, sed et illi quoque qui vel plebes agrorum, vel canonicales præbendas per interventum pecuniæ pestilenter accipiunt, simoniacæ hæreseos tendiculas non evadunt. *Ibid.*

89. Simoniacæ hæresis damnata semperque damnanda est venalitas et perniciosa hujusmodi negotiatio. Opusc. 5, cap. *Sponsio.*

90. Si aliquis suadente diabalo pestifera simoniæ negotiatione aliquid agere præsumpserit : dator simul et acceptor, cum ipso hæresis hujus auctore Simone perpetuo anathematis vinculo constringatur. *Ibid.*

91. Simoniacus, licet perverso commercio efficiatur hæreticus, est tamen fide catholicus : ejusque damnatio magis ex ambitione videtur descendere, quam ad perfidiam pertinere. *Opusc.* 6, cap. 5.

92. Moderni temporis simoniaci, quia miraculis se clarescere posse non sperant ; non Spiritum sanctum, nec ejus dona desiderant, sed obtinendi principatus ambitione succensi, ad culmen tantummodo dignitatis anhelant. *Ibid.*, cap. 6.

93. Simoniaca hæresis ex ipso diaboli felle progreditur, et in perditionis filios pestilentissime derivatur. Opusc. 30.

94. Simoniaci sunt non solum qui paciscuntur, sed etiam qui pecuniam non pactam postulant. Opusc. 31, cap. 5.

S. URBAN. I PAPA ET MART. 95. Multorum auctoritatibus luce clarius constat, quod ab ingressuris monasterium : non licet pecuniam exigere, ne et ille qui exigit, et ille qui solvit, simoniæ crimen incurrat. In *Decret. Gratiani*, part. 2, caus. 1, quæst. 2, can. *Multorum.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 96. Male se res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Lib. 2, *de Offic.*

Vide etiam tit. *Judas*, sent. 12 ; *Judicii corruptio*, sent. 64 ; *Reverentia*, sent. 16, 17.

## SIMPLICITAS.

S. ANTONIN. & HUGO CARD. *Etymologia*. Simplex dicitur quasi sine plica, scilicet duplicitatis. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 15, § 1. Et Hugo Card. super *Job*, cap. 8.

S. CLEMENS ALEX. *Definitio*. Simplex est, qui doli ac fraudis expers est, et remotus a simulatione, rectoque et erecto est animo. Lib. 1. *Pædagogi*, cap. 5.

HUGO CARD. Simplicitas est, quæ est sine plica erroris, et pravæ delectationis. Super *Job*, cap. 12.

S. JOANNES CLIM. Simplicitas est habitus animæ varietate carens, totiusque perversæ intentionis ignarus, et qui nulla mala cogitatione moveatur. Gradu 24.

S. THOMAS AQUINAS. Simplicitas est, quæ non tendit in diversa, ut scilicet aliud intendat interius, et aliud prætendat exterius. 2, 2, quæst. 3, art. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Familiaris est Dominus simplicibus, quibus non dedignatur arcana sua revelare. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtut.*, cap. 30.

S. AMBROS. 2. Omne quod arte elicitum, et fraude compositum est, caret merito simplicitatis. Lib. 3. *Offic.*, cap. 9.

3. Bonæ sunt divitiæ innocentiæ atque simplicitatis : omnis enim simplex obtrectare non novit, nescit invidere, suo contentus est, aliena non quærit. In *Exorth. ad Virgines*.

4. Simplicitas nihil discutit, nihil contractum, nihil suspectum, aut fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu. Lib. 3, epist. 19, *ad Simplicianum*.

S. ANSELM. 5. Simplicitas excludit hypocrisim, quia ejus inimica est. Super epist. *ad Rom.*, cap. 12, in illud : *Qui tribuit in simplicitate*, etc.

S. AUGUST. 6. Eris simplex, si te non mundo implicaveris, sed ex mundo explicaveris : explicando enim te simplex eris, implicando duplex eris. Tract. 23, super *Evang. Joan.*, de cap. v.

7. Ignorantia atque stultitia, simplicitatis et innocentiæ nomine tegitur. Lib. 2, *Conf.*, cap. 6.

8. Sunt qui dicuntur simplices, et pigri sunt : vocantur simplices, sunt autem segnes. Tract. 6, super *Joan.*

S. BERNARD. 9. Nulla magis virtus necessaria est quam simplicitas humilis. Serm. 3. *Epiph.*

10. Simplex natura, simplicitatem cordis exquirit. Serm. 2, *ad Fratres in eremo.*

11. Simplicitas candor est, nævus duplicitas. Serm. 71, super *Cant.*

12. Ut interior oculus vere simplex sit, duo sunt illi necessaria : charitas in intentione, et in electione veritas. *Prosec.*

13. Quomodo simplex erit oculus cum ignorantia veritatis ? aut vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas ? *De præcepto et dispens.*

14. Bona est simplicitas, ubi Christo adhærens unus est cum illo spiritus. Serm. 46, super *Cant.* GILLEBERT. ANGLUS.

15. Cor consonet linguæ. Super *Psalm.* xxxvi. GLOSS. INT.

16. Apud hypocritarum sensum, simplicitas omnis in crimine est. Lib. 8, *Moral.*, cap. 30. S. GREGOR. MAGNUS.

17. Nil simplici corde felicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet : habet enim quasi arcem quamdam fortitudinis simplicitatem suam. *Ibid.*, lib. 12, cap. 21.

18. Fiducia magnæ securitatis, est simplicitas actionis. Part. 3, *Pastoralis*, cap. 1.

19. Vera cordis simplicitas est, quam fraus non obnubilat. non obtenebrat mendacium, non obscurat invidia, non obfuscat dolus, quam lux veritatis illuminat. In *septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* v, vers. 3.

20. Apud Omnipotentis Dei simplicem naturam multum humani cordis simplicitas valet. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 15.

21. Vera simplicitas pacifica existit, et seditione caret. Orat. 3, *de S. Lavacro.* S. GREGOR. NAZ.

22. Venerationi mihi semper fuit, sancta simplicitas. Epist. 59, *ad Pammach.* S. HIERON.

23. Quis sanctior potest esse, quam qui veræ simplicitatis virtutem tenens, nunquam aliud corde premit, aliud ore vultuque mentitur ? Epist. 1, *ad Demetriad.*

24. Nihil sic placet Deo, sicut simplicitas et innocentia. In *Regula monachor.*, cap. 24, *de Virt. humilit.*

25. Humana simplicitas difficile fraudulentiam simulatæ mentis intelligit. Super *Matth.*, can. 22. S. HILARIUS

26. Simplicitas esse non potest, nisi ubi solum est ; simplicitas in solo. Lib. 7, super cap. 6. *Cœlest. hierarch.* HUGO A S. VICTORE.

27. Ubi simplicitas regnat, ibi malitia locum non habet. *De Adam et Eva.* S. JOANNES CHRYSOST.

28. Via quædam est ad perfectionem simplicitas. Homil. 7, super *Acta Apost.*

29. Subdolus licet innumera habeat bona, disperdit ea : e contra autem agit simplex. *Ibid.*

30. Simplex si in vinculis et in carcere positus est, non opus habet custodia, et custodiæ custodia, sed multa est illi laxatio. *Ibid.*

31. In simplicitate cavenda est stultitia, in prudentia vero malignitas. Homil. 36, super I *Cor.*

32. Sicut prudentia connexam malitiam habens, prudentia non est : ita simplicitas stultitiæ conjuncta, simplicitas non est. *Ibid.*

33. Quemadmodum nec amara pharmaca præterquam oportet, nec dulcia conferunt quidquam : ita nec simplicitas per se, nec prudentia. *Ibid.*

S. JOANNES DAM. 34. Simplices atque a dolo alieni mores, animæ arcana facile produnt. Lib. 1 *Parall.*, cap. 25.

35. Simplicitas apud Deum in summo pretio est. *Ibid.*

S. ISID. PEL. 36. Lingua simplex es, qui veram simplicitatem sequeris, animo simplicior, vita et moribus simplicissimus. Lib. 3, epist. 45, *ad Orionem.*

S. JUSTIN. ORGELITAN. 37. Simplicitas spiritualium plurimum est veneranda : quia se nec extollere noverunt et conscia puritate magis Deo quam hominibus placere contendunt. Super *Cant.*, cap. 4, explicat. 71.

S. LAURENT. JUSTIN. 38. Bona simplicitas ignara, quæ Deum suum habet protectorem, quæ suæ innocentiæ servat custodiam. *De casto connubio*, cap. 21.

S. LEO I. 39. Plerumque in diaboli ruit laqueos incauta simplicitas. Epist. 14, *ad Pulcheriam Augustam.*

PETR. BLES. 40. Malignis spiritibus detestabilis est ovina simplicitas. Epist. 111, *ad Amic. suum.*

S. PETRUS CHRYSOL. 41. Simplicitas civem bonum facit. Serm. 166.

42. Veritas nescit tumorem, simplicitas hypocrisim ignorat. *Ibid.*, serm. 172.

S. PETRUS DAMIANUS. 43. Cave duplicitatem, esto simplex : ut quod lingua depromitur, mente versetur. *Prosec.*

44. Qui simpliciter graditur, azymus est, novum hominem induit : qui in duplicitate, fermentum est, et in vetustatis errore permansit. Opusc. 48, cap. 8.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 45. Satius est simplicitate contemni, quam perpetua simulatione torqueri. *De tranquillit. vitæ*, cap. 15.

Vide etiam tit. *Innocentia*, sent. 31.

## SINGULARITAS ET PARTIALITAS.

HUGO CARD. *Definitio.* Singularitas est quando quis bonum aliquid super alios se credit habere, quæ multum amica est diabolo. Super III *Reg.*, cap. XI.

JOAN. GERS. Singularitas est vitium, quo quis quærit distingui ab aliis aliter, quam oportet. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Temperantia.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sunt plerique qui singularem vitam proponentes singuli esse non possunt, sed singulares : quærunt enim sibi contubernia, atque utinam fratrum. Serm. 64, *de S. Joanne Baptista.*

S. ANTONIN. 2. Ferini homines sunt, qui volunt esse singulares. Part. 2, tit. 3, cap. 3, § 8.

3. In statu spirituali recedere a communi vita regulæ, a communibus constitutionibus patrum, a communibus cæremoniis et observantiis sine causa urgente, vel speciali revelatione, valde periculosum est, et ad singularitatem pertinet. *Ibid.*

4. Religiosi, qui non contenti communibus, aliquid singulare agere volunt, in orando, in comedendo, in loquendo, et scilicet ut præ cæteris reputentur, confusi remanent, nisi speciali instinctu Spiritus sancti moveantur. Part. 2, tit. 4, cap. 5.

5. Nulli magis commaculant communitatem discordiis, quam seditiosi et partiales. *Ibid.*, cap. 8, § 4.

6. In clericis continentia, in Ecclesia per partialitatem et singularitatem deficit vita regularis. *Ibid.*

S. AUGUST. 7. Turpis omnis pars est, suo universo non congruens. Lib. 3 *Confess.*, cap. 8.

8. Quid dicis tu amator singularitatis? communia loca, communem vitam, communem regulam quid fastidis? Apud S. Antonin., part. 2, tit. 3, cap. 3, § 8.

9. Occulta lege naturæ amant singularitatem, quæ principantur. *De Bono conjug.*, cap. 17.

10. Natura principiorum amat singularitatem. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 9.

11. Omnem comparationem singularitas fugit. Lib. 1, *de Musica*, cap. 3.

S. BASILIUS MAGNUS. 12. In communi contubernio, partiales amicitias ac societates, dilectionis lex non permittit. Serm. 4, *Exercitament.*

13. Injuria est in congregatione, reperiri privatas quasdam fraternitates, ac contubernia. *Prosec.*

14. Æqualiter itaque rejicienda est ex congregatione partialitas. *Ibid.*, serm. 5.

S. BERNARD. SENENS. 15. Partialitas nequam nihil aliud est, quam justitiæ interitus, bellorum suscitatio, discordiarum fomentum, distractio patriarum, stultitia consummata, iniqua crudelitas, pestilens malum, multiplicatio scelerum, fidei abnegatio, proditio Christi, impœnitens culpa, damnatio sempiterna. Serm. 25, *Dom.* 3, *Quadr.*

16. Quid boni ex partialitate lucrentur partiales, penitus ignoro : nisi forte putent lucrum, pericula experiri, et cum his æternis suppliciis cruciari. *Ibid.*, art. 1, cap. 4.

S. BERNARD. 17. Omnes partiales Christiani sunt renegati, et proditores contra Christum, et per consequens Christianorum. *Ibid.*, art. 2, cap. 4.

18. Errant a via veritatis, qui in solitudinem superbiæ recedentes, socialem vitam habere non volunt, quorum singularitas associari non potest. Serm. 1, *de SS. Petro et Paulo.*

19. Nequissima plane et perniciosissima pestis est singularitas : universos turbat, fit omnibus discordiæ fomes et materia scandalorum. Serm. 1, *de Septem panibus.*

20. Is qui singularitate sua cæteros turbat, Christum manifeste persequitur. Serm. 1, *de Convers. S. Pauli.*

21. Amatores singularitatis nolunt esse contenti communi vita, non eis sufficit regulare jejunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura eis partita in vestimentis et alimentis, sed privata præferunt communibus. Serm. 19, super *Cantica.*

22. Singulares sua singularitate omnes turbant, et irritant. *Ibid.*, serm. 46.

23. Nisi opus tuum in unitate feceris, Deo qui unus est, acceptum profecto non erit. Serm. 5, *Assumpt. Beatæ Virginis Mariæ.*

24. Ubi proprietas, ibi singularitas, ubi autem singularitas, ibi diabolus : ubi vero diabolus, ibi sine dubio sordes, sive rubigo. Epist. 11, *ad Carthus.*

25. Turpe est singulari, qui se supra cæteros jactat, si non plus cæteris aliquid agat, per quod ultra cæteros appareat. *De gradib. humilit.*, gradu 5, *de Singularitate.*

26. Non melior esse studet, sed videri : non melius vivere, sed videri vivere gestit. *Ibid.*

27. Monachus singularis, ad omnia sua strenuus est, ad communia piger, vigilat in lecto, dormit in choro. *Ibid.*

28. Singularitatem fuge, et communitate esto contentus. In *Formula honestæ vitæ.*

S. BONAV. 29. Sine licentia Religiosus suas singularitates facere non debet, quippe cui nec corpus suum habere licet in propria voluntate. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 4.

30. In victu et moribus, novitatis nota, et singularitatis est diversitas fugienda. *Ibid.*, part. 2, cap. 2.

CLEMENS ALEX. 31. Si quis utatur singularibus, et tanquam universis ac generalibus, et id quod servit habeat pro eo quod dominatur, a veritate excidit. Lib. 6, *Stromat.*

GLOSS. INT. 32. Res privata superbos facit. Super *Psalm.* CXXXI.

S. GREGOR. MAGNUS. 33. Superbi singularitate gaudent culminis, et non æqualitate conditionis. Lib. 24 *Moral.*, cap. 14.

34. Cum bene vivitur, valde cavendum est, ne mens despectis cæteris, de gloria singularitatis elevetur. *Ibid.*, lib. 6, cap. 16, num. 21.

S. HIERON. 35. Ubi proprietas singulorum est, ibi altrinsecus diversitas. Epist. 2, *ad Pammach.*

HUGO CARD. 36. Singulares facile capiuntur. Super *Isai.*, cap. XXXVII.

37. Multum diligit diabolus singularitatem. Super *Hierem.*, cap. 31.

JOAN. CASS. 38. Quidquid inter famulos Dei præsumitur ab uno vel paucis, nec catholice per omne corpus fraternitatis tenetur, aut superfluum aut elatum est, et ob id noxium judicandum, magisque speciem bonitatis, quam virtutis ostentans. *De Cœnob. inst.*, lib. 1 *de Habitu.*, cap. 3.

39. Generali omnium constitutioni paucorum non debet præponi, nec præjudicare sententia. *Ibid.*

40. Nisi insolens sit singularitatis diversitas, non offendit inæqualitas. *Ibid.*

41. Quidquid extra consuetudinem præsumitur, usumque communem, ut vanitatis et gloriæ atque singularitatis morbo pollutum, antiquissima Patrum traditio notavit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 23.

42. Quidquid in conservatione fratrum minime communis usus recipit vel exercet, omni studio declinemus. *Ibid.*, lib. 11, cap. 18.

JOAN. TRITH. 43. Caveatur omnis singularitas, quia singularitas noverca est pacis. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 8.

LUDOVICUS BLOSIUS. 44. Singularitatem vitiosam diligenter fuge. In *Speculo spirit.*, cap. 5.

45. Qui in congregatione aliqua vivit, ubi honesta et sancta lex, atque institutio communis est, notam vitiosæ singularitatis ubique vitare debet. Lib. 1, *Enchirid. parvulor.*, docum. 10.

PETRUS BLESENS. 46. Nunquam singulariter vivas, non habeas (ut vulpes) foveam, non (ut volucres) nidum, non loculos sicut Judas. Epist. 134, *ad Wilhlem. Electum.*

47. Vivas in communi sine singularitate. *Ibid.*, serm. 50, *de S. Augustino.*

48. Detestabilius aliis est vitium singularitatis. *Ibid.*, serm. 50.

S. PETRUS DAM. 49. Aliquid singulare non habent, qui communiter omnia possident. Opusc. 24, cap. 6.

50. Qui communibus non sunt contenti, peculii singularis ambiunt proprietate gravari. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 51. Qui quærit habere privata, amittit communia. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 13.

Vide etiam tit. *Domus*, sent. 70; *Monasterium*, sent. 40.

## SITIS.

CLEMENS ALEX. *Definitio.* Sitis est alicujus indigentiæ affectio, et ad eam explendam quærit conveniens auxilium, non autem vinum ardens ac fumosum. Lib. 2, *Pædagogi*, cap. 2.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non propter voluptatem bibendum est, sed propter infirmitatem ; pro remedio igitur parcius, pro deliciis redundantius. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.*

S. AUGUST. 2. Ebriosi quædam salsiuscula comedunt, quo fiat molestus ardor, quem dum extinguit, potatio fit delectatio. Lib. 8 *Confess.*, cap. 3.

3. Fames et sitis quidam dolores sunt, urunt et sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Lib. 10 *Confess.*, cap. 31.

4. Bibamus non quantum exigit gula, sed quantum naturæ imbecillitas postulat. *De salut. docum.*, cap. 37.

5. Medicamentum sitis, potus est. Homil. 38 *ex Quinquaginta homil.*

6. Bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat sitiendi molestia. Lib. 8, *Conf.*, cap. 3.

S. BERNARD. 7. Non potest bibere simul calicem Christi, et calicem dæmoniorum. Calix dæmoniorum superbia est, calix dæmoniorum detractio et invidia est : calix dæmoniorum crapula et ebrietas est : quæ cum implerint vel mentem, vel ventrem tuum, Christus in te non inveniet locum. Epist. 2, *ad Falconem.*

8. Ab homine sitiente multo ardentius desideratur potus, quam cibus ab esuriente. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 13.

S. BONAV. 9. Sitiens veniat indistanter, non differendo : veniat festinanter, non tardando, vel torpendo : veniat perseveranter, non deficiendo. Collat. 38, in cap. 7, *Joan.*, super illud : *Si quis sitit veniat ad me.*

10. Sitio, inquit Dominus : Domine quid, sitis? ergo ne te plus cruciat sitis, quam crux ? *Prosec.*

11. De cruce siles, et de siti clamas, Sitio : quid ? vestram fidem, vestram salutem : vestrum gaudium ; plus animarum vestrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet. Lib. 1 *Pharetræ.*, cap. 2.

12. Vigilare ad ignem, sitim provocat, et bibitare compellit. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 32.

S. EPHRÆM. 13. Turpe est siti perire, qui reliquis potum subministrat. *De Confess.*

S. FRANC. TITELM. 14. Nescit potus refocillationem, qui non ante expertus est sitim. In *Annot.* super *Psalm.* LXX, vers. 22.

S. GREGOR. MAGNUS. 15. Esurire, sitire, lassescere, vincula corruptionis sunt. Lib. 4, *Moral.*, cap. 30, super illud *Job.* III : *Et quondam vincti,* etc.

16. Christus in cruce positus sitiebat et pœnitentiam peccantium, et fidem expotabat perfidorum. Super *septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* V, vers. 10, in illud : *Et potum meum cum fletu miscebam.*

S. INNOC. III 17. Non sufficit sicera, non cerevisia : sed studiose conficitur mulsum, syropus, claretum labore multo, sollicitudine magna, sumptu non modico. Lib. 2, *de contemptu mundi,* cap. 19.

18. Ebrius majore siti vexatur, quam qui modico vino usus est. Homil. 81, super *Matth. oper. perf.* S. JOANNI CHRYSOST

19. Quid est fame et siti deterius, quid sævius, quid intolerabilius ? Homil. 28, super *Epist. ad Hebr.*

20. Sitis et fames carnis luxuriam interimit, fames et sitis carnis libidinem superat. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 4. S. ISIDORUS HISPALENSIS

21. Aquam Salvator a muliere postulat, et sitire se simulat, ut sitientibus æternam gratia largiatur. *Prosec.* S. MAXIMUS EP. TAUR.

22. Sitiebat Christus : sitiebat plane non potum hominum, sed salutem sitiebat : non aquam mundi, sed redemptionem generis humani. Homil. *de Eleemosynis.*

23. Quid molestius, quidve acerbius, cum sitim suam quis, nec resistendo temperare, nec inebriando possit extinguere ? Part. 1, *de grad. violent. charit.* RICHARD. S. VICTORI

SENTENTIÆ PAGANORUM.

24. Sitis res magis anxia est quam fames : cujus indicium est, quod suavius sitientes bibimus, quam esurientes comedimus. Sect. 28, *Problem. quæst.* 5. ARISTOTEL

25. Hoc bibe, quod possis, si tu vis, vivere sanus. Lib. 4, *Distichor.*, metr. 50. CATO POET

26. Cibi condimentum, est fames ; potionis, sitis. Lib 2, *de Finibus*, num. 90. CICERO.

27. Omne poculum tibi suave sit, quod sitim extinguit. Sent. 290. SIXTUS PHILOSOPH.

## SOBRIETAS.

*Etymologia.* Sobrietas idem est, quod commensuratio : Bria enim græce idem est quod mensura. Super II *ad Cor.*, cap, 5, lect. 3. S. THOMAS AQUINAS.

Sobrietas sumitur a mensura : dicitur enim aliquis sobrius, quasi briam, id est, mensuram servans, 2. quæst. 149, art. 1

*Definitio.* Sobrietas est virtus, qua corporis alimenta cum moderamine admittuntur, in cibo et potu et somno. Lib. 2, *de profectu Religios.*, cap. 46. S. BONAV.

Sobrietas est pura ab illecebris utriusque hominis temperantia, dicta quod ebrietate seorsum ac separata sit. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 15. HUGO A S. VICTORE.

Sobrietas est virtus specialiter sumpta, motus gulæ refrænans. Super I *Petri*, cap. 5. HUGO CARD.

Sobrietas est quædam specialis virtus, qua removemus speciale rationis impedimentum ex nimio potu proveniens. 2, 2, quæst. 149, art. 10. S. THOMAS AQUINAS.

*Productio.* Quantorum malorum auctor est ebrietas, tantorum e diverso bonorum sobrietas. *De his verbis : Resipuit Noe.* PHILO JUD

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Habet suas habenas mentis sobrietas, quibus regitur et gubernatur. Lib. 1, *Offic.*, cap. 3.

2. Bonum est sobrietas, quia peccatum ebrietas. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Ecclesiam.*

3. Mens sobria passiones omnes cohibet, sensus gubernat, sermonem regit. *De Noe et Arca.*, cap. 11.

4. Sobrietas mentis, medicina est corporis. *Ibid.*

S. AUGUST. 5. Ornet mores tuos sobrietas et frugalitas. Epist. 182, *ad Bonifacium.*

6. Quid tibi prodest sobrietas, si vitia ebrietatis exerceas ? *De bono disciplinæ*, cap. 8.

7. Sobrietatis perseverantia, inæstimabilis est animi fortitudo : omnes eam virtutes, et omnes laudum semper tituli concupiscunt, quia sine ipsa ornari aut placere non possunt. Cap. 1.

8. Sobrietas est castitas sensus et mentis, membrorum omnium corporisque tutela, castitatis pudicitiæque munimen, pudori proxima, amicitiæ pacisque serva, honestati semper conjuncta, criminum vitiorumque omnium profuga, recti judicii tenax, memoriæ recordationisque inseparabilis sapientia, secretorum custos, arcani velamen, lectionum et doctrinæ capax, studiorum et artium bonarum discipula pariter et magistra, ingeniorum capiendorum pedissequa, bonæ famæ semper avida, in cogitationibus salubria atque utilia creans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum seipsum semper ingerens. *De Sobrietate*, cap. 1.

9. Sobrietas temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officiis obtemperat, superbiam detestatur, domum familiamque cum moderatione gubernat, fidem sibi committentibus servat. *Ibid.*

10. Debet congrua observatione sobrietas cum sacerdotali affectu certare, quia qui non sobrius accesserit ad divinæ majestatis altarium, sentiet immaturæ mortis interitum. *Ibid.*

11. Sobrietas non in sola integritate carnis consistit sed etiam in cultu et ornatu, vita pariter et moribus consistit. Serm. 2, *Dom.* 24, *post Trinit.*, etc.

S. BERNARD. 12. In mente sobria sermo efficacior est, pinguior oratio, frequentior lectio, et ferventior affectus. Serm. 26, super *Cant.*

13. Si manducas, mensam tuam sobrietas perornet. Apud D. Antonin. part. 4, tit. 4, cap. 4, § 2.

S. BONAV. 14. Quod cum sobrietate sumitur, sapit suavius, sumitur jucundius, reficit salubrius, minus gravat stomachum et facilius digeritur, et minus peccatur, et est honestius et religiosius. Lib. 2, *de Profectu Relig.*, cap. 47.

15. Sobrius agilior est ad bonum, castior est, magis cautus in lingua, promptior ad devotionem, et purior est in affectu. *Ibid.*

16. Si sobrietatem volumus diligere, ebrietatem quasi foveam inferni debemus longe refugere. Homil. 20. S. CÆSARIUS ARELAT.

17. Tutissimum cordis munimentum est sobrietas, cum instanti oratione, jugique Scripturarum meditatione. *De duplici Martyrio.* S. CYPRIAN.

18. Sobrietatem custodit, quisquis mores suos vitamque componit. Lib. 1, *de remiss. peccator.*, cap. 28. S. FULGENT.

19. Plures sunt, qui cum vino sint sobrii, ciborum largitate sunt ebrii. Epist. 22, *ad Eustoch.* S. HIERON.

20. Tanta sit in sumendo cibo sobrietas, tanta talisque parcitas; ut venter potius conqueratur, quam gaudeat. In *Regula monachor.*, cap. 37, *de Cibis.*

21. Nihil est quod nobis obesse potest, modo sobrii simus. Homil. 30, super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

22. Ubi sobrietas lucet, ibi pax, ibi unanimitatis abstinentia coronatur. Homil. 1, super *Psalm.* L.

23. Vis acquirere sensum et sapientiam ? sobrietas tibi necessaria est. *Prosec.* JOAN. GERS.

24. Vis habere animæ sanitatem, imo et corporis ? opus est tibi sobrietate.

25. Vis placare Deum, et de præteritis peccatis salutarem agere pœnitentiam ? sume sobrietatem.

26. Vis servare justam tuam hæreditatem in paradiso ? sobrietas necessaria est.

27. Vis claudere portam omnibus vitiis ? amplectere sobrietatem. Serm. *Dom.* 1, *Quadrag.*

28. Sobrietas ab igne luxuriæ protegit. *De ligno vitæ*, tract. 11, *de Sobriet.*, cap. 3. S. LAURENT. JUSTIN.

29. Sobrietas mentem regit, ne a sui soliditate deficiat. *Ibid.*

30. Felix plane sobrietas et salutaris, quæ quanto copiosius sumitur, tanto abundantius crescit. *Ibid.*

31. Cum moderata et sancta sobrietas sit, ita corpus attenuat, ut mentem elevet et regat.

32. Sic prorsus necesse est, ut artem sobrietatis quisque teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. *Prosec.*

33. Sæpe enim dum in illa hostem insequimur, etiam civem quem diligimus, trucidamus : et plerumque dum quasi concivi compatimur, ad prælium hostem nutrimus. Propterea modicus et sobrius cibus, et carni et animæ utilis est. *Ibid.*

S. LEO I. 34. Beata mens, quæ peregrinationis suæ tempora, casta sobrietate transcurrit, et in iis per quæ necesse est eam ambulare non remanet, ut hospita magis quam domina terrenorum, nec affectibus sit innixa humanis, nec promissionibus desit divinis. Serm. 2, *Quadrag.*

S. NILUS. 35. In victu parco, fit animus prudens : in lauto, mens in profundum demergitur. Orat. 1, *de Gula.*

PETR. BLES. 36. Ad sobrietatem rerum temporalium moderatior usus pertinet, necessitati satisfaciens, non serviens voluptati. Epist. 132, *ad Quemdam Abbat.*

S. PETRUS DAMIANUS. 37. Assuetum jejuniis corpus, sobrietas roborat. Opusc. 12, cap. 25.

38. Sobrietas castitatis præsidium. Opusc. 49, cap. 2, in tit.

39. Unum est ut sobrietas quotidie tibi omnes sit individua; nec aliquando a te gula pruriente, divulsa. *Ibid.*, cap. 2.

40. Si vis inter delicias sub sobrietatis legibus vivere, cave quoque inter ipsa simplicia alimenta edacitatis fræna laxare. *Ibid.*

PHILO JUD. 41. Sobrietas non solum animabus, verum etiam corporibus, omnium confessione, utilissima est. *De verb. Respexit Noe.*

42. Quid sobria mente præstantius est ? quæ gloria ? quæ divitiæ ? quod robur ? quæ potentia? denique quid aliud ex his quæ mirantur homines?

S. PROSPER. 43. Sensus quos dicuntur crassos efficere, vel gravare congestæ deliciæ, consuetudo parcitatis exonerat, et velut a quadam politura religiosæ exercitationis attenuat. Lib. 2, *de vita Contempl.*, cap. 22.

44. Illi magis parcimoniæ servire censendi sunt, qui sibi non aliquarum rerum perceptiones, sed delectationes corporis interdicunt. *Ibid.*, cap. 23.

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 45. Disruptum ganea stomachum, nulla sarcire res melius, quam parcimonia solet. Lib. 2, epist. 9.

S. THOMAS AQUINAS. 46. Sobrietas maxime requiritur in juvenibus, in mulieribus, in senibus, in episcopis, seu quibuslibet Ecclesiæ ministris, in regibus. In juvenibus, quia viget in eis concupiscentia delectabilis propter fervorem ætatis; in mulieribus, quia in eis non est sufficiens robur mentis, ad hoc quod concupiscentiis resistant; in senibus, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem; in episcopis, seu quibuslibet Ecclesiæ ministris, quia mente devota debent spiritualibus officiis insistere; in regibus, quia per sapientiam debent populum subditum gubernare. 2, 2, quæst. 149, art. 5.

THOMAS A KEMPIS. 47. Sobrius victus et potus, sanitas est animæ et corporis. *De discipl. claustr.*, cap. 12.

48. Nisi quis sobrius fuerit, ministerium suum implere non poterit. Epist. *ad Monachos.* S. VALER. EPISCOPUS.

49. Sobrie vivamus, quia per sensus corporis nostri etsi non velimus, fures ingrediuntur : quomodo enim potest non fuscari domus, si fumus exterius ascendens fenestras apertas invenerit? Lib. 5, libell. 12, num. 32. IN VIT. PATR.

50. Nisi exterior noster homo se sobrie gesserit, impossibile est custodire interiorem. *Ibid.*, num. 46.

51. Eruditio juvenibus sobrietas est, senibus solatium, pauperibus divitiæ, divitibus ornamentum. In suis *Sentent.*, sent. 13. DIOGENES.

Vide etiam tit. *Castitas*, in productione; *Deliciæ* sent. 62; *Ebrietas*, sent. 17, 18, 105; *Sanctitas*, sent. 46; *Vinum*, sent. 40, 59; *Virginitas*, sent. 15.

## SOCIETAS.

*Definitio.* Societas est duorum unus animus in duobus corporibus propter vim amoris constitutus. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 28, sent. 3. S. ISIDORUS HISPALENS.

Triplex est societas; quædam turbans et impediens, sicut societas malorum; quædam subsidio et solatio indigens, sicut societas uxorum et infirmorum; quædam adjuvans et promovens, sicut societas perfectorum. Prima est fugienda; secunda est toleranda; tertia est appetenda. Super *Ecclesiasten*, cap. 4. S. BONAV.

### SENTENTIÆ PATRUM.

1. Fugienda est insipientium societas, etsi aliqua generis copulentur necessitudine. *Prosec.* S. AMBROS.

2. Noxiæ sunt enim societates cum insipientibus, et inficiunt sobriam mentem ac decolorant. Lib. 1, epist. 4, *ad Irenæum.*

3. Non turbatur navis, quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Judam habet : etsi multa illic discipulorum merito navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat : in utraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. *Prosec.*

4. Caveamus igitur perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus. Lib. 5, super *Luc.*, cap. v.

5. Societas Christi, esca est Christiani. Serm. 6, *de Pentecoste.*

6. Hoc valde gloriosum est, cum aliquis bene agit inter male agentes, ubi male agere consuevit Part. 2, tit. 3, cap. 4. S. ANTONIN.

7. O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis : cum dicitur : Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem. Lib. 2, *Confess.*, cap. 9. S. AUGUST.

8. Perfectorum virorum consortio fruere. *De salutar. docum.*, cap. 44.

9. Cum malis hominibus nulla tibi sit connexio, si non valeas, Domino miserante, eos ab errore suo revocare. *Ibid.*

10. Duobus modis non te maculat malus, si ei non consentias, et si redarguas : hoc est non communicare, non consentire. *De verb. Dom.*, serm. 18.

11. Majus malum in separatione bonorum committimus, quam in malorum commixtione fugimus. Et hab. in *Glossa ord.*, super *Epist.* II *ad Cor.*, cap. 6, in illud : *Et separamini*, etc.

12. Communio malorum non maculat, sed consensio factorum. Et hab. apud Gratianum in *Decretis*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Si quis.*

13. Quærentes licentiam male faciendi, quærunt sibi exempla male viventium, et multos infamant, ut socios invenisse videantur. Serm. 2, *de Communi vita clericor.*

14. Perpurgatæ animæ est societatem humanam magnipendere. *De quant. animæ*, cap. 33.

15. Omnes Deum pietate sectantes, ad unam pertinent societatem. *De Catechiz. rud.*, cap. 19.

16. Major societas debet esse nobis cum philosophis, quam cum poetis. Lib. 6, *de Civit. Dei*, cap. 6.

17. Humana societas quot et quantis abundat malis, quis enarrare valeat, quis æstimare sufficiat? *Ibid.*, lib. 19, cap. 5.

18. Sociale quoddam est humana natura. *De bono Conjug.*, cap. 1.

19. Societas amicabilis magnum bonum est. *Ibid.*, cap. 9.

20. Omnis societas fraudulentum socium naturaliter non vult. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 4.

21. Salus nulla est, nisi in societate Dei. Tract. 1, super *Epist. Joan.*

22. Peccata aliorum, bonorum societatem maculare non possunt. Lib. 4, *contra Crescon.*, cap. 26.

S. BERNARD. 23. Si propter Deum vitaris societatem virorum, per Deum habebis societatem Angelorum. Serm. 58, *ad Sororem.*

24. Non mediocris titulus virtutis est, inter pravos vivere bonum, et inter malignantes innocentiæ retinere candorem, et morum lenitatem. Serm. 48, super *Cant.*

25. Non terret celsitudo, quam sociat similitudo *Ibid.*, serm. 85.

26. Inter bonos bonum esse, salutem habet : inter malos vero, et laudem. Illud tantæ facilitatis est, quantæ et securitatis : hoc tantæ virtutis, quantæ et difficultatis. Epist. 25, *ad Hugonem archiep. rothomagens.*

27. Amabilis socius, omnibus est officiosus, et nulli onerosus. Lib. 28, cap. 4.

28. Vere ille homo est laudabilis, qui in societate malorum est bonus. Serm. 60, *ad Sororem.*

29. Sicut ille est cŭlpandus, qui malus est inter bonos : ita ille est laudandus, qui bonus est inter malos. *Ibid.*

30. Si vis bene vivere, malorum societatem declina. *Ibid.*

31. Bonis te conjunge, bonorum consortium appete, bonorum societatem require. *Ibid.*

32. Si fueris bonorum socius, conversationis eris et virtutis. *Ibid.*

33. Periculosum est vitam cum hominibus malis ducere, perniciosum est vitam cum his, qui pravæ voluntatis sunt sociare. *Ibid.*

34. Melius est habere malorum odium, quam consortium. *Ibid.*

35. Sicut multa habet bona vita communis Sanctorum, sic plurima mala affert societas malorum. *Ibid.*

BOETIUS. 36. Ut probis atque improbis, nullum fœdus est; ita ipsi inter se improbe nequeunt convenire. Lib. 4, *de Consolat. philos.*, prosa 6.

S. BONAV. 37. Qui est in societate, necesse est, quod sit sollicitus quomodo se conformet societati. Super *Ecclesiasten*, cap. 4.

38. Mala societas in cœlo perdit gloriam, in mundo addit culpam, in inferno cumulat pœnam. Serm. 3, *Dom.* 3, *post Epiph.*

CASSIODOR. 39. Remedium est, quem converti velle non videris, vitare si possis. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Declinate a me maligni.*

S. CYPRIAN. 40. Consortes et participes alienorum delictorum fiunt, qui fuerint delinquentibus copulati. Epist. 68, *ad Clerum et plebem in Hispania.*

S. EDMUND. 41. Societas parum valet, ubi non est fœdus : nec amor. In *Speculo Eccles.*, cap. 28.

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 42. Nullum sit unquam cum vitiis fœdus : sic diligatur homo, ut ejus vitium odiatur. Epist. *ad Damasc. Papam de morte D. Hieron.*

43. Nil tam nocet homini, quam mala societas: talis enim efficitur homo, qualium societate fruitur. *Ibid.*

44. Sicut mala nocet societas, ita bona prodest : nihil potest huic comparari thesauro, qui bonam invenit societatem, vitam invenit divitiis affluentem. *Ibid.*

GLOSS. DECR. 45. Societas inter bonum et malum contrahi potest, ut tamen ex societate boni, malus ædificetur. In *Decret. Gratiani.*

GLOSS. INT. 46. Perversi similium societate gaudent. Super *Gen.*, cap. 21.

GLOSS. ORD. 47. In bonis nihil debet apparere quod contractum fuerit ex malorum societate. *Ibid.*, cap. 35.

S. GREGOR. MAGNUS. 48. Res immensi præconii est, inter malos laudabiliter conversari. Lib. 1, *Moral.*, cap. 1, in titulo.

49. Unum est pro quo vitari societas debet malorum, ne si fortasse corrigi non valeant, ad imitationem trahant: et cum ipsi a sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint, pervertant. Homil. 9, super *Ezech.*

50. Ipsa malorum societas, purgatio bonorum est. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 39, epist. 39, *ad Theotistam Patriciam.*

51. Perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia et eos sæpe ad rectitudinem trahunt, et ipsi ad perversitatem nunquam trahuntur. *Prosec.*

52. Infirmi societatem debent fugere malorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt, et corrigere non valent, delectentur imitari. Homil. 9, super *Ezech.*

53. Qui sancto viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis, accipit ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugat, et in desiderio divinæ lucis inardescit. *Ibid.*, homil. 5, super illud : *Et similitudo animalium*, etc.

S. GREGOR. NAZ. 54. Consortia non parum, vel ad virtutem, vel ad improbitatem occasionem præbere solent. Orat. 6, *in Funere Cæsarii Fratr.*

55. Prudenter illi faciunt, qui dum vivunt, societati sese accommodant, ex qua quæ sunt optima lucrifaciunt. *Prosec.*

56. Etenim ubi duo viri in rem eamdem recte incumbunt, etiamsi alteri ex ipsis accidat aliquid incommodi, non tamen parum ex eo habet auxilii, quem in re eadem socium est nactus.

57. Est autem maximum incommodum viro infeliciter agenti, si socio refocillatore destituatur.

58. Qui vero conjunctim vivunt, etiam vitæ suæ prosperitatem sibiipsis duplicant ; qui autem vitam societatis expertem ducit, horridum sibiipsi vivendi genus adsciscit : nec experitur, quomodo etiam si quis insidietur hominibus inter se connexis, haud certo et temerario consilio utatur, et quomodo funiculus triplex non facile rumpi soleat. Super *Ecclesiasten*, cap. IV.

HAYMO. 59. Sicut bonorum consortium multum adjuvat, sic malorum societas frequenter multum nocet. Serm. *Dom.* 9, *post Pent.*

S. HIERON. 60. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Epist. 2, *ad Nepotian.*

61. Inter vulgus sectare meliores, quia in omni conditione et gradu optimis mixta sunt pessima. *Ibid.*, epist. 4, *ad Rustic.*

62. Quid te mulieris delectat societas? quid fragilem et futilem ratem magnis committis fluctibus, et grande periculum navigationis incertæ securus ascendis? *Prosec.*

63. Nescis quid desideres, et tamen sic ei jungeris, quasi aut ante desideraveris, aut, ut levissime dicam, postea desideraturus sis.

64. Sed ad ministerium iste sexus est aptior. Elige ergo anum deformem, elige probatæ in Domino continentiæ : quid te adolescentula, quid pulchra, quid luxuriosa delectat? Epist. 12, *ad Gaudentium.*

65. Sæcularium, et maxime potentium, consortium devita. Epist. 13, *ad Paulin.*

66. Quamvis infinita vos cingat peccantium multitudo, et innumera sint exempla vitiorum : vos tamen ita cœlestis nativitatis memores esse debetis, ut inter malos viventes, omne malum vincatis. Epist. 1, *ad Demetriad.*

HUGO A S. VICTORE. 67. Nulla societas, justorum societate melior. *De Laude Christ.*

HUGO CARD. 68. Solatium est misero, socios habere pœnarum. Super *Deut.*, cap. 1.

69. Multum nocet mala societas, et multum juvat bona societas. Super *Ecclesiastic.*, cap. 13.

70. Revera non erunt socii in gloria, qui noluerunt esse socii in miseria. Super I *Cor.* 1.

JOAN. CASS. 71. Certissima est prudentissimorum virorum illa sententia, veram concordiam, et individuam societatem, nisi inter emendatos mores, ejusdemque virtutis, ac propositi viros stare non posse. Collat. 16, cap. 28.

72. Noveris te etiam in futuro sæculo eorum sorte censendum, cum quibus in hac vita in lucri detrimentive consortio, vel gaudio, vel mœrore nunc concuteris. Collat. 24, *Abbat. Abrahæ*, cap. 11.

S. JOANNES CHRYSOST. 73. Melius est non habere hic societatem cum malis præsentium bonorum; quam hic habere præsentiam bonorum, et pervenire ad perpetuum supplicium malorum. Homil. super *Psalm.* XXXIII.

74. Male cum hoste conjungitur, qui separari sententia divina præcipitur; et sine utilitate ab inimico non separatur, qui perniciose hosti conjungitur. Serm. super illud *Gen.* III : *Inimicitias ponam*, etc.

75. Rerum natura sic se habet, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur. Homil. 11 *ex Divers. in Matth.*

76. Diversitas rerum non potest habere consortium. *Ibid.*

77. Scelestorum conjunctio maxime nocere potest, taliumque societas innocentibus perniciem affert. *Ibid.*

78. Perdet res quæque quod nascitur, si aliquando æmulo copuletur. *Prosec.*

79. Si bonus malo connectitur, aut pares redduntur, aut cito ab invicem separantur.

80. Nefas est jungere, quod natura copulari non patitur. Homil. super illud *Joan.* IV : *Veniet hora*, etc.

81. Inter socios dum servatur fides, perseverans societas invenitur. *Prosec.*

82. Tolle fidem, et societas inter homines non erit : sicut amicitia, ita fides societate consistit. Homil. 1, in dictum *Joan.* XV : *Vos amici mei estis.*

83. In humana societate, nihil consuetudine firmius, nihil constantius. Homil. 7, super I *Cor.*

84. Ubi quæ majora sunt, nihil amplius cæteris habent, quam quod minoribus magis sunt obstricta, et sollicitudinem debent, et casus æqualiter omnes uniuscujusque perferre student, ibi magna profecto societas est. *Ibid.*, homil. 31.

85. Socios habere perditionis suæ, et simul pœnarum, id gaudium execrabile omnino est. Homil. 10, super I *Timoth.*

86. Solet societas eorum, qui mœroris alieni participes sunt, doloris maximam partem auferre. Homil. 1, super II *Tim.*

87. Quemadmodum cum qui ferendo oneri accedit socius, eum qui solus ferebat leviasse dicitur : ita et in aliis omnibus hujusmodi societas ex miseratione profecta, vim maximam alleviationis habet. *Ibid.*

88. Societates potus et ebrietatis ineunt plurimi. *Ibid.*

S. JOANNES DAMASC. 89. Magnam bonorum virorum usus atque consuetudo, utilitatem habet. Lib. 3, *Parall.*, cap. 71.

JOAN. TRITH. 90. Rerum natura sic est, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur. *Prosec.*

91. Diversitas enim rerum nunquam potest habere concordiam, et multos sollicitat nefanda societas. Lib. 1, homil. 11, *ad Monachos.*

92. Multis nocuit societas mala, et qui delectatur habitare cum reprobis, non erit immunis a contagione peccati. *Ibid.*

93. Nihil pretiosius amico timente Deum, et nihil perniciosius socio, qui pravæ est voluntatis. *Ibid.*

94. Facile decipitur juvenilis animus consortio perversorum. *De Inst. vitæ Sacerdot.*, cap. 1.

95. Nulla congregatio tam sancta extitit, quæ malorum societatem non sit experta. Orat. 2, in *Conventu Abbat.* habita.

S. ISID. HISP. 96. Tenenda est cum sanctis viris unitas charitatis : et quanto se quisque subtrahit mundo, tanto opus est, ut se associet bonorum consortio. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 3, sent. 6.

97. Qui a fraterna societate secernitur, a divinæ charitatis participatione privatur. *Ibid.*, sent. 7.

98. Bonis te conjunge, bonorum consortium appete, bonorum societatem require, sanctis individue adhære. *Prosec.*

99. Si fueris socius conversationis, eris et virtutis. Qui cum sapientibus graditur, sapiens est : qui cum stultis, stultus est : similis enim simili conjungi solet.

100. Infamiam tibi nutris, si indignis te sociaveris : melius est habere malorum odium, quam consortium. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 8.

101. Vita malos, cave iniquos, fuge improbos, sperne ingratos : a te fuga turmas hominum, qui ad vitia proni sunt. *De contemptu mundi*, verbo *Vita.*

LACT. FIRM. 102. Hæc est perfecta justitia, quæ custodit humanam societatem. Lib. 6 *de divin. Instit.*, cap. 12.

103. Socialis hominis est, ac benefica natura, qua sola cognationem cum Deo habet. *Ibid.*, lib. 5, cap. 18.

104. Quod societas inter se hominum, et necessitudinis vinculum dissolvitur, ab ignorantia veri Dei nascitur. In *Epitome*, verbo *Duas.*

S. LAURENT. JUSTIN. 105. Nemo bonus secure cum malis habitat. *De triumphali Christi agone*, cap. 6.

S. LEO I. 106. Cum inimicis crucis Christi nulla consensione jungamur, ne impiorum consortio sanctitas fidelium polluatur. Serm. 4, *Quadrag.*

S. PETRUS DAM. 107. Nunquam velis alicui in amore esse conjunctus, qui a divina fuerit societate divisus. Lib. 4, epist. 3, *ad G. Episc. Auximan.*

108. Etiamsi mundus sit quis in se, malorum tamen nonnunquam societate polluitur. Opusc. 27, cap. 4.

S. PETRUS MAUR. VEN. CLUNIAC. 109. Semper similia similibus conveniunt, monachum monachis, clericum clericis, laicum laicis cohabitare. Lib. 1, epist. 16, *ad Pontium.*

PHILO JUD. 110. Non eris socius multorum in malitia : quid si paucorum? imo ne unius quidem mali. Nam malus vel unus multiplex est vitiis, cujus societas damnum affert maximum. *De Migrat. Abrahæ.*

S. THEO[illegible]R. 111. Qui impie vivit, abhorret a collegio bonorum. Super *Malach.*, cap. II.

THOMAS A KEMPIS. 112. Prodest animæ saluti societas bona, et nocet conventio prava. In *Hortulo Rosar.*, cap. 1.

113. Qualis unusquisque est, tales etiam socios diligit : devotus devotum, pudicus pudicum, sanctus sanctum, vagus vagum, dissolutus quærit dissolutum. *De discipl. Claustr.*, cap. 15, sect. 2.

114. Juvat bona societas, colloquens de Deo : nocet mala societas, fabulans de mundo. In *Hospit. pauper.*, cap. 3.

IN VITIS PATR. 115. Si cum proximo habitas, esto sicut columna lapidea, quæ si injuriatur, non irascitur :

si glorificatur, non extollitur. Lib. 7, cap. 42, num. 2.

116. Non mensures teipsum, sed adhære bene conversanti. In *Sent.*, in fine positis, sent. 66.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 117. Justo et temperato et bono qui se junxerit, melior in his ipsis bonis animi evadet. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 10.

118. Viri et uxoris societas similis est optimatum potestati, pro dignitate namque vir præsidet, et in eis quæ virum decet : quæ vero uxori accommodantur, hæc illi tribuit. Lib. 8, *Ethic.*, cap. 10.

119. Æqualis æqualem delectat, et ipsi familiares sodales sunt. *Ibid.*, cap. 12.

120. Societas amicabile quiddam est, cum inimicis enim in via quidem communicare volunt homines. Lib. 4, *Polit.*, cap. 11.

CICERO. 121. Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior, quam cum viri boni moribus similes sunt familiariter conjuncti : nihil enim amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. Lib. 1, *Offic.*

EPICTETUS. 122. Scito, si sodalis pollutus fuerit, eum etiam quem is attigerit, necessario pollui, etsi purus ipse fuerit. In suo *Enchirid.*, cap. 45.

MIM. PUBL. 123. Comes facundus in via pro vehiculo est. In suis *Sentent.*, sent. 83.

SENECA. 124. Salva esse societas, nisi amore et custodia partium non potest. Lib. 2, *de Ira.*, cap. 31.

125. Tranquillitati inimicus est, comes perturbatus. *De Tranquillit. animi*, cap. 7.

126. Nullius boni sine socio jucunda possessio est. Epist.

127. Honesta et turpia, virtutis et malitiæ societas efficit. Epist. 31.

128. Cum bono viro vivendum est, non quandiu juvat, sed quandiu oportet. Epist. 104.

129. Qui æquo animo malis immiscetur, malus est. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Christianus*, sent. 107; *Familiaritas*, sent. 14; *Lux*, sent. 52; *Negare Deum*, sent. 40; *Peccatum* in genere, sent. 202; *Perversitas*, sent. 9, 21; *Senectus*, sent. 1, 2, 3.

## SODOMIA.

S. BONAV. *Definitio.* Peccatum contra naturam, seu Sodomia, est luxuria, qua naturalis usus coeundi maris et fœminæ dissipatur. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 24.

JOAN.GERS. Sodomia est vitium contra naturam, quo non observantur partes modi ad generationem idonei. In *Descript. terminor.*, cap. *Temperantia.*

S. PETRUS DAMIAN. *Differentia.* Si pessima est blasphemia, nescio in quo sit melior Sodomia : illa enim facit hominem errare, ista perire. *Prosec.*

Illa a Deo animam dividit, diabolo ista conjungit : illa de paradiso se ejicit, ista in tartarum mergit. Opusc. 7, cap. 25.

S.ANTONIN. *Comparatio.* Sodomia assimilatur homicidio, quia utrumque destruit speciem humanam, quantum in se est, sed pejori modo sodomita. *Prosec.*

Nam homicida destruit separando animam a corpore, quæ tamen remanet immortalis, et corpus demum reassumpsit : sed sodomita destruit impediendo ne sit homo, id est, ne generetur. Part. 2, tit. 5, *de Luxuria*, cap. 4, § 2.

S. ANTON. *Productio.* Sodomiæ vitium pestilentias generat, et forte ista est causa quare in multis civitatibus Italiæ frequenter superveniunt pestes, quia magis abundat tale vitium, quam in aliis. *Prosec.*

Et unus deditus huic vitio est tam infectivus, ut sit sufficiens inficere totam unam civitatem. Part. 2, tit. 5, *de Luxuria*, cap. 4, § 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Ab ea parte corporis, quæ ad generandum non est instituta, si etiam conjunge quisque utatur, contra naturam, et flagitiosum est. Habetur in *Glossa ord.*, super *epist. ad Rom.*, cap. I in illud : *Relicto naturali usu*, etc. S. AMBROS.

2. Flagitia quæ sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda sunt, atque punienda : qualia sodomitarum fuerunt : violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet cum eadem natura, cujus ille auctor est. Lib. 3, *Confess.*, cap. 8. S. AUGUST.

3 Quisquis natura sua male utitur, malus esse judicatur. *De Spiritu et Anima.*, cap. 40.

4. Nullum vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 12.

5. Usus qui est contra naturam execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore. *De Bono conjugal.*, cap. 11.

6. Illa est turpitudo, illa est immunditia, illa summa miseria, a qua Angeli fugiunt, quam dæmones videntes, oculos claudunt. *Prosec.*

7. O quam abominabile vitium ! o quam detestabile crimen ! o quam mortiferum damnum ! o quam pessimum scelus ! o quam inauditum et execrabile malum ! Serm. 47, *ad Fratres in eremo.*

8. Hæc est illa sodomia, quam Deus odio summe habet, quam detestantur sancti, quam execrantur beati, quam fugiunt illi qui regnum Dei consequuntur æternum. *Ibid.*

9. Ipse Filius Dei, Rex totius curiæ cœlestis,

ita hoc vitium abominatur, ut videns illud in humana natura introductum, fere desiit incarnari. Apud S. Antonin., part. 2, tit. 5, cap. 4, § 3.

S. BONAV. 10. Valde turpe est, naturæ et rationi contrarium, ut homo immunditiam diligat, quam bruta declinant. *Prosec.*

11. O humana confusio! o detestanda perversio! ut immunditiam, quam detestatur brutum, amplexetur homo. Serm. 4, *de SS. Apostolis.*

12. Vitandi sunt cum masculis nefandi concubitus, et infrugiferæ sationes : natura enim masculum non ad semen suscipiendum, sed ad id effundendum virum fecit. Lib. 2 *de Pædag.*, cap. 10.

. CYPRIAN. 13. Impudicitia etiam extraordinaria et portentuosa contra ipsam naturam, ex viris per viros monstra conquirit. *De bono pudicit.*, cap. 2.

S. HIERON. 14. Superbia, saturitas, rerum omnium abundantia, otium, et deliciæ, peccatum sodomiticum est. Lib. 5, cap. 16, super illud *Luc.* XIV : *Omnis qui se exaltat*, etc.

15. Nocte illa qua Christus natus est, omnes qui reperti sunt illo vitio laborantes, mortui sunt subito : non enim voluit pati tantam ignominiam reperiri in natura nostra, quam assumpserat. Apud D. Antonin., part. 2, tit. 5, cap. 4, § 2.

HUGO CARD. 16. Sodomia hominem ignominiosum reddit et abominabilem, propter tenacitatem et magnitudinem flagitii. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.

17. Flamma gehennalis moram non sustinens, execrabilem istam prævenit tollere nationem, alios enim peccatores expectat. *Ibid.*

S. INNOC. III 18. Quid hanc sodomiæ turpitudinem operantibus turpius ? quid hoc crimine criminosius? Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 24.

S. JOAN. CHRYSOST. 19. Sodomitæ non solum dogma habent satanicum, sed et vitam agunt prorsus diabolicam. Serm. 4, super *Epist. ad Rom.*

20. Eum usum, qui juxta naturam est, ignominia facientes, deflectunt in eum qui contra naturam est. *Ibid.*

21. Certum est difficiliora esse, et turpiora, quæ præter naturam sunt : ita ut nequeant homines aliquam voluptatem sentire : genuina siquidem et vera voluptas est, quæ juxta naturam est. *Ibid.*, etc.

22. Extremæ perditionis argumentum est, quando utrumque et virorum ac fœminarum genus corruptum esse in hoc peccato deprehenditur. *Ibid.*

23. Quemadmodum sæpe fit, ut multi naturali ac consueto corporis alimento relicto, terra parvisque lapillis vescantur, et alii vehementi siti correpti sæpe putridi cœni desiderio miris modis afficiantur : sic habent et illi, qui ad illegitimum illum, qui contra naturam est, amorem furibundi anhelant. *Ibid.*



24. Quando hominibus illa tam absurdæ libidinis advenit vehementia, signum est quod illos Deus dereliquit : a Deo enim derelinquuntur, quia per iniquitatem illum prius dereliquerunt. *Ibid.*

25. Quid viro constuprato detestabilius ? quid scelestius ? o dementiam ! o insaniam ! o brutis irrationabiliores, canibusque impudentiores ! *Ibid.*

26. Unde irrepsit petulans et lasciva illa concupiscentia, tam hostiliter humanæ adversa naturæ (imo tanto hostilior periculosiorque, quanto corporibus potior est anima) nimirum ex deliciis, atque ignorantia Dei ? *Ibid.*

27. Plerique inveniuntur fastiditis mulieribus, irrationalibus copulari bestiis, vel contumeliam inferre mortibus. *Ibid.*, serm. 9.

28. Quæ juxta naturam fiunt, majoris sunt voluptatis, quam quæ præter illam committuntur. *Ibid.*

29. Quid delectabilius mulieri ne, an maribus commisceri ? invenies tamen monnullos, fœminis rejectis, marium corpora summa injuria conspurcare. Serm. *de Amore Dei*, etc.

30. Metue delicias sodomitarum, ne sodomitica patiaris incendia. Homil. *de Militia christiana.*

31. Discede ab omni luxuria, et omnem ignium sodomiticorum fomitem in temetipso victo extingue. *Ibid.*

32. Sodomia amor nequissimus est, morbus acerbus atque insanabilis, pestis teterrima atque omni pernicie immanior et gravior. Lib. 1, *Advers. vituperat. vitæ monast.*

33. Omnes quidem cupiditates ignominiosæ sunt, maxime tamen erga viros virorum insania. Serm. 4, super *Epist. ad Rom.*

34. Adulteria cave, et masculi insanum cubile. LACT. FIRM. *De Ira Dei*, cap. 22, verbo græco φεῦγε, post sibyllam.

35. Mares admiscuit diabolus maribus, et nefandos coitus contra naturam, contraque institutum Dei machinatus est. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 23.

36. Non potest hæc res pro magnitudine sceleris enarrari : nihil amplius istos appellare possum, quam impios et parricidas, quibus non sufficiat sexus a Deo datus, nisi et suum sexum profane ac petulanter illudant. *Ibid.*

37. Immanitate cruenti ac sceleratissimi crimi- S. PETR. DAM.
nis vestri adulteros vincitis, homicidas exceditis, raptores, sacrilegos, patricidas, incestos, atque omnium pene reorum flagitia superatis. Opusc. 6, cap. 37.

38. O scelus inauditum ! o facinus lacrymarum fonte lugendum ! si hi morte plectendi sunt, qui facientibus ista consentiunt : quod dignum illis poterit excogitari supplicium, qui cum suis spiritualibus filiis hæc mala extrema damnatione puniendi committunt ? *Ibid.*, opusc. 7, cap. 6.

39. Ut mihi videtur, tolerabilius est cum pecude, quam cum viro in luxuriæ flagitium labi. *Prosec.*

40. Quanto videlicet levius judicatur quemlibet solum perire, quam secum quoque alium ad interitus perniciem trahere.

41. Miserabilis quippe conditio est, ubi sic unius ruina pendet ex altero, ut dum unus extinguitur, alter in mortem necessario subsequatur. *Ibid.*

42. Hoc vitium nulli prorsus est vitio conferendum, quod omnium immanitatem superat vitiorum. *Prosec.*

43. Hoc siquidem vitium, mors est corporum, interitus est animarum : carnem polluit, mentis lumen extinguit, Spiritum sanctum de templo humani pectoris ejicit, incentorem luxuriæ diabolum introducit.

44. Mittit in errorem, subtrahit deceptæ menti funditus veritatem : eunti laqueos præparat, cadenti puteum ne egrediatur oppilat.

45. Infernum aperit, paradisi januam claudit : abscindit membrum ecclesiæ, et in vorax projicit gehennæ æstuantis incendium.

46. Hoc vitium supernæ patriæ muros conatur evertere, et rediviva exustæ Sodomæ satagit mœnia reparare.

47. Hoc est, quod sobrietatem violat, pudicitiam necat, castitatem jugulat, virginitatem (quæ irrecuperabilis est) spurcissimæ contagionis mucrone trucidat.

48. Omnia fœdat, omnia maculat, omnia polluit : et quantum ad se, nihil purum, nihil a sordibus alienum, nibil mundum esse permittit. *Ibid.*, cap. 16.

49. Animadverte, miser, quam densa te, caligo cæcitatis involvat : in virilem sexum furor te libidinis impellit : in tuam te speciem, hoc est, virum luxuriæ rabies incitat. *Ibid.*, cap. 17.

50. Hoc perditi homines perpetrare non metuunt, quod ipsa quoque bruta animalia perhorrescunt. *Prosec.*

51. Quod ab humanæ pravitatis temeritate committitur, irrationabilium pecorum judicio condemnatur. *Ibid.*

52. Væ tibi infelix sodomita, de cujus interitu tristantur Angeli, insultant plausibus inimici, factus es præda dæmonum, rapina crudelium, spolium impiorum. *Ibid.*

53. Pestis illa gomorrhiana nunc inhabitatione tui corporis vivit, quæ domum Joab crudelis homicidii ultione damnavit. *Ibid.*, cap. 18.

54. Nulla religio, nulla sane mortificatio, nulla vitæ perfectio oculis superni judicis digna decernitur, quæ tam turpis immunditiæ sordibus inquinatur. *Ibid.*, cap. 21.

55. Quos nunc ardor sodomiticæ libidinis vexat, post modum etiam cum ipsos totius iniquitatis auctore flamma perpetuæ combustionis exuret. *Ibid.*, cap. 22.

56. Infame est, et teterrimum sodomiæ peccatum, quod castis naribus nimium fœtet. Lib. 6, super *Genes.*, cap. 2. RUPERT. ABB.

57. Omnium vitiorum ; quæ ad luxuriam pertinent, pessimum est quod contra naturam est. 2, 2, quæst, 154, art. 12. S. THOMA AQUINAS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

58. Quando masculi cum masculis copulantur, aut fœminis fœminæ, summum audacissimumque facinus est præter naturam, voluptatis fœda intemperie turpissimum. Syzygia 4, lib 1, *de Legib.* PLATO.

## SOL.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Solis radius nulli proprior, nulli longinquior est, æqualis est omnibus. *Prosec.* S. AMBROS

2. Similis sol et Indis et Britannis eodem momento videtur, cum oritur.

3. Nec cum vergit in occasum, minor apparet Orientalibus, quam Occidentalibus : nec Occidentalibus cum oritur, inferior quam Orientalibus æstimatur. Lib. 4, in *Hexam.*, cap. 6.

4. Sol a nullo distat, nulli præsentior, nulli absentior est. *Ibid.*

5. Si vis magnitudinem solis, non solum oculo mentis, sed etiam corporis æstimare, considera quanti stellarum globi axem cœli videantur obtexere, et innumeris insignire luminibus ; non queunt tamen tenebras noctis, et cœli nubila detergere. *Prosec.*

6. Simul ut sol ortus sui signa præmiserit, omnes stellarum ignes sub unius luminaris fulgore vanescunt : aperitur aer, cœlique facies purpurascenti rubore perfunditur. *Ibid.*

7. Si sol unus est, non sunt duo : non hic et sol lucet, et nox est. Lib. 3, *contra Academ.*, cap. 13.

8. Nihil inter visibilia pulchrius invenitur sole. *De Morib. Manich.*, cap. 8.

9. Per diem sol principatum tenet, luna vero per noctem. Lib. 1, *de Genesi, contra Manich.*, cap. 14.

10. Dupliciter errat qui desiderat alterum so-

lem et lunam vult detrahi. Lib. 3, *de Lib. Arb.*, cap. 9.

11. Christiani non sunt, qui solem et lunam, non modo diligendos, sed etiam colendos putant. *De Morib. eccles.*, cap. 29.

12. Luna non augetur ad oculos nostros, nisi a sole recedendo; neque minuitur, nisi ad solem ex parte alia propinquando. Epist. 119, cap. 4.

13. Aliter absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens : illa indigentia, iste potentia. Epist. 49, quæst. 1.

14. Totus circuitus solis verius nuncupatur, non ab Oriente usque, in Occidentem, sed ab Oriente usque ad Orientem. Epist. 8.

15. Sol præsentia sua facit diem, noctem vero absentia. Lib. 1, *de Gen. ad lit.*, cap. 10.

16. Per tenebrarum diuturnitatem mutati oculi, mutatum solem sentiunt. *Annot. in Job*, cap. 10.

17. Tanto magis luna lucet terrenis aspectibus, quanto magis recedit a sole; cum autem propinquat soli, interimitur terris. *Ibid.*, cap. 25.

18. Non oportet solem vituperare, quoniam quidam peccantes, poni a judicibus jubentur ad solem. Lib. 12, *de Civit. Dei*, cap. 4.

19. Sol oculis sauciatis ex delectabili molestus efficitur, cum ipse apud seipsum maneat idem qui fuit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 1.

20. Cum Dominus crucifixus est, solis obscuratio non ex canonico siderum cursu accidit, quia tunc erat Pascha Judæorum, quod plena luna solemniter agitur : regularis autem solis defectio, non nisi lunæ fine contingit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 15.

21. Radiis solis et lunæ terra contingitur, nec istam contaminat lucem. *Ibid.*, lib. 9, cap. 16.

22. A sole luna recedit: et ad solem rursus accedit. Lib. 20, *contra Faust.*, cap. 8.

23. Musca sole præstantior est, quia vivit. *De duab. Animab.*, cap. 4.

24. Ne adoratores solis amplius tumescant, sciant significari Christum per solem, cujusdam similitudinis causa, non proprietatis substantia. Lib. 12, *contra Faust.*, cap. 12.

25. Pulchrior est iste sol, quam pecunia tua, et tamen iste sol non est Deus tuus. *De Discipl. Christ.*, cap. 9.

26. Nube tegitur sol, non ut obscuretur, sed ut temperetur. Tract. 34, super *Joan.*

27. Lumen quod fecit solem, sub fecit et nos, factum est sub sole propter nos. *Ibid.*

28. Sol videntis faciem illustrat et cæci: ambo faciem ad solem habentes illustrantur in carne, sed non ambo illuminantur in acie. *Ibid.*, tr. 35.

29. Deus lux est longe præstantior, quam sol. Tract. 1, super *Epist. Joan.*

30. In cordibus nostris habitat sol justitiæ per fidem : si ergo irasceris, ne occidat sol iste in corde tuo super iracundiam tuam, ne forte irascaris, et occidat tibi sol justitiæ, et in tenebris remaneas. Homil. 45, *ex Quinquag. homil.*, cap. 6.

31. Sol iste corruptioni subjectus, adeo pulcher est, adeo magnus, velocissimus quidem motu, suas autem peragens ordine decentissimo periodos, moderata quidem ad universum præditus magnitudine, ut haud quaquam proportionem toti reliquæ machinæ admensuratam transgrediatur. Homil. 6, *de Creat. luminarium.* S. BASILIUS MAGNUS.

32. Sol est quasi quidam oculus splendidus creaturam ipsam condecorans. *Ibid.*

33. Soli propinquior est nemo, remotior nemo : sed æquali semper intervallo cunctis hominibus ipse quoscunque tractus telluris habitent, obvium se offert. *Prosec.*

34. Neque enim iis qui orientis habitant regiones, sol occidens magnitudinem suam imminuit : neque ab iis qui regiones occiduas incolunt, minor exoriens unquam conspicitur. *Ibid.*, homil. 6, *Hexam.*

35. Sol non omnes quibus lucet, etiam calefacit. Serm. 23, super *Cant.* S. BERNARDUS.

36. Claritas lunæ, non nisi a sole est. Serm. 27, super *Cantica.*

37. Sol omnes stellas splendore sui fulgoris obtundit, et contegit. Lib. 9, *Recognit.* S. CLEMENS PAPA.

38. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. *De Unit. Eccles.* S. CYPRIAN.

39. Solis radius non est diversus, et tamen cum diversus non sit, diversa sunt quæ in luto operatur et cera : quia uno eodemque sui ignis calore lutum durat, et ceram liquat. Homil. 17, super *Ezech.* S. GREGOR. MAGNUS.

40. Sol post pluviam clarior fulget. Lib. 3, *de Claustro anim.*, cap. 7. HUGO A S. VICTORE.

41. Sancti dicuntur sol, quia non mutantur, quia sunt lucidi, quia sunt calidi, quia sunt rotundi per simplicitatem. Super *Psalm.* LXXIII. HUGO CARD.

42. Quotidianus ortus et occasus solis, quid aliud est quam mundi interitus? quia autem per occultas vias oritur et occidit, quid aliud demonstrat, nisi quod humana vita labitur, dum nescitur? Super *Ecclesiasten*, cap. 1.

43. Quatuor proprietates inveniuntur in sole. Claritas in substantia, quia igneus est et lucidus; impassibilitas in natura, quia perpetua consistit, et incorrupta; subtilitas in radio, quia sine obstendo penetrat vitrum; agilitas in motu, quia S. [illegible]

uno die discurrit ad oriente in Occidentem. Serm. in *Sabbat. quatuor Tempor.*

S. JOANNES CHRYSOST. 44. Sol clariorem diem efficit, rutilans aureo suo jubare, et radiis, et quotidie speciem suam vigescentem ostendens; et simul atque mane ortus fuerit, omne hominum genus, ad suorum operum studia excitans. Homil. 6, super *Gen.* in illud : *Fecit duo luminaria magna.*

45. Sol non solum calefacit, sed et arefacit : et non solum arefacit, sed et adurit, multum utilitatis præstans. *Ibid.*

46. Sol græco sermone Helios appellatur : unde Helias vere Helios, quoniam curru atque equis fulgentibus igne de Oceani fluctu, idest, de mundi commotione per montium scopulos, idest, per magnorum laborum difficultates progrediens, ad cœlestia devectus ascendit. Homil. *de Ascens. Eliæ.*

47. Deus ipsius solis radios ad terram convertit, et lucem fecit inferius vergere, dicens ipsi : Inferius prospice, et hominibus luce, propter illos enim factus es. Homil. 9, *ad Popul. Antioch.*

48. Cum solem videris exorientem, Creatorem admirare : quando ipsum se celantem et evanescentem videris, naturæ imbecillitatem disce, nec ipsum ut Deum adores. *Ibid.*, homil. 10.

S. IRENÆUS. 49. Dies a sole magis effulgescit et augescit. Lib. 2, *advers., Hæres.*, cap. 27.

S. ISIDORUS PELUSIOT. 50. Pulchra est luna, at sol præclarior. Lib. 2, Epist. 133, *ad Timoth. lector.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 51. Non lucere soli laboriosum est, ut pote cujus in natura splendor, et fons ipse luminis continetur. *De Regno ad Arcadium Imperat.*

52. Nihil sole in rebus aspectabilibus aut divinius, aut communius est. *De insomniis.*

53. Solaris radius quamvis cœnum contingat, purus nec inquinatus manet. *Ibid.*, epist. 57, *advers. Andronic.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 54. Sol est, qui omnia movet. Sect. 11, *Problem.*, quæst. 5.

PLATO. 55. Solis et cæterorum astrorum motus, causam Deum esse, aio. Lib. 13, *de Legibus.*

SENECA. 56. Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet. Lib. 7 *Quæst.*, cap. 1.

57. Et sceleratis sol oritur, et piratis patent maria. Lib. 4, *de Benefic.*, cap. 26.

TRISMEG. 58. Sol tantus, terra simul amplior atque mari; minores tamen supra se stellas innumeras converti patitur. *De Potest. et sap. Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 5.

## SOLITUDO.

S. ALBERTUS MAG. *Definitio.* Solitudo vera est abstrahere mentem a sollicitudine, et occupatione actionum exteriarum, et ab omni delectatione creaturarum. In *Paradiso animæ*, part. 1, *de Virt.*, cap. 32.

GLOSS. Desertum, seu solitudo significat sanctorum vitam a mundi illecebris segregatam. Super *Matth.*, cap. III.

S. BO[...] *Divisio.* Triplex est solitudo : per inopiam dilectionis, sic avarus non vult habere consortem, et hæc mala omnino est; per defectum consolationis, et hæc misera est; per quietem contemplationis, et hæc laudabilis et honesta est. Super *Ecclesiasten*, cap. IV.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AM[...] 1. Nunquam minus solus sum, quam cum solus esse videor : nec minus otiosus, quam cum otiosus. Lib. 6, epist. 41, *ad Sabinum.*

S. AU[...] 2. Conveniens est desertum saluti, ubi non est Eva quæ persuadeat, non est mulier quæ blandiatur. Serm. 1, *Fer. 4, post Dom. 2, Quadrag.*

3. Ama solitudinem, fuge multitudinem, ne comprehendaris in verbo, ne confundaris in facto. Serm 3, *ad Fratres in eremo.*

4. Demorantibus in solitudine, jejunium valde necessarium est. Serm. 24, *ad Fratr. in eremo.*

5. Ecce in solitudine sumus, ut secundum apostolicam formam quietius vivere valeamus : locus non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit et nos. *Ibid.*, serm. 27.

6. Solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggeratur. Lib. 8 *Conf.*, cap. 12.

7. Multi usque adeo sunt Dei amore flagrantes, ut eos in summa continentia, atque mundi hujus incredibili contemptu, etiam solitudo delectet. *De Morib. Eccles.*, cap. 30.

8. Difficile est in turba videre Christum, solitudo quædam necessaria est menti nostræ, quadam solitudine intentionis videtur Deus : turba strepitum habet, visio ista secretum desiderat. Tract. 17, super *Joan.*

V. 9. Non vivas aliter in solitudine, aliter in foro. In suis *Proverb.*, verbo *Non.*

S. BE[...] 10. Solitudinem quærit, qui cum innocentibus vivere cupit. *Ibid.*, verbo *Solitudinem.*

11. Solitudo superborum est, ubi sese solos reputant, solos appetunt reputari. *Prosec.*

12. Litteratus est, odit socium : astutus est negotiis secularibus, neminem vellet sibi similem inveniri.

13. Pecuniosus est, si ditescere viderit alterum, cruciatur : fortis est aut formosus, da ei parem et contabescit.

14. Solitarius est, sed erroneus : errat in solitudine sua, non enim solus habitare poterit. Serm. *de Nimia fallacia.*

15. O sancta anima sola esto, ut soli omnium serves teipsum, quem ex omnibus tibi elegisti :

fuge publicum, secede ab amicis et intimis, nihil tibi est cum turbis, nihil cum multitudine cæterorum. Serm. 40, super *Cant.*

16. Sola indicitur tibi mentis et spiritus solitudo : solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt. *Prosec.*

17. Solus es, si fastidias quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum : alioquin si solus corpore es, non solus es. *Ibid.*

18. Recordatio tenebrarum exteriorum, facit non horrere solitudinem. Epist. 1, *ad Robertum.*

19. Malum quod nemo videt, nemo arguit : ubi autem non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. *Prosec.*

20. In nemore lupus latitat, ubi vivere licet ut libet : in conventu vero bona, si qua facis, nemo prohibet ; malum autem facere si vis : non licet. Epist. 115, *Ad quamdam sanctimonialem.*

21. Vere solus est, cum quo Deus non est, vere reclusus est, qui in Deo liber non est : solitudo enim et reclusio sunt nomina miseriæ. *De Vita solitaria.*

22. Cum quo Deus est, nunquam minus solus est, quam cum solus est : tunc enim libere fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est sibi ad fruendum Deo in se, et se in Deo. *Ibid.*

23. Sanctæ solitudinis secretum, et solitariæ professionis titulus, non nisi perfectis convenire videtur. *Ibid.*

24. Qui habitat secum, non nisi seipsum, qualis ipse est, habet secum. *Ibid.*

ONAV. 25. Fuge hominem et seculi rumores, quia non potes satis esse Deo et hominibus. In *Alphabet. Religiosor*, lect. 5.

26. Solitudo via est primaria ad cordis munditiam, et tutela ad custodiam. *De modo confitendi*, etc., cap. 16.

27. Solitudinem veluti matrem orationis et munditiæ quisque amplectatur; et ibi in lectione et sui cordis scrutatione se quotidie exerceat. *Ibid.*

-ARIUS LAT. 28. Ista sancta singularitas est munimen invictum sanctimoniæ, expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas, lasciviæ petulantis infirmitas, proprietatis præsidium, infirmitatis excidium, animæ victoria, corporis præda, libertas gloriarum, captivitas criminum, pronuba sanctitatis, repudium turpitudinis, sinceritatis indicium, absolutio scandalorum, exercitium continentiæ, evacuatio luxuriæ, pax secura virtutum, impugnatio inquieta bellorum, puritatis culmen, libidinis carcer, honestatis portus, lorica pudoris, spolium proprietatis, murus incorruptionis, destructio vulgaritatis, dignitas integritatis, fornicationis eversio, addictio claritatis, dedecoris præcipitium, afflictio vitiorum, refrigerium pudicitiæ, pœna petulantiæ, acquisitio triumphorum, facinorum detrimentum, requies salutis, perditionis exilium, vita spiritus, carnis interitus, status qualitatis angelicæ, funus humanæ substantiæ. *Epist. ad quosdam.*

29. Non putet homo se evasisse pericula, cum in Eremum venerit : quia quanto subtilius, tanto difficilius a tentatore invaditur, qui omnia virtutum germina in ipso ortu strangulare molitur. *De Jejunio et tent. Christi*, cap. 1. S. CYPRIAN.

30. Solitudo carens arbitris, et Eremus assentatorum satellitio vacua, eligenda est. *Ibid.*

31. Omnibus modis est utilis a mundo secessus. *De Perfect. Spirit.*, cap. 28. S. DIADOCH.

32. Qui in solitudine versatur, a triplici liberatur bello, visus scilicet, auditus, et loquelæ. *De Vita spirit.*, cap. 10. S. EPHRÆM.

33. Desertum pœnitentibus constat convenire. Super illud *Matth.* III : *In deserto Judææ.* GLOSS. INT.

34. Prodest solitudo corporis, si solitudo est mentis. Lib. 30, *Moral.*, cap. 12, num. 23, super illud *Job* XXXIX : *Cui dedi in solitudine.* S. GREGOR. MAGNUS.

35. Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? *Ibid.*

36. Qui corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. *Ibid.*

37. Nolo pristinarum necessitudinum recorderis : nudos amat Eremus. Epist. 1 *ad Heliodor.* S. HIERON.

38. O desertum Christi floribus vernans ! o solitudo ! in qua illi nascuntur lapides, de quibus civitas magni Regis extruitur ; o Eremus familiarius Deo gaudens ! *Ibid.*

39. Infinita Eremi vastitas te terret? sed tu Paradisum mente deambula : quotiescunque illuc cogitatione conscenderis, toties in Eremo non eris. *Ibid.*

40. Hospitiolum tuum, aut raro, aut nunquam, mulierum pedes terant. *Ibid.*, epist. 2 *ad Nepotian.*

41. Viderint alii quid sentiant : unusquisque enim suo sensu ducitur. Mihi oppidum carcer, et solitudo paradisus est. *Prosec.*

42. Quid desideramus urbium frequentiam qui de singularitate censemur? *Ibid.*, epist. 4 *ad Rustic.*

43. Primum tractandum est, utrum solus an cum aliis in monasterio vivere debeas. *Prosec.*

44. Mihi quidem placet, ut habeas Sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, et absque Docto-

re ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es, statimque tibi in partem alteram declinandum sit, et errori pateas, plusque aut minus ambules, quam necesse est : ne aut currens lasseris, aut moram faciens obdormias.

45. In solitudine cito subrepit superbia, et si parumper jejunaverit solitarius, hominemque non viderit, putat se alicujus esse momenti, oblitusque sui, unde et quo venerit, intus corde, lingua foris vagatur.

46. Judicat alios, quo gula voluerit porrigit manum, dormit quantum voluerit, nullum veretur, facit quod voluerit, omnes inferiores se putat, crebriusque in urbibus, quam in cellula est.

47. Quid igitur? solitariam vitam reprehendimus? minime : quippe quam sæpe laudavimus? sed de ludo monasteriorum hujuscemodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint. *Ibid.*

48. Desertum omni amœnius civitate, et ad quoddam Paradisi instar Sanctorum cœtibus obsidetur. Epist. 38 *ad Theodosium.*

49. Sapiens nunquam solus esse potest : habet secum omnes qui sunt, quique unquam fuerunt boni, et animum liberum, quocumque vult, transfert. Quod corpore non potest, cogitatione complectitur : et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo : nunquam minus solus, quam cum solus fuerit. Lib. 1 *advers. Jovian.*

50. Grandis est fortitudo Ægyptum dimittere, et in extrema solitudine commorari. Epist. 5 *ad Fabiolam.*

51. Monachum solitudo facit, non publicum. Epist. 54 *ad Ocean., de Vita clericor.*

52. Melius est habitare in extrema solitudine, quam inter hominum scelera commorari. Lib. 2, super *Hierem.*, cap. 9, super illud : *Quid dabit me in solitudine.*

53. Solitudo deserti est mortificatio carnis, contemptus mundi, abjectio sui. Super *Joel* in illud : *Solitudo deserti*, etc.

54. In solitudine canit turtur, et semper turtur solitudinem diligit : quia singularem dilectionem quærit. *Prosec.*

55. Non audietur in plateis vox ejus, neque foris clamorem suum proferet : intus resonat, intrinsecus canit, et non possunt audire turturem, nisi qui intus sunt.

56. Qui elongant se in solitudine, qui secretum inhabitant, qui in silentio requiescunt, isti sunt qui vocem turturis audiunt. Serm. *de Assumpt. B. M. de Canticis.*

JOAN. CASS. 57. Solitudo sicut novit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare ; ita eorum, qui minus emendati sunt, vitia non solum servare, verum etiam exaggerare consuevit. Lib. 8 *Cœnob. inst.*, cap. 17.

58. In congregationibus initium salutis acquiritur, et sani in solitudine esse non possunt, nisi quos prius Cœnobiorum medicina sanaverit. Collat. 19 *Abbat. Joannis*, cap. 13.

59. Eremitæ perfectio est, exutam mentem a cunctis habere terrenis, eamque ( quantum humana imbecillitas sinit) unire cum Christo. *Ibid.*, cap. 8.

60. Non quia bona est anachoresis, universis eam congruam comprobamus : a multis enim non solum infructuosa, sed etiam perniciosa sentitur. Collat. 24 *Abbat. Abrahæ.*, cap. 8.

61. Solitudo propter invocationem nominis Domini Dei, gratior ei est, quam civitates. *Prosec.* S. JOAN CHRYSO

62. Solitudo civitatibus dignior est, quæ virtute justi ornatur, et orbe toto fit fulgidior. Hom. 33 super *Gen.*

63. Negligenti ac supino nihil prodest solitudo ; non enim locus virtute facit præditos, sed mens et mores. *Ibid.*, hom. 43.

64. Qui in solitudine agit, securior fit et potentior his, qui in mediis civitatibus versantur, ingenti hominum præsidio freti. *Ibid.*

65. Tranquillitatis mater Eremus est, quietus portus, omnis turbationis expultrix. Homil. 51 super *Matth. oper. perf.*

66. Felix ista conversatio, despicere homines, Angelos quærere, urbes deserere, et in solitudine invenire Christum. Homil. 1 super *Marc.*

67. Idoneus ad veram Philosophiam locus solitudo est. Homil. 41, super *Marc.*

68. Qui moratur in solitudinibus, in mediis versante civitatibus, et humanum habente multum auxilium, tutior est et potentior. Homil. 45 *ad Populum Antioch.*

69. Nihil est tam malum, quam solitudo, et status inconciliabilis et inaccessus. *Ibid.*, homil. 51.

70. Solitudo virtutis fructus uberrimos germinat. Lib. 1 *Advers. vituperat. vitæ Monast.*

71. Is, qui animi morbo laborans, quietem solitudinis arripere nititur, ei similis est, qui ex navi in pelagus exiliens, per tabulam ad terram pervenire quærit. Grad. 27. S. JOAN.

72. Ei, qui solus quietis solitudinem persequitur, Angelica virtute opus est. *Ibid.*

73. Solitarius est forma terrestris Angeli, qui orationem suam charta desiderii, et solitudinis litteris desidia et torpore liberavit. *Ibid.*

74. Solitarius negligens, mendacia loquetur et per ænigmata se a quiete destitisse hominibus persuadere quæret. *Ibid.*

75. Solitarii veri signa ista sunt : Mens tranquilla, nullisque agitata perturbationum fluctibus, castissima intentio, raptus ad Deum, præsens semper cruciatuum memoria, mortis properatio, infatigabilis ac insatiabilis oratio ; custodia inviolabilis, nullis prædonibus patens ; fornicationis mortificatio, totius affectionis mortalis ignoratio, mundi mors, gastri margiæ fastidium, theologiæ materia, discretionis fons, promptæ lacrymæ, loquacitatis exterminatio, multitudinis declinatio. *Ibid.*, gradu 27 *de Differ. quietis.*

76. Memento qui in solitudine degis, Angeli Arsenii solitarii institutum, atque intuere quomodo ad se advenientes, ne id quod erat majus amitteret, insalutatos plerumque remiserit. *Ibid.*

77. Summo tibi metu opus est, charissime, in solitudine : nihil enim persequi et fugere acediam, ut timor, potest. *Ibid.*

.ACT. FIRM. 78. Fugienti turbam, solitudo laudatur. Lib. 3, *de Divin. Inst.*, cap. 17.

.LAURENT. JUSTIN. 79. Optime sibi conveniunt quieta remotio et contemplationis instantia : nam sicut publicum corporalis actio, ita solitudinis secretum exigit contemplatio. Serm. *de Pentecost.*

80. Nemo temerario ausu, qui mente est timidus, affectione frigidus, tardus ingenio, dulcedine orationis privatus, virtutibus inops, diabolicarum tentationum ignarus, suimet nescius et amator, sanctæ quietis statum in solitudine præsumat assumere. Serm. *de Vita solitar.*, cap. 11.

S. MACHAR ÆGYPT. SEN. 81. Qui solitariam vitam elegit, cuncta quæ vertuntur in hoc mundo, a se aliena atque peregrina existimare debet. Homil. 45.

82. Tu qui vitam agis solitariam, conversandi rationem præter omnes hujus mundi homines obtinere debes. *Ibid.*, homil. 48.

S. NILUS. 83. Inimici jaculis invulnerabilis est, qui solitudinem diligit. Orat. 2, *de Luxur.*

84. Solitudinis hostis est, quisquis voluptatis amore flagrat. *Ibid.*, orat. 8, *de Superb.*

PETRUS BLESENS. 85. Solitudo sæpe subversio est virtutum, quæ virum fortem fortissime præcipitat reatum. Epist. 9, *ad quemdam.*

PETR. CELL. 86. Si qua asperitas, si qua amaritudo, si qua prius fuerat in solitudine formido, mitigata est sanguinis Jesu effusione, dulcorata est ligni crucis immissione, sublata est Jesu cohabitatione. *Prosec.*

87. Socio Jesu quid in solitudine times ? pascente Jesu, quid esuris ? lavante et ungente Jesu, quid doloris persentis ? Lib. 4, epist. 12, *ad Joan. Saresberiens.*

S. PETRUS DAM. 88. Fugiendus est mundus, qui tenebras parturit, et petenda est remotio, ubi tanquam in deserto verum lumen erumpit. Lib. 6, epist. 5, *ad Monachos Cluniacens.*

89. Necesse est ut purus homo, ab hominum se frequentia subtrahat, ut superni muneris capax fiat. *Prosec.*

90. Mens humana dum vacat ab aspectibus hominum, sancti Spiritus meretur ingressum. Lib. 7, epist. 6, *ad Agnetem Imperatric.*

91. Solitaria vita, cœlestis doctrinæ schola est ac divinarum artium disciplina. Opusc. 11, cap. 19.

92. Eremus est Paradisus deliciarum, ubi tanquam redolentium species pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum, sic fragrantia spirant odoramenta virtutum. *Ibid.*

93. Eremus mors vitiorum, ac proculdubio fomes et vita virtutum. *Ibid.*

94. Vita Eremitica balneum est animarum, mors criminum, purgatorium sordidorum. *Ibid.*

95. O Eremus mundi persequentis effugium ! laborantium quies, mœrentium consolatio, ab æstu seculi refrigerium : peccati repudium, libertas animarum. *Prosec.*

96. Te David petiit cum mundi mala perferret, et cum timidi et tenebrosi cordis tædium sustineret. *Ibid.*

97. O vita eremitica, vita benedicta, viridarium animarum, vita sancta, vita angelica, exedra gemmarum cœlestium, curia spiritualium senatorum. *Prosec.*

98. Odor tuus cunctorum aromatum fragrantiam superat, sapor tuus super distillantes favos. *Ibid.*

99. Solitarius est victor dæmonum, socius angelorum, exul mundi, hæres Paradisi, abnegator sui, sectator Christi. *Ibid.*

100. Solitudinis singulare certamen tanto periculosius agitur, quanto serius alienum auxilium dimicans præstolatur. Lib. 1, epist. 20 *ad Gislebert.* S. MAURIT. ABBAS CL.

101. Non tibi blandiatur propria solitudo, nec vilescat aliorum multitudo. *Ibid.*

102. Quanto es a secularibus remotior, tanto Deo propinquior. *Ibid.*

103. Professio te Eremitam, devotio faciet Evangelistam ; et quod per te ipsum non potueris, tuis laboribus promerearis. *Ibid.*

104. Segregat se qui vult sanctificari. Lib. 3, super *Hierem.*, cap. 12, in illud : *Congrega eos*, etc. S. THEO[illegible].

105. Solitudo est cœlum a mundano tumultu sequestratum, plerumque omni tranquillitate ac pace. Super *Luc.*, cap. 44. THEOPHYL.

106. Solitudo non est ipsa essentia perfectionis, sed perfectionis instrumentum. 2, 2, quæst. 188, art. 8. S. THOMAS AQU.NAS.

107. Vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis instrumentum. *Ibid*

107 *bis*. Vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis, solitudo autem perfectis competit. *Ibid.*

108. Vita solitariorum, si debite assumatur, præeminet vitæ sociali, sed imperfectis periculosissima est. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 109. Veræ devotionis nutritius est solitarius et religiosus inclusus. Serm. 14 *ad Novit.*, divis. 5.

110. Solitudo corporis et cordis pariter quærenda est et custodienda, nam corporis bona est et tuta, sed cordis melior et tutior. Qui tamen primam abjicit, alteram non inveniet : quia una est alterius custodia, et hæc duo confoventur mutuo. Serm. 7 *ad Fratr.*, divis. 1.

111. Perfectis et spiritualibus solitudo quasi locus et Paradisus voluptatis est, et tanquam hortus deliciarum amœnissimus. *Prosec.*

112. Quodammodo enim servi Dei seipsos inveniunt, cum in cubiculo solitarios se conspiciunt? *Ibid.*, serm. 7, divis. 2.

113. Interiorem solitudinem quærere et amare debet, quisquis uniri Deo cupit : hæc enim nisi menti insederit, corporis etiam solitudo, multitudo fit. *Ibid.*, serm. 9.

114. O quam salubre, quam jucundum, et suave est, sedere in solitudine : loqui cum Deo, ac frui solo summo bono, in quo sunt omnia bona! In *Soliloq. animæ*, cap. 9.

115. Solitudo devotionis est mater, turba vero conturbat. In *Exercit. spirit.*, cap. 4.

116. Vita solitaria Deo et Angelis grata est, pacisque semper amica. *Ibid.*

IN VIT. PATR. 117. Multi in monte positi, ea quæ popularia sunt agentes, perierunt. Lib. 5, libell. 2, *de Quiete*, num. 14.

118. Melius est enim, ut cum multis sis, et solitariam vitam agas voluntate, quam cum solus sis, esse cum multitudine proposito mentis. *Ibid.*

119. Qui vult Eremum habitare, debet esse Doctor, non qui doceri egeat, ne detrimentum sustineat. Lib. 5, libell. 10 *de Discret.*, num. 90.

120. Si non dixerit homo in corde suo : Quia Deus et ego solus in isto mundo sumus, non habet requiem. In *Sent.*, in fine positis, sent. 71.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 121. Homini solitariam vitam agenti, molesta et acerba vita est, non enim ei qui solus vivat continenter munere fungi facile est. Lib. 9 *Moral.*, cap. 9.

CICERO. 122. Nihil solitudine jucundius. Lib. 12, *epist. ad Atticum*, epist. 10.

123. Nihil est mihi amicius solitudine; in hac mihi omnis sermo est cum litteris. *Ibid.*, epist. 16,

124. Nihil aptius est solitudine. *Ibid.*, epist. 17.

PLATO. 125. Solitudinis comes est austeritas. Epist. 4 *ad Dionem.*

SENECA. 126. Miscenda est solitudo et frequentia : illa nobis faciet hominum desiderium, hæc nostri, et erit altera alterius remedium : odium turbæ sanabit solitudo, tædium solitudinis turba. *De Tranquil.*, cap. 15.

127. A turba, quantum potes, te separa. Lib. 4 *Quæst.*

128. Satis sunt mihi pauci, satis est unus, satis est nullus. Epist. 7.

129. Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. Epist. 10.

130. Jucundum est esse secum quam diutissime, cum quis se dignum, quo frueretur, effecit. Epist. 58.

131. Cum secesseris non est agendum, ut de te homines loquantur, sed ut ipse tecum loquaris. Epist. 68.

132. Quæ observanda tibi sint ut tutior vivas, dicam : nihil æque proderit, quam quiescere : minimum cum aliis loqui, plurimum tecum. Epist. 105.

133. Versat nos et præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis; sanabimur, si modo separemur a cœtu. *De Vita beata*, cap. 1.

134. Non est per se magistra solitudo innocentiæ, sed ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt. Epist. 94.

135. Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus vivere. *De Moribus.*

136. Non aliter vivas in solitudine, aliter in foro. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Favor*, sent. 6; *Monachus*, sent. 28; *Multitudo*, sent. 32; *Negotium*, sent. 31; *Oratio*, sent. 184; *Perfectio*, sent. 87; *Religio* seu *Congreg.*, sent. 20, 21, 43, 51; *Religiosus*, sent. 101; *Testis*, sent. 45.

## SOLLICITUDO.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia*. Sollicitus dicitur, quasi solers citus. Lib. 10 *Etymol.*, verbo *Sollicitus.*

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio*. Sollicitudo est rationale studium, adhibitum ad aliquid consequendum : quod majus est ubi est timor, minus est ubi est securitas. 2, 2, quæst. 35, art. 6.

HUGO CARD. *Divisio*. Triplex est sollicitudo; providentiæ spiritualis, quoad animam; providentiæ temporalis, quoad corpus; avaritiæ, vel curiositatis. Super *Epist.* I *Sancti Petri*, cap. v.

Prima præcipitur, secunda permittitur, tertia prohibetur. *Ibid.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIUS. 1. Sollicitudo mentem perturbat, perturbatam

DE PADUA.

distrahit, distractam dividit, divisam diabolus rapit, raptam sic animam interficit. Serm. *Dom.* 15 *post Trinit.*

S. AUGUST.

2. Quærentibus regnum Dei, et justitiam ejus, id est hæc præponentibus cæteris rebus, ut propter hæc cætera quæramus, non debet subesse sollicitudo ne illa desint, quæ huic vitæ, propter regnum Dei sunt necessaria. *De Serm. Dom. in monte*, lib. 2.

3. Sollicitudinis plena sunt cœpta, donec perducantur ad finem. Lib. 7 *de Civit. Dei*, cap. 7.

S. BERNARD.

4. Non est quod blandiatur celsitudo ubi sollicitudo major : illa discrimen intendit, hæc amicum probat. Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

5. Non locus est otio, ubi sedula urget sollicitudo. *Ibid.*

6. Sollicitudo exteriorum certum mentis incultæ signum est. In *Declamat.*

7. Quanto sumus securi de præteritis, tanto debemus esse solliciti de futuris. Serm. 55 *ad Sororem.*

8. Sollicitudines rerum mentem conturbant. Serm. 8 *ad Sororem.*

S. BONAV.

9. Sollicitudo auget cruciatum. Tit. 8 *Diætæ*, cap. 1.

S. CÆSARIUS AREL AT.

10. Quanto quisque sollicitior circa se fuerit, tanto plus metuit. Homil. 27.

S. CYRILLUS HIEROSOL.

11. Omnem humanam sollicitudinem deleas ex animo, qui in animæ cura versaris. *Catech.* 1.

S. EUSEBIUS EMISSENUS.

12. Certam nobis imponat sollicitudinem, incerta conditio. Homil. 1 *ad Monach.*

FRANCISCUS TITELMAN.

13. Vere non minima infelicitas est, curis seculi et sollicitudinibus vitæ hujus misere distrahi atque divexari. In *Annot. super Psalm.* XIII.

GLOSS. INT.

14. Non labor et providentia damnatur, sed sollicitudo mentem suffocans. Super *Matth.*, cap. 6.

S. GREGOR. MAGNUS.

15. Sollicitudo, quæ subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur. Part. 2 *Pastor.*, cap. 7.

16. Illa præpositorum sollicitudo utilis est, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, et furor sibi nihil vendicat. Lib. 8 in *Registro*, indict. 3, cap. 12, epist. 12, *ad Gudiscalcum ducem.*

17. Præpositorum sollicitudo, subjectorum est cautela, quia qui super rem creditam vigilat, hostis insidias declinat. *Ibid.*, lib. 9, indict. 3, cap. 8, epist. 8, *ad Bonum Abbat. monasterii Lyrinensis.*

18. Tanto de se unusquisque sollicitus metuat, quanto ignorat quod restat. Homil. 30 super *Evang.*

19. Sollicitudines et voluptates terrenæ importunis cogitationibus suis, guttur mentis strangulant, et dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant. *Ibid.*, homil. 15.

S. HIERON.

20. Omnis sollicitudo tua, debet esse in custodia. Epist. 1 *ad Demetriad.*

21. Animus secularium sollicitudinum plenus illecebris, verbum non potest sustinere divinum; nisi prius ipsas mundi sollicitudines evangelica in se falce succiderit. Epist. 37 *ad Pammach. et Ocean.*

22. Sollicitudines carnales quanto chariores sunt, tanto plus discruciant, et fatigant. In *Regula monachor.*, cap. 18, *de Laude religionis.*

23. Labor exercendus est, sollicitudo tollenda. Lib. 1 super *Matth.*, cap. VI super illud : *Ne solliciti sitis*, etc.

HUGO CARD.

24. Sollicitudo est cor urens de bonis acquisitis custodiendis et tuendis contra invidiam proximorum. Super *Ecclesiasten*, cap. V.

25. Multi ita solliciti sunt de alieno negotio, quod perdunt suum. Super I *Thess.*, cap. IV.

S. JOANNES CHRYSOST.

26. Nequaquam te ulterius diei posteræ cura conterat : cujus enim diei spatium visurum esse te nescis, quam ob causam illius sollicitudine torqueris? Homil. 20 super *Matth. oper. perf.*

27. Sicut oculus quanto mundior fuerit, tanto longius videt : sic anima quanto longius fuerit a sollicitudine mundi, tanto amplius Deo proximior erit. Homil. 10 super *Matth. oper. imperf.*

28. Sollicitudo desperationis est filia, quia desperatio sollicitudinem generat. *Ibid.*, homil. 16, in illud : *Ne solliciti sitis*, etc.

29. Qui curis et sollicitudinibus est liber, vacat ab odio, litibus, contentione, jurgiis et cæteris vitiis pessimis. Homil. 2 super *Epist. ad Hebr.*

S. ISIDORUS HISPAL.

30. Sollicitudines rerum semper mentem conturbant; nulla te ergo sollicitudo rerum secularium ab intentione Dei suspendat. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 17.

S. NILUS.

31. Animus perfectus ab omni est sollicitudine vacuus, impius vero sollicitudinibus teritur. In *lib. Ascetico.*

PETR. BLES.

32. Animam quæ tot labyrinthis intricata est, necesse est ancillari. Epist. 16 *Ad quemdam episc.*

S. PETRUS DAMIANUS.

33. Rerum abundantia aculeos parit sollicitudini, sollicitudo radix est anxietatis. Opusc. 12, cap. 25.

S. PROSPER.

34. Ubi est sollicitudo, non est absoluta beatitudo. Lib. 1 *de Vita contemplat.*, cap. 8.

PHILOSOPH

35. Mens excæcatur præ sollicitudine. Super *Matth.*, cap. 6 in illud : *Si lux, quæ in te est*, etc.

S. THOMAS AQUINAS

36. Sollicitudo ejus, qui corporali labore panem acquirit, non est superflua, si sit moderata. 2, 2, quæst. 55, art. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA.

37. Non potest animum dolentem a sollicitudine avertere, nisi aut ratio, aut honesta occupatio. *De consolat. ad Helviam*, cap. 16.

38. Nemo sollicito bono fruitur. Epist. 14.

39. Calamitosus est animus futuri anxius : et ante miserias miser, qui sollicitus est. Epist. 98.

40. Quotidianæ sollicitudines, pro modo habendi quemque discruciant. Epist. 115.

## SOMNUS.

*Vide* DORMIRE

## SORTILEGIUM.

*Vide* DIVINATIO.

## SPECTACULUM.

DIONYSIUS CARTHUS. *Etymologia.* Τέατρον græce, latine spectaculum significat. Super *Acta Apost.*, cap. 19, art. 19.

*Definitio.* Theatrum est locus semicirculi habens figuram, in quo stantes populi ludos scenicos intus respiciunt. Super *Acta Apostolorum*, cap. 19, art. 19.

Theatrum est privatum consistorium impudicitiæ ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. *De spectaculis*, cap. 17.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Non congruit ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus interesse. Part. 2, tit. 3, cap. 7, § 5.

2. Dicit Hieronymus, quod non credit viro, si dicat se illæsum evasisse a spectaculis chorearum. Part. 2, tit. 6, cap. 6, § 1.

S. AUGUST. 3. Cum homo spectat tragica, quæ pati ipse nollet, et tamen dolor ipse est voluptas ejus, quid est, nisi miserabilis insania? Lib. 3, *Confess.*, cap. 2.

4. Non diligamus visibilia spectacula, ne ab ipsa veritate aberrando et amando umbras, in tenebras projiciamur. *De vera Relig.*, cap. 55.

5. Cohibeat se a spectaculis sæculi, qui perfectam vult consequi gratiam. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 15.

6. Spectare vis? esto spectaculum. Super *Psalm.* XXXIX, vers. 7.

7. Donare res suas histrionibus, vitium est immane, non virtus. Tract. 100, super *Evang. Joan.*, de cap. XVI.

8. Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum. Lib. 3, *Conf.*, cap. 1.

9. Ludi scenici, spectacula turpitudinum, et licentia vanitatum, hominum vitiis instituti sunt. Lib. 1 *de Civit. Dei*, cap. 32.

10. Studiis spectaculorum fiunt homines dæmonibus similes. *De Catechis. rudib.*, cap. 16.

11. Non nutent vestigia tua frequentando spectacula, et deserendo Ecclesiam. *De Cataclysmo*, cap. 2.

S. BASILIUS 12. Adulter diaboli est, et a suis cultoribus sic indigitatus, qui obtemptu temperantiæ, Chrisi milites ad indecora spectacula inescat. Orat. 27.

13. Si dum spectacula minime spectanda spectas, abreptus esses a morte, quo te Christus collocaret in ordine? *Ibid.*

S. BERNARD. 14. Spectacula vana, rogo, quid corpori præstant? certe nihil : frivola prorsus et inanis ac nugatoria consolatio. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 8, num. 14.

S. BONAV. 15. Qui non vult illaqueari a dæmonibus laqueo carnalis lasciviæ, debet quantum potest declinare spectacula vanitatum. Serm. 2, *Dom.* 11, *post Pent.*

CLEMENS ALEX. 16. Indecora spectacula ita mentem eventilant, ut ætatis instabilitas ad cupiditates feratur præcipites. Lib. 2, *Pædag.*, cap. 7.

S. CYPRIAN. 17. In theatris conspicies, quod tibi et dolori sit, et pudori. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 6.

18. Quæ pudica fortasse ad spectaculum processerat, de spectaculo revertitur impudica. *Ibid.*

19. Qui ad diabolicum spectaculum vadit, Christo tanquam diabolo renuntiat. *De spectacul.*, cap. 3.

20. Fugienda sunt Christianis fidelibus spectacula. *Ibid.*, cap. 6.

21. Theatra sunt fœtida quo convenis, verecundia illic omnis exuitur. *De disciplina et habit. virg.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 22. Pompa diaboli est, in theatris spectacula. *Cateches. mystagogica* 1.

23. Non sis curiosus in frequentia spectaculorum, ubi conspicias mimorum petulantias, omni contumelia et impudicitia refertas. *Ibid.*

S. HIERON. 24. Si circensibus, si mobilitate histrionum quispiam delectetur, per oculorum fenestras animæ capta libertas est. Lib. 2, *advers. Jovian.*

25. A spectaculis removeamus oculos, et ab omnibus quæ animæ contaminant puritatem. Lib. 6, super *Ezech.*, cap. 20, super illud : *Et dixit ad eos*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 26. Cohibeat se a ludis et a spectaculis sæculi, qui perfectam vult consequi remissionis gratiam. Serm. 53, *de Divers.*

HUGO CARD. 27. Nihil tam damnosum bonis moribus, quam in spectaculis residere. Super *Hierem.*, cap. 48.

S. JOANNES CHRYSOST. 28. Quidquid in deliciis spectaculorum geritur, non est oblectatio, sed pernicies, sed pœna, sed supplicium. Homil. 3, *de David et Saule.*

29. Quid prodest temporaria spectaculorum voluptas, dum perpetuus nascitur dolor? *Ibid.*

30. Ubi animi spectaculum est, ibi non sexus, non ætas, non dignitas hujus sæculi, non aliud quidquam impedire potest. *Ibid.*

31. Ex spectaculis nascitur ad lasciviam exhor-

tatio, tum ab iis qui spectaculis interfuerunt, tum ab illis qui quæ viderunt in spectaculis, postea aliis enarrant. *Ibid.*

32. In spectaculis non solum vides res infaustas, sed etiam audis spurciloquia : et ex ipso incessu forte meretricis, habituque molliris, ubi et auditu et cantu diabolico læduntur aures : auditus de eo quod audis, visus de eo quod vides, et undique percutitur mens tua. Homil. 1, in *Psalm.* L.

33. Cuncta quæ in spectaculis fiunt, turpissima sunt; verba, vestitus, incessus, voces, cantus, modulationes, oculorum eversiones, ac motus, tibiæ, fistulæ, et ipsa fabularum argumenta, omni turpi lascivia plena sunt. Homil. 38, super *Matth. oper. imperf.*

34. Qui theatra petit, sibi maxime nocet : frustra et incassum tempus consumit, et scandalum aliis offert. *Ibid.*

35. Jucunde vivendi gratia, negligentiores juvenes scenæ laqueis capiuntur. *Ibid.*, homil. 69.

36. Theatrum contagiosissima pestis est, virus pestiferum, inevitabilis negligentium laqueus, et incontinentium voluptuosa perditio. *Ibid.*, homil. 74.

37. Inter Thymelicos, qui exercent vana ludibria, de ipsis ludibriis sibi invicem adversantur : ut qui pejus deridetur, melior æstimetur. Homil. 43, super *Matth. oper. imperf.*

38. Quidquid in spectaculis mortiferis dicitur, satanæ pompa est, et lascivia. In fine *Prologi super Joan.*

39. Dæmonum sunt, non hominum, secularia spectacula. Homil. 31, super *Joan.*

40. Ex theatris veniunt homines multo luto sorditati, in moribus; in gestibus, in verbis, in risu, in desidia. Homil. 24, super *Acta Apost.*

41. In theatro est risus, turpitudo, pompa diabolica, effusio, insumptio temporis, expensio dierum inutilis, concupiscentiæ absurdæ, adulteri meditatio, scortationis gymnasium, intemperantiæ schola, adhortatio turpitudinis, occasio risus, fœditatis exemplum. *Ibid.*, homil. 42.

42. Magna mala theatra efficiunt civitatibus : magna, inquam, et non sciunt homines quam magna. *Ibid.*

43. In theatra ascendere, et quæ illic fiunt spectare, non videtur multis manifestum esse peccatum ; et tamen infinita vitæ mala solet inferre. Homil. 15, *ad Populum Antioch.*

44. In theatris immoratio fornicationem, petulantiam, et omnem incontinentiam parit. *Ibid.*

45. Pompa satanica sunt theatra. *Ibid.*, homil. 21.

46. In theatro risus est, atque ineptitudo, diabolicus fastus, effusio, temporis impendium, et superflua dierum consumptio. *Ibid.*, homil. 62.

47. Theatrum est adulterii meditatio, malæ cupiditatis inductio, fornicationis gymnasium, intemperantiæ schola, turpitudinis exhortatio, risus materia, inhonestatis exemplum. *Ibid.*

48. In spectaculis nihil invenies absque satanica operatione fieri. Homil. 6, super *Gen.*

49. Qui ad spectacula delectationis causa veniunt, et oculos pascunt illicitis hisce spectaculis, perfecti adulteri discedunt. *Ibid.*

50. Pedes, non in theatra et spectacula damnosa, circensesque ludos sunt dirigendi : sed in ecclesias et domos precationum, et ad martyrum loculos, ut ab illis benedictio percipiatur, et a diabolicis laqueis irretiri non sinatur. Homil. 15.

51. Spectacula potentia sunt ad corrumpendos animos, quæ vitanda sapientibus, et cavenda sunt totaliter. In *Epitome*, cap. *Superest.* LACT. FIRM.

52. Cum homines ad cœli spectaculum excitati sunt, tamen spectacula publica non contemnunt : et his delectantur et libenter intersunt, quæ quoniam maxima sunt irritamenta vitiorum, et ad corrumpendos animos potissime valent, tollenda sunt. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 20.

53. In scenis nescio an sit corruptela vitiosior : nam et comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum : et quo magis sunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, et facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi et ornati. *Prosec.*

54. Item tragicæ historiæ subjiciunt oculis parricidia, et incesta regum malorum, et cothurnata scelera demonstrant.

55. Histrionum quoque impudentissimi motus, quid aliud, nisi libidines docent et instigant? quorum enervata corpora : et in muliebrem incessum habitumque mollita, impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur. *Ibid.*

56. Plus spectaculi exhibent, qui spectandi gratia ad spectacula veniunt ; cum exclamare, et efferri, et exilire cœperint. *Ibid.*

57. Vitanda sunt spectacula omnia, non solum ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata et pacifica esse debent : sed ne cujus voluptatis consuetudo deliniat, et a Deo atque a bonis operibus avertat. *Ibid.*

58. Quid scenæ? num sanctiores spectaculis? in qua comœdia de stupris et amoribus, tragœdia de incestis et parricidiis fabulatur; histrionici etiam impudici gestus, quibus infames feminas imi-

tantur, libidines quas saltando exprimunt, docent. *Prosec.*

59. An non minus corruptela disciplinarum est? in quo fiunt per imaginem quæ non sunt, ut fiant sine pudore, quæ vera sunt.

60. Spectant hæc adolescentes, quorum lubrica ætas, quæ frænari ac regi debet, ad vitia et peccata his imaginibus eruditur.

61. Circus non innocentior æstimatur, sed major hic furor est : siquidem mentes spectantium tanta feruntur insania, ut non modo in convitia, sed etiam in rixas, nec non et in prælia et contentiones sæpe consurgant.

62. Fugienda igitur sunt omnia spectacula, ut tranquillum mentis tenere possimus. In *Epitome*, cap. *Superest*.

MIN. FELIX. 63. Enervis histrio amorem in spectaculo dum fingit, infligit. In suo *Octavio*.

S. PROSPER. 64. Delectationi spectaculorum præsentium quisque incomparabiliter anteponat sui Creatoris intuitum. Lib. 1, *de Vita contemplat.*, cap. 8.

SALVIANUS. 65. Nihil ferme vel criminum, vel flagitiorum est, quod in spectaculis non sit. Lib. 6, *de Gubernatione Dei*.

66. Omnes qui spectaculis delectantur, etiam quando non spectant, innoxii tamen a spectaculorum maculis mente non sunt, quia semper vellent spectare, si possent. *Ibid.*

67. In theatris nihil criminum reatu vacat, quia et concupiscentiis animus, et auditu aures, et aspectu oculi polluuntur. *Ibid.*

68. Solæ spectaculorum impuritates sunt, quæ unum admodum faciunt et agentium aspicientium crimen. *Ibid.*

69. Qui forte ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur. *Ibid.*

70. In spectaculis quædam apostasia fidei est, et a symbolis ipsius, et cœlestibus sacramentis lethalis prævaricatio. *Prosec.*

71. Quæ est enim in baptismo salutari Christianorum prima confessio; nisi ut renuntiare se diabolo ac pompis ejus, atque spectaculis et operibus protestentur? ergo spectacula et pompæ, etiam juxta nostram professionem opera sunt diaboli.

72. Quomodo, o Christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse diaboli confiteris?

73. Renuntiasti semel diabolo, et spectaculis ejus; necesse ergo est ut prudens et sciens, dum ad spectacula remeas, ad diabolum te ridere cognoscas. *Ibid.*

74 Dum in theatris et circis ludimus, deperimus. *Ibid.*

75. Cum duo sint maxima mala, si homo aut seipsum perimat, aut Deum lædat, hoc utrumque in ludis publicis agitur. *Prosec.*

76. Nam per turpitudines criminosas, æterna illic salus Christianæ plebis extinguitur; et per sacrilegas superstitiones, majestas divina violatur.

77. Colitur namque et honoratur Minerva in gymnasiis, Venus in theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæstris : et ideo pro qualitate actorum, cultus est superstitionum. *Ibid.*

78. Quidquid immunditiarum est, hoc exercetur in theatris : quidquid luxuriarum, in palæstris : quidquid immoderationis, in circis : quidquid furoris, in arenis. *Prosec.*

79. Alibi est impudicitia, alibi lascivia, alibi intemperantia, alibi insania : ubique dæmon, imo per singula ludicrorum loca universa dæmonum monstra. *Ibid.*

80. Admisceri Christianum hominem spectaculorum superstitioni, genus est sacrilegii : quia eorum cultibus communicat, quorum festivitatibus delectatur. *Ibid.*

81. Omne spectaculum sine concussione spiritus non est. *De Spectacul.*, cap. 15. TERTULL.

82. Tragœdiæ et comœdiæ, quæ fiunt in theatris, scelerum et libidinum sunt auctrices cruentæ, lascivæ, impiæ, et prodigæ. *Ibid.*, cap. 18.

83. Mulier quæ theatrum adit, inde cum dæmonio redit. *Ibid.*, cap. 26.

84. Qui apud spectacula versantur, cum diabolo communicando a Domino exciderunt. *Ibid.*

85. Absit a Christianis, penes quos modestia, et temperantia florent, spectare spectacula. *Prosec.* S. THEOPH. ANTIOCH.

86. Absit a Christianis, penes quos continentia viget, castitas colitur, injustitia expellitur, spectare spectacula.

87. Absit a Christianis, penes quos peccatum eradicatur, justitia exercetur, lex regnat divina, religio tractatur vera, spectare spectacula.

88. Absit, inquam, a Christianis, quos veritas gubernat, gratia servat, pax protegit, sapientia docet, Christus, qui vera est vita, regit, spectare spectacula. Lib. 3, *ad Autolycum*.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

89. Theatra frequentare non est necesse. In *Enchirid.*, cap. 49. EPICTETUS.

90. Qui mimos in spectaculis frequentat, non est otiosus, hic æger est, imo mortuus. *De brevit. vitæ*, cap. 13. SENECA.

91. Nihil est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere : tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt. Epist. 7

Vide etiam tit. *Crux*, sent. 16, 17; *Oculus*, sent. 52; *Vanitas*, sent. 19.

## SPES.

S. ANTONIN. *Etymologia.* Spes dicitur, quasi pes; quia est pes progrediendi ad ardua. Part. 4, tit 7, *de spe*, cap. 1.

CASSIODOR. Spes dicta est quasi stabilis pes. Super *Psalm.* XXXIX, vers. 6.

CATECHIS. ROMANUS. *Definitio.* Spes est virtus divinitas infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis, et æternæ vitæ bona expectantur.

S. BONAV. Spes est virtus, qua quis se ad aliud quod credit, per venturum præsumit.

S. BRUNO. Spes est expectatio futuræ bonæ rei cum desiderio. Super I *Tim.* I.

DIONYSIUS CARTHUS. & HUGO CARD. Spes est certa expectatio futuræ felicitatis, ex gratia Dei et meritis propriis proveniens. Super I *B. Joan.*, cap. 3, et Hugo card. super *Psalm.* IV.

HUGO A S. VICTORE. Spes est certitudo futuri commodi adipiscendi. Super *Epist. ad Romanos.*

Spes est animi motus, immobiliter ad ea, quæ certa ratione expetit accipienda suspensus. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 17.

HUGO CARD. Spes est anchora, et fortitudo animæ. Super *Prov.*, cap. 24.

JOAN. CASS. Spes est, quæ mentem de præsentibus avocans, universas corporis voluptates cœlestium præmiorum expectatione contemnit. Collat. 11, *Abbat Chæremonis*, cap. 6.

S. THOMAS AQUINAS. Spes est, qua id speramus, quod non habemus. 1, 2, quæst. 67, art. 4.

JOAN. GERS. Spes est virtus, qua quis expectat bonum sibi affuturum secundum dictamen rectæ rationis. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Temperantia.*

PLATO. Spes est expectatio boni. *De Definit.*

HUGO A S. VICTORE. *Productio.* Spei comites sunt contemplatio supernorum, gaudium, modestia, confessio, patientia, compunctio, longanimitas. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 17.

S. LAURENT. JUSTIN. Futurorum spes laborantibus, et sub pressuris præsentis vitæ desudantibus, requiem parit. Part. 1 *de Ligno vitæ*, tract. 8; *de Spe*, cap. 2.

S. THOMAS AQUINAS. *Comparatio.* Sicut anchora in mari navem immobilitat, ita spes animam firmat in Deo. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 6, lect. 4.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Causa spei experientia est. Part. 1, tit. 6, cap. 7

S. ANTONIUS DE PADUA. 2. Spes est bonorum futurorum expectatio, quæ exprimit humilitatis affectum, et sedulum servitutis obsequium. *Serm. Dom.* 23, *post Trinitat.*

S. AUGUST. 3. Cujuscunque rei adipiscendæ spem quisque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quam pulchra sit videat. Lib. 10, *de Trinit.*, cap. 1.

4. Illi qui non sperant in Dominum, spes illorum mortalis, spes illorum caduca, fragilis, volatica, transitoria, inanis erit. Super *Psalm.* XXXVI, vers. 3 : *Spera in Domino.*

5. Vita vitæ mortalis, spes est vitæ immortalis. Super *Psalm.* CIII, vers. 34.

6. Magnum gaudium habet spes gaudentis. Gaudium nostrum, fratres, nondum est in re, sed jam in spe : spes autem nostra tam certa est, quasi jam res perfecta sit. Super *Psalm.* CXXIII, et super *Psalm.* CXXVII.

7. Spes cœlestis Timorem seculi expugnat, consolationes mundanas extirpat, cogitationes dirigit. Serm. 10, *ad Fratr. in eremo.*

8. In metu cum aliqua spes subest, vehementiores vires apparere adsolent. *De quant. animæ.*

9. Spes ex promissione veritatis certa nobis est. *Epist.* 119, cap. 14.

10. Mala hujus mundi tolerabilia ducuntur spe futuri. *Epist.* 156.

11. Spes non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum. In *Enchirid.*, cap. 8.

12. Ex abundantia iniquitatis frigescunt, qui spem ponunt in hominibus. *Annot. in Job*, cap. 37.

13. Non potest esse in pace, qui spem ponit in homine. Tract. 1 super *Joan.*

14. Deus exaudit gementem, et coronat sperantem. *Ibid.*, tract. 7.

15. Operarius in agro fructum sperans, minus sentit laborem. Homil. 29, *Ex quinquag. Homil.*

V. BEDA. 16. In malis sperare bona, nemo nisi innocens solet. In suis *Proverb.*, verbo *In.*

17. Tristantur facile, quorum spes extat in imis. *Ibid.*, verbo *Tristantur.*

S. CYPRIAN. 18. Spes est in virtute quasi scintillatio in fomite. *Prosec.*

S. BERNARD. 19. Sicut sine fomite durare non potest scintillatio : subtrahe enim fomitem, interit, emoritur : subministra, vivet : Sic spes ruit sine fundamento, sine pabulo moritur, inedia deficit, extinguitur sine nutrimento, arescit succisa radice. Serm. 1, super *Salve Regina.*

20. Spes sine vita virtutum et devotionis dulcedine, non est spes sed præsumptio. *Ibid.*

21. Sunt qui sperant quidem in Domino; quia sic de misericordia ejus sibiipsis blandiuntur, ut a peccatis suis non emendentur; vana est omnino spes ista, et hæc confundit, eo quod charitas desit. Serm. 1, super *Qui habitat.*

22. Spes triplex est : de fide præceptorum, ori-

tur spes veniæ; de fide signorum, spes gratiæ; de fide promissorum, spes gloriæ Serm. 1, *parvulor.*, serm. a medio.

S. BONAV. 23. Spes a tribulatione liberat et confortat, mentem elevat et et salvat. Lib. 5, *Compend Theolog. verit.*

24. Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. *De singularit. Clericor.*, cap. 2.

GLOSS. ORD. 25. Impiorum Spes est rerum non subsistentium, ideo cito evanescit. Super illud *Job* VIII : *Spes hypocritæ peribit.*

26. Decidit, qui spe bona frustratur. Super illud *Psalm.* V : *Decidant a cogitationibus*, etc.

27. Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere est, in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. Lib. 22, *Moral.*, cap. 2.

28. Spes in æternitatem animum erigit, et idcirco nulla mala, quæ exterius tolerat, sentit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 13.

29. Tanto spes in Deum solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12.

30. Tanto animus a laboris afflictione se subtrahit, quanto per spem ad summa sustollit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 7.

31. Ille bene novit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit semper de interna spe gaudere. *Ibid.*, lib. 13, cap. 3, num. 3.

32. Sancti viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti. *Ibid.*, lib. 20, cap. 5.

33. Solet mœstum animum spes vel falsa fovere : sed ut pœnam suam reprobi gravius sentiant, spem de venia amittunt. *Ibid.*, Lib. 8, cap. 8, super illud *Job* VII : *Memento quia ventus est.*

34. Quo plus caro premitur, eo de cœlesti spe animus securius lætatur. *Ibid.*, lib. 31, cap. 17, super illud *Job* XXXIX : *Terram ungula fodit*, num. 28.

35. Sicca spes est hujus sæculi, quia omnia quæ hic amantur cum festinatione marcescunt. Homil. 14, super *Ezech.* super illud, *Cant.* VIII : *Quæ habitas in hortis*, etc.

36. Cum spem suam quis in Deo posuerit, ad exorandum Deum confidentior erit. In *septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* VII, vers. 9.

37. Spes per desideria atque suspiria, introducit ad quietis gaudia. Homil. 17, super *Ezech.* in illud : *Et ante faciem portæ.*

S. HIERON. 38. Pericula maris spes lucri delectat. Super *Marc.*, cap. 1, can. 6, num. 9, super illud : *Pœnitemini*, etc.

39. Spes futuorum, omnem confusionem expellit : unde probatur non habere spem, qui præceptis confunditur Christi. Super *Epist. ad Tit.*, cap. 5, in illud : *Spes autem non confundit.*

S. INNOC. III 40. Inter adversa sperare, magnum est solatium oppressorum. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 15.

S. JOANNES CHRYSOST. 41. Semper futurorum bonorum spes præsentia incommoda levius ferre facit. Homil. 17, super *Gen.*

42. Spes plena hominis, plenum est gaudium cordis ipsius. Homil. 53, super *Matth. oper. imperf.*

43. Spes est futuræ pollicitationis religiosus assensus, promissæ gloriæ devota intentio, sanctorum destinata sublimitas, bonorum expectatio futurorum, cognitio fidei, credulitatis propinquitas, destinatum præmiorum tempus, futura expectatio meritorum. Serm. *de Fide, spe, et charitate.*

S. JOAN. CL. 44. Spes est incertarum divitiarum opulentia; spes est indubitatus ante thesaurum thesaurus. *Prosec.*

45. Hæc laborum requies, hæc charitatis janua, hæc desperationis jugulatio, hæc absentium imago est. Gradu 30.

46. Spe subnixus, acediæ jugulator est. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 47. Tanto spes in Deo solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Justus.*

S. ISID. PEL. 48. Spes in Deum, firma turris est. Lib. 2, epist. 17, *ad Pamprepium.*

49. Ille bene novit in exterioribus miseriis sustinere qui scit de spe interna semper gaudere. *De ligno vitæ*, tract. 8, *de Spe*, cap. 2.

S. LAURENT. JUSTIN. 50. Futurorum spes laborantibus, et sub pressuris præsentis vitæ desudantibus, requiem parit. *Ibid.*

51. In agone positis, dolorem mitigat spes coronæ. *Ibid.*

52. Spes est quasi columna, quæ totum spirituale ædificium sustentat; qua deficiente ædificium corruit, et in barathrum desperationis concidit. *Ibid.*

63. Spes anchora est animæ eam servans, ne procellis tentationum irrumpatur. *Ibid.*

54. Gemma speciosissima et gratissima spes est, quæ ad modum gemmæ perlucida est, et pervia in suo interiori. *Ibid.*

55. Spes elisos erigit, et vires reparat. *Ibid.*

56. Ubi virtutes exercentur, ibi spei abundant gaudia. *De casto connubio*, cap. 14.

57. Illa certa spes est, quæ bonis operibus comitatur : quæ autem sola existit, præsumptio nominanda est. *Ibid.*

ORIGENES. 58. Futurorum spes laborantibus requiem parit, sicut et in agone positis dolorem vulnerum

mitigat spes coronæ. Homil. 6, in cap. 15, *Genes.*, super illud : *In requie sancta.*

TR. CELL. 59. Spes quæ differtur, affligit animam. Lib. 1. epist. 28, *ad Joan. episc. S. Maclovii.*

PETRUS [A]MIANUS. 60. Contemnenda sunt vobis cuncta, quæ cernitis; si ad ea vultis pertingere, quæ speratis. Serm. 5, *de S. Severo.*

[P]HILO JUD. 61. Spes est animarum alimentum. Lib. *De eo quod deterius*, etc.

62. Recte homini quid magis potest esse proprium, quam spes? qui enim desperat non est homo. *Ibid.*

63. Futuri expectatio timorem gignit, præsentis usus mœstitiam. *Ibid.*

64. Spes proprium ornamentum humanæ animæ est. Lib. *de Abraham.*

65. Sanctus et laudabilis est, qui bene sperat, sicut e diverso profanus et vituperabilis, qui non sperat. *Ibid.*

[SA]LVIANUS. 66. Omnia in rebus humanis, spe futurorum agunt : vita quoque ipsa hæc temporaria non nisi spe alitur ac sustinetur, solus Deus est de quo desperatur. Lib. 2, *ad Ecclesias catholicas.*

SYNESIUS [E]PISCOPUS. 67. Spe hominum genus alitur. *De insomniis.*

68. Spes altrix maxime mortalium versatilem animum gubernat. *Ibid.*

THEODOR. 69. Qui divina spe munitus est, firmus inconcussusque manebit. Super *Psalm.* CXXIV, vers. 1.

[T]HEOPHYLACTUS. 70. Spes fortiorem efficit animam, et ad pericula confidentiorem. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 12, in illud : *Spe gaudentes.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

[A]RISTOTEL. 71. Senectus parum sperare potest, juventus spe plena est. Sect. 30, quæst. 1, *Problem.*

CICERO. 72. Spes sola hominem in miseriis consolari solet. Orat. 4, *pro Catilina.*

PLATO. 73. Magnum est præmium, spes futuræ felicitatis. In *Dialogo Phædonis.*

Vide etiam tit. *Acquirere*, sent. 42; *Damnatio*, sent. 20; *Deus*, sent. 36, 37; *Dilatio*, sent. 78; *Hypocrisis*, sent. 48, 49; *Innocentia*, sent. 22; *Malum*, sent. 26; *Medicina*, sent. 84; *Meritum*, sent. 15, 56; *Misericordia Dei*, sent. 50; *Peregrinatio*, sent. 13; *Præsumptio*, sent. 54; *Pœnitentia*, sent. 209; *Remuneratio*, sent. 24; *Retrogredi*, sent. 12; *Salus animæ*, sent. 44.

## SPIRITUS IN GENERE.

ANASTAS. MAGNUS. *Etymologia.* Dicitur spiritus πνεῦμα quasi παν νεμα, omnis nutus : eo quod nutus instar, celeriter quocumque volet feratur et moveatur. Lib. *Viæ ducis*, cap. 2, *de Spiritu.*

[H]UGO A S. VICTORE. *Definitio.* Spiritus est quædam vis animæ mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Lib. 2, *de Anima*, cap. 5.

Spiritus est, qui in unoquoque homine toti corpori præest, cujus arbitrio et instinctu corpus ipsum movetur. Lib. 1, *Collyrii hæreticor.*, cap. 1.

S. THOMAS AQUINAS. Spiritus est flatus et ventus quidem in rebus corporeis per impulsionem et motionem respirationis factus. Part. 1, *Summæ*, quæst. 36, art. 1.

HUGO A S. VICTORE. *Differentia.* Anima et spiritus idem sunt in homine, quamvis aliud anima notet, et aliud spiritus : spiritus namque ad substantiam dicitur, et anima ad vivificationem; eadem est essentia, sed proprietas diversa. Lib. 2, *de Anima*, cap. 4.

S. ISIDORUS HISPAL. Inter animam, animum, spiritum et mentem hoc interest : quod anima est qua vivimus, animus quo regimur, spiritus quo speramus, mens qua cogitamus. Lib. 1, *de Differentiis*, different. 177.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nesciat in iis, nisi in mortuis corporis voluptatibus solus spiritus resultare. In *Exhort. ad Virgines.*

2. Qui secundum corporis appetentiam vivit, caro est : qui secundum præcepta Dei, spiritus est. Super *Psalm.* XVIII, serm. 4, vers. 1.

S. AUGUST. 3. Omnia corpora reguntur per spiritum vitæ, et spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, et spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator, per spiritum vitæ rationalem pium et justum, et ille per ipsum Deum. Lib. 3, *de Trinit.*, cap. 4.

4. Omnium justorum spiritus, etiam adhuc in carne viventium, in quantum divina sapiunt, non sunt in hoc mundo. *Ibid.*, lib. 4, cap. 20.

5. Spiritus hominis, est ipsa anima pro spiritali natura, vel pro eo quod spiret in corpore, appellatus est spiritus. *De Spiritu et Anima*, cap. 9.

6. Est animæ quasi maritus quodammodo spiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam conjugem regit. *De* LXXXIII *quæst.* 65.

7. Ejice spiritum diaboli et spiritum mundi, ut accipias spiritum Dei : spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, et spiritus mundi gaudium vanitatis. In *Manuali*, cap. 27.

8. Nemo scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis. Lib. 10, *Conf.*, cap. 5.

9. Ipse spiritus hominis cum aliquando errat, et aliquando prudenter sapit, mutabilem se esse clamat. Lib. 2, *de Gen. contra Manich.*, cap. 8.

10. Est animæ natura perfecta, cum spiritui suo subditur. *De fide et Symb.*, cap. 10.

11. Nullo modo spiritu præstantius est corpus imo perspicuo modo spiritus corpore. Lib. 12, *de Gen. ad lit.*, cap. 16.

12. Ut spiritu nostro opera carnis mortificemus, spiritu Dei agimur. *De Continent.*, cap. 5.

13. Qui non ducuntur spiritu, sequitur ut carne ducantur. In *Expos. epist. ad Galat.*, cap. 5.

14. Quemadmodum spiritus sensibilia dijudicat, ita spiritalia spiritus. *Annot. in Job*, cap. 12.

15. Tanto minus animæ subditur caro, quanto magis adversus spiritum concupiscit. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 4.

16. Deus in mundo instituit spiritus, quibus intelligentiam dedit, et suæ contemplationis habiles capacesque sui præstitit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 1.

17. In beatitudine ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus; nec volet aliquid spiritus quod nec spiritum possit decere, nec corpus. *Ibid.*, cap. 30.

18. Melior est quilibet spiritus etiam corruptus, quam corpus quodlibet incorruptum. *De Natura boni*, cap. 5.

19. Malum inest in carne contra spiritum concupiscente, etiamsi non sit in spiritu non consentiente, et contra etiam concupiscente. Lib. 3, *contra Julian.*, cap. 14.

20. Ubi caro imperat et spiritus servit, perversa domus est : rectus ergo homo ubi spiritus imperat, caro servit. Tract. 2, super *Joan.*

21. Corpus meum vivit de spiritu meo, et tuum de tuo. *Ibid.*, tract. 26.

22. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit, charitas ad scientiam, et prodest plurimum. *Ibid.*, tract. 27.

V. BEDA. 23. Bellum optimum agitur, cum spiritus carni adversatur. In suis *Proverb.*, verbo *Bellum.*

S. BERNARD. 24. Semper in robusto et vegeto corpore, animus mollior atque tepidior jacet : et rursum in corpore debili et infirmo fortior viget promptiorque spiritus. Epist. 253.

25. Nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis. Epist. 258, *ad Eugen. Pap.*

26. Spiritus nonnisi quod virile est et spirituale meditatur. *De Vita solit.*

27. Spiritus hominis in appetitu boni, subtilis et efficacis naturæ conditus, et in arte creatricis sapientiæ omni corpore melior est, omni etiam luce corporea lucidior ac dignior. *Ibid.*

28. Quid, o homo, dormit in te spiritus Dei, et vigilat in te spiritus mundi? Serm. *de Miseria humana.*

S. BONAV. & S. BERNARD. 29. Non est præsentior noster spiritus ubi animat, quam ubi amat. *De septem Itinerib. æternit.*, itin. 4, dist. 4; Et S. Bernard. *de Præcepto et dispensat.*

CLEMENS ALEX. 30. Sine spiritu, corpus est terra et cinis. Lib. 3, *Stromat.*

S. CYPRIAN. 31. Non est caro dictatrix peccati, nec inventrix malitiæ, nec cogitatus format, nec disponit agenda; sed officina et spiritus, qui in ea, et per eam quæcunque affectaverit peragit et consummat. *De Cardinal. oper. Christi*, cap. 4.

32. In terrenis caro quiescit, sed spiritus deficit. Super *Job*, cap. 11. GLOSS. INT

33. Moderati viri carnem regunt, et spiritui subdunt. Super *Psalm.* CXXXVII.

34. Spiritus hominis, spiritus elationis est. Lib. 7, *Moral.*, cap. 3, num. 3. S. GREGOR MAGNUS.

35. Si pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur. Lib. 26, *Moral.*, cap. 13, num. 12.

36. Habet spiritus commissum sibi dominum carnis, si tamen sub Deo recognoscit jura legitimæ servitutis. *Ibid.*

37. Si spiritus auctorem suum superbiendo contemnit, jure a subjecta carne prælium suscipit. *Ibid.*

38. Quanto in nobis quotidie de Dei spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 14.

39. Tanto rarius ac difficilius caro se contra spiritum erigit, quanto sibi eam præsidens spiritus per extenuationem subdit. *Prosec.*

40. Spiritus per attenuationem sic carnem domat, ut tarde superbiat, et cito conquiescat. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. 1.

41. Nequaquam receptaculum spiritus Dei quisquam efficitur, nisi spiritu suo primitus evacuetur. In *septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* VII, vers. 7.

42. Ille in cujus spiritu dolus non est, beatus est : ille vero in cujus spiritu dolus est, infelix est. *Ibid.*, super *Psalm.* II, vers. 3.

43. Sicut carne quiescente spiritus deficit, ita ea laborante convalescit. *Ibid.*, super *Psalm.* III, vers. 16.

44. Sicut carnem dura convulnerant, ita spiritum mollia necant. *Ibid.*

45. Spiritus ea quæ carni contraria sunt, et quæ illam debilitare queant, expetit. Lib. 3, super *epist. ad Galat.*, cap. 5, in illud : *Caro concupiscit adversus spiritum.* S. HIERON

46. In rebus conditis nihil excellentius est spiritu. Lib. 3, *de Vanit. mundi.* HUGO A S. VICTORE

47. Spiritus hominis domus Dei est, quia omne bonum intus in spiritu est, quia secundum voluntatem spiritus est : omne autem malum foris extra spiritum est, quia non est secundum spiritus. Homil. 4, super *Matth. oper. imperf.* S. JOANNE CHRYSOST

48. Omnis principatus animi, spiritus est. Homil. 18, super I *ad Cor.*

49. Caro a spiritu possessa, oblita quidem sui, qualitatem autem spiritus assumens, conformis facta est verbo Dei. Lib. 5, *advers. Hæres.*, cap. *Traductis.* S. IRENÆU

ETRUS. BLES. 50. Spiritus ab origine corruptus, corrupit carnem : caro post originem corrupta, corrupit spiritum. Serm. 41.

HARD. A VICTORE. 51. Spiritus humanus tunc proculdubio sanctus esse incipit, quando quod pietatis est, diligit : quod impietatis, detestatur et odit. Part. 1, lib. 6, *de Trinit.*, cap. 10.

52. Sicut spiritus humanus vita est corporum : sic spiritus sanctus vita est spirituum. *Ibid.*

53. Nescit omnino, nescit quid de spiritu angelico, quid de spiritu divino sentire debeat, qui spiritum suum prius non cogitat. Part. 1, lib. 3, *de Contemplat.*, cap. 6.

SINESIUS ISCOPUS. 54. Nihil tam varium est ac versatile, quam spiritus. *De Insomniis.*

OMAS A EMPIS. 55. Caro trahit deorsum, spiritus trahit sursum: caro quærit mollia et blanda, spiritus suadet dura et aspera. Si sequeris carnem, decipieris : si sequeris spiritum, coronaberis. In *Hospit. pauper.*, cap. 3.

56. Quanto caro plus premitur, tanto spiritus plus elevatur. *De Discipl. claustr.*, cap. 12, sect. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ENECA. 57. Magnanimos nos natura produxit : et ut quibusdam animalibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum : ita nobis gloriosum et excelsum spiritum, quærentem ubi honestissime, non ubi tutissime vivat, simillimum mundo. Epist. 104.

## SPIRITUS SANCTUS.

ISIDORUS SPALENS. *Etymologia.* Ideo Spiritus sanctus vocatur, quia Patris et Filii sanctitas est : nam cum sit et Pater Spiritus et Filius Spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus : proprie tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tanquam sanctitas coessentialis et consubstantialis amborum. Lib. 7, *Etymol.*, cap. 3.

CYRILLUS EROSOL. *Definitio.* Spiritus sanctus est maxima potentia, divinum quoddam et investigabile, sanctificans per Christum omnes qui sunt a Deo conscripti. Catechesi 16.

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Lib. 2, super *Luc.*, cap. 1, in illud : *Exurgens autem Maria*, etc.

NTONIUS PADUA. 2. Animæ sponsus est Spiritus sanctus, dum ipsam sibi unit, castam et fœcundam reddit : castam mentis puritate, fœcundam boni operis prole Serm. *Dom.* 2, *post Epiph.*

3. Mentem, quam Spiritus sanctus inflammat, nec ignis adversitatis, nec flamma diabolicæ persecutionis consumere potest. Serm. *Dom.* 6, *post Pascha.*

4. Spiritus sancti gratia est spiraculum vitæ, quam cum Deus spirat in faciem animæ, procul dubio animam de morte ad vitam resuscitat. *Ibid.*

5. Sicut ignis urit, purgat, calefacit, illuminat, sic Spiritus sanctus exurit peccata, purgat corda, torporem excutit, ignorantias illuminat. *Serm.* 1 *Pentec.*

6. Spiritus sanctus dividens singulis prout vult, ubi vult, quando vult, quantum vult, quibus vult, gratiam suam inspirat. *Ibid.*

7. Toties Spiritus sanctus loquitur, quoties bona cogitamus. *Serm.* 2 *Pentec.*

8. Gratia Spiritus sancti dat scire, et velle. *Ibid.*

9. Ideo missus est Spiritus sanctus in Apostolos in forma ignis, ut eos calefaceret ad alios incendendos : quia qui non ardet, non incendit. *Serm.* 3, *de Evang.*

10. Dilectio, quæ ex Deo est, et Deus est, proprie Spiritus sanctus est. Lib 15, *de Trinit.*, cap. 18. S. AUGUST.

11. Quid amabilius et quid suavius et quid sanctius Spiritu sancto ? amor Patris et Filii ipse est, per quem omnes sunt sancti, quicunque sunt sancti. *De Spiritu et Anima*, cap. 55.

12. Spiritus sanctus nos facit petere quidquid desideramus accipere, ipse nos facit quærere quem cupimus invenire, ipse nos facit pulsare ad quem nitimur pervenire. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 14.

13. Sanctus spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid ergo fratres mei ? Hoc dicturi sumus, quia spiritus gemit, ubi perfecta et æterna beatitudo est ei cum Patre et Filio ? Non ergo Spiritus sanctus in semetipso, apud semetipsum, in illa Trinitate, in illa beatitudine, in illa æternitate substantiæ gemit, sed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Tract. 6, super *Evang. Joan.*, de cap. 1.

14. Non habent Spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam. Epist. 50.

15. Spiritus sanctus integer de integro, non præcedit unde procedit : sed tantus cum illo, quantus ex illo ; nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo. Epist. 66.

16. Spiritus aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter in habitans. Epist. 105.

17. Fides impetrat spritum largiorem, diffundit spiritus charitatem. Epist. 144.

18. Deus, qui spiritus est, sic vivificat corpus, ut spiritale efficiat, absumens omnem corruptionem. Epist. 146.

19. Ille peccat in Spiritum sanctum, qui usque in finem vitæ noluerit credere in Christum. *De fide et oper.*, cap. 16.

20. Spiritus sanctificationis non transit, sed manet. In *Annot. super Job*, cap. 6.

21. Spiritus sanctus operatur intrinsecus, ut veleat aliquid medicina, quæ exhibetur extrinsecus. Lib. 15, *de Civit. Dei*, cap. 24.

22. Spiritui sancto templum non facimus, sed nos ipsi sumus. *Contra serm. Arianor.*, cap. 29.

23. Qui accipiunt Spiritum sanctum, amore cœlestium terrena contemnunt. Lib. 1, *de Anima et orig.*, cap. 14.

24. Esto verus, non fictus catholcius ne te fugiat Spiritus sanctus. *Ibid.*, lib. 3, cap. 2.

25. Spiritus sanctus etiam veteris Testamenti tempore, piis omnibus non tantum adjutor, sed et largitor fuit. Lib. 3, *ad Bonifac.*, cap. 7.

26. Fatendum est Spiritum sanctum, etiam antiquis temporibus, non solum mentes bonas adjuvasse, verum etiam bonas eas fecisse. *Ibid.*, lib. 4, cap. 7.

27. Hominum nemo mundus nascitur : et ideo donec mundetur Spiritu sancto, sub spiritu immundo esse cogitur. Lib. 2, *contra Julian.*, cap. 1.

28. Cum Pater Spiritus sit, et Filius Spiritus sit, quoniam Deus Spiritus est : et Pater sanctus, et Filius sanctus sit; proprio tamen nomine amborum Spiritus, vocatur Spiritus sanctus. Tract. 122, super *Joan.*

S. BERNARD. 29. Spiritus sanctus Spiritus benignus, Spiritus dulcis, Spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans. Serm. 6 *Ascens.*

30. Spiritus paracletus donat pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen, et sic in tribus istis ille Spiritus docebit omnia quæ pertinent ad salutem : quia in ipsis est plena et absoluta perfectio. Serm. 2 *Pentec.*

31. Spiritus sanctus multiplex dicitur, quia multipliciter filiis hominum inspiratur; si quidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. *Ibid.*, serm. 3.

32. Doctrina Spiritus sancti non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. Serm. 8, super *Cant.*

33. Mens, quæ ignorat abscessum Spiritus sancti patet seductioni : et quæ reditum non observat, erit ingrata visitationi. *Ibid.*, serm. 17.

34. Spiritus sanctus aliquando recedit, ut avidius requiratur : et rursum dignanter ad hoc redit, ut consoletur. *Ibid.*

35. Vigilandum est, et vigilandum omni hora, quia nescimus qua hora Spiritus sanctus venturus sit, seu iterum abiturus : it enim et redit spiritus ille, et qui stat eo tenente, deserente cadat necesse est. *Ibid.*

36. Spiritus sanctus monet, et movet, et docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem. Serm. in *Festo Pentecostes*, num. 5.

37. Ne minimam paleam peccati intra cordis quod possidet Spiritus sanctus habitaculum patitur residere; sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit Spiritus ille dulcis et suavis. *Ibid.*, serm. 2.

38. Maxime hostiliter agit, qui spiritum vitæ S. BONA
in fonte cordis extinguit. Super *Luc.*, cap. 17.

39. Nihil excellentius, nihil pretiosius, nihil nobilius Spiritu sancto. Serm. 3, *Dom.* 3, *post Pascha.*

40. Sicut ignis appositione lignorum augetur et conservatur ne deficiat; sic nos ardorem ignis Spiritus sancti per devotam et jugem recordationem conservare debemus. Serm. 4, *Pent.*

41. Sunt in Spiritu sancto tres proprietates. Primo, est ineffabilis veritas : secundo, liberalis charitas; tertio, inseparabilis potestas. *Ibid.*, serm. 9.

42. Vere bonus est Spiritus sanctus : bonus utique in peccatorum remissione, in virtutum collatione, in sensuum illuminatione, in animarum elevatione. *Prosec.*

43. Primo modo bonus est incipientibus, secundo proficientibus, tertio consummantibus, quarto pervenientibus. *Ibid.*, serm. 2.

44. Tria nos docet Spiritus sanctus, intelligere, vincere, facere : docet intelligere omnem veritatem, docet vincere mundi vanitatem, docet facere Dei voluntatem. *Ibid.*, serm. 12.

45. Repletio Spiritus sancti est purgativa, illuminativa, perfectiva, confirmativa. Purgat defectum, illuminat intellectum, perficit affectum, confirmat perfectum. Serm. 3, *fer.* 3, *Pentec.* super illud *Act.* 11 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

46. Spiritus sanctus ignis est amorosus, illuminans intellectum, et pariter inflammans affectum. *De septem donis Spiritus sancti* in genere.

47. Spiritus sanctus per donum timoris, humiliat alta; per donum pietatis, liquefacit dura; per donum scientiæ, illuminat obscura; per donum fortitudinis, consolidat mollita; per donum consilii, restringit fluida; per donum intellectus, clarificat nubilosa; per donum sapientiæ inflammat frigida. *Ibid.*

48. Spiritus sanctus donum perfectum dicitur quia a Patre et Filio, ut donabilis spiratur. *De Septem donis Spirit. sancti* in genere, cap. 1.

49. Unus est tantum Spiritus sanctus ille Pa- S. CYRI
cletus, sicut unus est Deus Pater, neque est se- HIERO
cundus Pater : et sicut unus est unigenitus Filius et Verbum Dei, fratremque non habet : sic

unus est tantum sanctus Spiritus, et alius non est Spiritus æqualis cum illo dignitatis. *Cateches.* 16.

50. Si pœnæ est obnoxius, qui adhæret furi, et versatur cum illo : quam spem habebit, qui Spiritui sancto adversatur? *Ibid.*

ADOCH.

51. Sicut mare cum turbatur, oleo infuso cedit natura sua tempestas, lenitate olei procellam extinguente : sic anima nostra cum lenitur gratia Spiritus sancti, jucunde tranquillatur. *De Perfect. Spirit.*, cap. 35.

SEBIUS
SENUS.

52. De Spiritu sancto accipimus, ut sapiamus inter bonum malumque discernere, justa diligere, injusta respuere. *Prosec.*

53. De Spiritu sancto accipimus, vitæ amore, et gloriæ ardore succensi, ut erigere a terrenis mentem ad superna et divina valeamus. Homil. in *die Pentec.*

54. Magnum est Spiritu sancto illustrari, sed multo majus est, impleri. Homil. 1 *de S. Joan. Bapt.*

EBERT.
GLUS.

55. Ubi perflaverit spiritus amoris, ibi scientiarum aromata utiliter fluunt, nempe meditationes, orationes, suspiria, singultus, lacrymæ, ipsa colloquia. Serm. 39 super *Cant.*

S. ORD.

56. Ibi nulla quies, ubi Spiritus sancti consolatio deest. Super *Thren.*, cap. 3.

EGOR.
NUS.

57. Spiritus sanctus quorum corda tangit, protinus cœlestis exercitus milites fiunt. Lib. 5 in I *Reg.*, cap. v, super illud : *Quorum Deus tetigit corda.*

58. Sancti Spiritus gratia cum sibi divites subjicit, pauperes non repellit : cum fortes humiliat, venire ad se debiles non recusat : cum nobiles colligit, simul et ignobiles apprehendit : cum sapientes suscipit, imperitorum stultitiam non contemnit. Lib. 6 *Moral.*, cap. 8, num. 7.

59. Spiritus sanctus mentem quam replet, et illuminans irrorat, et irrorans illuminat; ut et de luce ejus videat quid appetat, et de rore ejus se refrigeret, ne lassescat. Super *Cant.*, cap. IV super illud : *Hortus conclusus.*

60. In linguis igneis apparuit Spiritus sanctus, quia omnes quos repleverit, ardentes pariter et loquentes facit. Homil. 30 super *Evang.* super illud *Luc.* XII : *Ignem veni mittere in terram.*

61. Spiritus sanctus quos replet, simplices et ardentes facit : simplices puritate, ardentes æmulatione. *Ibid.*

62. Spiritus sanctus dum sensus honeste viventium instruit, audaces modo, modo timidos reddit : audaces ut præsumant, timidos ne superbiant. Impellit ut necessaria postulent, retrahit ne nimis præsumendo vitium incurrant temeritatis. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. 4, super illud : *Eamus illuc, si forte indicet nobis*, etc.

63. Indicia Spiritus sancti sunt, excellentia dona humilitatis : quia sanctus Spiritus quo majori luce virtutum electorum corda irradiat, eo abundantiori dono humilitatis ditat. *Ibid.*, cap. 5, super illud : *Septem diebus expectabis me.*

64. Lege non constringitur sancti Spiritus donum. Lib. 1 *Dialogi*, cap. 1, verbo *Nequaquam.*

65. Spiritus sanctus cor quod replet, elevat, et ardor malitiæ ad inferiora semper incurvat. Homil. 2 super *Ezech.*

66. Spiritus sanctus erat quidem semper, et est, et erit : neque incipiens, neque desinens; sed semper Patri et Filio coordinatus, et connumeratus. Orat. 5 *de Pent.* S. GREGOR. NAZ.

67. Nemo sancti Spiritus particeps fieri potest, qui non in excelsa hujus vitæ parte versetur : nam qui ea quæ sursum sunt sapiunt, et suam interiorem rempublicam recte colunt, Spiritum sanctum assequuntur. Orat. in *Pentecost.* S. GREGOR. NYSS.

68. Negat fontem sanctificationis Spiritum sanctum, qui eum privat potestate sanctificandi. In *Exposit.* 2 *Fidei.* S. GREGOR. THAUMAT.

69. Spiritus sanctus recte Paracletus vocatur, quia corda fidelium ne inter hujus sæculi adversa deficiant, cœlestis vitæ desideriis sublevat ac reficit. Serm. *vigiliæ Pent.* HAYM.

70. Qui sunt isti tres spiritus? principalis spiritus, Pater est : rectus spiritus, Christus est : Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est. Epist. 9 *de Tribus virtut.*, super illud *Psalm.* L : *Spiritu principali confirma me.* S. HIERON.

71. Spiritus sanctus torrens voluptatis Dei est, qui irrigat omnem animam spiritualibus fluentis, ut fructum exhibeat sanctitatis. Super *Psalm.* XXXV, vers. 9.

72. Spiritus sanctus expetendus est, promerendus est, et fide præceptorum atque observatione retinendus. Lib. 2, *de Trin.* S. HILAR.

73. Nihil dulcedine Spiritus sancti in vita suavius. Serm. 3 *de Spirituali Christi convivio.* HUGO A S. VICTOR.

74. Mustum est ardor Spiritus sancti, qui quos inebriat, loquaces facit. Super *Job*, cap. 32. HUGO CARD.

75. Spiritus sanctus non libenter habitat, ubi turbæ et frequentia, et dissensiones et rixæ sunt : sed Spiritus sanctus proprie sedem habet solitudinem. Homil. 3 super *Marc.* S. JOANNES CHRYSOST.

76. Spiritus sancti gratia, cum menti [illegible] est, eamque irrigarit, omni fonte uberius scaturit, nunquam deficit, nunquam vacuatur, nunquam stat. Homil. 50 super *Joan.*

77. Nihil imbecillius illis, qui a Spiritus sancti sunt auxilio destituti. *Ibid.*, homil. 65.

78. Dies Pentecostes, dies propitiationis, dies remissionis, dies est indulgentiæ. Serm. *de Pent. de Spiritu sancto.*

79. Spiritus sanctus fuit semper, et est, et erit : neque incipit, neque desinit, sed semper Patri consubstantialiter familiaris. *Ibid.*

80. Spiritus sanctus vita natura vivens et viventium vivificator est, lux de luce et lucis suppeditor, per se bonus et fons bonitatis, per se Dominus sui juris, Deus de Deo deificans, virtus omnipotens. *Ibid.*

81. Spiritus sanctus, spiritus absque materia, absque rege, absque senio, absque successore, absque fluxu, absque sorde, absque confusione. *Ibid.*

82. Spiritus sanctus, spiritus quem nemo interpretari potest, impervestigabilis est, imperscrutabilis est, impartibilis, incircumscriptus, indissolubilis, incommutabilis, incomprehensibilis. *Ibid.*

83. Spiritus sanctus non spiritus est ventorum, non spiritus angelicus, non spiritus corporalis, non spiritus aerius; sed Spiritus opifex, Spiritus personam in Deitate habens, Spiritus sapientiæ, intellectus et exultationis. *Ibid.*

84. Spiritus sanctus, spiritus pacis et fidei, spiritus gratiæ et intelligentiæ, spiritus libertatis et mansuetudinis, spiritus salutis et illustrationis. *Ibid.*

85. Spiritus sanctus imaginis nostræ est reformatio, mentis perfectio, animæ instauratio. *Ibid.*

86. Spiritus sanctus auctor est fidei in Deum, spiritualis mentalium oculorum nostrorum sol, interni hominis nostri lumen, et lucifer in pectoris cœlo. *Ibid.*

87. Spiritus sanctus opulentia est filiorum Dei, æternorum bonorum thesaurus, pignus æterni regni, primitiæ vitæ æternæ, et signaculum gratiæ baptismi. *Ibid.*

88. Spiritus sanctus cibus est diligentium Christum, quo nunquam satiantur, ipse potus est animarum filiorum Dei, ipse charitas eorum, qui sibi conjuncti sunt. *Ibid.*

89. Spiritus sanctus animarum est exultatio, cordis tripudium, ignis, fons rorulentus. *Ibid.*

90. Spiritus sanctus lugentium est consolatio, mœstitudinis depositio, mentis requies, sapientiæ communicatio, prudentiæ inventio, præscientiæ illustratio. *Ibid.*

91. Spiritu sancto reges inunguntur, sacerdotes ordinantur, Prophetæ illustrantur, doctores declarantur, ecclesiæ sanctificantur, altaria fundantur, unguentum consecratur, aquæ purgantur, dæmones alligantur, morbi curantur. *Ibid.*

92. Spiritus vocatur sanctus, Dominus, vivificator, consolator et Paracletus. *Ibid.*

93. Spiritus paracletus, hoc est, inhortator : inhortatur semper ad bonum corda fidelium, inhortatur animam ut Deo se uniat, inhortatur mentem ut a malis desistat. *Ibid.*

94. Spiritus sanctus cor ad se attrahit, ineffabili et mentali charitate exhilarat, edulcat, calefacit, a terrenis transfert, et ad cœlestia vocat. *Ibid.*

95. Spiritus sanctus, Spiritus veritatis, Spiritus Dei, Spiritus Domini, Spiritus patris, Spiritus Filii, Spiritus Christi. Serm. *De adorando Spiritu.*

96. Quomodo poterimus allicere auxilium spiritus, eique persuadere, ut apud nos manere velit? Per opera bona, et optimam vivendi rationem. Serm. *de Verb. Apost. : Habentes eumdem Spiritum*, etc.

97. Spiritus sanctus in anima remissa et segni permanere non sustinet. Homil. 34 super *Epist. ad Hebr.*

98. Sicut aranearum stamina flatum venti non suscipiunt, sic neque anima sæcularis, neque homo animalis gratiam poterit Spiritus sancti suscipere. *Ibid.*

99. Quandiu quis ignitus incedit, omnia superat, omnia excedit, omnia contemnit. *Ibid.*

100. Flamma fervoris insuperabilis res est, et importabile est cunctis rebus incendium Spiritus sancti. *Ibid.*

101. Fervor Spiritus sancti, tanquam ignis, omnia consumit. *Ibid.*

102. Spiritus sancti gratia nunquam parva est et vilis, sed magna et mirabilis, et dantis munificentia digna. Homil. 1 *ad Popul. Antioch.*

103. Spiritus sanctus ignis est, ut incitamentum et fervorem gratiæ, et peccatorum assumptionem significet. Homil. 31 super *Joan.*

104. Nullum bonum perficitur, quod per Spiritum sanctum non concipitur. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2. JOAN TRITE

105. Lux animarum nostrarum Spiritus sanctus est, sine quo nullum bonum, nec incipitur, nec terminatur. *Ibid.*

106. Quem Spiritus excitat, nemo ligare potest. *Ibid.*, cap. 2.

107. Sanctum semper opus inspira, ut cogitem; compelle ut faciam, suade ut diligam, confirma ut teneam, custodi ne perdam. In *Orat. de Corrept. vitæ.* S. ISIDO HISPAI

108. Datur Spiritus sanctus in præsenti, ut justificet impios, roboret debiles, innocentes repleat pietate, doceat ignaros, pugnantes adjuvet, custodiat patientes, erudiat dubios, intelligentes illuminet, amantes succendat. *De fasciculo amor.*, cap. 9. S. LAURE JUSTI

109. Spiritus sanctus quemadmodum est potens in opere, in sermone efficax, in dilectione fervidus : ita est in consolando promptus, et in exhortando intentus, et in se communicando munificus. *De perfect. gradib.*, cap. 5.

LEO I. 110. Spiritus sanctus inspirator est fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, et totius est causa virtutis. Serm. *Pentec.*

ACHAR. GYPT. SEN. 111. Christianæ Religionis via est, ut ubi est Spiritus sanctus, ibi statim sequatur conflictus et persecutio. Homil. 15.

112. Anima mortua est, quæ non gestat divinum Spiritum : Spiritus enim divinus est animæ vita. *Ibid.*, homil. 30.

PETRUS IANUS. 113. Nisi quis gratia Spiritus sancti mereatur afflari, licet conetur, licet ad tempus eniti videatur, nunquam tamen ad bona peragenda prorsus assurgere, nunquam Deo placiti operis valet fructus afferre. Serm. 21 *de Spiritu sancto.*

114. Spiritus sanctus lumen mentibus ingerit, desiderium excitat, vires infundit : illustrat ut videamus, provocat ut velimus, roborat ut bona quæ volumus, implere veleamus. *Ibid.*

115. Sicut anima est vita corporis, ita et vita animæ Spiritus sanctus est : et sicut corpus, anima recedente, collabitur, ita et eadem anima, si spiritus vivificator abscesserit, necesse est ut moriatur. *Ibid.*

PETR. MBARD. MAG. NTENT. 116. Recte in Spiritum sanctum delinquere dicuntur, qui suam malitiam, Dei bonitatem superare putant, quibus placet malitia propter se. Lib. 2 *Sentent.*, dist. 43.

ILO JUD. 117. Deus inspirat, mens inspirationem capit, spiritus ex inspiratione accipitur. Lib. 1 *legis Allegor.*

HARD. A VICTORE. 118. Sicut spiritus humanus vita est corporum, sic Spiritus sanctus vita est spirituum, ille vita est sensificans, ille vita est sanctificans. Part. 1, lib. 6 *de Trinit.*, cap. 10.

119. Spiritus sanctus dicitur sine quo nullus spiritus, sanctus efficitur. *Ibid.*

OBERTUS LLARM. 120. Venite ad scholam Spiritus sancti, qua nulla utilior inveniri potest. Super *Psalm.* XXXIII, vers. 11.

HEODOR. 121. Spiritus sanctus est Dominus, etiamsi nolint ii qui adversus spiritum bellum gerunt. Super 1 *Paralip.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

NECA. 122. Prope te est Deus, tecum est : sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos. Epist. 41.

Vide etiam tit. *Dilectio Dei*, sent. 14; *Eleemosyna*, sent. 81; *Gratia Dei*, sent. 107, 160; *Jejunium*, sent. 139; *Miratio*, sent. 31; *Peccatorum remissio*, sent. 36; *Perfectio*, sent. 90; *Pœnitentia*, sent. 49; *Psalmus*, sent. 92; *Puritas*, sent. 32; *Signum*, sent. 19, 20; *Solitudo*, sent. 90; *Trinitas*, sent. 66.

## STABILITAS STATUS.

UGO A S. VICTORE. *Definitio.* Stabilitas est mentis fixa, nulla locorum vel temporum varietate per diversa jactatæ retentio. *De fructib. carnis et Spirit.*, cap. 14.

S. THOMAS AQUINAS. Stare proprie loquendo significat quamdam positionis differentiam, secundum quam aliquid disponitur, quasi in quadam immobilitate. 2, 2, quæst. 183, art. 1.

HUGO CARD. *Divisio.* Triplex est status, incipientium, proficientium, perfectorum. Super *Psalm.* XVII.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Homo cordis nostri absconditus ex corporis statu, aut levior, aut jactantior, aut stupidior, aut contra gravior, aut constantior, aut purior, aut maturior æstimatur. Lib. 1 *Offic.*, cap. 18.

S. ANTONIUS DE PADUA. 2. Hominis appellatione est dignus, qui non movetur a suæ mentis stabilitate propter ventum verborum. Serm. 1 *Pentec.*

S. AUGUST. 3. Tanto minus se quisque stabilem esse sentit, quanto minus hæret Deo, qui summe est. Epist. 56, *ad Dioscorum.*

4. Firmamentum stabilitatis in amicitia, est fides : nihil enim est stabile, quod infidum est. *De Amicitia*, cap. 24.

5. Omnia ibi stant, ubi nihil transit. Vis et tu ibi stare et non transire? illuc curre, id ipsum nemo habet ex se : corpus habet, non est id ipsum, quia non in se stat : anima humana nec ipsa stat, non est id ipsum. Ergo id ipsum nemo habet ex se, sed Dominus est qui vere est id ipsum. Super *Psalm.* XXI.

6. Nemo tanta est firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus. Serm. 2 *Sabb. post Dom. Quinquag.*

7. Laxatis curis mutabilium rerum, bona stabilia et certa quæramus. Epist. 113.

S. BERNARD. 8. Monstruosa res est, ingens auctoritas, et nutans stabilitas. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Papam.*

S. DOROTH. 9. Impossibile est hominem in eodem statu semper permanere : sed aut pejor fit, aut melior. Doctrina 12.

S. GREGOR. MAGNUS. 10. Nemo potest immobilis stare, qui mobilia diligit. Lib. 8 *Moral.*, cap. 24.

S. HIERON. 11. Nemo est tam firmitate suffultus, ut de stabilitate debeat esse securus. In *Regula monachor.*, cap. 3, *de Castit.*

HUGO A S. VICTORE. 12. Sta, non ut proficias, sed ne deficias : sta permanens in eo quod cœpisti, non rediens ad id quod fuisti : sta ergo in timore. Lib. 1, *Miscellan.*, codic. 1, tit. 69.

13. Firma animam tuam proposito, exerce virtute, cautela muni.

14. Firma, ut cedere nolit tentationi ; exerce, ut resistere possit : muni, ut ubi non potest vincere, sciat declinare. *Ibid.*

HUGO CARD. 15. Tres status Ecclesiæ : status pœnitentiæ,

status justitiæ, status gloriæ. Super *Exod.*, cap. 23.

JOAN. GERS. 16. Propter amorem Christi status inferior semper plus placere debet, et dulcescere cordi, quam status superior, quia vanitas est. *Prosec.*

17. Quanto in inferiori et humiliori statu quis fuerit, tanto verius sæpe bona agit, et facilius habita custodit. *Epist. pro confort. tentati.*

S. LAURENT. JUSTIN. 18. Quanto uniuscujusque major est status, tanto perniciosior est ruina. Serm. *de Eucharist.*, cap. 21.

S. THOMAS A VILLANOVA. 19. Magnus status, sed majus pondus. Serm. *Dom.* 3 *Advent.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 20. Sapiens stat rectus sub quolibet pondere. Epist. 71.

21. Hoc a te exige, qualem statum institueris præstare te, talem usque ad exitum serves. Epist. 120.

## STATUS PRISTINI RECUPERATIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, et tamen in honore suo perstitit : et beatum Petrum, quando amarissimas lacrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, et tamen Apostolus mansit. Epist. 50, *ad Bonifac.*

2. Animam mortuam non plangimus, quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum revocare. Serm. 4, *pro Defunctis.*

3. Animadvertite in præsenti loco posse docere aliquem post peccatum, si tamen vitia pristina pœnitentia diluerit. Hab. in *Decretis Gratiani*, part. 1, dist. 50, can. *Cum.*

4. Sacerdos si cadit, valet et habet restitutionis locum post dignam peractam pœnitentiam in honorem suum, propheta attestante, qui ait, Numquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat? *Ibid.*, dist. 50, can. *Sacerdos.*

5. Quicunque Dei auxillio corriguntur, quod amiserant peccando, recuperant. *De morib. Eccles.*, cap. 34.

S. BONAV. 6. Pœnitentia reducit in gradum pristinum, et omnes defectus revocat ad perfectum. Tit. 3, *Diætæ*, cap. 1.

FRANCISCUS TITELM. 7. Quomodo is, qui Dei judicia non amat, sed odit ea, blasphemat, et obmurmurat, sperare possit, quod fortunæ pristinæ restituatur? In *Elucid.*, super *Psalm.* XXXIV.

8. Si quando contigerit, ut justus ex humana fragilitate ad casum declinet, ne collidatur sive confringatur, sed quantocius restituatur in statum pristinum. In *Elucid. super Psalm.* XXXVI, vers. 25.

GRATIANUS. 9. Indubitanter Domini fideles post satisfactionem dignam posse redire ad honorem pristinum, quis dubitat? In *Decret.* part. 1, dist. 50, can. *Ponderet.* § *Errant.*

10. Mutatur homo a peccato, et gratia Dei resurgit a lapsu, et in pristino manet officio. *Ibid.*

11. Exemplis et auctoritatibus probatur post actam pœnitentiam, gradus pristinos licite posse administrare, et ad majores posse conscendere. *Prosec.*

12. Maria enim soror Aaron postquam lepra percussa est, quia in Moysen murmuraverat, acta pœnitentia a peccato mundata est, et pristinam gratiam prophetizandi recepit.

13. Aaron etiam post conflatum vitulum, in summum sacerdotem consecratus est.

14. David post adulterium et homicidium, spiritum prophetiæ recepit, et in pristino gradu permansit.

15. Achab quoque post mortem Nabuthi viri sanctissimi, per pœnitentiam humiliatus in regia sede remansit.

16. Et prætereamus multa exempla veteris Testamenti. Petrus negavit Christum, et postea Princeps Apostolorum factus est.

17. Paulus Stephanum lapidavit, et tamen a Deo in Apostolum electus est.

18. Multi quoque ab hæresi ad unitatem catholicæ fidei revertentes, in suis honoribus sunt recepti : alii vero ad episcopalem etiam gradum sunt promoti ; ut pote Augustinus, et alii quam plures.

19. Joannes Chrysostomus duabus synodis orthodoxorum episcoporum fuit dijudicatus, sed iterum fuit restitutus.

20. Marcellus episcopus Anchyræ Galatiæ depositus fuit, sed postmodum recepit episcopatum.

21. Asclepius dijudicatus a synodo, Ecclesiam suam postea recepit.

22. Martianus Episcopus Andronopolites damnatus a Papa Julio, recepit Ecclesiam sui episcopatus.

23. Cyrillus episcopus Hierosolymitanus depositus fuit, postea reconciliatus est Ecclesiæ suæ.

24. Simili modo Polocromium ejusdem Ecclesiæ Hierosolymitanæ pontificem, Sixtus Papa damnavit, et iterum ipse eum reconciliavit.

25. Innocentius Papa Fortunatum episcopum damnavit, sed postea ipse eumin proprium locum restituit Ecclesiæ suæ.

26. Nicenum episcopum a Felice Papa damnatum, Gelasius Papa successor illius reconciliavit, et Ecclesiæ suæ restituit.

27. Leontius dum esset presbyter : depositus fuit ; sed postea in Antiocha Patriarcha extitit.

28. Gregorius quartus Papa Theodosium, quem Eugenius ejus antecessor presbyterii honore privaverat, sanctæ Ecclesiæ Seguinæ consecravit Episcopum.

29. Sabbas episcopus dijudicatus fuit, sed sancta synodus canonice suam illi restituit Ecclesiam.

30. Rothardum episcopum sanctæ Suessionis Ecclesiæ a synodo, cui Carolus interfuit Rex, condemnatum : et Sophidium Placentinum episcopum merito reprobatum, Nicolaus Papa ambos reconciliavit. In *Decret.*, part. 1, dist. 50, can. *Si post.*, § *E contra.*

S. GREGOR. MAGNUS. 31. Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ : dum pro reversionis spe, pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Lib. 4, in *Registro*, indict. 13, cap. 61, epist. 17, *ad Constantium episc. Mediolan.*

32. Post dignam satisfactionem credimus posse redire quemlibet ad honorem. *Ibid.*, lib. 6, ind. 2, cap. 33, epist. 53, *ad Secundinum.*

HAYMO. 33. Licet quis peccet, tamen si pœnitentiam egerit perfectam) non amittet pristinam dignitatem suam aut gradum. Super *Apocal.*, cap. 2, in illud : *Et movebo candelabrum,* etc.

S. HIERON. 34. Quicunque dignitatem divini gradus non custodiunt, contenti fiant animam salvare : reverti enim ad pristinum gradum post lapsum difficile est, non autem impossibile. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, distinct. 50, can. *Quicunque.*

ISIDORUS HISPALENS. 35. Illos ad pristinos gradus redire canon præcipit, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. *Prosec.*

36. Necesse est illos restaurari in locum honoris, qui per pœnitentiam, reconciliationem meruerunt divinæ pietatis.

37. Hi enim non immerito consequuntur ademptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur vitæ remedium. *De lapsu sacerdot., ad Massanum episcopum.*

38. Ille pristino honori restaurari potest, qui per pœnitentiæ satisfactionem noverit priora delicta deflere. *Prosec.*

39. Eum vero non posse restaurari qui nec luget quæ gessit, et lugenda sine ullo pudore religionis, vel timore judicii divini committit, cognoscas. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN. 40. Nunquam quis ad pristinum reducitur statum, nisi viribus totis conetur reparare a quo cecidit, atque reformare quod peccando deformavit. *De casto connubio*, cap. 21.

S. PETRUS CHRYSOL. 41. Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat et honorem. Serm. 3, *de Prodigo.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 42. Necesse est emendata castigataque vita, ac reduce temperantia, una cum ea pristina ornamenta restitui. *De Regno ad Arcadium Imperatorem.*

TERTULL. 43. Omnia in statum pristinum redeunt, cum abscesserint. *De Resurrectione*, cap. 12.

S. THOMAS AQUINAS. 44. Pœnitentia quamvis revocet omnes defectus, restituendo in pristinam gratiam, non tamen semper restituit in pristinam dignitatem. In *Supplemento*, part. 8, quæst. 28, art. 1.

THOMAS A KEMPIS. 45. Veni, Domine Jesu, et tolle me de terra aliena, revoca abjectum ad patriam, et in pristinum lapsum restitue. In *Soliloq.. animæ*, cap. 7, sect. 3.

## STUDIUM.

CICERO. *Definitio.* Studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata, magna cum voluptate occupatio. Lib. 1, *de Invent. Rhet.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Studiosi frequenter discunt ea, quæ melius esset nescire, quam scire. Part. 3, tit. 5, *de Doctoribus*, cap. 2, § 2.

2. Non Parisiis vel Bononiæ studuisse, sed diligenter studuisse laudabile est. *Ibid.*

3. Studii finis debitus est honor Dei, salus proximi et ædificatio sui. *Ibid.*, cap. 2, § 12.

4. Tria cavenda sunt quæ profectum studii impediunt : curiositas, instabilitas, rixandi libido. Part. 4, tit. 4, cap. 11, § 1.

S. AUGUST. 5. Venite mortales ad studium sapientiæ, magnus hic fructus est : quid enim homini sapientia charius ? venite igitur; ut sapientes sitis. Lib. 3, *contra Academicos*, cap. 9.

6. Eruditio disciplinarum liberalium, modesta sane atque succincta, et alacriores, et perseverantiores, et comptiores exhibet amatores amplectendæ veritatis, ut et ardentius appetant, et constantius insequantur, et inhæreant postremo dulcius. Lib. 1, *de Ordine*, cap. 8.

7. Studiosis ita vivendum est, ut se abstineant a venereis rebus, ab illecebris ventris et gutturis, ab inanibus negotiis ludorum, a tempore somni, atque pigritiæ, ab æmulatione, obtrectatione, invidia, ab honorum potestatumque ambitionibus ,ab ipsius etiam laudis immodica cupiditate. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 8.

8. Quilibet studiosus non amat incognita, cum ardentissimo appetitu instat scire quod nescit, sed ipsum cognitum scire amat. Lib. 10, *de Trinitate*, cap. 1.

9. Instructus divinarum Scripturarum studiosus, cum ad eas perscrutandas accedere cœperit, illud

Apostolicum cogitare non cesset, Scientia inflat, charitas ædificat. Lib. 2, *de Doct. christ.*, cap. 41.

10. Ad divina enodatius explicanda, limatior accedat intentio. Lib. 10, *de Trinit.*, cap. 1.

11. Omnis amor studentis animi, id est volentis scire quod nescit, non est amor ejus rei quam nescit, sed ejus quam scit, propter quam vult scire quod nescit. *Ibid.*

12. Quanto puer acutius intelligit et studet ardentius, tanto est laudabilioris ingenii. *Ibid.*, cap. 11.

13. Sedulo monendi sunt scholastici, ut humilitate indulti christiana, discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia, quam verborum amplius, devitare. *De Catechiz. rudibus*, cap. 6.

14. A studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Lib. 19, *De Civitate Dei*, cap. 19.

15. Omnis studiosus vocandus est, qui ea quæ ad animum nutriendum liberaliter, atque ornandum pertinent, impensissime requirit. *De utilit. credendi*, cap. 9.

16. Erubescat superbus et infelix peccator, et timeat elatione cæcatus, scientia inflatus, cui plus placet ars Aristotelis, quam scientia de Apostolis, plus codex Platonis quam liber divinus; quem nulla lectio lætificat, nulla scientia ædificat, nullus sermo sapit, nisi fuerit grammatice conceptus, dialectice imaginatus, rhetorice purpuratus. *Prosec.*

17. Vana hujus vitæ studia relinquant homines, et de studio vanitatis veniant ad studium veritatis, et de studio stultitiæ ad studium sapientiæ : hoc est de studio curiositatis, ad studium sanctæ humilitatis. *De speculo peccatoris*, cap. 6.

18. In his qui flagrant ingenti amore perspicuæ veritatis, non est improbandum studium, sed ad ordinem revocandum; ut a fide incipiat, et bonis operibus nitatur pervenire quo tendit. Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 53.

19. Tunc beatus est studiosus sapientiæ, cum Deo frui cœperit. Lib. 8, *de Civitate Dei*, cap. 9.

20. Differt curiosus a studioso, quod curiosus ea requirit, quæ nihil ad se attinent : studiosus autem contra, quæ ad se se attinent requirit. *De utilit. cred.*, cap. 9.

S.BERNARD. 21. Studia silentium amant, quietem desiderant cordis in labore corporis, paupertatem spiritus, et bonam conscientiam. *De vita solit.*

22. Studia vera scrutantur virtutum non tam flores, quam radices, non ut luceant, sed ut sint : non ut sciantur, sed ut habeantur. *Ibid.*, etc.

23. Modus studendi quatuor habere debet conditiones. scilicet ordinem, assiduitatem, complacentiam, commensurationem. Serm. 19, *Hexam.* S. BON[A]

24. Ne plus te extendas, quam ingenium tuum potest ascendere, nec infra maneas. *Ibid.*

25. Qui non ordinant studium, sunt sicut pulli equorum, qui modo currunt huc, modo illuc ; sed jumentum plano passu vadit. *Ibid.*

26. Tantum proficit unus durus, dummodo ordinet studium suum, sicut ingeniosus et inordinate studens. *Ibid.*

27. Terrenæ sapientiæ studia sunt infructuosa, imo periculosa. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, vers. 3, art. 2.

28. Non est reputandus otiosus, qui insistit labori cognoscendæ veritatis : eo quod pluris meriti est, quam exercitatio corporalis. Serm. 2, *Dom.* 1, *Quadrag.*

29. Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil mentem a mundi amore sic separat, nihil sic animam contra tentationes confortat, nihil hominem ad omne opus bonum et sanctum laborem sic excitat et inflammat, ut studium sacræ Scripturæ. Super *Septem Epist. canonicas.* DIONYSI[US] CARTHU[S.]

30. Nullum studium improbum, habet cum Deo commercium. Super *Job*, cap. 2. GLOSS. O[RD.]

31. Valde otiosum est doctoris studium, si per hoc quod ab illo in terris agitur, cœleste ædificium non augetur. Lib. 3, in I *Regum*, cap. 5, super illud : *Ædificavit ibi altare Domino.* S. GREG[ORIUS] MAGNU[S]

32. Humano studio ad divina pervenire impossibile est; non est confidendum de viribus propriis, sed de dignatione Spiritus sancti. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

33. Qui bonis studiis comptus est, judicio magnus est, non favore. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 37, epist. 37, *ad Innocentium episcopum.*

34. Litterarum ardor, nulla prorsus ætate extinguitur, imo ipsa magis ætate inflammatur. Epist. 1, *ad Demetriad.* S. HIER[ONYMUS]

35. Ipsa litterarum studia teneris melius inseruntur ingeniis; idque penitus inhærere sensibus solet quod primitus sederit in mente. *Ibid.*

36. Litterarum radices amaræ sunt, fructus dulces. Lib. 1, super *Hieremiam*, cap. 1, super illud : *Virgam vigilantem ego video.*

37. Non prodest a vitiis recessisse, nisi optima comprehendas : quia non tam initia sunt, in bonis studiis laudanda quam finis. Lib. 2, super *Epist. ad Galat.*, cap. IV, in illud : *Ubi est ergo beatitudo vestra.*

38. Studium acuit ingenium, fugat otium, scien- HUGO A

VICTORE. tiæ parit amorem, scientiam conservat, avertit animum a vanis et inutilibus, peccati odium gignit, quietem et pacem quærit. Lib. 4, *de Propriet.*, cap. 17.

39. Tria sunt necessaria studentibus : natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur, ut facile audita percipiat et percepta firmiter teneat. In exercitio, ut labore et sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina, ut laudabiliter vivens mores cum scientia componat. Lib. 3, *Didasc.*, cap. 7.

40. Tria sunt quæ præcipue studiis legentium obesse solent : negligentia, imprudentia, fortuna. *Ibid.*, lib. 5, cap. 5.

41. Studium non tardos et hebetes sensus, sed natura ingenia expetit : quæ investigando sic subtilitatem teneant, ut in discernendo prudentiam non amittant. *Ibid.*, lib. 6, cap. 4.

HUGO CARD. 42. Exercitatio studii salutaris mentem exacuit, perspicacitate dealbat, candore puritatis et innocentiæ elimat, a rubigine vitiorum detergit, et ab omni corrosione peccati conservat illæsam. Super *Ecclesiasten*, cap. 19.

JOAN. CASS. 43. Impossibile est, qui proposito acquirendæ laudis humanæ, studio lectionis insistit, donum veræ scientiæ promereri. Collat. 14, *Abbat. Nesterotis*, cap. 9.

44. Cum omni cautione devita, ne tibi per studium lectionis, non scientiæ lumen, nec illa perpetua, quæ per illuminationem doctrinæ permittitur gloria, sed instrumenta perditionis de arrogantiæ vanitate nascantur. *Ibid.*, cap. 10.

45. Vacare cunctis cogitationibus humana mens non potest, et ideo quandiu spiritalibus studiis non fuerit occupata, necesse est eam illis quæ pridem didicit implicari. *Ibid.*, cap. 13.

S. JOANNES CHRYSOST. 46. Sicut in bello non omnis qui pugnat vincit, nemo tamen vincere potest, nisi pugnaverit : sic non omnes qui student, et legunt acquirunt scientiam : nemo tamen acquirere potest, nisi qui aut studiosus fuerit ad legendum, aut assiduus ad audiendum. Homil. 18, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. SAR. 47. A vitiis redimitur animus, et suavi et mira quadam etiam in adversis, jucunditate reficitur, cum ad legendum vel scribendum utilia mentis intendit acumen. Lib. 1, *de Nugis curial.*

JOAN. TRITH. 48. Non est studium sine amore, non scientia sine labore, non victoria sine certamine. *Prosec.*

49. Habet labor iste solatium, quem divini amoris confirmat incendium. Lib. 2, *de Vir. illustr. ord. S. Bened.*, cap. 145.

50. Si quis non habeat, ubi cor suum in sancto studio delectabiliter occupet, necesse est, ut vanis inserviens, turpiter sordescat. *Ibid.*

51. Non prosperabuntur studia, quæ legibus obedientiæ repugnant. *De laude scriptor.*, cap. 10.

52. Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil denique jucundius possidetur, quam studium Scripturarum. Orat. 2. in *conventu Abbat.* habita.

53. Frustra studium litteris impenditur, si cordis habitaculum intus negligatur. *Ibid.*

54. Studium sæcularium litterarum, carnali et nondum mortificato, periculosum et mortiferum est. *Ibid.*, orat. 3.

55. Amor et exercitium, studium perficiunt litterarum. *Ibid.*, orat. 5.

56. Ad studium tria imprimis necessaria sunt. Primum est amor, secundum, est exercitium, et usus, tertium, est solitudo corporis et tranquillitas mentis. Epist. 13, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

57. Impossibile est divinas quempiam utiliter scire posse scripturas, qui adhuc vitiorum impuritati subjicitur. *Prosec.*

58. Ut igitur in divinis scripturis fructuosum sit studium, flamma charitatis incendat studentis affectum. Epist. 19, *ad Magistr. Henric.*

59. Quanto majora fuerint litteraturæ studia, tanto animus arrogantiæ fastu inflatus majore intumescit jactantia. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 13, sent. 9. S. ISID. HISP.

60. Simplicioribus litteris non est præponendus fucus grammaticæ artis. *Ibid.*, sent. 10, etc.

61. Qui sapientiæ studet, nondum sapit : sed ut sapere possit, studet. Lib. 3, *de Divin. inst.*, cap. 2. LACT. FIRM.

62. Nihil in hac vita magis solidat intellectum, solidatumque ostendit, quam studium sacræ Scripturæ. *De ligno vitæ*, tract. 9, *de Perseverant.*, cap. 4, part. 1. S. LAURENT. JUSTIN.

63. Studium humanum sine Dei auxilio, finem assequi optatum non potest. In *Libr. ascetico.* S. NILUS.

64. Quis tanto studio ac labore divina quærit studia, quanto quærit humana? Homil. 12, in cap. XXXIV, *Exodi.* ORIGENES.

65. Cur causaris studiorum laborem, et ad otium toto corpore suspiras? *Prosec.* S. PETRUS BLES.

66. Labor scholasticus otium est, sed otium negotiosum, et quod animum reddit ad honesta sollicitum. Epist. 9, *ad Quemdam.*

67. Studiosus esse non potest, cujus animum voluntaria discendi affectio non accendit. *Ibid.*, epist. 81, *ad Simon. Carnotens. canonic.*

68. Qui in studiis negligens est, aut remissus, non multum dissimilis est ab eo, qui languente appetitu, atque insipiente palato cibum recipit, cibosque gulæ fastidienti stomacho violenter intrudit. *Ibid.*

PHILO JUD. 69. Generatio pulchrorum studiorum, est mors turpium. Lib. *Quod Deus sit immutab.*

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 70. Quia pauci studia nunc honorant, simul et naturali vitio fixum est, radicatumque pectoribus humanis, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices. Lib. 5, epist. 10.

THOMAS A KEMPIS. 71. Nunquam ad hoc legas verbum, ut doctior aut sapientior possis videri : stude mortificationi vitiorum, quia hoc amplius tibi proderit, quam notitia multarum difficilium quæstionum. Lib. 2, *de Imit. Chr.*, cap. 43.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 72. Non possem vivere, nisi in litteris viverem. Lib. 9, epist. 26, *ad Papirium.*

73. Hominis est intemperantis, abuti otio et litteris. Lib. 1, *Tusc. quæst.*

PLINIUS II. 74. Nulla studia tanti sunt, ut amicitiæ officium deseratur quod religiosissime custodientem studia ipsa præcipiunt. Lib. 8, epist. 9, *ad Ursum.*

75. Ut ex studiis gaudium, sic studia ex hilaritate proveniunt. Lib. 8, epist. 19, *ad Maxim.*

SENECA. 76. Studiorum salutarium, etiam citra affectum, laudanda tractatio est. *De beata vita*, cap. 20.

77. Non potest studium salutare fieri, sine frugalitatis cura. Epist. 17.

78. Desidioso studere, torqueri est. Epist. 71.

79. Otium sine litteris mors est, et hominis vivi sepultura. Epist. 82.

80. Alit lectio ingenium, et studio fatigatum, non sine studio tamen reficit. Epist. 84.

81. Illud studium vere liberale est, quod liberum facit; hoc sapientiæ studium est, sublime, forte, magnanimum, cætera passibilia et puerilia sunt. Epist. 88.

82. Stude non ut plus aliis scias, sed ut melius. Epist. 89.

83. Non multum ad studium locus confert, nisi se sibi præstet animus. Epist. 184.

84. Qui ad Philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni referat, ut sanior domum redeat, aut sanabilior : ea enim Philosophiæ vis est, ut non solum studentes, sed etiam conversantes juvet. Epist. 108.

Vide etiam tit. *Devotio*, sent. 60; *Diligentia*, sent. 11 ; *Relinquere*, sent. 20; *Sapientia*, sent. 87; *Scriptura sacra*, sent. 199; *Scrutari*, sent. 15; *Senectus*, sent. 73; *Verbum Dei*, sent. 30.

## STULTILOQUIUM.

COLLECTOR. *Etymologia.* Stultiloquium græce μωρολογία dicitur, significatque perversam sententiam verborum, per quæ quis præfert delectationes luxuriæ aliis bonis.

S. ANSELM. *Definitio.* Stultiloquium est stulta verborum prolatio, nullam utilitatem, nullamque scientiam continens, sine industria et discretione facta. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 5.

S. HIERON. Stultiloquium esse existimo eorum, qui aliqua narrant turpia, ut risum moveant, et fatuitate simulata magis illudant eis, quibus placere desiderant. Lib. 3 super *Epist. ad Ephes.*, cap. 5, in illud : *Turpitudo et stultiloquium*, etc.

*Differentia.* Inter stultiloquium, et scurrilitatem hoc interest : quod stultiloquium nihil in se sapiens, et corde hominis dignum habet : scurrilitas vero de prudenti mente descendit, et consulto appetit quædam, vel urbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, ut risum moveat audientibus. Lib. 3 super *Epist. ad Ephes.*, cap. v in illud : *Turpitudo et stultiloquium*, etc.

S. REMIGIUS. Hoc distat inter stultiloquium, et scurrilitatem : quia stultiloquium nullius utilitatis est; scurrilitas vero plerumque ab ore sapientium procedit, et constat quadam urbanitate. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 5, canon. 4.

S. PETRUS DAMIANUS. *Comparatio.* Sicut equus effrænis per anfractus, et invia plana vel ardua quæque transmittit : sic lingua stultorum recta vel frivola, ut quælibet suppetunt, indifferenter ac leviter effluit. Lib. 6, epist. 27 *ad Petrum Cerebrosum monachum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Stultus valde est, qui non prius verbum ducit ad linguam rationis, quam educat ad linguam oris. Serm. 3, *ad Fratres in eremo.*

S. BERNARD. 2. Stultiloquia nunquam nisi contra mandatum, et Dei mandatum usurpantur. *De præcepto et dispens.*

GLOSS. DEC. 3. Fatuus est, qui fatua loquitur. In *Decret. Gratiani.*

GLOSS. ORD. 4. Potest quisque resipiscendo Deum placare, quem contigit stulte loquendo offendisse. Super *Prov.*, cap. XVI.

S. GREGOR. MAGNUS. 5. Os ab Omnipotenti Deo tanto minus exauditur in prece, quanto amplius inquinatur stulta locutione. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 15, verbo *Apud.*

S. GREGOR. THAUMAT. 6. Stultitiæ verborum nugacitas conjuncta est. Super *Eccles.*

S. HIERON. 7. Stultiloquium æstimo non illorum tantum, qui aliqua narrant unde risum moveant, et fatuitate simulata magis illudant illis, quibus placere desiderant : sed etiam illorum, qui prudentes seculi putantur; et de rebus physicis disputantes. In *Regula monachorum*, cap. 20, *de Juramento.*

8. Stultiloquium ad fatuas et ineptas fabulas transferendum est, nihilque in se sapiens, et corde hominis dignum habet. Lib. 3, super *Epist. ad Ephes.*, cap. v in illud : *Turpitudo et stultiloquium.*

9. Stultiloquium et scurram non decet esse Christianum. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 10. Sermo spurcus est stultiloquium. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

11. Ex facetiis perjuria proveniunt, et stultiloquia. *Ibid.*, serm. 17.

S. JOAN. DAM. 12. Inepta loquacitas piis jucunda non est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 78.

JOAN. TRITH. 13. Stultiloquium non solum monachis, verum etiam omnibus interdicitur christianis. Lib. 1, homil. 9, *ad Monachos*.

## STULTITIA.

S. BRUNO. *Etymologia.* Stultus quasi de statu suo tultus, id est, sublatus sit. *De Ornament. Eccles.*, cap. 10 *de Castitate*.

GLOSS. DECR. Stultus dicitur quasi extultus, ab extollo : quia extollit. *Prosec.*

Vel dicitur stultus, quasi statim ultus, ab ulciscor : quia stultus statim ultionem expetit, nec deliberat.

Vel proprie stultus est, qui per stuporem non movetur injuria : sævitiam enim perfert, nec ultus est, nec ullo ignominiæ motu movetur : quia stultus est hebetior corde. *In Decretis Gratiani.*

S. JUST. MART. Dicitur a spiritu amens, quasi absque mente : et stultus is cujus sensus ignoratione depravatus et corruptus est. *Epist. ad Zenam.*

S. AUGUST. *Definitio.* Stultitia est rerum appetendarum et vitandarum non quælibet, sed vitiosa ignorantia. Lib. 3, *de Libero arbitr.*, cap. 24.

LACT. FIRM. Stultitia est in factis dictisque per ignorantiam recti ac boni erratio. *De divin. inst.*, lib. 5, *de Justitia*, cap. 18.

*Differentia.* Differt stultitia a fatuitate; quia stultitia est hebetudo cordis, et obtusio sensuum : fatuitas autem est totaliter spiritualis sensus privatio. 2, 2, quæst. 46, art. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Stultus regere se non potest, et nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum*.

2. Stulto et imperare servitus est, et quod pejus est, cum paucioribus præsit, pluribus dominis et gravioribus servit. *Prosec.*

3. Servit enim propriis passionibus, servit cupiditatibus suis, quarum dominatum nec nocte potest fugere nec die.

4. Quia intra se dominos habet, intra se servitium patitur intolerabile : gemina enim servitus ejus est, altera corporis, altera animæ. *Ibid.*

5. Recidenda insipienti potestas est, non adjicienda libertas : quia in libertate insipientis, ruina vehementior est. *Ibid.*

6. Stultitia etiam stultorum judicio misera est. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 7. S. AUGUST.

7. Aversionem stultitia consequitur, stultitia quippe quædam cæcitas est. Lib. 3, *de Libero arb.*, cap. 24.

8. Infans nec stultus, nec sapiens est. *Ibid.*

9. Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Lib. 1, *de Doctrina christ.*, cap. 14.

10. Stultitia vera est falsa sapientia. *De Epicur.*, cap. 9.

11. Caret stultus sapientia. *De utilit. cred.*, cap. 13.

12. Lamentari quisque sana mente mavult, quam lætari in amentia. Lib. 8, *de Civit. Dei*, cap. 27.

13. Ut qui morbo laborant, medicinæ auxilio indigent : sic stulti, sapientia opus habent. Homil. 12 in princ. *Proverb.*, et hab. apud divum Joannem Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap, 24. S. BASILIUS MAGNUS.

14. Quid stulti proprium? non posse et velle nocere. In suis *Proverb.*, verbo *Quid.* V. BEDA.

15. Stultus quod vivit, mortem potius quam vitam esse censuerim : quomodo vita cum sterilitate? Serm. 63, super *Cant.* S. BERNARD.

16. Stultus reputatus fuit Christus, quando recessit ab appetitu aliorum : stultior, quando voluit affligi : stultissimus, quando voluit crucifigi; et tamen hæc est sapientia sanctorum. Serm. 2, in *Hexam.* S. BONAV.

17. Insipienti non nisi sua placent : omnis enim stultitia laborat fastidio sui. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 16.

18. Stulti sunt in sensu leves, ita et in verbo præcipites. *Ibid.*, part. 2, cap. 2.

19. Stultus est, qui inter vanitatem stultorum versatur. *De recta vivendi ratione*, cap. 72. S. EPHREM.

20. Ait quidam; Ego me esse stultum existimo, fatuum esse non opinor, id est, obtusis quidem sensibus, non tamen nullis. In *Decretis Gratiani.* GLOSS. DECR.

21. Stulti esse apud vos discite, ut in Deo vere esse sapienter valeatis. Super *Job*, cap. 17. GLOSS. ORD.

22. Tanto quisque amplius intus stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri. Lib. 18 *Moral.*, cap. 25. S. GREGOR. MAGNUS.

23. Stultitia unius, multis periculum accersit, etiamsi multis levis et contemptibilis sit : In *Eccles.*, cap. 9.

24. Sapientia illuminat, stultitia excæcat. Homil. 10, super *Ecclesiasten.* HUGO A S. VICTORE.

25. Stultus, quia nescit discernere inter bonum et malum, nec pœnis flectitur, nec blanditiis emollitur. Super *Proverb.*, cap. 1 . HUGO CARD.

26. Stultum tacere, semper bonum est. *Ibid.*

27. Stulti tunc facile corriguntur, cum stultitiam suam non cognoverint. *Ibid.*, cap. 26.

28. Non major stultitia, quam quod homo sibi sapiens esse videtur. *Ibid.*, cap. 28.

29. Stultus mavult esse phreneticus ridens, quam sapiens plangens. Super *Ecclesiasten*, cap. 2.

30. Contingit sæpe quod ille qui fatuus apparet exterius in facie, sapiens sit interius in corde. Super *Luc.*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 31. Natura stultum fieri, nihil habet criminis: per prudentiam vero stultum fieri, et venia privat, et majus affert supplicium. Serm. 20, super *Epist. ad Romanos.*

32. Stultus mundo ille est, qui exteriori contempta sapientia, sibi persuadet nihil ei ad fidei susceptionem profuturam. Homil. 20, super I *Cor.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 33. Nihil stultitia pejus, nihil insipientia deterius, nihil turpius. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 13.

34. Insipiens assidue peccat, facile decipitur, stultus in vitia cito dilabitur. *Ibid.*

LACT. FIRM. 35. Stultus quid sit bonum ac justum, nescit, et ideo semper peccat : ducitur enim quasi captivus a vitiis, nec resistere ullo modo potest, quia caret virtute, quam nescit. Lib. 5, *de Divin. inst.*, cap. 18.

PHILO JUD. 36. Nullum homini gravius malum stultitia accidere potest. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 24.

37. Morbi atque interitus causa, est stoliditas. *Ibid.*

38. Stultus nulla in re consistere solet, pendulaque est ipsius omnis vita, nec firmo ullo gradu defixa. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 39. Stultitia rationis est vitium, ac morbus, infelicis vitæ totius causa. Lib. 1, *de Virtutibus*, cap. 3.

40. Stultitiæ proprium est, prave de rebus judicare, praveque consulere, prave præsentibus cum rebus congredi conflictarique, prave de iis rebus, quæ in vita bona malaque versantur, sentire. *Ibid.*, cap. 5.

CATO POET. 41. Insipiens esto, cum tempus postulat aut res :
Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.
Lib. 2 *Distichor.*, metr. 44.

SENECA. 42. Nihil inamabilius, diligenti stultitia. Lib. 3, *Controv.*

43. Stulto nulla re opus est : nulla enim re scit uti, sed omnibus eget. Epist. 9.

44. Omnis stultitia laborat fastidio sui. *Ibid.*

45. Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur. Epist. 15.

46. Humilis res est stultitia, abjecta, sordida, servilis, multis affectibus et sævissimis subjecta. Epist. 37.

47. Nihil stultitia pacatum habet, tam superne illi metus quam infra, ad omnia pavet. Epist. 59.

48. Ut sis beatus, te stultum videri sine. Epist. 71.

49. Inter cætera mala, hoc quoque habet stultitia, semper incipit vivere. Epist. 13.

Vide etiam tit. *Derisio*, sent. 6; *Disputatio*, sent. 36; *Familiaritas*, sent. 116; *Prævisio*, sent. 27; *Prodigalitas*, sent. 4; *Profectus*, sent. 146.

## SUASIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Sicut graviori dignus est supplicio, qui persuaserit crimen infantulo, et incautam præcipitarit ætatem : ita qui invalidum et insipientem et improvidum circumscripserit persuasione erroris. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 21, vers. 5. S. AMBROS.

2. Exiguis momentis mens inclinatur humana; et huc atque illuc pro versutia suadentis frequenter impellitur. Lib. 4, super *Luc.*, cap. 4, in illud : *Jesus ductus est in desertum.*

3. Exempla facilius suadent, quam verba. Super I *Cor.* XIV.

4. Lingua male persuadentium, gladius acutus est. Part. 1, tit. 6, cap. 13, § 1. S. ANTONIN.

5. Tanta est humana fragilitas, ut ad sibilum unius verbi dejiciatur. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 12, § 2.

6. Prudentiæ excubiæ, atque diligentissima vigilantis est, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur. *De Moribus Eccles.*, cap. 34. S. AUGUST.

7. Non mihi videtur magnæ laudis futurum fore hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet : cum et in natura posse, et in potestate habeat velle non consentire suadenti. Lib. 11, *de Genesi ad litt.*, cap. 4.

8. Noli putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades : si fratri tuo mala persuades, occidis. Tract. 42, super *Evang. Joan.*, de cap. VIII.

9. Sicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum consentit male suadenti non utique nisi voluntate consentit. *Prosec.*

10. Sed tamen gravius est, non solum nullo suadente propria cogitatione peccare, sed etiam peccatum alteri suadere, quam ad peccandum alterius suasione traduci. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 10.

11. Non sicut mihi adjacet suadere, eo modo adjacet etiam persuadere cuilibet. Epist. 154.

12. Per artem rhetoricam et vera suadentur et falsa. Lib. 4, *de Doctrina christ.*, cap. 2.

13. Quod non est verum, nemini est omnino suadendum. *Contra mendac.*, cap. 19.

14. Non mihi sinas accidere, quibus mihi impietas persuadeatur. *Annot. in Job*, cap. 10.

15. Malignus suasuor peccati, etiamsi non persuaserit, merito pœnam deceptoris incurrit. Lib. 1, *contra Crescon.*, cap. 5.

16. Ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne quod bonum est. *De Grat. Christ.*, cap. 10.

17. Nisi radicem mali humanus reciperet sensus, nullo modo male suadenti accommodaretur assensus. Lib. 1, *contra Julian.*, cap. 9.

18. Diabolus suadere potest, cogere omnino non potest. Homil. 12, *ex Quinquag. homil.*

S. BERNARD. 19. Exemplum operis, est plurimum faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat tactibile quod suadetur. Serm. *de S. Benedicto.*

20. Dabis voci tuæ verbum virtutis, si quod suades prius tibi illud cognosceris persuasisse, validior operis, quam oris vox est. Serm 59, super *Cant.*

S. BONAV. 21. Quocunque modo alius alium, exemplo, verbo, blanditiis, terroribus, negligentiis, ad peccandum inducit, animam suam perdit. Serm. 2, *fer.* 3 *Pent.*

22. Sicut melius persuadet vita quam signa, et exempla quam verba : sic efficacius persuadet contemptus mundi et mortificatio carnis. Serm. 4, *Dom.* 4 *post Pent.*

23. Tanto difficilius est resistere alicujus persuasioni, quanto ille qui persuadet, magis amatur. Super lib. 2, *Sent.*, dist. 21, art. 2, quæst. 3.

24. Non esset laudabile bene vivere, nisi esset qui male vivere suaderet. *Ibid.*, dist. 23, art. 1, quæst. 2.

25. Cum diabolus suadet peccatum, quodammodo exigit a nobis ut præstemus ei arma nostra, quibus nos occidat. Lib. 1, *de Perfect. relig.*, cap. 2.

CASSIODOR. 26. Facile est antiquo insidiatori infectis vetita suadere, qui potuit liberos atque incorruptos sua calliditate decipere. Super *Psalm.* XVIII, vers. 13.

S. EUCHER. 27. Vera ratio est persuadendi, cum id poscitur ut impetremus a vobis, quod concupiscitis. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

28. Ad negligentiam vitæ, non nos negligentium turba persuadeat : cessent, cessent inquam solatia malesuada discriminis. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 29. Humilis quæ dicit, non ex auctoritate præcipit, sed ex ratione persuadet. Super illud *Job* VI : *Loquentes id quod justum est.*

S. GREGOR. MAGNUS. 30. Difficile inimico resistitur, si persuasionibus illius anima delectatur. Super *septem Psalmos, pœnitent.*, super *Psalm.* III, vers. 7.

31. Tantæ debet esse efficaciæ, qui alios movet, ut bona non solum dicat, sed et persuadeat. Lib. 6, in I *Reg.*, cap. III, super illud : *Ad immolandum Domino veni.*

32. Nullius suasioni consentias, in qua gravari potes. Lib. 7, in *Registr.*, indict. 2, cap. 2, epist. 2, *ad Januar. episc. Caralitan.*

S. HIERON. 33. Cave venenata animalia, quæ de corio tuo saturari ventrem suum cupiunt : non enim suadent quod tibi, sed quod sibi prosit. Epist. 10, *ad Furiam.*

HUGO A S. VICTORE. 34. Diabolus non cogendo, sed suadendo nocet. Lib. 4, *de Anima*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. 35. Diabolus homini persuadere potest, assentiendi autem voluntatem dare non potest. Serm. *de Genesi.*

36. Diaboli est quidem suadere, sed nostrum persuasiones ejus superare : suadet hominibus terrenos honores, ut auferat cœlestes : hortatur ad mundi divitias, ut spirituales adimat. Homil. 5, *ex divers.*, *in Matth.*

JOAN. SARESB. 37. Profecto inanis eat ratio hominis, cui nihil persuaderi potest, qui semper et in omnibus opinionum lubrico vacillet. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 2.

S. ISIDORUS HISPAL. 38. Hæretici haustum lethiferi succi hominibus persuadendo propinant. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 13, sent. 11.

S. PETRUS BLESENS. 39. Humana suasio sine gratia Dei, nihil aliud est, quam æs sonans, aut cymbalum tinniens. Epist. 54, *ad Pictav. archid.*

S. PROSPER. 40. Absit ab animis piorum, et Christi sanguine redemptorum, stulta nimium et perniciosa persuasio. Epist. *ad Rufinum, de Lib. Arbitr.*, cap. 1.

Vide etiam tit. *Deceptio*, sent. 10 ; *Diabolus*, sent. 74; *Iniquitas*, sent. 63 ; *Invitus*, sent. 23; *Orator*, sent. 3; *Peccatum in genere*, sent. 23, 24 ; *Prædicatio*, sent. 231 ; *Suavitas*, sent. 40.

## SUAVITAS.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Multa videntur in hoc sæculo jucunda ac suavia esse, quæ non sunt : luxuries videtur jucunda, sed exhausto fit amara patrimonio. *Prosec.*

2. Dulcis paret libido, cum fervet : sed eadem horrida, et execranda est, cum proditur.

3. Suaves epulæ sunt, cum sumuntur : sed fœtidæ, cum digeruntur.

4. Non est ergo vera suavitas ; nisi quæ secundum verbum Dei est ; ut quis bonorum meritorum atque virtutum subsidiis gaudeat se esse munitum. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 9, vers. 1.

5. Nihil tam cæcum, quam sæcularis suavitatis periculum, quæ dum mulcet animum, vitam obruit, et corporeis quibusdam scopulis sensum mentis illidit. Lib. 4, super *Luc.*

S. AUGUST. 6. Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum ; et quas amittere metus fuerat jam dimittere gaudium est ! *Prosec.*

7. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa

suavitas : ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini : omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Lib. 9, *Conf.*, cap. 1.

8. Fortitudinis est, ab omni mortifera suavitate rerum transeuntium sese extrahere et inde se avertens, convertere ad dilectionem æternorum. Lib. 2, *de Doctrina christ.*, cap. 7.

9. Sicut sæpe sumenda sunt et amara salubria ita semper vitanda est perniciosa dulcedo. *Prosec.*

10. Salubri suavitate, vel suavi salubritate quid melius? quanto enim magis illic appetitur suavitas, tanto facilius salubritas prodest. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

11. Fallax dulcedo est, quam plures atque majores pœnarum amaritudines consequuntur. *Prosec.*

12. Quia ab hominibus nondum spiritalem gratiam percipientibus suavius admittitur quod vetatur, fallit peccatum falsa dulcedine. Lib. 1, *de diversis Quæst. ad Simplician.*, quæst. 1.

13. Cogitemus quantis amaritudinibus admixtum sit, si quid dulce ac jucundum in via hujus vitæ occursu suo nobis alludit. *De Spiritu et Anima*, cap. 49.

14. Dulcedo hujus sæculi ad tempus fauces indulcat, sed in magnam amaritudinem postea convertitur. Super *Psalm.* CXXIII, vers. 4.

15. Dulce est semper ad considerandum, quod ad amandum et laudandum semper suave est. In *Manuali*, cap. 28.

16. Morbo carnis mortifera suavitate trahebam catenam meam, solvi timens. Lib. 6 *Conf.*, cap. 12.

17. Amor rerum temporalium non expugnatur : nisi aliqua sŭavitate æternorum. Lib. 6, *de Musica*, cap. 10.

S. BERNARD. 18. Mundi jucunditas mœror est; omnis suavitas, dolor est, omne dulce, amarum est; omne decorum fœdum. Epist. *ad quamdam Sanctimonialem.*

19. Non est dignus dulcoris acumine, qui amaritudinis nescit inviscari gravamine. *De disciplina scholarium*, et habet. apud Bedam.

S. BONAV. 20. Tantæ æternæ suavitatis abundans est copia quod etiam ad capiendum eam non sufficiunt cordium nostrorum vasa. Serm. 11, *Pent.*

21. O Domine Deus, si tam nobilis est odor, quam dulcis est tuæ dulcedinis sapor, si tantæ virtutis est modica degustatio, quantum jucunditatis habet felix inebriatio ? *De Soliloq.*, cap. 2.

S. EPHRÆM. 22. Cave mel inimici appetas, dulcedo enim ejus ad extremum, felle et amaritudine suos amatores replet. *De recta vivendi Rat.*, cap. 9.

23. Cum ea quæ sensui suavia sunt, in vita conspicis, vide ne capiaris iisdem : nam in illis laqueus et esca mortis latitat, neque enim nudum piscator hamum in aquam mittit. *Ibid.*, cap. 20.

24. Captivos post se trahit sensus pestifera et inimica dulcedo. *Prosec.* S. EUSEBIUS EMISSENUS.

25. Virus amaritudinis obscuratur fraude dulcedinis.

26. Provocat prius odor suavis poculi, sed præfocat infusus sapor in venis.

27. Mel est quod ascendit in labia : fel est, quod descendit in viscera. Homil. 3, *Epiphan.*

28. Fallax dulcedo est, quam plures atque majores pœnarum amaritudines sequuntur. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 7. GLOSS. ORD.

29. Si dulcia vera appetimus, prius necesse est, ut hic amara toleremus. Lib. 26 *Moral.*, cap. 12. S. GREGOR. MAGNUS.

30. Valde dulce est sanctis viris superna dicere, cœlestia loqui : eo quod dulciter, ac valde dulcius per amorem Dei saturantur. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. IV, super illud : *Rursus itaque puer Sauli respondit.*

31. Servus Dei non semper amarum de suo debet ore proferre, sed quod dulce et suave est. Lib. 1. *Dialog. advers. Pelag.* S. HIERON.

32. Quod raritate dulce est, assiduitate in amaritudinem vertitur. Lib 3, super *Oseam*, cap. 13. *De manu mortis*, etc.

33. Vera dulcedo quanto perfectius sentitur, tanto desiderabilius appetitur. *De Alleg., in Luc.* super *Magnificat*, vers. 2. HUGO A S. VICTORE.

34. Si vere dulce est quod percipitur, et hoc dulcius necesse est, si amplius percipiatur. *Ibid.*

35. Gustata suavitate dulcedinis Dei, marcescit in homine carnalis voluptas. Super *Gen.*, cap. 32. HUGO CARD.

36. Mali quod cum suavitate hic biberunt, in morte cum amaritudine evoment. Super *Hierem.*, cap. 48.

37. Suavitas quæ est in Deo nostro, dulcis est, sapore sancto repleta est, nutrit, fovet, defendit, et fortificat. *Prosec.*

38. Consolationem præstat, benignitatem non negat, tolerantem facit, justum, sustinentem, humilem, benignum, largum, sobrium, castum, castitate plenum, hospitalitate præditum, prudentia ornatum, temperantia clarum, fortitudine firmum, justitia liberatum. Super *Psalm.* LXVIII.

39. Inspice diligentius advenientem in te suavitatem, ne forte ab avaris medicis, imo vero insidiatoribus subdole tibi præparata sit. Grad. 28, *de Different. quietis.* S. JOAN. CLIM.

40. Suavitas variarum voluptatum appetitur, quibus enervatus animus extinguitur. Lib. 7, *de Divin. Inst.*, cap. 6. LACT. FIRM.

41. Quidquid est suave, persuadet ; et animo penitus, dum delectat, insidet. *Ibid.*, lib. 6, cap. 21.

PETRUS BLESENS. 42. In suavi colloquio non est suavitas admittenda. *De Charitate*, cap. 52.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 43. Omne suave, quod mixtum cum suaviori est, suavius redditur. Sect. 19. *Problem.*, quæst. 44.

Vide etiam tit. *Conversatio*, sent. 42 ; *Felicitas*, sent. 40 ; *Prosperitas*, sent. 65 ; *Sanctitas*, sent. 41.

## SUBJECTIO.

COLLECTOR. *Definitio*. Subditus est, qui alicujus superioris jurisdictioni ad obediendum subjectus est.

S. BONAV. *Divisio*. Quadruplex est subjectio : est subjectio secundum conditionem ; est subjectio secundum necessitatem ; est subjectio secundum timorem ; est subjectio secundum dilectionem. Super *Psalm.* CIX.

S. THOMAS AQUINAS. Duplex est subjectio : una voluntaria, altera involuntaria. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. 2, lect. 3.

S. LAURENT. JUSTIN. *Productio*. Humilitas sicut subjectionem parit, sic subjectio humilitatem. *Prosec.*

Libertatem omnino fugit humilitas, et subjectionem fugit elatio.

Stat subjectus humilis, notus sibi, judicatus a se, prostratus omnibus, devotus Deo, benevolus fratribus. Part. 2, *de Compunct. et Complanctu*, cap. 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Qui subjectus est vitiis, multis se dominis addixit, ut servitio ei exire vix liceat. Lib. 2, *de Jacob*, cap. 8.

2. Disce Deo esse subjectus, ut non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum. Lib. 10, super *Luc.*, cap. XXII, in illud : *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

S. ANTONIN. 3. Multum provocat subditos facta præsidentis. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 4, § 2.

S. AUGUST. 4. Omnis creatura, velit nolit, uni Deo et Domino suo subjecta est. *De Agone Christiano*, cap. 7.

5. Non ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur. Lib. 1, *de Lib. Arbit.*, cap. 8.

6. Iniquus est, qui vult sibi servire quod infra se est, cum ipse servire superiori nolit. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 23.

7. Potentior animus non cogit in aliquid, nisi quod suæ potestati subditum est. *De immort. animæ*, cap. 13.

8. Hæc est libertas nostra, cum subdimur veritati. Lib. 2, *de Lib. Arbit.*, cap. 13.

9. Corpori cœlesti etiam corpora terrena subjecta sunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 11.

10. Est animæ natura perfecta, cum spiritui suo subditur. *De Fide et symbol.*, cap. 10.

11. Omnia corporalia in ordine suo divinæ providentiæ legi subdita administrantur. *De Agone Christ.*, cap. 8.

12. Ut corpus nostrum servituti subjiciamus, facile fieri potest, si prius nos ipsos subjiciamus Deo bona voluntate et charitate sincera. *Ibid.*, cap. 7.

13. Subjiciamus animam Deo, si volumus servituti subjicere corpus nostrum. *Ibid.*, cap. 12.

14. Sublimibus Angelis Deo beate servientibus, subdita est omnis natura corporea. Lib. 8, *de Gen. ad lit.*, cap. 24.

15. Appetitus cum rationi subditus non est, miseros facit. Lib. 1, *de Lib. Arb.*, cap. 8.

16. Qui per ipsam subjectionem noluit tenere quod vere est, affectat per superbam elationem simulare quod non est. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 13.

17. Homo subdat sibi quod habet commune cum bestiis, subdat Deo quod habet commune cum angelis. Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 28.

18. Peccatis merito humana natura subdita est hosti. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 20.

19. Subdita nobis erunt omnia, si nos subditi sumus Deo. Tract. 8, super *Epist. Joan.*

V. BEDA. 20. Ardua res nimium, famulari post dominatum. In suis *Prov.*, verbo *Ardua*.

S. BERNARD. 21. Sicut summa et intolerabilis superbia est, superiori se præponere : ita inferiori se subdere, summa et plena justitia est. *Prosec.*

22. Sicut grandis et gravis est superbia, præferre se æquali, aut æquare prælato, ita magnæ humilitatis est, inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Serm. 4, *Epiph.*

23. Parum est esse subjectum Deo, nisi sis et omni humanæ creaturæ propter Deum. Serm. 42, super *Cant.*

S. BONAV. 24. Causa ruinæ subditorum, est ruina prælatorum : reformatio subditorum, est bona vita prælatorum. Super *Lament. Hierem.*, cap. I, in illud : *Portæ ejus destructæ.*

25. Vita subditorum tribus modis prælatos alloquitur : per miseriam ; per desiderium ; per obedientiam. *Ibid.*, cap. 2.

26. Sit homo interior totus Deo, sit exterior totus prælato subjectus. In *Speculo Discipl.*, part. 2, cap. 3.

S. CÆSARIUS ARELAT. 27. Intolerabile jugum peccatorum, et fœda dominatio, et erubescenda subjectio. Homil. 4.

28. Si te non regit superior, cruciat te et affligit inferior, inclinet sub jugo Dei cervicem suam anima tua, ut et sub jugo animæ tuæ collum suum subjiciat caro tua. *Ibid.*, homil.

29. Maxima consolatio boni prælati, est digna conversatio subditorum. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 13, art. 13.

30. Si regibus et prælatis tam prohibitum est atque damnabile, se super subjectos suos extollere, quanto est iniquius damnabiliusque si quis se elevet super eos, quibus non præest, aut super æquales, et potissimum super majores superioresque suos : quod prorsus diabolicum est ? Super *Epist. Jacobi*, cap. 1.

S. EPHRÆM. 31. Christo subjici cave recuses, quoniam ex ea subjectione fructus certus atque securus proficiscitur. *De Vita spirit.*, cap. 15.

32. Qui non vult subesse uni, subjicietur multis. *De Timore Dei.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 33. Subditus prælatum suum, non hominem considerare debet, sed illum pro cujus amore est subjectus. In suis *Opusc.*, collat. 5.

34. Quidam sunt subditi proprii sensus, errore decepti, qui quodcunque superioris præceptum, quod indomitæ voluntati repugnat, statim regulæ judicant esse contrarium. *Ibid.*, Serm. 5.

GLOSS. ORD. 35. Subjectus peccato, facit quod non vult. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 7.

36. Cum subjectorum corda superbia castigat, hoc summopere agere nititur, ut sua acta considerare funditus negligant, et semper tacitis cogitationibus, rectoris sui judices fiant. Lib. 34 *Moral.*, cap. 18.

S. GREGOR. MAGNUS. 37. Sicut prælatis curandum est, ne eorum corda æstimatione singularis sapientiæ locus superior extollat : ita subjectis providendum est, ne sibi rectorum facta displiceant. *Ibid.*, lib. 25, cap. 14.

38. Dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. *Ibid.*, lib. 35, cap. 10.

39. Sollicitudo, quæ subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur. Part. 2 *Pastor.*, cap. 7.

40. Judicare de subditis digne nequeunt, qui in subditorum causis sua, vel odium, vel gratiam sequuntur. Homil. 26, super *Evang.*

41. Rector peccantem subditum, nisi correctum honorare debet ; subditus autem nec tunc prælatum despicere, cum se justum, et illum agnoverit peccatorem. Lib. 2, in I *Regum*, cap, III, super illud : *Puer autem Samuel.*

42. Quisquis alieno imperio subjectus est, hoc solum consideret, quia quod sibi secundum Deum injungitur valde magnum et excelsum in lucro est menti, quod vitam præparet in mercede retributionis. *Ibid.*, super illud I *Cor.* VII : *Circumcisio nihil prodest*, etc.

43. Audacius a subjectis delinquitur, si prælatorum infirmitas agnoscatur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

44. Spiritus beati de se nulla præsumentes, virtuti sui opificis perpetua humilitate subjecti sunt. *Ibid.*, lib. 2, cap, 1, super illud : *Et infirmi accincti sunt robore.*

45. Ad hoc locorum gradus rationis ordo distinxit, et judicia esse constituit, ut nec præpositi in opprimendos se frustra valeant occupare subjectos, nec subjectis contra suos præpositos effrænata sit resultandi licentia. Lib. 7, in *Registro*, ind. 1, cap. 8, epist. 8, *ad Leonem episc. Cateniens.*

46. Ille Deo subjectus esse renuit, qui aliquid de sua virtute posse præsumit. Super *Psalm.* XXXIV, cap. 54. HUGO A S. VICTORE.

47. Subjectio tres continet gradus : primus est, subdere se majori ; secundus, subdere se pari : tertius, subdere se minori. Serm. *de Annunt. B. M.* S. INNOC. III

48. Quem conditio subjicit, famulatus addicit, servitus ipsa compellit : cum discreta ista separataque consistant, dum alius est dominus, alius servus, alius imperans, alius qui dignitate suscipitur, alius qui conditione subjici demonstratur. Homil. 1, in dictum *Joan.* XV : *Vos amici mei estis*, etc. S. JOANNES CHRYSOST.

49. Homo ille beatus est, si imperanti animo serviat corpus, si virtutibus subjecta sint vitia. *Prosec.*

50. Unde tibi homo ex te nascetur judicium, dum imperas servo, et non pares domino : dum famulis dominaris, et dominanti ipse non servis ? *Ibid.*

51. Virtus subditi, est honor et obedientia. Homil 26, super I *Cor.*, in illud : *Debet mulier velamen habere.*

52. Quando qui præest, subditum suum diligit, tunc omnia bene compacta sunt : non ita subjecti quæritur dilectio, sicut principantis erga subditum. Homil. 10, super *Epist. ad Coloss.*

53. Amanti subjici nihil omnino erit difficile. *Ibid.*

54. Qui subditus persistit, nihil indignius censet, nihil abjectius, quam alienæ ditioni subjici. Homil. 1, super II *Timoth.*

55. Subditus nihil ait servilius, quam alienæ potestati subjacere. Homil. 67, *ad Popul. Antioch.*

56. Qui subjectus est, atque alterius paret S. JOAN. CI

imperio, ipse adversus seipsum sententiam fert. *Gradu.* 4.

JOANNES DAM. 57. Omnes qui recte subesse didicerunt, recte quoque imperio fungi scient, cum ad potentiam pervenerint. Lib. 1 *Parall.*, cap. 21.

ISIDORUS ISPALENS. 58. Non erit caro subjecta animæ, nec vitium rationi, si animus non est subditus conditori. *Prosec.*

59. Tunc autem recte subjiciuntur nobis omnia quæ sub nobis sunt, si nos subjicimur ei, a quo nobis illa subjecta sunt.

60. Nam et quæ videntur subjecta esse ei, qui Deo subjectus non est, ille potius subjicitur ei, qui suam voluntatem subjugat amori eorum quæ sibi esse subjecta existimat. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 9, sent. 2.

LAURENT. JUSTIN. 61. Hoc est singulare trophæum, carnem spiritui, spiritumque subigere conditori. *Prosec.*

62. Nunquam Deo quis poterit esse subjectus, qui menti suæ imperare nequiverit. Serm. *de S. Hieronymo.*

63. Ille veraciter subesse novit, qui omnium se agnoscit minimum. *De Compunct. et complanct.*, cap. 2.

UDOVICUS BLOSIUS. 64. Optatius tibi sit subesse, quam præesse. In *Speculo Spirit.*, cap. 2.

PAULINUS 65. Nemini subjectus est, qui se soli Deo subjecit. *Epist. ad Amand. episc.*

HILO JUD. 66. Utilissimum est præstantioribus subjici. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 76.

THOMAS AQUINAS. 67. Subditi suos prælatos sequuntur dupliciter, scilicet quantum ad facta et dicta. Quantum ad facta, dum subditi prælatorum exempla sequuntur; quantum vero ad dicta, dum eorum præceptis obediunt. Super I *Cor.*, cap. 2, lect. 1, in illud : *Imitatores mei estote.*

68. Cujuslibet subditi virtus est, ut bene subdatur ei a quo gubernatur. 1, 2, *Quæst.* 92, art. 1.

THOMAS KEMPIS. 69. Nil quietius spontanea subjectione. Serm. 1, *ad Novit.*, divis. 1.

70. Multo tutius est stare in subjectione, quam in prælatura. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 9.

71. Curre huc vel illuc, non invenies quietem, nisi in humili subjectione sub prælati regimine. *Ibid.*, cap. 9, sect. 1.

72. Tanto plus proficiet in virtutibus et sapientior erit, quanto humilis superioribus se submittet. In *Dialogo Novit.*, cap. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 73. Serviant deteriora melioribus. Epist. 65.

Vide etiam tit. *Dominus*, sent. 16; *Exemplum*, sent. 55, 56: *Imperare*, sent. 26; *Libido*, sent. 6; *Mens*, sent. 80; *Prælatio*, sent. 38, 156, 160; *Raritas*, sent. 6; *Regimen*, sent. 17; *Reverentia*, sent. 12, 18; *Spiritus in genere*, sent. 15.

## SUBLIMITAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Tuta tenet, qui alta timet. Part. 1, in *Apolog.*, cap. 15. B. ALANUS DE RUPE.

2. Magna sublimitas, magnam debet habere cautelam. *De Dignit. Sacerdot.*, cap. 3. S. AMBROS.

3. Honores hominem in sublime ponunt, sed diu in alto eum stare non sinunt. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 11. S. ANTONIN.

4. In sublimitate positi quanto magis elevantur, tanto magis sublimari conantur, ut lapsu graviore ruant. Serm. 2 *Dom.* 1 *Quadrag.* S. ANTONIUS DE PADUA.

5. Quanto fis celsior potestate, tanto humilior fias pietate. Epist. 54, *ad Macedonium.* S. AUGUST.

6. Potentior est et tutior solidissima humilitas quam ventosissima celsitudo. Lib. 8, *de Trin.*, cap. 7.

7. Viri sublimis culpa, grave peccatum est, In *Quæst. vet. et novi Test.*, quæst. 16.

8. Quanto quis sublimior est, tanto magis (licet leve peccatum ejus) grave est crimen. *Prosec.*

9. Sicut humilitas in potente sublimis et magnifica est, ita et culpa ejus pro crimine habenda est. *Ibid.*, quæst. 102.

10. Pergite viam sublimitatis, pede humilitatis. *De sancta Virginit.*, cap. 52.

11. Quo potestas sublimior est, eo ad peccandum major audacia, quæ totum sibi licere credit quod potest. *De vita christiana*, cap. 3.

12. Si peccatrices animæ permittantur habitare in sublimibus locis, inhonestum est; quia non conveniunt illis, quibus nec bene uti possunt, nec ornamenti aliquid conferunt. Lib. 3, *de Lib. Arb.*, cap. 9.

13. In creaturis quærebam sublimitates, et irruebam in confusiones et errores. Lib. 1 *Conf.*, cap. 20.

14. Quanto nunc major erit exaltatio malorum, tanto gravior erit in futuro dejectio : et brevis quidem erit exaltatio, æterna vero damnatio. Super *Psalm.* XXXVI, in illud : *Et exaltati*, etc. V. BEDA.

15. Altior professio virtutis, altiorem debet ritum tenere vivendi. *De Templo Salomonis*, cap. 7.

16. Quanto quis altiora profecerit, tanto gravius (si corruerit) colliditur. Serm. *de Cantico Ezechiæ regis.* S. BERNARD.

17. Sublimis gradus, sed eo amplius periculosa est ruina. Serm. 2, *ad Fratres.*

18. Tanto quisque debet esse humilior, quanto est sublimior. Serm. *de Donis Spirit. S.*, cap. 2.

19. Nemo repente fit summus : ascendendo, non volando, apprehenditur summitas scalæ. Serm. 1, *de S. Andrea.*

20. In alto posito non altum sapere difficile est, et omnino inusitatum : sed quanto inusitatius, tanto gloriosius. Epist. 42, *ad Henricum Senonensem archiep.*

21. Timor de adepta altitudine, tædere magis, quam placere facit altiora. *Ibid.*

22. In alto non altum sapere, sed humilibus consentire, nil Deo charius, nil rarius apud homines. Epist. 123.

23. Ad hoc vos Deus in sublimitate posuit, ut tanto majori Ecclesiæ utilitati vivatis, quanto in ea eminentiori auctoritate præestis. Epist. 229, *ad tres Episc.*

24. Altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem ; sublimiorem, non securiorem : terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Epist. 237, *ad Eugen. Pap.*

24 *bis.* In sublimitate sine vanitate esse quis potest ? Serm. *de Quinque negotiat.*

S. BONAV. 25. Per humilitatem ad sublimitatem ascenditur, nec est alia via præter ipsam : qui enim aliter ascendit, cadit. Ergo descende ut ascendas, humiliare ut exalteris. Serm. 2, *de Omnibus SS.*

26. Mira res ! quia quanto plus te elevas, tanto plus a Deo distas. Serm. 3, *de Uno confess.*, etc., in ord. 25.

27. Magna superbia est, altum petere gradum : ad alta semper diabolus suadet honores ambire, et fugere despectum. In *Alphabet. Relig.*, lect. 12, pag. 529.

S. CYPRIAN. 28. Sicut peremptoria est altitudo quæsita, ita et periculosissima est oblata. *De jejun. et tent.*, cap. 5.

29. Ita debet in sublimitate complecti humilitas, ut qui vocatus est superius nesciat se sublimem. *Ibid.*

DIONYSIUS CARTHUS. 30. Quanto aliquis seipsum erigit altius inaniusque extollit, tanto meretur profundius cadere. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, art. 4.

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 31. Qui altius est, cadens majores casus recipit. Epist. *ad Damas. papam, de morte D. Hieron.*

S. FULGENT. 32. Sublimitas Christiani vera et integra, est humilitas animi. Epist. 6, *ad Theodorum*, cap. 9.

GLOSS. ORD. 33. Decet ut qui majoris est gradus, pluribus virtutum actibus mirandus fulgeat. Super *Psalm.* LXXII.

34. Elatio casus est. Super *Psalm.* LXXII.

S. GREGOR. MAGNUS. 35. Nemo infima deserens, repente fit summus. Lib. 22, *Moral.*, cap. 11.

36. Cor quod sine disciplina est, exaltari non valet : quia humana mens sicut male elevata, in infimis premitur : sic bene pressa, in sublimibus levatur. *Ibid.*, lib. 13, cap. 11.

37. Quanto quis hic altius erigitur, tanto curis gravioribus oneratur. *Ibid.*, lib. 17, cap. 12.

38. Omnis superbia eo ipso in imo jacet, quo in alta se erigit : ut inde magis cunctis supposita sit, unde cunctis expetit superesse. *Ibid.*

39. Nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desinit superbire. *Prosec.*

40. Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis ? Part. 1 *Pastoralis*, cap. 9.

41. Ille veraciter sublimis est, qui in suis cogitationibus humiliatur. Lib. 4, in *Registro.*, indict. 13, cap. 82, epist. 58, *ad Joan. Episc. Constantinop.*

42. Rectus ordo cujuslibet electi est, ut ante sublimitatem ecclesiastici culminis, culmen conscendat virtutis, pro honore Dei culmen obtineat gloriæ, sed majori sublimitate fulgeat in revelata virtutum perfectione. Lib. 4 in *Reg.*, cap. 5, super illud : *Et altior erat omni populo.*

43. Alta sæculi viris spiritualibus sunt vitanda, non appetenda, quia ex occulto se aperiunt, et quos absorbendo recipiunt, ad inferna perducunt. *Prosec.*

44. Quidquid in hoc sæculo altum cernitur, non est vera altitudo, sed fovea quæ ad inferna perducit. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. 5.

45. Qui sublimis est ordine, sublimis est æstimatione. *Ibid.*, super illud : *Cum avertisset humerum suum*, etc.

46. Cœlestia desideria, spirituales virtutes in sublimi sunt : affectus autem terreni, concupiscentiæ sæculares in infimis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 3, super illud : *Surrexit et ascendit*, etc.

47. In sublimi posito detrimentum est, si majora non aggrediatur, sed in modicis constiterit. In *Apologet. de sua fuga.* S. GREG. NAZ.

48. Quanto sublimior ascensus est, tanto lapsus periculosior. Epist. 8, *ad Demetriad.* S. HIER.

49. Quanto quis humilior, tanto sublimior est. Epist. 26, *ad Pammach.*

50. Difficile, imo impossibile est, ut in utroque sæculo qui primus sit, ut in cœlo et in terra appareat gloriosus. Epist. 34, *ad Julian.*

51. Excelsa periculosius stant ; et citius corruunt, quæ sublimia sunt. In *Regula Monachor.*, cap. 24, *de Virt. humilitat.*

52. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum : non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. Lib. 13, super *Ezech.*, cap. 44.

53. Sunt quidam qui dum volunt terminos excedere, et ad alta volitare, in ima merguntur.

Lib. 1, super *Matth.*, cap. VI, can. 5, num. 49, super illud : *Respicit volatilia cœli.*

54. Nisi parva fuerint, magna eminere non possunt : ad summa non scandimus, nisi per ima gradiamur. Super *Epist. ad Eph.*

) A S. 'ORE.

55. Melius tibi est ut humilis sis, et videaris : quam sublimis et ignoreris. Super *Psalm.* CXVIII. cap. 72.

CARD.

56. Habet unde cadat, qui in alto est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 7.

ANNES 'SOST.

57. Qui humilis est, is ad veræ sublimitatis acumen volavit : amplectamur igitur humilitatem, si sublimes fieri desideramus. Homil. 66, super *Matth. oper. perf.*

58. Externa celsitudo, necessitatis atque timoris est; interior vero (quæ in humilitate consistit) celsitudini divinæ similis esse cognoscitur; quæ non solum appellatione ac nomine, sed reipsa sublimitas est. *Ibid.*

59. Sublimis esse dicitur aut proceritate corporis, aut quia in editiore loco sit collocatus. *Ibid.*

60. Sicut ramum arborum in excelso positarum, etiamsi levis aura flaverit, movet : sic et sublimes homines in culmine dignitatum existentes, etiam levis nuntii fama conturbat. Homil. 2, super *Matth. Oper. imperf.*

61. Si cupis sublimis esse, ne sis sublimis, et sublimis eris. Serm. 7, super *Epist. ad Philip.*

62. Nemo repente fit summus : sed a minimis quisque inchoat, ut ad majora perveniat. Apud D. Antonin., part 4, in prologo.

63. Si me humiliavero, tunc sublimis efficior. Homil. 25, super *Epist. ad Hebr.*

AN. ITH.

64. Gradus altior, ornatum altiorem requirit. *Prosec.*

65. Quanto altior gradus, tanto, si ruas, erit periculosior casus. Epist. I, *ad novum Presbyt.*

DORUS PAL.

66. Sæpe mens ad summa ab imis erigitur, et sæpe a summis ad infima pondere carnis inclinata reflectitur. Lib. 3, *de Summo bono,* cap. 15, sent. 11.

67. Quanto quisque amplius sæcularis honoris dignitate sublimatur, tanto gravius curarum ponderibus aggravatur : eisque magis mente et cogitatione subjicitur, quibus sublimitatis gradu præponitur. *Ibid.*, cap. 48, sent. 3.

68. Omne quod supereminet plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet.

69. Quanto quisque in superiori constitutus est loco, tanto in majori versatur periculo. *Prosec.*

70. Et quanto splendore honoris celsior quisque est, tanto si delinquat peccator major est. *Ibid.*, cap. 50, sent. 5.

71. In summo honore, summa sit humilitas : quamvis summus sis, humilitatem tene : quamvis sis sublimis potestatis, in te celsitudinem reprime. Non te extollat honor, præfide humilis culmen sublimitatis. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16.

LACT. FIRM.

72. Tanto quisque sublimior est, quanto justior. lib. 5, *de Divin. instit.*, cap. 16.

73. Coram Deo humilis et abjectus est, qui fuerit conspicuus et sublimis in terra. *Ibid.*

S. LEO I.

74. Quid tam insolitum, tam pavendum, quam sublimitas humili, dignitas non merenti? Serm. 2, *de Annivers. die assumpt. ejus ad Pontificat.*

MIN. FELIX.

75. Miseri ad hoc altius extolluntur, ut decidant altius. In *suo Octavio.*

S. NILUS.

76. Eum qui te sublimem extulit, confitere : ut in ea sublimitate permaneas. Orat. 8, *de Superb.*

PETRUS BLESENS.

77. Si altior, quam melior esse appetis : non præmium, sed præcipitium expectabis. Epist. 132. *ad quemdam Abbat.*

78. Pensate vos, qui estis positi in superlativo gradu hominum : si tantus est lapsus a gradu positivo, quam gravior est a superlativo ? *Ibid.*

S. PETRUS DAMIAN.

79. Culmen celsitudinis, occasio est peccandi. Lib. 1. Epist 20, *ad Cadaloum antipap.*

PHILO JUD.

80. Quanto sublimius teipsum extuleris, tanto citius gravioreque casu ad terram proprium tibi locum relaberis. Lib. *de eo quod deterius potiori,* etc.

PRUDENT. POETA.

81. Disce supercilium deponere, disce cavere.
Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.
In *Psychomach. De superb. et humilit. pugna.*

THOMAS A KEMPIS.

82. Nemo dignus est a Deo sublimari, nisi qui scit pro Deo vituperia pati. In *Valle lilior.*, cap. 17, sect 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLINIUS II.

83. Vide in quod fastigio collocaris. Lib. 1, epist. 17, *ad Octavium Rufum.*

SENECA.

84. Non altiori te rei imponas, in qua tibi stanti tremendum, ascendenti cadendum sit. *De quatuor Virt.*

## SUBSTANTIA.

COLLECTOR.

*Definitio.* Substantia est entis essentia, qua substat.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Quæ est substantia Dei ? ipsum quod Deus est, simplex, singulare, purum nulla concretione permixtum, lympidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum. Lib. *de Fide contr. Arianos*, cap. 4.

S. AUGUST.

2. Nullus motus sine substantia. *De Immort. animæ*, cap. 3.

3. Omnis substantia aut vivit, aut non vivit. *Ibid.*

4. Absit ut quod potest in corpore qualitas

creati corporis, non possit in seipsa substantia Creatoris. Epist. 57.

5. Cum sint omnes substantiæ naturaliter bonæ, ordo in eis laudatus honoratur, perversitas culpata damnatur. Epist. 20, cap. 2.

6. Quidquid in Deo intelligi potest, substantia est. *De fide et Symbolo*, cap. 9.

7. Nulla omnino est creatura, quæ non a Deo initium perfectionemque habeat substantiæ suæ. *De Genes. imperf.*, cap 4.

8. Sicut substantiam quæ movetur per tempus ita ipsam præcedit et locum præcedit substantia quæ tantum per tempus quæ nec per locum, nec per tempus. Lib. 8, *de Genesi ad lit.*, cap 20.

9. Præstantior est imago corporis in spiritu, quam ipsum corpus in substantia sua. *Ibid.*, lib. 12, cap 16.

10. Omnis substantia aut Deus, aut ex Deo. Lib. 3, *de Lib. Arb.*, cap. 13.

11. Substantiæ intelligibiles sensibilibus substantiis incorrupta veritatis lege præponuntur. *De duab. animab.*, cap. 6.

12. Substantiæ non per seipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua et ignis dicuntur sibi esse contrariæ. *De Natura et gratia.*

13. Corporis substantia in viris fidelibus, sive conjugatis, sive continentibus, templum Dei est. Lib. 1, *ad Nupt.*

**S. BERNARD.** 14. Plus concupiscentia mundi, quam substantia nocet. In *Declamat.*

15. Limosa et glutinosa nimis, non modo exterior, verumtamen interior substantia nostra videtur, et facile cor humanum omnibus quæ frequentat, adhæret. *Ibid.*

**S. BONAV.** 16. Temporalis substantia multis est nociva, et damnationis æternæ occasio. Lib. 2, *de Profectu relig.*, cap. 44.

**S. GREGOR. MAGNUS.** 17. Solet inter fratres major substantia discordiæ fieri gravioris causa. Lib. 1 *Moral.*, cap. 4.

18. Terrenum fundamentum est substantia carnis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 29, super illud *Job* IV : *Quanto magis hi, qui habitant*, etc.

19. Qui indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam a nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, et se peccato : hoc quod minus est obtulit auctori, et hoc quod majus est servavit iniquitati. *Ibid.*, lib. 19, cap. 14.

20. Terrena substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Homil. 37 super *Evang.*

**S. HIERON.** 21. Si habes substantiam, vende, et da pauperibus : si non habes, grandi onere liberatus es : nudum Christum nudus sequere, durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia. Epist. 4, *ad Rustic.*

**S. INNOC...** 22. Sicut in Christo sunt tres substantiæ in una persona, sic in Deo tres sunt personæ in una substantia. *Prosec.*

23. In tribus substantiis est aliud, sed non alius : in tribus autem personis est alius, sed non aliud. Serm. 2, *de Omnib. SS.*

**S. JOAN... CHRYS...** 24. Illic substantiam tuam colloca, ubi patriam habes; qui peregrinus es in hoc mundo. Homil. 15, super *Matth. Oper. imperf.*

25. Quæ est stultitia illic relinquere res suas unde exiturus es : et illuc non præmittere, quo iturus es? *Ibid.*

26. Humana substantia semper pauper est : et quantumvis homo habuerit, nihil se putat habere. *Ibid.*, homil. 33.

27. Illa substantia sola vera est, quæ omne desiderium satiat, et adhuc superabundat. *Ibid.*

28. Negotiatorum substantia non stabilis est : aut enim ipsis viventibus peritura est : aut a malis hæredibus dissipanda est, aut ad extraneos et inimicos ventura est. *Ibid.*, homil. 38.

29. Substantia hominis non est corpus, sed anima. *Ibid.*, homil. 25

30. Substantia substantiam superiorem nunquam perfecte intelligere potest, etiamsi parum interest. Homil. 5 *de Incomprehen. Dei natura.*

31. Ipsa Dei substantia ignoratur; non an sit, sed quid sit. *Ibid.*

32. Qua substantia constet Deus, nescimus. *Ibid.*, homil. 2.

**PETR. B...** 33. Auget inopiam multiplicata rerum temporalium substantia. Epist. 17, *ad Quemdam cleric.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

**ARISTO...** 34. Nulla substantiarum intellectivarum et naturalium existit, quin operetur, præter substantiam infimam et debilissimam, cujus actionem aliquam apparere est impossibile. Lib. 7, *Theolog.*, cap. 3.

Vide etiam tit. *Eleemosyna*, sent. 224 ; *Negotiatio*, sent. 46, 47 ; *Pastor*, sent. 82.

## SUFFICIENTIA.

**CLEM... ALE...** *Definitio.* Sufficientia est habitus quidam, qui ad suum finem pervenit ita ut neque quid desit, neque redundet; ejus mater est justitia, nutrix autem virtus. Lib. 2 *Pædagogi*, cap. 12.

**JOAN....** Sufficientia est temperantia circa appetitum habendi, qua quis non plus appetit, quam sufficiat. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Temperantia.*

SENTENTIÆ PATRUM.

**S. AM...** 1. Satis mihi est quod habeo ( alienum non requiro ) sive parum, sive multum habeam, mihi plurimum est. *Prosec.*

2. Sufficit mihi in quo sum, nec deest, nec su-

perfluit. Non deest, quia nihil quæro amplius; non superfluit quia non soli mihi habeo, sed pluribus. Lib. 2 *Offic.*, cap. 17.

ANTONIN. 3. Perfectum est cui nihil dest; nullus autem est in vita præsenti, cui non desit aliquid, et cui sufficiat quod habet. Part. 2, tit. 12, *de Infidelitate*, cap. 9, § 1.

4. Ad victum necessarium pauca suffliciunt, et paucis pauperes voluntarii sunt contenti. Part. 4, tit. 12, cap. 3, § 1.

AUGUST. 5. Quod saluti satis est, delectationi parum est. Lib. 10 *Conf.*, cap. 31.

6. Sufficientiam appeti non decet propter seipsam, sed propter salutem corporis. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 6.

7. Sufficientiam rerum necessariarum non propter seipsam quæri solet, cum decenter quæritur, sed propter necessitatem. *Ibid.*

8. Sufficientiam non indecenter vult, quisquis vult, nec amplius vult : alioquin non ipsam vult, et ideo nec decenter vult. *Ibid.*

9. Plus velle quam sat est, avarorum est : tantum autem sat est, quantum sibi exigit naturæ in suo genere conservandæ modus. Lib. , *de Lib. Arbit.*, cap. 17.

10. Sufficientia vel propria, vel amicorum, quamdiu temporalis est, pro æternæ vitæ adeptione abjicienda est. Epist. 121, cap. 7.

11. Quid ei sufficit, cui virtus felicitasque non sufficit? Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 21.

12. Plus homo appetendo minus est, qui dum sibi sufficere delegit, ab illo qui ei vere sufficit, defecit. *Ibid.*, lib. 14, cap. 13.

BASILIUS MAGNUS. 13. Paupertas cum sufficientia, omni fruitioni ac voluptati a modestis præfertur. Homil. 7, in *Hexam.*

BEDA. 14. Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet. In suis *Prov.*, verbo *Quod*.

OETIUS. 15. Si quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petas : paucis enim minimisque natura contenta est. Lib. 2, *de Consolat. Philos.*, prosa 5.

16. Naturæ minimum, avaritiæ nihil satis est. *Ibid.*, lib. 3, pros. 3.

BONAV. 17. Quid homini sufficit, cui conditor ipse non sufficit? In Collat. *de Contemptu sæculi.*

18. Duplex est sufficientia, indigentiæ et concupiscentiæ. Sufficientia indigentiæ sufficit sustentare naturam, ut possit ad serviendum Deo perdurare : et hanc sufficientiam natura docet. Sufficientia concupiscentiæ excedit mensuram, limites non habet, nisi impossibilitatis, hoc solum relinquit quod non sperat adipisci. Lib. 2, *de Profectu relig.*, cap. 45.

S. BRUNO. 19. Ille ditissimus est, cui sua sufficiunt. *De Novit. in Eccles.*, cap. 7.

S. CLEMENS ALEX. 20. Bona nutrix est charitas, quæ copiosum habet viaticum, nempe sufficientiam. Lib. 2 *Pædag.*, cap. 1.

21. Victus qui inundat et obruit sufficientiam, homini multum officit, animam segnem et inertem reddit, corpus vero valetudinarium, et quod in morbos facile prolabitur, efficiens. *Ibid.*

FRANCISCUS TITELMAN. 22. Nescit sufficientiæ rerum temporalium externam commoditatem, qui non aliquando passus est earum magnam indigentiam. In *Annot.*, super *Psalm.* LXX.

GILLEBERT. ANGLUS. 23. Numquid satis est? fortassis satis, sed laboranti, non satis amanti. Serm. 2, super *Cant.*

GLOSS. ORD. 24. Qui abundant in bonis spiritualibus, temporalia quantumcunque modica eis sufficiunt, imo pro divitiis computantur. Super *Psalm.* XXXII.

25. Sufficiat tibi quod habes, ne superflue quæras quod adipisci non vales. Super *Eccles.*, cap. 29.

S. GREGOR. MAGNUS. 26. Mira securitas est cordis, aliena non quærere, sed uniuscujusque diei sufficientia contentum manere. Lib. 15 *Moral.*, cap. 13.

S. HIERON. 27. Grandis exultatio animæ est, cum parvo contentus fueris. Lib. 2, *advers. Jovian.*

28. Victus et vestitus, divitiæ Christianorum est. Epist. 1, *ad Paulin.*

29. Accipe quod in ventrem mittas, non quod in sacculum : accipe tunicam, quæ corpus tegat, non quæ arcas impleat. Super *Psalm.* CXLV, vers. 5 : *Dat escam esurientibus.*

HUGO A S. VICTORE. 30. Detur delicato quod sufficiat, ne deficiat, non quo superbiat. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 18.

S. JOANNES CHRYSOST. 31. Nolimus superflua desiderare, sed sufficientiam, et sic semper ditabimur. Homil. 16, super I *Cor.*

32. Quæ superflua sunt, imminuenda, et sufficientia sola est amanda. Homil. 19, super II *Cor.*

33. Sufficientia divitiarum usum petit, sine quibus non licet vivere. *Ibid.*

34. Qui nihil ultra necessariam sufficientiam requirunt, in gratiarum actione vivunt, et in omni alacritate sunt et splendore. Homil. 1, super *Epist. ad Coloss.*

35. Qui supra quod est satis habent, non modo in ipsa sufficientia, sed et in necessariis quibusdam impediuntur. Homil. 7, *de Pœnit.*

36. Præsentibus pro sufficientia utamur, cœli erimus cives, et magna fulti fidentia. *Ibid.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 37. Paucis contentus esto, et simplicibus delectare. Lib. 1, *Enchir. parvulor.*, document. 12.

PETRUS BLESENS. 38. Incrementum non exigit quod satis est : opem extrinsecam sufficientia non mendicat, et

adjectione non indiget plenitudo. Epist. 86, *ad Alexandr. Carthus.*

39. Sufficientia est, quæ non inhiat quærendis, non incubat quæsitis, nec cruciatur amissis. *Ibid.*, serm. 31, *de S. August.*

40. Cui Christus sufficit, nihil deficit. *Ibid.*, tract. *de Hierosol. Peregrinat.*

PRUDENT. POETA. 41. Summa quies, nil velle super quam postulet usus
Debitus, ut simplex alimonia, vestis et una,
Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus.
In *Psychon. de avarit. et largit. Pugna.*

SALVIANUS. 42. Sive sexus, sive ætas, sive infirmitas, sufficientibus debet esse contenta; ut quidquid temporarium excedit usum, religiosum absumat officium. Lib. 2, *ad Eccles. Cathol.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 43. Sufficientia acquisitionis ad vitam bonorum, non infinita est. Lib. 1 *Polit.*, *quæst.* 5.

CATO POETA. 44. Commoda naturæ nullo tibi tempore deerunt,
Si contentus eo fueris, quod postulat usus.
Lib. 4 *Distichor.*, metr. 7.

CICERO. 45. Qui contenti sunt rebus suis, satis esse putant, quod est nihil, appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. *De Paradox.*, cap. 6.

46. Aperta res est, et quotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quamve vilibus. Lib. 5 *Tusc. Quæst.*

SENECA. 47. Cupiditati nihil satis est, naturæ satis est, etiam parum. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 11.

48. Necessariis rebus exilia sufficiunt, supervacuis nec regna. *Ibid.*

49. Se contentus est sapiens ad beate vivendum, non ad vivendum. Epist. 9.

50. Sufficit ad necessitatem id quod natura poscit. Epist. 90.

51. Nunquam parum est, quod satis est; nunquam multum est, quod satis non est: quod naturæ satis est, homini non est. Epist. 119.

52. Quid hac re impudentius, quid stultius? Nihil satis est morituris, imo morientibus. Epist. 120.

SIXTUS PHILOSOPH. 53. Stude tua sorte contentus esse. *Sent.* 324.

Vide etiam tit. *Ingenium*, sent. 45; *Luxuria*, sent. 97; *Mediocritas*, sent. 26; *Nutrimentum*, sent. 64; *Quærere Deum*, sent. 164; *Religio* seu *Congregatio*, sent. 72; *Voluptas*, sent. 6.

## SUFFRAGIA DEFUNCTORUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAGNUS. 1. Ad proximos, qui sunt in purgatorio, vera habenda est compassio, ut eos a tanta acerbitate pœnarum, quas sustinent, dignetur Deus eripere. In *Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtut.*, cap. 12.

S. ANTONIN. 2. Suffragia membrorum Ecclesiæ possunt prodesse membris indigentibus: quia vero post mortem non desinunt esse membra corporis, suffragia vivorum possunt prodesse. Part. 1, tit. 10, cap. 2, § 3.

3. Suffragium Ecclesiæ militantis est quasi baculum, quo sustentantur animæ, et consolantur in purgatorio, ut in eo auxilio perveniant ad triumphantem. Part. 3, tit. 32, cap. 2.

S. AUGUS. 4. Gratior est Deo pro fratre deprecatio, ubi sacrificium charitatis offertur. Epist. 126, *ad Antonium.*

5. Non negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. In *Enchirid.*, cap. 110.

6. Cum sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis offeruntur; pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis, propitiationes sunt. *Ibid.*

7. Nemo se speret, quod hic neglexerit (cum obierit) apud Deum promereri. *Ibid.*

8. Suffragia quibus prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. *Ibid.*

9. Ante mortem fieri debet, quod possit prodesse post mortem, non tunc quando recipiendum est, quod quisque gesserit ante mortem. *De Cura pro mortuis*, cap. 1.

10. Genere vitæ quod gessit quisque per corpus, efficitur ut prosint, vel non prosint, quæcunque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. *Prosec.*

11. Nam meritum, per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam. *Ibid.*

12. Etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur pro mortuis sacrificium: non parva hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum *Ibid.*

13. Cum recolit animus ubi sepultum sit charissimi corpus; et occurrit locus nomine alicujus martyris, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. *Prosec.*

14. Qui cum defunctis a fidelibus charissimis exhibetur, cum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. *Ibid.*, cap. 4.

15. Si aliqua necessitas vel humari corpora, vel in locis sanctis humari nulla data facultate permittat, non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum. *Ibid.*

16. Supplicationes faciendas pro omnibus in

Christiana societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcunque sub generali commemoratione suscepit Ecclesia : ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi. *Ibid.*

17. Ubicunque jaceat vel non jaceat defuncti caro, spiritui requies precibus est acquirenda. *Ibid.*, cap. 5.

18. O quam grandis crudelitas! o vere magna inhumanitas! ecce infirmus jacet et clamat, et a medicis consolatur : clamat porcus, et omnes cum eo clamare non cessant : cadit asinus, et omnes eum sublevare festinant; sed clamat in tormentis fidelis et non est qui respondeat. Serm. 44, *ad Fratr. in eremo.*

19. Ora pro defunctis, ut cum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant. *Ibid.*

20. Clamant quotidie qui jacent in tormentis; clamant, et pauci sunt qui respondeant : ululant, et non est qui consoletur eos. *Ibid.*

21. Pro defunctis semper orandum est, etsi non proficiet eis, quia beati vel damnati sunt, oratio in sinu nostro convertetur. *Ibid.*

22. Orationibus sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari : ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. *Prosec.*

23. Hoc enim a Patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.

24. Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur?

25. Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Serm. 32, *de Verbis Apostoli.*

26. Ubi religiosus amicus elegit humare quem diligit, nullo modo debet a supplicationibus necessariis in ejus commendatione cessare. *De Cura pro mortuis*, cap. 5.

27. Oblationes pro spiritibus dormientium, vere aliquid adjuvare credendum est. Epist. 64.

28. Præstare digneris defunctis fidelibus absolutionem, et requiem sempiternam. Lib. *Medit.*, cap. 40.

S. BERNARD. 29. Compassionem mortuis debemus et orationem, qui in locis purgatoriis patiuntur. Serm. *de triplici genere bonorum.*

30. Pro illis vigilandum est in orationibus, et subveniendum sacrificio singulari, qui in locis purgatoriis emundantur. Serm. *de S. Nicolao.*

31. Animabus purgandorum defunctorum maxime prosunt suffragia. Serm. *de Animabus.* S. BONAV.

32. O qualis et quanta mendicitas fidelium in purgatorio! mendici sunt, et tamen mendicare non licet, nisi quod pro eis mendicat Ecclesia. *Prosec.*

33. Quanto mendicitas major est, tanto in subveniendo pietas virtuosior esse debet. *Ibid.*

34. Suffragia prosunt mortuis, non quibuscunque, sed mediocriter bonis, ut pote, illis qui sunt in purgatorio : non valde malis, scilicet illis qui sunt in inferno : nec valde bonis, scilicet his qui sunt in cœlo. In *Breviloq.*, part. 7, cap. 3.

35. Cum ratione severitatis justitiæ, justi in quibus est reatus culpæ debeant post hanc vitam in purgatorio tormentari, debent etiam ratione suavitatis misericordiæ relevari, et auxilium per suffragia accipere. *Ibid.*

36. Suffragia, quæ communiter fiunt pro defunctis, licet omnibus bonis valeant pro modulo suo, his tamen amplius valent, qui magis meruerunt, ut sibi valerent et prodessent, dum erant in statu viæ. *Ibid.*

37. Suffragia quæ specialiter fiunt pro aliquibus, quia intentio facientis est recta, et secundum Deum procedit : ideo plus valent illis pro quibus determinate fiunt, licet etiam aliis aliquo modo communicentur. *Ibid.*

38. Suffragia, quæ communiter pro defunctis fiunt, quamvis pro modulo suo omnibus prosint, illis tamen amplius, qui dum essent in vita, magis meruerunt ut sibi prodessent. Lib. 7, *Compend. theolog. verit.*, cap. 5.

39. Defunctis fratribus, andito eorum transitu, quam citius possunt quique subveniant, et debitum obsequium solvere, nulla occasione postponant : talia enim suffragia, non absque pertimescendæ offensæ periculo negliguntur. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 3.

40. Prosunt et preces pro his, qui decesserunt. S. EPIPHAN.
Hæres. 75, *contra Aerium.*

41. Illa quæ adjuvant spiritus defunctorum, GLOSS. ORD.
scilicet oblationes, erogationes, multo pro eis observantius abundantiusque homines impendant. Super I *ad Thessal.*, cap. 4.

42. Illis sacræ victimæ mortuis prosunt, qui S. GREGOR.
hic vivendo obtinuerunt : ut eos etiam post mor- MAGNUS.
tem bona adjuvent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 57.

43. Inter hæc autem pensandum est quod tutior sit via ut bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum vivit

per se : beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere. *Ibid.*, cap. 58.

44. Si culpæ post mortem insolubiles non sunt multorum solet animas, etiam post mortem, sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare : ita ut hanc aliquando ipsæ defunctorum animæ expetere videantur. *Ibid.*, lib, 4, cap. 55, verbo *Si culpæ.*

S. HIERON. 45. Dum pro cunctis animabus psalmus vel missa dicitur, nihil minus quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 3, *de Consecrat.*, dist. 5, can. *Non mediocriter.*

HUGO A S. VICTORE. 46. Omnis ei consolatio post hanc vitam denegabitur, qui defunctis in hac vita minus suffragatur. Lib. 1, *Miscellan.*, codic. 2.

HUGO CARD. 47. Major est misericordia, quæ fit cum mortuis, quam quæ fit cum vivis : quia vivi aliquo modo possunt se juvare, mortui non possunt. Super *Ruth.*, cap. 3.

48. Suffragia Ecclesiæ non prosunt damnatis; baptizatus cum decedit aut est in mortali, et sic ei non sunt adjuvamenta suffragia : aut decedit in charitate, et tunc aut non indiget suffragiis, quia statim evolat, et sic sunt pro eo gratiarum actiones : aut indiget, et sic sunt pro eo propitiationes. Super II *Cor.* v.

S. JOANNES CHRYSOST. 49. Orandum est, ut defunctus requiem adipiscatur, et ut propitium judicem inveniat. Homil. 35, super *Matth. Oper. perf.*

50. Putas defunctum maculis iniquinatum abisse? da sibi sua, ut illis se a maculis detergat : putas in justitia ipsum decessisse? præbe sibi tua, ad mercedis et retributionis adjectionem *Ibid.*

51. Si multæ barbaræ gentes una cum defunctis res eorum cremare solent, quanto æquius defuncto tu filio tuo tradere potes : non ut in cinerem redigantur, sed ut gloriosum magis illum reddant? *Ibid.*

52. Honor mortuo, non fletus est : non ejulatus, sed hymni et psalmi et vita optima : si vis mortuum honorare, fac eleemosynas. Homil. 61, super *Joan.*

53. Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ, hæc omnia Spiritus sanctus, volens ut nos mutuos juvemus. Homil. 21, super *Acta Apost.*

54. Non est temere excogitatum, prece, supplicationibus, eleemosynis et oblationibus mortuos juvare : nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebrare; aut accedere, ut his consolatio hinc aliqua fiat. Homil. super I *Cor.*

55. Nec temere qui altari, inter horrenda mysteria clamat, pro omnibus in Christo dormientibus,et pro his qui memoriam celebrant illorum nam nunquam ista fierent, si pro illis commemorationes non essent faciendæ. *Ibid.*

56. Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipsis offerendo communis totius orbis victima optimæ preces sunt. *Ibid.*

57. Non temere ab apostolis hæc sancita fuere, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Homil. 69, *ad Popul. Antioch.*

58. Juvetur defunctus non lacrymis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus. Homil. 41, super I *Cor.*

59. Non frustra ab apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt : noverunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis. Serm. 3, super *Epist. ad Philipp.*

60. Pauperibus defunctorum nomine dare, illis non nihil refrigerii accedit. *Ibid.*

61. Quemadmodum pro vivis oramus, ita et pro mortuis orari potest. *Ibid.*

62. Non inconsiderate ac temere, nec sine ratione pro defunctis orare, ab apostolis est institutum. In *Orat. pro defunctis.* S. JOANNES DAM

63. Id perspicuum est defunctis, etiam post mortem, preces eas ac missas et eleemosynas, quæ pro illis fiunt, magnopere prodesse. *Ibid.*

64. Nos debemus libenter pro omnibus fidelibus defunctis orare : quia hoc opus summæ charitatis est et misericordiæ. *Prosec.* JOAN. GERS.

65. Propter quod, dilectissime, meipsum et te pariter admoneo, ut pietatis oculum frequenter dirigamus ad memoriam defunctorum, ut quidquid pro eorum absolutione novimus prodesse, devota exequamur festinatione.

66. Consideremus quam gravi tenentur tormento, et quod nisi purgati fuerint, ad requiem transire non possint : etenim consolatio, maxime in Christi meritis et sanctorum suffragiis et fidelium constat oblationibus.

67. Quotiescunque ad perceptionem corporis Christi te præparas, et perceptum tecum habes, esto quæso memor fidelium defunctorum : et implora tanto ardentius misericordiam Dei, quanto certius retines in te pignus æternæ redemptionis.

68. Sæpe de mane, sæpe de vespere charissimorum tuorum recogita obitum, quomodo se habeant, et quomodo aliquid facias pro eis, quod ipsis potest prodesse, et tibi non obesse.

69. Nunquam cibum corporalem sumas, nisi prius fidelibus defunctis aliquam spiritalem eleemosynam mittas. Epist. *de pia Memor. defunctor.*

70. Oremus pro charis nostris, quia post modicum ipsos sequimur, et cum melius habuerint

omnino in eadem necessitate recordabuntur nostri. *Ibid.*

71. Nullus est christianorum, quin satis credere possit aliquos esse amicorum suorum in purgatorio detentos. Quare devoti homines, adjuvate animas parentum et amicorum vestrorum, qui defuncti sunt, et in carcere purgatorii relegati. Serm. 2, *pro Defunctis.*

ISIDORUS HISPALENS.

72. Hic est Christianæ miserationis affectus, ut pro uno quoque mortuo sacrificium Deo offeratur. Lib. 3, *de summo bono*, cap. 62.

73. Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quod ab Apostolis traditum sit. *Prosec.*

74. Hoc enim catholica Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus, vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. Lib. 1, *de Offic. Eccles.*, cap. 18.

LUDOVICUS BLOSIUS.

75. Mitte fidelibus animabus, quæ in pœnis purgatorii adhuc detinentur, spirituales eleemosynas orationum. In *Speculo spirit.*, cap. 3.

PETRUS BLESENS.

76. Memoria mortuorum agitur, ut hi qui in purgatorio poliuntur, plenam consequantur absolutionem, vel pœnæ mitigationem. Serm. 35, *Omn. SS.*

PETRUS DAMIANUS.

77. Quisquis perhibet orationes oblationes, sacrificia pro defunctis prodesse non posse, hic profecto hæreticus esse convincitur. Lib. 5, epist. 1, *ad Andræam.*

78. Orationes et suffragia sunt alimenta defunctorum. *Opusc.* 33, cap. 55, in titulo.

79. Sacræ oblationis hostia, refectio creditur esse defunctis. *Ibid.*, cap. 5.

80. Suffragia defunctorum : Pro his, qui in cœlo sunt, non est orandum : quia eos, non pro eis orare debemus ; pro his, qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces, quibus clausa est misericordiæ janua, et totius spes interclusa salutis ; pro illis tantum vigilandum est in orationibus, et subveniendum sacrificio singulari, qui locis purgabilibus emundantur, ut benignus Pater pœnitentiam eorum in satisfactionem, satisfactionem in glorificationem cito convertat. Serm. 59, *de S. Nicol.*

B. PETRUS LOMBARD. MAG. SENTENT.

81. Qui sine fide operante per dilectionem, ejusque sacramentis de corpore exierunt, frustra illis post mortem a suis pietatis officia impenduntur ; cujus dum hic essent, pignore caruerunt. Lib. 4, *Sent.*, dist. 45.

ROBERTUS BELLARM.

82. Optimum atque utilissimum est, mortuorum animis opem ferre. Conc. 1, *de Morte*, part. 2.

83. Fructuosius omnino est mortuis, quam viventibus opem ferre. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS.

84. Opera quæ fiunt, prosunt mortuis propter unionem charitatis et fidei : et ideo non prosunt, nisi illis qui decedunt cum charitate et fide. Super I *Cor.*, cap. 15.

85. Bona opera valent mortuis non solum ex vi charitatis, sed etiam ex intentione facientis. *Ibid.*

86. Suffragia vivorum auxilio sunt eis, qui in purgatorio detinentur, cum opera unius possint valere alteri ad satisfactionem. In *Supplement.*, quæst. 71, art. 6.

87. Convenienter Augustinus posuit tria præcipua subsidia vivorum pro mortuis : Eucharistiam, eleemosynam, et orationem. *Ibid.*, art. 9.

88. Suffragia vivorum prosunt defunctis secundum quod uniuntur viventibus in charitate, et secundum quod intentio viventis fertur in mortuos. *Ibid.*

89. Illa opera præcipue nata sunt mortuis, suffragari, quæ maxime ad communicationem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis ad alterum. *Ibid.*

90. Suffragia pro uno defuncto facta, aliis prosunt ratione charitatis, qua bona fiunt bonis communia : ratione vero intentionis, magis ei pro quo fiunt prosunt ; imo soli, si solum ratio dimissionis pœnæ habeatur. *Ibid.*, art. 12.

91. Debemus eis subvenire, qui sunt in purgatorio. Nimis esset durus, qui non subveniret charo suo, qui esset in carcere terreno : multo ergo magis est durus, qui non subvenit amico qui est in purgatorio, cum nulla sit comparatio pœnarum mundi ad illas. Opusc. 6, super *Symbol. Apost.*, art. 5.

THOMAS A KEMPIS.

92. Damnatos nulla suffragia sanctorum, nulla valebunt adjuvare beneficia amicorum. Serm. 6, *ad Fratr.*, divis. 3.

93. Qui pro fidelibus defunctis missas celebrat, et vigilias legit, cum Jesu ad monumentum Lazari transit. In *Hortulo rosar.*, cap. 17, sect. 3.

94. Per Beatæ Mariæ gloriosa merita juvantur, qui in purgatorio sunt et in terra. *De Discipl. claustr.*, cap. 14, sect. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

[illegible]

95. Justius est hominibus vita functis opem ferre, quam vivis : quia vivi præsidio esse possunt illi defuncti nihil præterea possunt. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 9.

96. Justitia est vita jam functis debitum præstare. Lib. 1, *de Virtutib.*, cap. 4.

SENECA.

97. Defunctorum memoria jucunda est : defunctorum cogitatio dulcis ac blanda est. Epist. 63.

98. Oblivisci suorum, ac memoriam cum corporibus efferre, et effusissime flere, meminisse parcissime, inhumani animi est. Epist. 99.

## SUFFRAGIA SANCTORUM.

*Vide* INTERCESSIO.

## SUPERBIA.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Superbia dicitur a *super* et *eo*, quasi supra se iens. Serm. Sexages.

S. ISIDORUS HISPAL. Superbus dictus est, quia vult super videri quam est : qui enim vult supergredi quod est, superbus est. Lib. 10, *Etym.*, verbo *Superbus.*

S. ANSELM. *Definitio.* Superbia est perversæ celsitudinis appetitio. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.

S. BONAV. Superbia est amor vel appetitus propriæ excellentiæ. In *Declarat. terminor. theologiæ*, verbo *Peccatum.*

HUGO A S. VICTORE. Superbia est singularis excellentiæ tumentisque animi super omnes cœtus quædam gloriæ et supereminentiæ appetitio. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 3.

S. THOMAS AQUINAS. Superbia est qua homo contra rectam rationem cupit supergredi modulum suæ conditionis. 2, 2, *Quæst.* 162, art. 1.

JOAN. CLIM. *Descriptio.* superbia est divitiarum, virtutis, suorum perditio. Gradu 22.

Superbia est Dei abnegatio, inventio dæmonum, aspernatio hominum, condemnationis mater, sterilitatis augmentum, laudum progenies, divini adjutorii expulsio, stuporis præcursor, lapsuum ministra, casus materia, iracundiæ fons, simulationis janua, firmamentum dæmonum, delictorum custos, sævitiæ et crudelitatis artifex. *Ibid.*

Superbia est animæ suprema inopia, dum illa divitias imaginatur, lucemque esse in tenebris existimat. *Ibid.*

uperbia est fastus oblivionem peccatorum ingerens. *Ibid.*, etc.

S. MAXIMUS MART. Superbia est arrogantiæ, vanæque gloriæ permixtio. *Centuria* 5, *de Virt. et vitio*, cap. 7.

S. NILUS. Superbia est animi tumor sanie plenus, qui si maturuerit in magnum erumpit fœtorem. Orat. 8, *de Superb.*

S. AMBROS. *Productio.* Sive in lapsu diaboli, sive in prævaricatione hominis, initium semper est superbia. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem.*

S. AUGUST. Superbia est noverca virtutum, mater vitiorum, porta inferni, magistra erroris, caput diaboli, vitiorum principium. Serm. 31, *ad Fratr. in eremo.*

S. BONAV. Ista quatuor sunt causa superbiæ : multum posse, multum habere, multum scire, multum credere se valere. Serm. 1, *de sancto Marco.*

Initium omnis peccati semper superbia est, quæ natione cœlestis, sublimium mentes inhabitat, sub cinere et cilicio latitans. Lib. 2 *Pharetræ*, cap. 6.

CASSIODO Ex superbia nascitur quidquid morum pravitate peccatur. Super *Psalm.* XXX.

Radix cuncti mali, et vitiorum regina, superbia est. *Prosec.*

S. GREGO MAGNUS Septem enim principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur : scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Lib. 31 *Moral.*, cap. 17, super illud Job XXXVIIII : *Exhortationem ducum*, etc.

HUGO A VICTORE Superbiæ comites sunt : Luxuria, ventris ingluvies, avaritia, tristitia, ira, invidia, vana gloria. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 3.

S. JOAN. C Superbia malorum omnium dux, princeps, et consummatio est. Gradu 21.

Initium superbiæ est inanis gloria, medium vero despectio proximi ; et laborum suorum impudens divulgatio, laudis amor : finis autem, est abnegatio divini adjutorii, propriique studii elatio, confidentia, et dæmoniacus mos. *Ibid.*, gradu 22.

JOAN. SA Superbia radix omnium malorum est ; mortisque fomentum. Arescunt rivuli, si fontis vena præscinditur ; nec rami convalescunt radice succisa. Deficiunt vitia, si elatio jugulatur. Lib. 3, *de Nugis curial.*, cap. 3.

S. LEO I Pestilens mater est superbia, cujus crudelissimæ filiæ sunt invidia et inanis gloria. *Adversus Præsumptiones Michaelis et Leonis Acridani episcoporum*, cap. 38.

S. VINCEN FERRAR Superbia est fundamentum omnium peccatorum. Serm. 1, *Dom.* 1 *Adventus.*

S. ISID. HISP. Principalium septem vitiorum regina et mater, superbia est. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 37, sent. 8.

Superbia sicut origo est omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum : ipsa est enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrena. *Ibid.*, cap. 38, sent. 7.

De superbia nascitur arrogantia, non de arrogantia nascitur superbia. *Ibid.*, cap. 38, sent. 9.

S. ANTONI DE PADUA *Comparatio.* Sicut in corde principium est venarum, et prima virtus creans sanguinem : sic a cordis superbia procedit omne malum. Serm. *Dom.* 3 *Quadrag.*

S. BONA Sicut fumus magis ascendendo deficit, sic superbus plus exaltatus plus evanescit. Tit. 1, *Diætæ*, cap. 3.

Sicut aranea se eviscerat texendo telam, ut muscas capiat, sic superbus perdit animam, ut capiat laudem humanam. *Ibid.*

CASSIODO Sicut superbia mergit ad tartarum, ita humilitas

tollit ad cœlum. Super *Psalm.* CXVIII, vers : *Bonum mihi quia humiliasti me.*

HUGO CARD. Sicut nubes rore et aquis concrescunt, ita superbia crescit ex divitiis. Super *Isaiam*, cap. 59.

S. BERNARD. *Superbiæ indicia.* Signa superbiæ hæc sunt : Clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, honestas in imagine, inhonestas in actione, rancor in reprehensione. *De inter. Domo*, cap. 41.

S. PROSPER. 1. Hi quos superbæ mentis tabes purulenta corruregit, seniorum suorum non observant imperata.

2. Judicant de suis negligentiis objurgati, aut rebellant insolenter, aut murmurant.

3. De loco superiori disceptant.

4. Præferri se etiam melioribus impudenter affectant.

5. Simplicitatem spiritualium fratrum irridentes exagitant.

6. Suas sententias procaciter jactant.

7. Obsequia delata fastidiunt, negata pertinaciter quærunt.

8. Natales moribus anteponunt.

9. Juniores suos elati despiciunt.

10. Conferri sibi aliquos posse non credunt.

11. Æquari senioribus dedignantur, super eos se solo animi tumore constituunt.

12. Non servant in obsequio reverentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam.

13. Habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermone jactantiam.

14. In humilitate sunt fallaces, in jocatione mordaces, in odio pertinaces.

15. Subjectionis impatientes, potentiæ sectatores, omnibus bonis odibiles.

16. Ad opus bonum pigri, ad communionem seri, ad obsequium duri.

17. Ad loquendum quod nesciunt prompti, ad supplantandum parati, ad omnia quibus subsistit fraterna societas inhumani.

18. Temerarii in audendo, clamosi in loquendo, fastidiosi in audiendo, præsumptuosi in docendo.

19. Efferati deformiter in cachinno, onerosi amicis, infesti quietis, ingrati beneficiis, inflati obsequiis, et imperiosi subjectis. Hæc sunt superbiæ grassantis indicia, quibus Deus offenditur et recedit, ac superba corda destituit. His malis diabolus pastus exultat, invitatur ut veniat, snperbas mentes intrat ut teneat; erigit ut elidat, fovet ut perdat. Lib. 3. *de Vita contemplativa.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quid tam superbum, quam cum ipsi inflati superbia sub peccato sint, alios indigne ferant peccatores vivere? Lib. 1, *Offic.*, cap. 14.

2. Malum superbiæ maxime virtutibus est cavendum quia nullis opportunius insidiatur quam quibus laus justa debetur. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem.*

3. Nolle habere quæ Dei sunt, et ibi suum constituere meritum, ubi divinum cessarit auxilium, hæc superbia omni peccato nocentior, omni genere est elationis insanior. *Prosec.*

4. A quibuslibet enim lapsibus delictorum facile surgitur, quando opem a reparatore suo poscit elisus, huic autem ruinæ nihil subvenit.

5. Quia difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut etiamsi intellexerit, non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur. *Ibid.*

6. Superbia proprio subjecto nocet ; nam bona de se convertit in mala : unde de vita moritur, de sanitate ægrotat, de medicina interficitur, et a mortuo occiditur. Part. 2, titulo 3, cap. 3, § 1. S. ANTONIN.

7. Cum se noverit diabolus per superbiam cœlitus fuisse dejectum, ideo eos, qui pervenerint in magnam mensuram, aggreditur per superbiam. Epist. 2, *ad Fratres.* S. ANTONIUS ABB.

8. Superbus conculcat, contemnit, subsannat. Conculcat inferiorem, contemnit æqualem, subsannat superiorem. Serm. *Quinquag.* S. ANTONIUS DE PADUA.

9. Solet contingere, ut qui occultam superbiam non cognoscit, eamdem per luxuriæ vitium cognitam erubescat. Serm *Dom.* 3, *Quadrag.*

10. Superbia divini amoris calorem, et æterni luminis atque veritatis aufert claritatem. *Ibid.*

11. Diabolus tanquam lupus, quidquid presserit pede superbiæ, occidit. Serm. *Dom.* 2, *post Pascha.*

12. Si superbia non esset, non essent hæretici, neque schismatici. *De Vera Relig.*, cap. 25. S. AUGUST.

13. Superbia in recte factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Epist. 56, *ad Dioscorum.*

14. Sicut inter ignem et aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo, nec demergatur : sic inter apicem superbiæ et voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus. Epist. 81, *ad Eudoxium abbat.*

15. Superbia odit consortium ; et quantum in ipso est, solus cupit eminere omnis superbus. Epist. 120, *ad Honoratum*, cap. 16.

16. Cum seipso sibi quasi suo bono animus gaudet, superbus est. Epist. 56, *ad Dioscor.*

17. Nullum vitium est, cui magis divina lege resistitur, et in quod magis accipiat dominandi jus ille superbissimus spiritus, quam superbia. Lib. 4, *de Trinit.*, cap. 15.

18. Quæ superbia sanari potest, si humilitate filii Dei non sanatur? *De Agone christ.*, cap. 11.

19. Superbiam conculcet profunda humilitas :

quia humilitas homines sanctis angelis similes facit, et superbia dæmones ex angelis fecit. *De Salut. docum.*, cap. 18.

20. Superbia est omnium peccatorum initium et finis, et causa : quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum esse potuit, aut potest, aut poterit sine superbia. *Ibid.*, cap. 19.

21. Superbia et cupiditas in tantum est unum malum, ut nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit cupidus inveniri. *Ibid.*, etc.

22. Superbus est Deo odibilis, et diabolo similis. *Ibid.*, cap. 22.

23. Humilis licet habitu vilis sit, gloriosus tamen est virtutibus apud Deum : superbus autem, etsi decorus et clarus videatur aspectu, tamen apud Deum operibus vilis est. *Ibid.*

24. Et verbis, et gestis, et vultu, et incessu, semper superbi dignoscitur superbia et levitas. *Ibid.*

25. Non est superbia vitium dantis potestatem, vel etiam potestatis ipsius, sed animæ perverse amantis potestatem suam, potentioris justitia contempta. Lib. 12, *de Civit. Dei*, cap. 8.

26. Superbia quærit in alium referre, quod perperam fecit : nusquam hic sonat petitio veniæ, nusquam imploratio medicinæ. *Ibid.*, lib. 14, cap. 14.

27. Sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus. *Ibid.*, lib. 19, cap. 15.

28. Tanto quisque caveat ne superbia decipiatur, quanto sanctius aliquid profitetur. *De sancta Virginit.*, cap. 56.

29. Superbia perverse imitatur Deum; odit namque cum sociis æqualitatem sub illo, sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 12.

30. Superbiam sequitur invidentia, tanquam filia pedissequa : eam quippe superbia continuo parit, nec unquam est sine tali prole atque comite. *De sancta Virginit.*, cap. 31.

31. Superbiæ et invidentiæ, diabolus præest. *Ibid.*

32. Quæ gravior offensio, quam ut superbia illi displiceas, qui pro te superbis displicuit? *Ibid.*, cap. 38.

33. Vitiorum omnium humanorum causa, superbia est. Lib. 2, *de peccator. Meritis et Remiss.*, cap. 17.

34. Cætera vitia tantum in malefactis valent, sola autem superbia etiam in recte factis cavenda est. *De Natura et Gratia*, cap. 27.

35. Multa peccata per superbiam committuntur, sed neque omnia superbe fiunt, quæ perperam fiunt : certe a nescientibus, certe ab infirmis, certe plerumque a flentibus et gementibus. *Ibid.*, cap. 29.

36. In qua magis parte humilitas collocanda est? sine dubio falsitatis (si in ea quæ veritatis probatur esse) superbia est. *Ibid.*, cap. 34.

37. Et mundabor a delicto (maximo) quo alio nisi superbiæ? non enim est majus delictum quam apostatare a Deo, quod est initium superbiæ hominis, et vere ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. *Exposit.* 1 super *Psalm.* XVIII, vers. 14.

38. Delictum magnum arbitror esse superbiam, quod dejecit angelum, quod ex angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit regnum cœlorum. *Ibid.*, *expos.* 2.

39. Erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. *Ibid.*

40. Primum peccatum superbia est, ultima pœna est ignis æternus, aut ignis infernus jam damnatorum. Super *Psalm.* LVII, vers. 8.

41. Omnia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus metuenda est. Super *Psalm.* LVIII, conc. 2, vers. 15.

42. Terrenæ felicitatis regnum superbia est. Super *Psalm.* LXXXI, vers. 5.

43. Superbus, quod pejus est, justum se vult videri, cum non sit : et quia justitiam diligere difficile est, difficile est superbos agnoscere. Super *Psalm.* CXXI, vers. 4.

44. Ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est angelorum. Tract. 95, super *Evang. Joan.*, de cap. XVI.

45. Væ homini, cujus auriga superbia est : necesse est enim ut præceps eat. Tract. 8, super *Epist. Joan.*, de cap. IV,

46. Servo Dei cui surrepserit superbia, continuo ibi est et invidia : non potest superbus esse, et non invidus. *De Verb. Dom.*, serm. 53.

47. Prior est in vitiis superbia, deinde invidia : non enim invidia peperit superbiam, sed superbia peperit invidiam : non invidet, nisi amor excellentiæ, amor excellentiæ superbia vocatur. *Ibid.*

48. Ubi inflatio, inanitas est : diabolus ubi inane invenerit, nidum facere molitur. *Ibid.*

49. Superbia fallax infirmorum est magnitudo, quæ ubi mentem possederit, erigendo dejicit, inflando evacuat, distendendo dissipat. Homil. 20, *ex Quinquaginta homil.*

50. Superbus Deum negligit, diabolo servit, verba divina despicit, vana et inutilia diligit, falsas suggestiones amat, instinctiones divinas recusat. Serm. 62, *ad Fratr. in eremo.*

51. Dum superbus terrena sequitur, fugiunt ab eo cœlestia : dum transitoria concupiscit, æterna amittit. *Ibid.*

52. Superbus altiorem se cæteris existimat, etiamsi omnium inferior existat. *Ibid.*, serm. 67.

53. Superbiæ vitio nihil est immanius. Lib. 2, *contra Academ.*, cap. 8.

54. Superbiæ diaboli accessit invidia, ut hanc superbiam homini persuaderet, per quam sentiebat se esse damnatum. Lib. 3, *de Lib. Arb.*, cap. 25.

55. Nihil est superbia aliud, nisi deserto secreto conscientiæ, foris videri velle quod non est. Lib. 2, *de Gen. contra Manich.*, cap. 5.

56. Mater omnium hæreticorum, superbia est. *Ibid.*, cap, 8.

57. Generalis amor actionis, quæ avertit a vero, a superbia proficiscitur. Lib. 6, *de Musica*, cap. 13.

58. Homo fit superbus, cum suæ potestatis vult esse. Lib. 2, *de Lib. Arbit.*, cap, 19.

59. Superbus a se longe facit Deum, non locorum spatio, sed mentis affectu. Lib. 6, *de Musica*, cap. 13.

60. Est superbiæ peccatum quod homines latet, quando etiam in factis laudabilibus possit obrepere. *Annot. in Job*, cap. 10.

61. Per superbiam elati in alto more nivis congelascunt et cadunt. *Ibid.*, cap. 38.

62. Sunt homines dæmonibus similes superbia non scientia. Lib. 9, *de Civit. Dei*, cap. 20.

63. Superbus angelus per superbiam a Deo ad semetipsum conversus, de spiritali paradiso cecidit. *Ibid.*, lib. 14, cap. 11.

64. Superbia ejicimur, humilitate regredimur. Caput omnium morborum superbia, quia caput omnium peccatorum superbia. Tract. 25, super *Joan.*

65. Cura superbiam, et nulla erit iniquitas. *Ibid.*

66. Superbia expulit eos, qui non potuerunt stare : non enim mittit foras, nisi superbia. *Ibid.*

67. Intima projicit superbus, intima appetit humilis. *Ibid.*, tract. 25.

68. Spiritus hujus mundi facit superbos. Homil. 14, *ex Quinquag. homil.*, cap. 6.

S. BASILIUS MAGNUS.

69. Ne superbias, ne te efferas : ne infleris dum laudaris, ne glorifices teipsum, neque magnum quid esse teipsum puta. Homil. 10, in *Hexam.*

70. Superbus cum sit Deo odibilis, diabolo similis est. In *Admonit. ad filium spirit.*

71. Superbus homo etsi decorus videatur aspectu et clarus, tamen inutilem eum manifestant opera ipsius. *Ibid.*

S. BASILIUS SELEUC.

72. Superbia arx est ægritudinum, Deum bello petit, ad naturam pertinentia ignorat, diaboli morbo jactatur, virtutis cursus inutilis efficitur. Orat. 35.

V. BEDA.

73. Superbia sola corrumpit omnia bona. In suis *Proverb.*, verbo *Superbia.*

S. BERNARD.

74. Septempliciter occupat nos lepra superbiæ : in proprietate possessionum, in gloria vestium, in voluptate corporum ; in ore quoque dupliciter, similiter et in corde. Serm. 3 *Paschæ.*

75. Est superbia cordis, superbia oris, superbia operis, superbia habitus. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est, superbia oris vel linguæ, quæ et jactantia dicitur, est quando homo non solum magna de se sentit, sed etiam loquitur ; superbia operis est, quando homo exteriori quadam superbia, ut magnus appareat, agit ; superbia habitus est, quando homo ut gloriosus videatur, pretiosis se ornat vestibus. Serm. 3, *de parvis Serm.*

76. Superbia de supernis ad ima præcipitat, humilitas de imis ad superna elevat ; angelus enim in cœlo superbiens, ad tartara corruit : homo in terra se humilians, ad cœlos ascendit. Serm. *de Donis Spirit. sancti*, cap. 2.

77. Trabs in oculo grandis et grossa, superbia in mente est ; quæ quadam corpulentia sui vana, non sana, tumida, non solida, oculum mentis obscurat, veritatem obumbrat. *Prosec.*

78. Si trabs ista tuam occupaverit mentem, jam tu te videre, jam te talem qualis es, vel qualis esse potes, non poteris sentire : sed qualem te amas, talem te vel putes esse, vel speres fore. *De Grad. humilit.*, verbo *Inquirimus.*

79. Quid facit superbia sub pannis humilitatis Jesu ? laborat cum Christo, sed cum Christo non regnat : sequitur Christum in paupertate sua, sed in gloria non sequitur. In *Apolog. ad Guillelm. abbat.*, cap. *Venerabilis.*

80. Superbia et cupiditas in tantum est unum malum, ut nec superbia sine cupiditate, nec cupiditas sine superbia esse possit. Serm. 37, *ad Sororem.*

81. Gravis labor superbia : hæc est quæ non recipit disciplinam, curari non renuit, medelam non sustinet ; ulcus pessimum, quod ne summis saltem digitis patitur attrectari. Lib 6 *Florum*, cap. 15.

S. BONAV.

82. Timendum superbis, si enim in monte cœli stare non potuit angelus superbus, quomodo ascendere potest homo superbus ? Serm. 1, *Dom.* 3 *Quadrag.*

83. Quid homo superbis ? Hodie es, et cras forte non eris ; hodie vivis, et cras morieris. Serm. 4, *de Uno conf.* et in ord. 26.

84. Superbia extinguit lucem sapientiæ, exsi-

cat rorem gratiæ expulsat pulverem vanitatis. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 3.

85. Superbus mox inflando deficit, et punctus modica febre, vel tribulatione annihilatur. *Ibid.*

86. Superbus pretiosa vilipendit, id est, gratiam et gloriam, et vilia care emit, id est, gloriam transitoriam. *Ibid.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 87. Si homo laicus in sæculo constitutus superbiam habeat, peccatum est ; monachus vero si habuerit, sacrilegium. Homil. 18.

88. Superbia venenum, humilitas antidotum. *Ibid.*

89. Omnis qui superbiam diligit, diabolo plenus est. *Ibid.*, homil. 23.

CASSIODOR. 90. Volucres cœli, superbi sunt homines ; qui inflante vento jactantiæ, quasi per inane aeris efferuntur, et humilia despiciunt, cum altius elevantur. Super *Psalm.* VIII, vers. 8 : *Volucres cœli*, etc.

91. Superbia omnium malorum mater est, scelerum fons, vena nequitiæ. Super *Psalm.* XVIII, vers. 14.

92. Quanto superbia mundi plus extollitur, tanto amplius evanescit. Super *Psalm.* CI, vers. 4.

93. Erubescant elati, et seipsi accepta ratione convincant, ubi credunt locum habere superbiam, cum cœlum et terram ab humilitate videant occupatum. Super *Psalm.* CXIII, vers. 5.

DIONYSIUS CARTHUS. 94. Cætera vitia regnant in impiis, superbia vero de spirituali excellentia virtuosos fortius tangere solet. Super *Epist.* I, *ad Cor.*, cap. 10, art. 10.

S. EPHRÆM. 95. Superbia arbori excelsissimæ, sed putridæ similis est, cujus undique facile confringuntur rami : in quam si quis ascenderit, celeriter in profundum corruet. *De recta vivendi Ratione*, cap. 3.

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 96. Divitiis conjuncta est superbia : et ubi superbia, ibi pecus. *Epist. ad Damas. pap.*, *de Morte divi Hieron.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 97. Viæ superborum plenæ sunt offendiculis, plenæ præruptissimis præcipitiis. *Prosec.*

98. Quia ubi est superbia, ibi est indignitas, ibi animositas, ibi labor, ibi tribulatio. Homil. 1 *Epiphan.*

GLOSS. INT. 99. Qui fastu mundi superbiunt, præconia veritatis audire non possunt. Super *Judith*, cap. 5.

100. Superbus quo hic plus valet, etiam plus lingua ejus effrænatur contra homines, et contra Deum. Super *Job*, cap. 15.

S. GREGOR. MAGNUS. 101. Paulisper elatio in præcordiis crescit, et cum se vastius extenderit, oppressæ mentis oculum funditus claudit. Lib. 24 *Moral.*, cap. 13.

102. Omni culpa gravius est, quando de commisso vitio superbitur. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12. num. 15.

103. Vicina semper esse superbia potentibus solet. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12.

104. Omnis peccati initium est superbia ; per hanc enim diabolus ipse succubuit, per hanc sequentem hominem stravit. *Prosec.*

105. Eo etenim telo salutem nostræ immortalitatis impetiit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit. *Ibid.*, lib. 34, cap. 18, num. 17.

106. Nulla mala ad publicum prodirent, nisi superbia in occulto mentem constringeret. *Ibid.*

107. Superbia quasi generalis pestifer morbus, corpus omne corrumpit. *Ibid.*

108. Quidquid superbia invadente agitur, etiamsi esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ servitur. *Ibid.*, etc.

109. Quasi tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit. *Prosec.*

110. Et quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit, quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur.

111. Quisquis vero ejus tyrannidem captiva mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis oculo judicii æquitatem perdit. *Ibid.*

112. Cuncta quæ ab aliis bene geruntur, superbo displicent, et sola ei, quæ ipse vel prave egerit, placent. *Prosec.*

113. Semper aliena opera despicit, semper miratur quæ ipse facit : quia et quidquid egerit, egisse se singulariter credit : atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimetipsi favet per cogitationem.

114. Et cum se in cunctis transcendere cæteros æstimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat. *Ibid.*

115. Malorum locus, est superbia ; bonorum vero locus, est humilitas. *Ibid.*, lib. 3, cap. 12.

116. Superbia odium generat, humilitas amorem. *Ibid.*, lib. 7, cap. 15, num. 23.

117. Pinguis cervix est opulenta superbia, affluentibus rebus, quasi multis carnibus fulta. *Ibid.*, lib. 12, cap. 22, super illud *Job* XV : *Et pingui cervice armatus.*

118. Superbia et inanis gloria, per omne quod agunt, Satanæ voluntati famulantur. *Ibid.*, lib. 14, cap. 26, num. 28.

119. Superbia et vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem infecerint, in cogitatione sua super cæteros homines extollant, et modo per ambitum rerum, modo per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, quasi in honoris altitudinem elevent. *Ibid.*

120. Omnis superbia eo ipso in imo jacet, quo in alta se erigit. *Ibid.*, lib. 17, cap. 12.

121. Difficile est ut elatio quæ regnat in corde, non erumpat in voce. *Ibid.*, lib. 26, cap. 1.

122. Cunctis superba apud se cogitatione tumentibus, inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. *Ibid.*, lib. 34, cap. 18, num. 10.

123. Evidentissimum reproborum signum, superbia est; at contra humilitas electorum quam quisque cum habeat cognoscitur, sub quo rege militet invenitur. *Ibid.*

124. Superbia esse sine invidia, atque inani gloria nullatenus potest : superbus enim honorem, quem ipse amabit, aliis invidet. Homil. 12, super *Ezech.*

HIERON. 125. Multo deformior est illa superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Epist. 4 *ad Celantiam.*

126. Superbo nihil est deterius, et omni vento inanius. Super *Eccles.*, cap. VI, super illud : *Melior est aspectus*, etc.

UGO A S. VICTORE. 127. Quatuor sunt qui trahunt currum elationis; amor dominationis, amor propriæ laudis, contemptus et inobedientia. Rotæ vero sunt, jactantia, arrogantia, verbositas, et levitas; auriga, spiritus superbiæ; amatores mundi sunt, qui feruntur, infrænes sunt equi, volubiles rotæ, auriga perversus, et qui portatur infirmus. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 6.

128. Superbia insidiatur sæcularibus, ut in pravo comprehendat opere : Religiosis vero insidiatur per gloriam laudis humanæ. *Ibid.*, cap. 7.

129. Religiosis tribus modis insidiatur superbia : tunc cum aliquis se solum existimat esse justum ; vel quando nimium de justitia confidit; vel quando cessat de bono opere. *Ibid.*

UGO CARD. 130. Superbia omne aliud vitium patitur, præterquam se. Super *Prov.*, cap. 8.

131. Superbi pleni sunt vento, sed humilitate vacui. Super *Ecclesiastic.*, cap. 24.

132. Superbus quanto altius surgit, tanto citius evanescit. Super *Isaiam*, cap. 9.

133. Omnis superbus extra se est, quia supra se est. Super *Luc.*, cap. 14.

134. Superbia propriis armis se interficit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 7.

135. O superbia cunctis importabilis, et odiosa! inter omnia vitia, tu semper es prima, tu semper es ultima : nam omne peccatum te accedente committitur et te recedente dimittitur. Lib. 2, *de Contemptu. mundi*, cap. 81.

136. Superbia turrim evertit, et linguam confudit, prostravit Goliam, et suspendit Aman; interfecit Nichanorem, et peremit Antiochum. *Ibid.*, cap. 32.

137. Omnis fere vitiosus, diligit sibi similem : superbus autem odit elevatum. *Ibid.*, cap. 34. JOAN. CASS.

138. Nullum est vitium aliud quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque justitia et sanctitate hominem spoliet ac denudet, ut superbiæ malum. *Prosec.*

139. Tanquam generalis quidam ac pestifer morbus, non unum membrum partemve ejus debilitare contentus : sed solidum corpus lethali corrumpit exitio, et in virtutum jam fastidio collocatos gravissima ruina dejicere ac trucidare conatur. Lib. 12 *Cœnob. Inst.*, cap. 3.

140. Quisquis superbiæ morbo fuerit occupatus, non solum nullam subjectionis, aut obedientiæ regulam custodire dignatur; verum ne ipsam auribus quidem suis doctrinam perfectionis admittit. *Ibid.*, cap. 27.

141. Semper superba cogitantes, repentina humilitate obruuntur, nihil enim superbia detestabilius, nihil arrogantia crudelius reperitur. Homil. super *Psalm.* CXXII. S. JOANNES CHRYSOST.

142. Superbia virtutem incorpoream e sublimi detraxit ac dejecit, eo quod diabolum, cum diabolus non esset, ut hoc esset, effecit. Homil. 3, *de Verbis Isaiæ.*

143. Ex actionum eminentia nata est superbia *Ibid.*

144. Mala maxima, et illa omnia quæ toto orbi intulere perniciem, ex superbia mentis exorta sunt. Homil. 15, super *Matth. Oper. perf.*

145. Quid turbulentius superbia? aut quid hoc tumore animi furiosius? *Ibid.*, homil. 30.

146. Nihil superbia pejus, quæ mentis vires, a natura hominibus concessas ita dejicit, ut amentes ex prudentia ac animo stolidos efficere videatur. *Ibid.*, homil. 59.

147. Nihil tam alienum a divino amore hominem reddit, nihil tam facile in gehennam intrudit, quam superbiæ insania. Homil. 8, super *Joan.*

148. Immundus est omnis superbus, et eodem quo diabolus cruciatu damnatur. *Ibid.*

149. Quid superbia insanius? quid hac amentia scelestius? Nihil aliud est superbia, quam depravatio animi, et morbus gravissimus, non aliunde quam ex insania ortum ducens. *Ibid.*, homil. 15.

150. Nihil superbo homine insanius ; quamvis ditissimus sit : quia qui humanis bonis superbit, miser est et infelix. *Ibid.*

151. Ex superbia nascitur pauperum despectus, pecuniarum concupiscentia, amor principatus, multæ desiderium gloriæ. Homil. 43, *ad Popul. Antioch.*

152. Sicut avari quanto plura acceperint, tanto pluribus egent : ita superbi quanto majori funguntur honore, tanto plus concupiscunt. *Ibid.*

S. JOAN. CLIM. 153. Disciplina superborum lapsus est, stimulus, dæmon, derelictio, stupor. *Grad.* 22.

154. Non solum non permittit superbiæ execrabilis pestis in anteriora progredi, sed etiam ex altitudine dejicit. *Ibid.*

155. Superbus est punicum malum, interius putridum, exterius vero decorem præferens. *Ibid.*

156. Superbus dæmone opus non habet, ipse enim sibi jam et dæmon et hostis et inimicus est. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 157. Audeo dicere, quia melior est peccator humilis, quam Pharisæus superbus. Super *prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 19.

158. Omnium bonorum evacuatio superbia est, et vitiorum mater singulorum. *Ibid.*

159. Superbia virtutum est mors omnium, et cunctorum fons et scaturigo vitiorum. Lib. 1, homil. 18.

160. Omnis superbus ignarus est, etiamsi magnus inter mortales et inclytus videatur. *Ibid.*, homil. 19.

S. ISIDORUS HISPALENS. 161. Omni vitio deterior est superbia; seu quia a summis personis assumitur, seu quod ex opere justitiæ et virtutis exoritur, minusque culpa ejus sentitur. *Prosec.*

162. Luxuria vero carnis ideo notabilis omnibus est, quoniam statim per se turpis est, et tamen pensante Deo, superbia minor est.

163. Sed qui detinetur superbia, et non sentit, labitur carnis luxuria : ut per hanc humiliatus, et a confusione surgat, et a superbia.

164. Omnis peccans superbus est : eo quod faciendo vitia contemptui habeat divina præcepta.

165. Recte ergo initium omnis peccati superbia, quia nisi præcesserit mandatorum Dei inobedientia, transgressionis non sequitur culpa.

166. Omnis superbia tanto in imo jacet, quanto in altum se erigit : tantoque profundius labitur, quanto excelsius elevatur.

167. Qui enim per propriam attollitur superbiam, per Dei justitiam inclinatur. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 38.

168. Qui inflantur superbia, vento pascuntur. *Ibid.*, sent. 4.

169. Superbia omnium peccatorum est maxima : quia tam per virtutes quam per vitia humanam mentem exterminat. *Ibid.*, sent. 7.

170. Ibi cadit superbia, ubi et nascitur : ut non sit superbis aliud culpa, aliud pœna, sed ipsa culpa sit illis et pœna. *Ibid.*, sent. 8.

S.LAURENT. JUSTIN. 171. Detestanda est pestis superbiæ, quæ in momento privat hominem divitiis prærogatis. *De Compunct. et Complanctu*, cap. 2.

172. Nulli unquam Deus pepercit superbienti, sive in cœlo, sive in terra. *Ibid.*

S. LEO I. 173. Vicinum est rectis actionibus superbiæ malum, et de proximo semper virtutibus insidiatur elatio. Serm. 4 *Quadrag.*

S. NILUS. 174. Animus superbus a Deo deseritur, et dæmonum fit ludibrium. Orat. 8, *de Superb.*

175. Gravissimus atque omnium truculentissimus est superbiæ affectus, ac perfectos potissimum oppugnat, eosque qui ad virtutum fastigium evecti sunt, dejicere contendit. Orat. 8, *de Superb.*

ORIGEN. 176. Quid superbit terra et cinis, ut homo arrogantia sublevetur, oblitus quid erit, et quam fragili vasculo contineatur, et quibus stercoribu immersus sit, et qualia semper purgamenta de sua carne projiciat? Homil. 9, in cap. XVII. *Ezech.*, super illud : *Iniquitates Sodomæ*, etc.

PETR. BLES. 177. Cum destestabilis sit ubique superbia, detestabilior est in professore humilitatis. *Prosec.*

178. Quod enim rubigo est in ferro, quod in veste tinea, quod fel in lacte, quod venenum in melle, hoc est superbia in habitu monachali. Epist. 90, *ad Guillelm. Abbat.*

179. Superbia natione cœlestis est : semper in altum nititur, ut gravius cadat.

S. PETRUS DAMIANUS. 180. In cujus corde radicem superbia fixerit, licet quibusdam superductæ humilitatis aliquando bracteolis coloretur, nequaquam tamen ne vel tenuiter effluat, an latenter erumpat, undique cohibetur. Lib. 6, epist. 9, *ad Gebizon. Abbat.*

181. Humanam mentem superbia vitream reddit, ut correptionis ictum per impatientiam ferre non possit. *Ibid.*

182. Superbia est peccatorum omnium causa; quoniam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit sine ipsa. Lib. 3, *de Vita contempl.*, cap. 2.

183. Erecta cervix, facies torva, truces oculi, et sermo terribilis : nudam superbiam clamant. *Ibid.*, cap. 8.

184. Superbi non servant in obsequio reverentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam. *Ibid.*

185. Qui in superbiam eriguntur, et in sua elatione persistunt, sic pestruentur, ut non ædificentur : non enim desinunt destrui, qui non desinunt elevari. Super *Psalm.* CIX, vers. 7.

186. Malum superbiæ maxime virtutibus, est cavendum, quia nullis opportunius insidiatur; quam quibus laus debetur. Epist. *ad Demetriad.*

187. Superbi ruinæ nihil subvenit, quia aut difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut

etiamsi intellexit, non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur. *Ibid.*

PRUDENT. 188. Frangit Deus omne superbum. In *Psychomach. De superb. et humilit. Pugna.*

RICHARD. A S. VICTORE. 189. Justum valde est, ut qui ex divinis muneribus insolenter intumescit, ex propria ruina discat quam nihil sit, et per semetipsum quam nihil possit. Part. 1, lib. 2, *de Erud.hom. inter.*, cap. 30.

S.THEODOR. 190. Proprium superborum est, supercilia erigere, et buccas inflare, et omnes despicere. Super *Psalm.* cxxx, vers. 1.

191. Execranda quidem omnia peccatorum genera, sed omnium maxime detestabilis superbia. Sect. 10, super *Ezech.*, in illud 28 : *Elevatum est cor*, etc.

S. VALER. EPISCOPUS. 192. Nunquam ille aut sine suo, aut sine alterius peccato diem transigit, qui supercilio elatus incedit. Homil. 14, *de Bono humilit.*

193. Superbia est vilitatis vitium, et indicium ignobilitatis; nescit enim extolli nobilitas mentis. *Ibid.*

194. Superbus nil putat in consiliis rectum, nisi quod solus senserit, nil putat rectum, nisi quod sibi ipse persuaserit : vult solus audiri, ac solus omnium ore laudari. *Ibid.*

195. Excedit sine dubio ille superbiæ modum, cui nulla est conscientia facultatum. *Ibid.*

196. Citatus et facilis est superborum sermo, plenus contumeliis et refertus injuriis : nunquam sine vulnere missus, nunquam sine dolore jaculatus. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 197. Superbi cum stulti sint, tum seipsos quoque ignorant. Lib. 4 *Moral.*, cap. 3.

Vide etiam tit. *Cadere*, sent. 3; *Charitas in genere*, sent. 66; *Continentia*, sent. 11, 12; *Deus*, sent. 45, 46; *Diabolus*, sent. 127; *Differentiæ*, sent. 5, 31, 33; *Divitiæ*, sent. 37, 40. 43; *Domare*, sent. 44; *Excusatio*, sent. 4; *Humilitas in genere*, sent. 36, 119, 152, 197, 225, 252; *Humilitas Christi*, sent. 6, 8, 10, 22, 23; *Immunditia*, sent. 28; *Invidia*, sent. 18, 22; *Laicus*, sent. 13; *Lex Dei*, sent. 124; *Monachus*, sent. 153; *Nobilitas*, sent. 4; *Opus*, sent. 2; *Religiosus*, sent. 12, 80; *Singularitas*, sent. 33; *Sublimitas*, sent. 39; *Subjectio*, sent. 8, 9, 36; *Timor in genere*, sent. 48; *Timor Dei*, sent. 27; *Vita humana*, sent. 58.

## SUPERFLUITAS.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Nihil est quod sic sensum obstruat, et phantasiam deordinet, sicut cibi superfluitas. Part. 4, tit. 4, *de Temperantia*, cap. 4, § 1.

S. AUGUST. 2. Cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria, superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Super *Psalm.* CXLVII, vers. 2.

3. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur. *Ibid.*

4. Sicut pili non sunt pars corporis, sed quædam superfluitas procedens a corporis humore : sic bona temporalia non sunt nobis naturalia, sed aliena et superflua. *De Contemptu mundi*, cap. 3.

5. Utere necessariis, da pauperibus superflua : utere pretiosis, da pauperibus vilia. Serm. 5, *de Verbis Dom.*

6. Corpus cum ejicit superfluum; si leniter, cum voluptate : si aspere, cum dolore. Lib. 6, *de Musica*, cap. 5.

7. Cum superflua diliguntur, arctius adepta : quam concupita constringunt. Epist. 34.

8. Quod sine causa factum est, dicitur superfluum, nec prodest, nec nocet. *Expos. Epist. ad Galat.*, cap. 3.

9. Solet a viris peritis dici, superflua non nocent. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 27.

10. Hominis superflua pedibus Domini necessaria sunt, id est, pauperibus. Tract. 50, super *Joan.*

11. Superfluitas tam verborum quam rerum vitanda est. In suis *Prov.*, verbo *Superfluitas*. V. BEDA.

12. Tolle superflua, et salubria surgunt : utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Serm. 58, super *Cant.* S. BERNARD.

13. Non sis superfluus in victu, nec notabilis in vestitu. Epist. 42, *ad Henric. Senonens. archiep.*

14. Exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. In *Apologia ad Guillelm. abbat.*, cap. *Dicitur.*

15. Superfluum tollit necessarium; aufer superflua et nulli deerunt necessaria. *De inter. Domo*, cap. 26.

16. De superfluenti aliorum copia, nascitur ægra aliorum copia. *Ibid.*, etc.

17. Non arguitur superfluitas, quam excusat hospitalitas. *Ibid.*, cap. 58.

18. Non est Evangelici pauperis gaudere superfluis, et luxibus indulgere. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 6. S. BONAV.

19. Quod superest, superfluum est. Lib. 2, *de Profectu relig.*, cap. 44.

20. Dare superfluum necessitatis est. Lib. 5, *Compend. theolog. verit.*, cap. 80.

21. Superflua tua non sibi Deus indiget expendere, sed tibi vult in æterna beatitudine conservare. Homil. 9. S. CÆSARIUS ARELAT.

22. Si quid superfluum, quo frater egeat, possidemus, et non tribuimus, furamur : imo pejus quam qui furatur aliqua ex inopia et necessitate. *Prosec.* S. EUSEBIUS CÆSARIENS.

23. Iste tantum ultra necessitatem retinet, quo

centum viverent, qui fame pereunt : ille uni furtum facit : iste tot, quot non condonat patientibus necessitatem. Epist. *ad Damas. Pap., de morte D. Hieronymi.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 24. Ubi est misericordia et discretio, ibi nec superfluitas, nec induratio. In suis *Opusc.*, in *Admonit. ad Fratres*, cap. 26.

25. Rapere aliena convincitur, qui ultra necessaria sibi retinet. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. ORD. 26. Utimini mundo ad necessitatem, sed non diligite ad superfluitatem. Super illud I *Joan.* II : *Nolite diligere mundum.*

S. HIERON. 27. Aliena rapere convincitur, qui superflua sibi retinere conatur. In *Regula monachor.*, cap. 4, *de Paupert.*

S. HILARIUS 28. Hæc vivorum mors est, vivere luxui. Super *Psalm.* CXXIII.

HUGO A S. VICTORE. 29. Carni providenda sunt necessaria, ne deficiat : et superflua resecanda, ne sæviat. In *Annot.*, super *Epist. ad Rom.* in illud : *Video aliam legem*, etc.

30. Quidquid superfluum habetur, mortiferum est. Super *Regul. D. Augustini*, cap. 9.

31. In superfluitate habitus religiosi amor sæculi, non amor Dei : amor palatii, non amor pagadisi notatur. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 8.

32. Exterior superfluitas, animi nuntiat vanitatem. *Ibid.*, cap. 18.

S. INNOC. III. 33. Qui in necessitatis articulo non contentus etiam superflua retinuerit, sciat se tot mortibus esse dignum, quot inopes propter ipsius avaritiam moriuntur. Serm. 3 *Dedicat.*

S. JOANNES CHRYSOST. 34. Fruere omni prosperitate, et cum satisfeceris tuo usui, quæ supervacua tibi et otiosa jacent, in necessarium usum pauperum converte. Homil. 20, super *Gen.*

35. Excellentis et magnæ inhumanitatis est, scriniis et arcis includere superflua, et non illis sublevare proximorum inopiam, sed potius sinere a rubigine et tinea corrumpi. *Ibid.*, homil. 35.

36. Quæ utilitas superfluorum, ita ut ventrem distendas præ nimia voracitate, et mentis judicium oblædas præ immodica potatione? *Ibid.*, homil. 37.

37. Superfluum est quod supervacue atque abundanter adjectum est. Homil. 17, super *Matth. Oper. perf.*

38. Nihil ita sublimitatem virtutis ostendit, et magnitudinem animi, si nihil superfluum possideas. *Ibid.*, homil. 33.

39. Noli superflue pro superfluis laborare, ne labor fiat tuus, fruitio autem alterius. Homil. 16, super *Matth. Oper. imperf.*

40. Nolimus superflua desiderare, sed sufficientiam, et sic semper ditabimur. Homil. 16, super I *Cor.*

41. Id quod neque cum fit, prodest; neque si non fiat, officit, sane superfluum est. *Ibid.*, homil. 20.

42. Quæ superflua sunt, imminuenda, et sufficientia sola est amanda. Homil. 10, super II *Cor.*

43. Superfluum est, quod plus est, quam usus requirit, et est inutile. *Ibid.*

44. Mala ubique est superfluitas. Serm. 11, super *epist. ad Ephes.*

45. Res superflua et inutilis, nihil aliud quam damnum parit. Serm. 10, super *epist. ad Philipp.*

46. Noli superflue pro superfluis laborare, ne labor quidem fiat tuus, fruitio autem alterius. Homil. 16, super *Matth. Oper. imperf.*

47. Quæ in supervacua impensurus es, ad meliora convertas. Lib. 6, *de divin. Inst.*, cap. 12. LACT. FIRM.

48. Debet negari superfluum nostris, ut supersit unde charitas impendatur extraneis. *Opusc.* 13, cap. 19. S. PETRUS DAMIANUS.

49. Superflua in malam rem ableganda sunt, a quibus accensæ concupiscentiæ absumunt omnes virtutes uno incendio. *De Gigant.* PHILO JUD.

50. Quidquid sine quo potest vivi, percipitur : non sustentandæ vitæ, sed movendæ luxuriæ carnis impenditur. Lib. 3, *de Vita contempl.*, cap. 17. S. PROSPER.

51. In rebus tantum necessariis est salus, in superfluis laqueus. Lib. 2, *ad Eccles. cathol.* SALVIANUS.

52. Superfluitas timoris et diffidentiæ, facit superfluitatem sollicitudinis. 2, 2, *quæst.* 47, art. 9. S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

53. Supervacua contemnere non est virtus, sed cum contempseris necessaria. Epist. 10. SENECA.

54. Recipiunt supervacua delictum. Epist. 19.

Vide etiam tit. *Eleemosyna*, sent. 72, 73, 74; *Sufficientia*, sent. 24.

## SUPERSTITIO.

*Etymologia.* Superstitio dicta est, eo quod sit superflua, aut superinstituta observatio. Lib. 10 *Etymol.*, verbo *Superstitio.* S. ISIDORUS HISPAL.

*Definitio.* Superstitio est vitium oppositum adorationi et religioni per excessum, quo quis aliter et quando non deberet, et sic de aliis circumstantiis, ostendere nititur latriam exteriorem. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Justitia* JOAN. GERS.

Superstitio in speciali est vitium, quo quis inclinatur recurrere ad alium quam ad Deum pro providentia de futuris; vel non in ordinem et reverentiam suæ providentissimæ largitatis. *Ibid.*

Superstitio est inordinatus, vanus, ac falsus cultus Dei vel sanctorum ejus. COLLECTOR.

*Divisio.* Superstitio dividitur in superstitionem

veri numinis, et in superstitionem falsi numinis. *Prosec.*

Superstitio veri numinis, est veri Dei cultus indebitus.

Superstitio falsi numinis, est cultus Dei non veri.

SENTENTIÆ PATRUM.

ANSELM. 1. Quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Super I *Cor.* vii.

AUGUST. 2. Omnes artes hujusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum et dæmonum, quasi pacta infidelis et dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudiandæ et fugiendæ a Christiano. Lib. 2, *de Doctrina christ.*, cap. 23.

3. Non falsæ religionis superstitione terreamur. Lib. 1, *de Genesi ad litter.*, cap. 21.

4. Qui superstitione se involvunt, misera se implicant servitute. *De vera Relig.*, cap. 38.

5. Omnis superstitio cum sit magna pœna hominum, et periculosissima turpitudo, honor est ac triumphus superstitiosorum. *Ibid.*, cap. 55.

6. Sacrificia quæ exhibemus Deo, vera religio est; cum autem dæmonibus, noxia superstitio. Lib. 3, Epist. 49, quæst. 3.

7. Quisquis rebus prætereuntibus restrictius utitur, quam se habent mores eorum cum quibus vivit, aut temperans, aut superstitiosus est. *De Doctr. christ.*, cap. 12.

8. Agamus Domino Deo nostro gratias, qui superstitiones subvertit per Christi humilitatem, per apostolorum prædicationem, per fidem martyrum. Lib. 4, *de Civitate Dei*, cap. 30.

9. Hæresis non religio, sed superstitio est. Lib. 2, *contra Gaudent.*, cap. 11.

YPRIAN. 10. Religio per inanem gloriam fit superstitio. *De Jejunio et Tent. Christi*, cap. 1.

11. Superstitionibus falsis religio vera subvertitur. Tract. 1, *contra Demetrianum.*

OANNES YSOST. 12. Non parcendum est, si quis superstitiosa collo alliget. Homil. 8, super *Epist. ad Coloss.*

N.GERS. 13. Superstitio tanto pejor est, quanto plura miscentur bona : quoniam unde deberet honorari Deus, honoratur diabolus. In *Trilogio astrologiæ*, proposit. 21.

OAN. RITH. 14. Qui superstitionibus inservit, gratiam Dei negat, et liberum tollit arbitrium. Epist. *ad Nicolaum presb. Mernicens.*

T. FIRM. 15. Multi vanis superstitionibus pertinaciter inhærentes obdurant se contra manifestam veritatem : qui cum vident iter rectum, devios sequuntur anfractus. Lib. 1, *de divin. Inst.*, cap. 1.

URENT. STIN. 16. Unde superstitiones vigent, nisi ex incuria sacerdotum? *De Compunct. et Complanctu*, cap. 1.

17. Nisi melle pietatis venenum superstitionis dilueretur, non ita facile Christianorum aliquis vellet illud bibere. In *canon. Vitæ spirit.*, cap. 5.

18. Superstitiosas observationes, omnemque usum magicæ, vel divinatoriæ artis execrare. In *Speculo spirit.*, cap. 1. LUDOVICUS BLOSIUS.

19. Superstitio est vitium virtutis larva circumdatum, quod Philosophia tertium genus impietatis esse deprehendit. Epist. 67, *ad Theophilum.* SYNESIUS EPISCOPUS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

20. Superstitione qui est imbutus, quietus esse nunquam potest. Lib. 1, *de Finibus*, num. 60. CICERO.

21. Superstitione sublata, religio non tollitur, sed confirmatur. Lib. 2, *de Divinat.*, num. 148.

22. Neque civitates tantum, sed vivos etiam superstitionis contagio pervagata est. Lib. 10, epist. 100, *ad Trajan.* PLINIUS II.

23. Religio Deum colit, superstitio violat. Lib. 2, *de Clement.*, ad Neron., cap. 5. SENECA.

24. Superstitio error insanus est : amandos timet, quos colit violat. Epist. 123.

Vide etiam tit. *Divinatio*, sent. 4.

## SUPPLICIUM.

*Definitio.* Supplicium est quid afflictivum, punitivum culpæ luenti. COLLECTOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Omnia supplicia, graviorum suppliciorum vincuntur formidine. Lib. 1, *Offic.*, cap. 38. S. AMBROS.

2. Æterna lex incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit : in beatitate autem et miseria, præmium atque supplicium. Lib. 1, *de Libero Arbitr.*, cap. 14. S. AUGUST.

3. Quis non intelligat magis beneficium quam supplicium nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahitur? Epist. 159, *ad Marcellinum.*

4. Tanto sunt intercedentium et parcentium beneficia gratiora, quanto peccantium justiora supplicia. Epist. 54, *ad Macedonium.*

5. Ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire supplicium. *Ibid.*

6. Tanto rectius majore supplicio dignum judicaveris animum, quanto magis vitiosus odit instrumenta virtutum. *De Patientia*, cap. 2.

7. Convenientius injustus dolet in supplicio quam lætus est in delicto. *Prosec.*

8. Sicut lætitia deserti boni in peccato, testis est voluntatis malæ : ita dolor amissi boni in supplicio testis est naturæ bonæ. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 13.

9. Melius ordinatur natura, ut juste doleat in supplicio, quam ut impune gaudeat in peccato. *De Natura boni*, cap. 9.

10. Felix comprobatur esse, qui sic cogitat de supplicio ante supplicium, ut postea supplicii effugiat periculum. *De Speculo peccatoris,* cap. 3.

11. Timeat futurum supplicium, qui præsens judicis contempsit remedium. Homil. 46, *ex Quinquag. homil.*

12. Nullus locus medius est, ut non sit in supplicio, qui non erit in regno. Hab. in *Glossa ord.,* super illud v, *ad Galat : Regnum Dei non consequentur.*

13. Supplicia peccantium, non tantum sunt tormenta, sed et vitiorum incrementa. Hab. in *Glossa ord.,* super illud *Rom.* I : *Masculi,* etc.

14. Non frustra instituta sunt supplicia : hac enim cum timentur, coercentur mali et quietius inter malos vivunt boni. Epist. 54.

15. Quemadmodum de peccato factum est supplicium, sic de supplicio fiat meritum. Lib. 9, *de Gen., ad litt.,* cap. 10.

16. Non tunc peccat quisquam, cum evitat supplicium, sed cum facit aliquid dignum supplicio. *De Mendac.,* cap. 13.

17. Fuge illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur. *De Catechiz. rud.,* cap. 35.

18. Morborum medicamenta tormenta sunt, ut homines a peccatorum exitio, pœnali eruantur auxilio. Lib. 22, *de Civit. Dei,* cap. 22.

19. In supplicio sumus, peccato transgressionis mortales ex immortalibus facti. *De duab. Animab.,* cap. 13.

20. Peccantes in suppliciis ordinantur, quæ ordinatio quia eorum naturæ non competit, ideo pœna est : sed quia culpæ competit, ideo justitia est. *De Natura boni,* cap. 7.

21. Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, et finiret etiam supplicium nostrum. Lib. 14, *contra Faust.,* cap. 4.

22. Si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste proculdubio redderetur. *De Nat. et Grat.,* cap. 5.

23. Tanta est suppliciorum, quanta est diversitas peccatorum. Tract. 89, super *Joan.*

BOETIUS. 24. Perspicuum est nunquam bonis præmia, nunquam sceleribus deesse supplicia. Lib. 4, *De consolat. philos.,* prosa 3.

25. Sicut probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium est. *Ibid.*

26. Feliciores sunt improbi supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coerceret. *Ibid.,* lib. 4, prosa 4.

S. CÆSARIUS ARELAT. 27. Post breve gaudium, succedit sine fine supplicium. Homil. 15.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 28. Effugere intoleranda supplicia, et incendia æterna non poterunt, qui se ad meliora non converterint. Homil. 3, *Epiph.*

GLOSS. O. 29. Qui Deum non senserunt per beneficia, sentient per supplicia. Super *Isaiam,* cap. 5.

30. Sicut quandiu humor est in cadavere, vermes nascuntur ex putredine : sic ex ipsa materia peccatorum gignuntur supplicia. Super *Isaiam,* cap. 14.

31. Ad justitiam Dei pertinet, ut nunquam supplicio careant, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Super *Epist. ad Rom.,* cap. 2, in illud : *Qui reddet unicuique,* etc.

S. GREG. MAGNUS. 32. Solos pœna a supplicio liberat, quos immutat : nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. Lib. 9 *Moral.,* cap. 24.

33. Non morientem mortificat, qui justum damnat : et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur. Homil. 26, super *Evang.*

34. Inexcusabiliter meretur supplicium, qui prudenter, si voluisset, potuit vitare peccatum. Part. 3, *Pastor.,* cap. 1, admonit. 23.

35. In peccatore quædam sunt supplicia incrementa vitiorum. Homil. 2, snper *Ezech.*

HAYMO. 36. Supplicia æterna nequaquam finem acceptura sunt, unde nec metuenda sunt tormenta, quæ transeunt : sed ea metuenda sunt, quæ in æternum perseverant. Super *Apocal..,* cap. 1.

S. HIERO. 37. Innocens inter ipsa tormenta, fruitur conscientiæ securitate : et cum de pœna metuat, de innocentia gloriatur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

38. Qui per beneficia non senserunt Deum, sentient per tormenta. Lib. 1, super *Hierem.,* cap. II, super illud : *Et in tempore afflictionis,* etc.

39. Aliorum tormenta, aliorum remedia sunt : cumque punitur homicida, recipit quidem ipse quod fecit, sed alii deterrentur a scelere. *Ibid.,* cap. 3, super illud : *Et dixit Dominus ad me, in diebus Josiæ.*

HUGO CA. 40. Qui reus est divini odii, reus est æterni supplicii. Super *Matth.,* cap. 12.

S. JOAN. CHRYSOS. 41. Ne gaudeamus super aliorum supplicio, tanquam vindicati : sed tanquam ab hujusmodi supplicio et pœna liberati. Homil. 2, super II *Thessal.*

42. Vult Deus, ut a nobis ipsis peccatorum supplicium exigamus, nec amplius ipse id exigit. *Prosec.*

43. Idcirco minatur ultionem, ut metu contemptum tollat, cum vero solis minis formidamus, non ulterius in supplicium progreditur. Homil. 8, super I *Cor.*

S. JOAN. 44. Unus hic diaboli astus est, nimirum quod

AMASC. plerique homines, velut tot ac tantarum sententiarum obliti, supplicii finem sibi ipsis fingant, ut hac ratione audacius peccent. Lib. 4 *Parall.*, cap. 15.

JUSTIN. MART. 45. Dum Christiani suppliciis afficiuntur numerus eorum crescit. Epist. *ad Diognetum*.

T. FIRM. 46. Quanto fuerint graviora tormenta, tanto majorem virtutis gloriam pariunt. Lib. 5, *de divin. Instit.*, cap. 2.

IGENES. 47. Multo gravius est accipere peccatum, et habere secum, quam morte mulctari : mors quæ pœnæ causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo jubetur inferri. *Prosec.*

48. Absolvitur enim peccatum per pœnam mortis, nec superest aliquid quod pro hoc crimine judicii dies, et pœna æterni ignis inveniat.

49. Ubi vero quis accipit peccatum, habet illud secum, ac permanet cum ipso, nec aliquo supplicio pœna, quæ diluatur, transit, cum ipso est etiam post mortem : et quia temporalia hic non persolvit, ibi expendit æterna supplicia. Homil. 14, in cap. XXIV *Levit.*, super illud : *Homo si maledixerit*, etc.

PETRUS RYSOL. 50. Supplicium tanto est gravius, quanto interius. Serm. 135.

51. Nullum est supplicium damnati, ubi non est pœna peccati. *Ibid.*

PETRUS MIANUS. 52. Mors quæ pœnæ causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo jubetur inferri. *Opusc.* 57, dissertat. 2, cap. 1.

53. Multo gravius est parcere peccato, quam morte mulctari : hic enim mors pro vindicta datur, et apud justum judicem non judicatur bis in id ipsum. *Ibid.*

HEODOR. 54. Graviora delicta, atrociore supplicio sunt plectenda. *Quæst.* 50, super *Exod.*

VALER. SCOPUS. 55. Illa nobis ante omnia sunt cogitanda supplicia, ubi homo vivit durante pœna, ubi nec tormenta corpori, nec sunt membra tortori. Homil. 1, *de Bono discipl.*

56. Perfectæ fidei est, lucrativis locum dare suppliciis. *Ibid.*, homil. 16, *de Bono martyrii.*

VIT. PAT. 57. Nullum æque grave et acerbum est supplicium, a Deo abalienari, et a dulcissima ipsius facie abjici, gloriaque illa, quæ nullis verbis exponi potest, orbari. Lib. 1, in *vita SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 8.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

STOTEL. 58. Magnis delictis, magna supplicia statuta sunt. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 13.

CERO. 59. Multo utilius est unius improbi supplicio, multorum improbitatem coercere, quam propter multos improbos uni parcere. Orat. 8, *in Verrem*, lib. 3, act. 4, num. 208.

60. Vir fortis est, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse pœniteat. Orat. 28, *pro Milone*, num. 83.

61. Quo major vis est animi, quam corporis, eo sunt graviora tormenta, quæ concipiuntur animo, quam illa quæ corpore. Orat. 53, *Philip.* 2, num. 9.

62. Heu dolor ! quam miser est, qui in tormento vocem non habet ! In suis *Sent.*, 165. MIMUS P.

63. Convenit ei omni, qui supplicio recte addictus est, velut melior evadat, vel certe ille cæteris hominibus sit exemplo, ut alii supplicium ejus videntes, formidine earum pœnarum meliores fiant. PLATO.

64. Non minus principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera : remissius imperanti, melius paretur. Lib. 1, *de Clement.*, cap. 24. SENECA.

65. Corpusculum hoc, custodia et vinculum animi, huc atque illuc jactetur, in hoc supplicia exerceantur : animus ipse sacer et æternus est, cui possit non injici manus. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 2.

66. Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Lib. 1, *de Clement. ad Neron.*, cap. 14.

Vide etiam tit. *Dolor*, sent. 16, 19; *Flagellum Dei*, sent. 173; *Justitia Dei*, sent. 20, 22; *Peccatum in genere*, sent. 113; *Peccatum mortale*, sent. 36; *Pœna*, sent. 60; *Præmium*, sent. 11, 14, 16, 36, 54; *Punitio*, sent. 40, 41; *Purgatorium*, sent. 29; *Reus*, sent. 32; *Virtus*, sent. 58.

## SUSPICIO.

*Definitio.* Suspicio est in opinando cum dubitatione temeraria, etiam sententiando quæ ad ipsam non pertinent. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 10. S. BONAV.

Suspicio est vitium intellectuale inclinans ad superflue et leviter timendum et judicandum de incommodis. Part. 4, in *Descrip. terminor.*, cap. *Virtus*. JOAN. GERS.

Suspicio est opinio mali, quando ex levibus indiciis procedit. 2, 2, *Quæst.* 60, art. 3. S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Suspicio trepidum facit. Super I *Tim.* V. S. AMBROS.

2. Si diabolus famam innocentis maculare non potuerit, hoc ei persuadere tentat, ut per malevolas suspiciones de fratre suo judicet, et sic ab illo implicatus absorbeatur. Epist. 137, *ad Clerum*. S. AUGUST.

3. præ omnibus cavenda est suspicio, quæ est amicitiæ venenum. *De Amicitia*, cap. 24.

4. Non temeraria de alio suspicio nostra decipiat, nec aliena de nobis falsa nos frangat. Lib. 22, *de Civit. Dei*, cap. 23.

5. Si suspiciosus in vitio est, eo quod non com-

perta suspicatur : quanto magis credulus, qui hoc a suspicioso differt, quod ille incognitis aliquam, iste nullam tribuit dubitationem? *De Utilit. credendi*, cap. 9.

6. Quod agimus, occultum est, et ideo datur suspicionibus locus, ut audeat homo judicare de occultis hominum, et falsa plerumque, etsi vera, tamen incognita temere suspicari. *Prosec.*

7. Male suspicari non debet quilibet non videndo quod latet, et non invidendo quod eminet. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 12.

8. Pax animæ de incertis non judicat, incognita non confirmat, proclivior est ad bene credendum de homine, quam ad male suspicandum. Super *Psalm.* CXXXXVII. *vers.* 3.

9. Magnum est et gloriosum, et usque ad cœlum ore proferendum, nunquam malis actibus locum dedisse : sed multo fortius est, nunquam falsis suspicionibus laborasse. *De Bono disciplinæ*, cap. 8.

10. Curemus coram hominibus bene conversari, et nihil facere quod veniat in malam suspicionem. *De Ovibus*, cap. 9, in fine.

11. Malevolæ animæ quasi dulciter sapit, quod pessime suspicatur. *De Verbis Dom.*, serm. 53.

V. BEDA. 12. Tutus erit nunquam, qui suspicione laborat. In suis *Proverbiis*, verbo *Tutus*.

S. BERNARD. 13. Nec suspicio patitur credere nos ab aliis amari. Serm. 5, *Assumpt. B. M.*

14. Si aliqua aut in signo aut in opere quolibet data sit indignationis occasio, materia suspicionis est. Serm. de *Spiritibus*.

15. Non est sincerus amor, ubi dubietatis scrupulus suspicionis fæcem retinet. Epist. 178, *ad Innocent. pap.*

16. Humana suspicio facile fallitur. In *notabili Documento*.

CASSIODOR. 17. Suspicio sæpissime probatus incerta, quæ viro non convenit Christiano. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Quod suspicatus sum*.

S. DOROTH. 18. Mendacissimæ sunt suspiciones, et omnibus habentibus nocent. *Doctr.* 9.

19. Nihil gravius suspicionibus, quæ adeo noxiæ sunt, ut si in nobis paululum insideant, nitantur statim persuadere ut credamus nos ipsos evidentissime cernere ea etiam, quæ neque sunt, neque fuerunt. *Ibid.*

20. Nihil est gravius suspicionibus : curemus ergo quo possumus studio et diligentia suspiciones omnes a nobis abigere. *Ibid.*

21. Malæ suspiciones animam, quam possederint, nusquam quiescere, aut nulla pace frui patiuntur. *Ibid.*

GRATIANUS 22. Qui parati sunt suspicari quod non vident, parati sunt semper reprehendere et nunquam imitari. In *Decret.*, part. 2, causa 11, quæst. 3, can. *Inter*, § *Hoc inter*.

S. GRE NAZ 23. Tardum ad suspicionem mali est, id quod non facile ad malum commovetur. Orat. 4, *Cum a patre in consortium assumptus*.

S. HIE 24. Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Epist. 2, *ad Nepotian.*

25. Purga suspiciones hominum, et convince criminantem : ne si dissimulaveris, consentire videaris. Epist. 18.

26. Secreta verbula, non carent suspicione. In *Regula monachor.*, cap.

HUGO A VICTOR 27. Se a vitio alienum non esse indicat, quisquis animum suum ad suspicionem facile inclinat. Super *Psalm.* XL, cap. 50.

S. JOAN CHRYSO 28. Plerisque ab amicis in suspicionem adduci, videtur omnibus mortibus intolerabilius. Homil. 3, *de Fide Annæ*.

29. Malevolæ suspiciones, sunt calumniantium : benevolæ suspiciones, sunt gubernantium. *Prosec.*

30. Qui benevole suspicatur, vinci cupit : tunc enim lætatur, quando falsum inventum fuerit, quod male suspicabatur. Homil. *de Susanna*.

31. Vita integra nullam unquam patitur suspicionem. Homil. 33, super. *Matth. Oper. imperf.*

32. Qui omnia timet, omnia suspicatur et facile credit, quidquid fuerit suspicatus. Homil. 2, sup. *Matth. Oper. imperf.*

33. Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui bonus est : sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui malus est. *Ibid.*

34. Amantes etiam quæ tuta sunt, suspecta habent, ex multo dilectionis fervore. Homil. 4, sup. I *Thess.*

35. Modestiæ ornatus omnem improbam suspicionem tollit. Homil. 21, *ad Popul. Antioch.*

36. Quid miserius viro malam habente suspicionem? quid ad ruendum proclivius? quid putrius? Nonne in naufragio semper est? Homil. 52, super *Acta Apost.*

S. ISIDO HISPALE 37. Nullum judices suspicionis arbitrio, periculosum est enim de suspicione quempiam judicare : ante proba, et sic judica. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16.

S. JUS MART 38. Suspiciones sinistræ fugiendæ sunt, probandaque est nostra opinio. Epist. *ad Zenam.*

LUDOVI BLOSIU 39. Nunquam fixa mente suspiceris ibi malum esse, ubi utrum malum lateat, incertus es : quod si violentius se ingesserit intempestiva suspicio, ne consenseris, sed obluctare. *Prosec.*

40. Qui nimis facile de aliis sinistra cogitat, miser admodum est, et raro conquiescere potest. In canon. *Vitæ spirit.*, cap. 32,

PETRUS BLESENS. 41. Suspiciosum semper curiositas inquietat, timoris stimulos suggerit, et multiplicem turbationis materiam subministrat. *De Amicit.*, cap. 13.

S. PETRUS DAM. 42. Sinistra suspicio pavidæ mentis arcana conturbat. Lib. 6, epist. 1, *ad Hugon. abbat.*

THALASSIUS 43. Suspiciones malæ mentem obfuscant, faciuntque ut ea quæ extra viam sunt, videantur esse in via. *Hecatontad.* 1, sentent. 87.

THOMAS A KEMPIS. 44. Qui bene in pace est, de nullo suspicatur, qui autem male contentus est, variis suspicionibus agitatur. Lib. 2, *de Imitatione Christi*, cap. 3.

45. Ubi levis suspicio, ibi frequens indignatio. In lib. *Rosar.*, cap. 12, sect. 2.

S. VALER. EPISCOPUS. 46. Magnum quidem et gloriosum, et usque ad cœlum omnium ore proferendum, nunquam malis actibus locum dedisse : sed multo fortius est, nunquam falsis suspicionibus laborasse. Homil. 1, *de Bono discipl.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO. POETA. 47. Ne cures, si quis tacito sermone loquatur,
Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.
Lib. 1, *Distichor.*, metr. 32.

48. Quod tibi suspectum est, confestim discute quid sit.
Lib. 4. *Distichor.*, metr. 20.

49. Suspectus caveas, ne sis miser omnibus horis :
Nam timidis et suspectis, aptissima mors est.
*Ibid.*, lib. 4, metr. 87.

CHILO LACED. 50. Ne quid suspiceris. In *Dictis sapient.*, *ex Græco*, dist. 10.

MIMUS PUBL. 51. Ad tristem partem strenua suspicio. In suis *Sent.*, sent. 7,

SENECA. 52. Tollenda ex animo est suspicio et conjectura, fallacissima irritamenta, non deerit suspicioni argumentatio. Lib. 2, *de Ira*, cap. 24.

53. Amans quod suspicatur, vigilans somniat. In suis *Proverb.*

Vide etiam tit. *Aspectus*, sent. 99; *Secretotorum revelatio*, sent. 12 ; *Sententia*, sent. 32.

## SUSURRATIO.

S. ANSELM. *Etymologia.* Susurro a sono locutionis dicitur, quia non in facie alicujus, sed in aure loquitur secrete derogando. Super *epist. ad Rom.*, cap. 1, in illud : *Susurrones*, etc.

S. ANTONIN. *Definitio.* Susurratio est locutio mala occulte facta de aliquo ad tollendum ejus amicitiam cum alio. Part. 2, titul. 8, *de Invidia*, cap. 5.

S. BONAV. Susurratio est voluntas loquendi seminans discordias inter fratres, ut persequatur proximum propter ipsius bonum contristans. Part. 1, *Centiloqui*, sect. 19.

HUGO CARD. Susurro est, qui in facie alii blanditur, et absens eidem detrahit, et mala de illo, sicut bilinguis, aliis insusurrat. Super *Levit.*, cap. 19.

Susurro dicitur latens, sive astutus detractor, qui in præsentia ungit, et in absentia pungit. Super *Prov.*, cap. 26.

Susurro proprie dicitur ille, qui inter amicos occulte seminat discordias. Super *Ecclesiastic.*, cap. 5.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Qui susurrat, prius suas quam aliorum radices evellit. *Precat.* 2, *ante Missam.*

2. Qui susurrat, consequens est ut in adversis proximi exultet, in prosperis autem tristitiam contrahat. *Ibid.*

3. Plus peccat, qui amorem proximi a corde alterius (per susurrationem scilicet) minuit, quam qui victum ab ore pauperis rapit. *De Similitud.* cap. 150.

S. ANTONIN. 4. Susurratio est quarta filia invidiæ. Part. 2, titul. 8, *de Invidia*, cap. 5.

S. AUGUST. 5. Susurri verba semper mala. *De salutarib. Docum.*, cap. 49.

6. A nimium sonantibus abhorremus, et quasi susurrantia non amamus. Lib. 6, *de Musica*, cap. 13.

S. BERNARD. 7. Si quis susurro jurgia seminare, et pacem turbare velle reperiatur, remedio citius obvietur ; eo quippe pessimæ, quo intimæ pesti. Epist. 129, *ad Januenses.*

DIONYSIUS CARTHUS. 8. Susurrones discordiæ sunt seminatores. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, art. 4.

9. Susurrator occulte malum dicit de proximo, et intendit proximorum mutuam dilectionem corrumpere, discordias disseminando. Super *Epist. Jacobi*, cap. 4, art. 6.

S. HIERON. 10. Veritas angulos non amat, nec quærit susurrones. Epist. 4, *ad Rustic.*

11. Susurro genus hominum perniciosissimum est. Epist. 27, *ad Eustoch.*

12. Susurro suum rodit auctorem, et dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore baccatur. *Ibid.*

13. Susurro simulat laudem verborum, et quærit audire unde jurgia seminet. Lib. 3, super *Prov.*, cap. 26, super illud : *Verba susurronis*, etc.

14. Susurro incentor litis, et bilinguis est. *Ibid.*

HUGO CARD. 15. Susurrones proprie advocati diaboli sunt : et quod Dei est, diabolo attribuunt. Super *Prov.*, cap. 24.

16. Sicut ligna, materia, sive cibus, sunt ignis : ita susurria, fomenta sunt jurgiorum. *Ibid.*, cap. 26.

S. JOANNES CHRYSOST. 17. Oportet obumbrare, et contegere delicta proximorum, tu autem ea traducis, sub prætextu honestatis : non efficeris accusator tantum, sed et susurro. Homil. 21, super *Epist. ad Hebr.*

S. MAXIMUS MART. 18. Ne tanquam benevolos eos existimes, qui tibi sermones ad aurem apportant, dolorem et odium erga fratrem in te operantes, tametsi vera narrare videantur. *Centur.* 4, *de Charit.*, cap. 31.

ORIGENES. 19. Susurronum et detractorum os aperit diabolus. Homil. 3, in cap. VII, *Exod.*

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 20. Verbis est ille, quam membris execrabilior. Lib. 3, epist. 13, *ad Apollinar.*

S. THOMAS AQUINAS. 21. Quanto amicitia honori præstat, tanto susurratio, per quam amicitia tollitur, detractione (per quam honor læditur) gravius est peccatum. 2, 2, quæst. 74, art. 2.

IN VIT. PATR. 22. Susurrans serpens ad Evam eam de paradiso ejecit : qui proximo obloquitur, serpentis susurrantis similis est; quoniam se audientis animam perdit, et suam non salvat. Lib. 5, libello 4, *de Continentia*, num. 52.

SENECA. 23. Neminem susurrro appetas. neminem suffodias, palam aggredere. *De quatuor Virtut.*

## TACITURNITAS.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia.* Taciturnus dicitur, quasi in tacendo diuturnus. Lib. 10, *Etym.*, verbo *Taciturnitas.*

S. ALBERTUS MAGNUS. *Definitio.* Taciturnitas vera et perfecta est, non solum moderari linguam a verbis illicitis, sed etiam ab utilibus et licitis. Part. 1, *in Paradiso animæ*, cap. 31.

HUGO A S. VICTORE. Taciturnitas est cum quadam fructuosa animi quiete a verbis, etiam utilibus linguæ suæ coercitio. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 15.

JOAN. GERS. Taciturnitas est temperantia modificativa verborum Part. 4, *de Descript. terminor.*, cap. *Temperantia.*

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Tria sunt silentia : silentium oris ; tranquillitas mentis ; velamen mysterii. Verba primi silentii discreta ; secundi, secreta ; tertii, manifestatio mysterii. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 16.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Differentia.* Inter tacere et silere hoc interest, quod qui desinit loqui, silet : et qui non cœpit, tacet. Lib. 1, *de Differentiis*, different. 55.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Ad amorem taciturnitatis inducere nos debet sanctissimum exemplum Domini nostri Jesu Christi, qui taciturnitatem commendans, de impositione criminum interrogatus, se noluit excusare, sed tacere. *In Paradiso animæ*, part. 1, *de Virt.*, cap. 31.

2. Silentium cor distractum componit, conscientiæ serenitatem inducit, et ad recipiendam gratiam divinam, habilem mentem facit. *Ibid.*

3. Ubi non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur. *Ibid.*

4. Ubi non est moderatio linguæ, ibi nunquam erit perfectio vitæ. *Ibid.*

S. AMBROS. 5. Nil debemus præ cæteris discere, quam tacere, ut possimus loqui : ne nos prius vox condemnet nostra, quam absolvat aliena. *Prosec.*

6. Periculum est condemnationis loquendo, cui tacendo potest esse tutior.

7. Complures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quemdam tacendo : ideoque tacere nosse, quam loqui difficilius est.

8. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant : rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit; sapiens ergo, qui tacere novit. Lib. 1, *Offic.*, cap. 2.

9. Si servus convitium dicat, justus tacet : si infirmus contumeliam faciat, justus tacet : si pauper criminetur, justus non respondet. *Prosec.*

10. Hæc sunt arma justi, ut tacendo vincat, sicut periti jaculandi cedendo solent vincere fugientes. *Ibid.*, cap. 5.

11. Maxima virtus est tacendi : nullum ergo ex ore verbum quod revocare velis, proferas, sed parcior loquendi fiducia sit. Lib. 3, *de Virgin.*

12. Non mediocris virtus est tacere : est enim et tempus tacendi, sicut tempus loquendi. *De Institut. virgin.*, cap. 1.

13. Maximus actus verecundiæ, silentium est. Lib. 1, *Offic.*, cap. 18.

S. ANTONIN. 14. Silentium juvat ad mentis refectionem, et gratiam consequendam. Part. 1, tit. 5, cap. 1, § 13.

S. AUGUST. 15. Utinam isti, qui vacare volunt manibus, omnino et lingua. *De Opere monachor.*, cap. 22.

16. Taceat lingua necesse est, ubi ipsa veritas sibi adest : taceat lingua in bono negotio, quæ in malis causis obticere consuevit. Serm. 2, *fer.* 2, *post Dom. Palmar.*

17. Tacet, qui defensione non eget : bene tacet, qui defensionem non desperat. Serm. 1, *fer.* 2, *post Dom. Palmar.*, et serm. 2, et in ord. 118.

18. Loquaces laudare non audeo, sed tacentes beatos prædicare præsumo. Serm. 6, *ad Fratr. in eremo.*

19. Non solum a malis sed etiam quandoque a bonis silere, laudabile est. *Ibid.*

20. Aliquando aliquid veri tacere utile est. In *Expos. Epist. ad Galat.*, cap. II.

21. Deus parcit dum tacet, sed non semper tacebit. Audi dum non tacet in verbo, ne non tibi vacet audire, dum non tacebit in judicio. *De decem Chordis*, cap. 1.

S. BERNARD. 22. Silentium custos est religionis. Serm. 2, *post octav. Epih.*

23. Bonum silentium a jactantia est, bonum a blasphemia, bonum a murmure, et a detractione. Serm. *Nativit. B. Mariæ.*

24. Silentium infringere, animi negligentis

aut dissoluti spiritus indicium est. *De Præcepto et Dispens.*

25. Silentium maximus actus verecundiæ est. *De Ordine vitæ.*

26. Pythagoras legem dedit silentii discipulis suis, ut tacentes per quinquennium, loqui discerent : et tu non vis tacere, cui virtus silentii propria est. *Ibid.*

27. Sapiens est qui novit tacere. *Ibid.*

28. Non semper silentio studendum est, licet cum magno studio silentium sit servandum : sed januam oris nostri quandoque claudere, quandoque aperire debemus; quatenus ita taceantur mala, ne cum malis etiam bona et utilia taceantur. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 26.

BONAV. 29. Si dignum quippiam relatione non habes, tace. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

SSIODOR. 30. Tacuit quod loqui fas fuit; locutus est quod tacere debuisset. Super *Psalm.* XXXI.

31. Facilius tacendo culpa refugitur, quam loquendo. Super *Psalm.* XXXVIII.

LEMENS ALEX. 32. Ubi silentium est, sermo est præstantius. Lib. 2, *Stromat.*

33. Silentii munus expers est periculi. *Ibid.*

DIADOCH. 34. Præclara res est silentium, nihilque aliud quam mater sapientissimorum cogitatuum. *De Perf. spirit.*, cap. 70.

ONYSIUS ARTHUS. 35. Sit religiosus in observatione silentii rigorosus. Super *Epist. Jacobi*, cap. 1, art. 3.

EPHRÆM. 36. Taciturnitas juveni, sicut equo frænum est. *De Timore Dei.*

FRANCIS. SSISIAS. 37. Taciturnitas modesta, et puri cordis est firma custodia, et inter virtutes magnas non modica. In suis *Opuscul.*, apophthegm. 16.

LLEBERT. NGLUS. 38. Monachorum est non colloquium, sed silentium. Serm. 7, super *Cant.*

OSS. ORD. 39. Facundius loquitur, qui obstupescendo tacet. Super *Job*, cap. 9.

40. Quod garrulitas admisit, silentium deleat. Super *Levit.*, cap. XXV.

OSS. INT. 41. Pœna est iniquo tacere. Super *Job*, cap. II.

GREGOR. AGNUS. 42. Qui murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis. Lib. 7 *Moral.*, cap. 17, num. 25, super illud *Prov.* XXV : *Sicut urbs patens*, etc., et in *Pastor.*, lib. 3, cap. 1, admonit. 15.

43. Imperita mens, silentium pœnam putat. *Ibid.*, lib. 10, cap. 3.

44. Non tam pro custodia puritatis, quam obstinatione protерviæ, quidam tacere subjecti solent. Lib. in I *Reg.*, cap. III, super illud : *Indicavit ergo ei Samuel.*

45. Sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiscretum silentium, hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Part. 2 *Pastoral.*, cap. 4.

46. Utinam tanta utilitas e sermonibus nasceretur, quanta e taciturnitate. Orat. 5, de sua *Excusat.* S. GREGOR. NAZ.

47. Nescitis quantum bonum divinitus sit consecutus, cui silere liceat. *Prosec.*

48. Loquere, si quid silentio præstantius habes : silentium autem amplectere ubi silere præstat, quam loqui. Hab. apud D. Joan. Damascen., lib. 1, *Parall.*, cap. 78.

49. Sermo debet esse silens, et silentium loquens. Epist. 15, *ad Marcellam.* S. HIERON.

50. Christiani interdum pudoris est, etiam apud amicos tacere, et humilitatem suam magis silentio consolari, quam retrectando veteres amicitias, ambitionis crimen incurrere. Epist. 4, *ad Pammach.*

51. Sit certa atque librata, suique opportunitate gratissima silentii verbique ratio. Epist. 1, *ad Demetriad.*

52. Nunquam omnino virginis os loquatur, ut tacuisse melius sit. *Ibid.*

53. Religio sancta non potest esse in loquacibus, qui nullo possunt tempore silere. In *Regula monachor.*, cap. 22, *de Silentio.*

54. In choro, dormitorio, cœnaculo, claustro, ac capitulo, omni tempore loqui non decet. *Ibid.*

55. Discat aliquando recte tacere, qui nunquam didicit loqui. Hab. apud Bedam, in suis *Scintillis*, cap. 16.

56. Silentium secretum honorat. Lib. 10, super cap. 15 *Cœlest. Hierarc.* HUGO A S. VICT...

57. Tegenda sunt nonnunquam aliqua quæ dici possent, ut semper supersit quod intus requiratur, et ne vilescat, si totum exponatur. *Ibid.*

58. Amet monachus silentium claustri, ut non amet negotia principum, nec secularium vagus quærat accessum. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 16.

59. Stultum tacere, semper bonum est : sapientem vero aliquando tacere, aliquando loqui, necesse est. Super *Prov.*, cap. 17. HUGO CARD.

60. Hic est primus disciplinæ actualis ingressus scilicet silentium. Collat. 14 *Abbat. Nesterotis*, cap. 9. JOAN. CASS.

61. Si religiosa non tacere, lucrum est : tacere, dispendium. Homil. 7, *ex Divers. in Matth.* S. JOANNES CHRYSOST.

62. Melior es, tace, ut persistas esse melior : quia si loquaris, omnia exinanisti : si te putas meliorem, desisti : si non putas, multum sane profecisti. Homil. 2, super II *Tim.*

63. Noli præter rationem silere, ne ex tui silentii improbitate aliis turbationis et amaritudinis auctor fias. Gradu 4. S. JOANNES CLIM.

64. Taciturnitas est mater orationis, captivitatis

revocatio, ignis divini amoris observatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lacrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, suppliciorum pictrix, judicii indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fiduciæ, quietis conjux, ambitiosæ doctrinæ adversatrix, scientiæ adjectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus. *Ibid.*, gradu 11.

65. Studiosus silentii appropriat Deo, ipsique jugiter in abdito cordis assistens, illustratur ab eo. *Ibid.*

66. Jesu silentium admirationi et reverentiæ Pilato fuit. *Ibid.*

JOAN. GERS. 67. Ubi censura silentii servatur arctius, ibi religio viget laudabilius et perfectius. In *Quæst. quatuor* cum suis *Respons.*, quæst, 1, conclus. 3.

JOAN. TRITH. 68. Qui tacere nescit, Religiosus non est. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 8.

69. Optima custodia conscientiæ est taciturnitas. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN. 70. Revera nullus scit fructuose loqui, qui ignorat prudenter tacere : taciturnitas namque bene loquendi principium est. *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 15.

71. Silentii virtus hæc est, non semper tacere : sed illa sola, quæ loqui non licet. *Ibid.*

72. Pacifica mens, cultrix Dei, et virtutum amatrix, provida gubernatione intra claustra silentii cohibet linguam. *Ibid.*

PETRUS BLESENS. 73. Cum honoratior et prœpotens persona loqui voluerit, tenere debent, qui circumstant, silentium. Serm. 6.

S. PETRUS DAMIANUS. 74. Templum Dei per silentium crescit; quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificii structa consurgit : tantoque subcrescens, in altiora sustollitur, quanto per silentii custodiam circumclusa sese extrinsecus fundere prohibetur. Lib. 7, epist. 6, *ad Agnetem imperatric.*

75. Custos justitiæ, silentium est. *Ibid.*

76. Mens humana dum intra silentii claustra undique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cœleste desiderium rapitur, et in amore ejus per ardorem spiritus inflammatur : et tanquam fons vivus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, undis excrescentibus, in altiora cumulatur. *Ibid.*

77. Silentium perseverantem monachum vigilem reddit. *Opusc.* 12, cap. 25.

78. Assuescat lingua sub taciturnitatis se cohibere censura ; tacendo discat, quod loquendo postmodum graviter proferat : ne si nunc districtum negligit custodire silentium, loquendi postmodum nequeat frænare pruritum. *Opusc.* 49, cap. 4.

79. Sermonis mors est silentium. Lib. *de Temulent.* PHILO JU[DÆUS]

80. Qui de omnibus alienis tacet, de omnibus pacem habet : o pretiosum verbum, utile, semper animo retinendum ! Serm. 3, *ad Novit.*, divis. 1. THOMAS A KEMPIS

81. In nullo statu et ordine stabit pax et disciplina, si non adsit censura silentii, quietis amica, devotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga. *Ibid.*, serm. 4, divis. 3.

82. In silentio discetis, qualiter et cui loqui debeatis. *Ibid.*

83. Multa jurgia cessare facit, qui patiens est et tacet. *Ibid.*, serm. 13, divis. 8.

84. Bonum est silentium servare, et verba sua caute ponderare : qui enim silentium bene servat, quasi sacculum pecunia plenum secum ad domum mentis portat. *Prosec.*

85. Dixit enim quidam expertus : quidquid boni tacendo colligo, hoc fere totum loquendo cum hominibus dispergo. *Ibid.*

86. Una hora silentii cum Deo expensa, plus lætificabit conscientiam, quam tres horæ vanis fabulis consumptæ. *Ibid.*, serm. 30, divis. 6.

87. Silentium amica solitudinis est : nam raro bene, nisi in solitudine custoditur. *Ibid.*, serm. 8.

88. Vellem me pluries tacuisse, et inter homines non fuisse. Lib. 7, *de Imit. Christ.*, cap. 10.

89. Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet. *Ibid.*, cap. 20, sect. 2.

90. Oris silentium, pacis domicilium. In *Hortulo rosar.*, cap. 8, sect. 2.

91. Qui nescit tacere cum tempus est, confundit se coram multis. *Ibid.*, cap. 9, sect. 2.

92. Inter confusos linguæ sonos, neminem pœnituit tacuisse. Homil. 5, *de Oris insolentia.* S. VALER. EPISCOPUS

93. Sicut nimium malos loqui ingratum est, ita inutile est bonos semper tacere. *Prosec.*

94. Tacendum est plane, cum improbus sermo labia quieta sollicitat : et loquendum, cum os amicum pacis studia commendat.

95. Ita et loqui et tacere, perfectio est : est autem utriusque partis causa, verborum tenuisse mensuram.

96. Magnum est tacere, magnum est et loqui : sed sapientis est utrumque moderari.

97. Nam aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut et verborum nimietas ad furorem refertur.

98. Jam malo aliquis tacendo stultus, quam nimium loquendo judicetur insanus. *Ibid.*

99. Taciturnus requiem possidet. Lib. 7, cap. 32, num. 3. IN VIT. PATR.

100. Qui in taciturnitate silentiarii non ædifica-

tur, neque in ejus sermone ædificabitur. Lib. 5, libell. 15, *de Humilit.*, num. 42.

101. Peregrinatio nostra est tacere. In *Sent.*, sent. 62,

102. Impossibile est sine custodia oris proficere hominem vel in una virtute : prima enim virtus, custodia oris est. *Ibid.*, sent. 96.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 103. Mulieri decus affert taciturnitas, sed non ita viro. Lib. 1, *Polit.*, cap. 8.

CATO POET. 104. Virtutem primam esse puta, compescere linguam. *Prosec.*

105. Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere. Lib. 1, *Distichor.*, metr. 5.

106. Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. *Ibid.*, metr. 24.

CICERO. 107. Si quia stultus es, ea re taces : non tamen quia taces, ea re stultus es. Lib. 4, *de Arte rhet.*

108. Tibi diligentissime est lingua continenda. Lib. 1, *epist. ad Quintum fratr.*, epist. 1.

EPICTETUS. 109. Majori ex parte silentium præstetur, aut necessaria dicantur, eaque paucis. In suo *Enchirid.*, cap. 41.

MIMUS PUB. 110. Miserum est tacere cogi, quod cupias loqui. In suis *Sentent.*, sent. 224.

SENECA. 111. Quædam satius est causæ detrimento tacere, quam verecundiæ dicere. Lib. 1, *Controvers.* 2.

112. Non minus magna virtus est, scire desinere, quam scire dicere. *Ibid.*, lib. 4, *Controvers.* 28.

113. Quid prodest silentium, si affectus fremunt? Epist. 56.

114. Magna res est vocis, et silentii temperamentum. *De Moribus.*

115. Qui nescit tacere, nescit loqui. *Ibid.*

SIXTUS PHILOSOPH. 116. De quibus ignoras, tace : de quibus autem certus es, loquere opportune. *Sent.* 152.

117. Sapiens vir, et cum tacet, honorat Deum, *Ibid.*, *Sent.* 408.

VALERIUS MAXIMUS. 118. Xenocrates cum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, uno ex his quærente, cur solus linguam suam cohiberet : quia, inquit me fuisse locutum aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. Lib. 7. *Dictor. memorabil.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Amissio*, sent. 104; *Castitas*, sent. 11 ; *Clamor*, sent. 69 ; *Interrogatio*, sent. 22 ; *Locutio*, sent. 29, 71, 72, 73, 116, 141, 142; *Meditatio*, sent. 85 ; *Multiloquium*, sent. 22 ; *Passio Christi*, sent. 30, 31 ; *Verbum otiosum*, sent. 7 ; *Verecundia*, sent. 9.

## TEMERITAS.

S. BONAV. *Definitio.* Temerarius est, qui aggreditur quod super vires est. Serm. 6, in *Hexam.*

GLOSS. ORD. Temeritas est nequitia, quando audet quod nequit vel intemperantia sui. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.

HUGO A S. VICTORE. Temeritas est rationis expers procacis animi indisciplinatus excursus. *De Fruct. carnis et spiritus*, cap. 6.

S. THOMAS AQUINAS. Temeritas est defectus consilii, et species imprudentiæ. 2, 2, *Quæst.* 53, art. 2.

Temere fieri dicuntur, quæ ratione non reguntur. *Ibid.*, *Quæst.* 53, art. 3.

CICERO. Temeritas est cum inconsiderata laborum perpessione, periculorum præsumptuosa susceptio. Lib. 4, *de Arte rhet.*, *ad Herenn.*

PLATO. Temeritas est audaciæ excessus ad timores, ubi non est opus. *De definit.*

S. ISIDORUS HISPAL. *Differentia.* Inter temeritatem et audaciam hoc interest : quod temeritas sine consilio dicitur, audacia post consilium. Lib. 1, *de Differentiis*, differ. 114.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Impunitate nutritur audacia. *De Noe et Arca*, cap. 10.

S. AUGUST. 2. Compescat se humana temeritas, et id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat. Lib. 2, *de Genesi contra Manich.*, cap. 2.

3. Qui vera virtute fortis est, non temere audet. Epist. 29, *ad D. Hieronym.*

4. Temeritas asserendæ incertæ dubiæque opinionis, difficile sacrilegii crimen evitat. *De Genesi ad lit. imperf.*, cap. 1.

5. Quidquid casu fit, temere fit. De 83, *Quæst.*, quæst. 24.

6. Per seipsam temeritas, non bene affecti animi signum est. *De Utilit. credendi*, cap. 11.

S. BERNARD. 7. Temeritas est quislibet ausus, quem non parturivit prudentia. Lib. 1, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

8. Quomodo humana temeritas audet reprehendere, quod minime comprehendere valet? *Ibid.*, lib. 2.

9. Quid ad omnia se magis temere, quam libere consuevit ingerere, impossibile est eum aliquando non errare. *De duodecim Grad. humilit.*, gradu 2.

CASSIODOR. 10. Quid miserius, quam ut res fragilis tantis ausibus insolescat? Super *Psalm.* CXXXVI.

S. CYPRIAN. 11. Nimium præceps est, qui transire contendit, ubi alium conspexerit cecidisse. *De Singular. cleric.*, cap. 2.

S. EPHRÆM. 12. Temeritas suos crudeliter cædit amatores : non enim est malitia, cujus non sit mater temeritas. *Ad Monachos.*, parænes. 47.

13. Temeritas odit veritatem, mendacium diligit, disciplinam non admittit, admonitiones rejicit, insolentia gaudet, contumaciam fovet, reprehensionem non suscipit, voluptates nutrit, Deum contemnit, homines non erubescit. *Ibid.*, etc.

GLOSS. ORD. 14. Omnis actio temeritate vacare debet. Super *Levit.*, cap. II.

GRATIANUS. 15. Temeritas facilitatis veniam continet, et inconsultus calor, calumniæ vitio caret. In *Decret.*, part. 2, causa 2, quæst. 3, can. *Si quem*, § *Temeritas.*

S. GREGOR. NAZ. 16. Temeritas inscitiæ soboles existit. Orat. 20.

S. GREGOR. THAUMAT. 17. Illud tibi cavendum est, ne audax et temerarius sis, ne alioqui te intempestiva, et præmatura mors abripiat. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

S. HIERON. 18. Grandes materias, ingenia parva non sustinent; et in ipso conatu ultra vires ausa succumbunt. Epist. 3, *ad Heliodor.*

S. HILARIUS 19. Quam dedecorosus est temeritatis impetus! Super *Psalm.* CXXV.

HUGO CARD. 20. Non prævidere quod desideretur, sed statim ignota cupere, furiosa audacia est, et præceps temeritas. Super *Ecclesiasten*, cap. 6.

21. Sunt multi temerarii in periculis et naufragiis spiritualibus : temerarium enim est non cavere, ubi multa sunt pericula. Super II *Cor.* 13.

S. JOANNES CHRYSOST. 22. Audacia temeritatis plena, impudens et pertinax adeo est, ut impossibilia etiam invadere non vereatur. Homil. 71, super *Matth. Oper. imperf.*

23. Temeritas est, quando quis ira percitus conviciatur modo qui neminem decet, aut seipsum ulciscitur, aut aliquo modo injuste quidquam audet. Serm. 5, super *Epist. ad Philipp.*

24. Qui in homines temerarius est, in Deum quoque temerarius est. Homil. 7, super II *Tim.*

25. Qui cuncta vult improba temeritate rimari, hic perit temeritate sua. *Ibid.*, homil. 8.

LACT. FIRM. 26. Fortitudo si nulla necessitate cogente, aut non pro causa honesta certum periculum subierit, in temeritatem convertitur. Lib. 6, *de divin. Inst.*, cap. 14.

S. LEO I. 27. Impia temeritas sibi ipsi fraudat, sed rectis cordibus non potest. Epist. 36, *ad Martin. Presb.*

28. Temeritas non intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. Epist. 92, *ad Rustic. Narbonens. episc.*, cap. 16.

PHILO JUD. 29. Ex ignorantia temeritateque magni casus proveniunt. *De Migrat. Abrahami.*

THEOPHYLACTUS. 30. Temere se in periculis objicere, Deo gratum non est. Super *Matth.*, cap. 12, in illud : *Secessit illinc.*

IN VITIS PATR. 31. Quæcunque super mensuram sunt, dæmonum sunt. In *Sent.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 32. Nihil est tam sanctum, quod non aliquando violet audacia. Orat. 2, *pro Roscio.*

33. Nunquam temeritas cum sapientia commiscetur. Orat. 40.

34. Animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate impellitur, temeritatis potius nomen habet, quam fortitudinis. Lib. 1, *de Offic.*

PLINIUS II. 35. Crescit audacia experimento. Lib. 9, epist. 33, *ad Caninium.*

SENECA. 36. Temeritas sub titulo fortitudinis latet. Epist. 45.

37. Plerumque temeritatem casus juvat. Lib. 3 *Dictor. memorabil.*, cap. 8.

VALER. MAX. 38. Temeritatis impulsu hominum mentes concussæ, nec sua pericula respicere, nec aliena facta justa æstimatione prosequi valent. *Ibid.*, lib. 9, cap. 8.

Vide etiam tit. *Juventus*, sent. 30; *Nescire*, sent. 13; *Securitas*, sent. 11.

## TEMPERANTIA.

S. ATHANAS. MAGNUS. *Etymologia.* Temperantia dicta est, vel eo quod salutaria provideat, vel quod corpus a sordibus conservet. *De Definit.*

S. ALBERT. MAGNUS. *Definitio.* Temperantia vera et perfecta, est justa moderatio motuum interiorum, et exteriorum operum. In *Paradiso animæ*, part. 1, *de Virt.*, cap. 11.

S. AUGUST. Temperantia est affectio coercens et cohibens appetitum ab his rebus, quæ turpiter appetuntur Lib. 1, *de Lib. Arbit.*, cap. 13.

S. BONAV. Temperantia est declinatio prosperorum; contemnit enim prospera. Serm. 4, *de Uno Martyre.*

Temperantia est virtus; sine qua omnis virtus est sine modo, quasi equus sine fræno, et asinus sine chamo. *Ibid.*

S. BONAV. & S. AUGUST. Temperantia est amor Deo sese integrum, incorruptumque conservans. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 42.

HUGO A S. VICTORE. Temperantia est in illicitos animi impetus rationis firma et discreta dominatio. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 15.

JOAN. GERS. Temperantia est habitus laudabilis inclinans animam, ut afflictiones et operationes inde sequentes moderatæ sint, et ordinatæ secundum rectam rationem. Part. 4, in *Descript. termin.*, cap. *Temperantia.*

CICERO Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma et moderata dominatio. Lib. 2, *de Invent. rhetor.*

Intemperantia est a tota mente, et recta ratione defectio. Lib. 4, *Tuscul. Quæst.*

Temperantia est moderatrix omnium commotionum. *Ibid.*, lib. 5.

PLATO. Temperantia est moderatio animæ circa cupiditates, quæ in ipsa secundum naturam fiunt. *De Definit.*

UGO CARD. *Divisio.* Hæ duæ partes sunt temperantiæ, continentia scilicet et abstinentia. Super *Epist. ad Tit.*, cap. 1.

. BONAV. *Productio.* Ex temperantia procedit continentia, castitas, sobrietas, parcitas, largitas, moderantia, honestas, verecundia, abstinentia, modestia. *De quatuor Virtutibus.*

UGO A S. VICTORE. Temperantiæ comites sunt : discretio, morigeratio, taciturnitas, jejunium, sobrietas, afflictio carnis, contemptus seculi. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 15.

. BONAV. *Comparatio.* Sicut a sessore mediante fræno ducitur equus, sic caro a spiritu fræno temperantiæ gubernatur. Tit. 5, *Diætæ*, cap. 6.

CICERO. Quemadmodum temperantia sedat appetitiones omnes, et efficit ut hæ rectæ rationi pareant : sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. Lib. 4, *Tusc. Quæst.*

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Temperantia modum ordinemque servat omnium, quæ, vel agenda, vel dicenda arbitramur. Lib. 1, *Offic.*, cap. 24.

2. Ea est tranquillitas animi, et temperantia, quæ neque studio quærendi afficitur, neque egestatis metu angitur. *Ibid.*, cap. 36.

3. In modestia et temperantia maxime tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honesti cura, decoris consideratio spectatur. *Ibid.*, cap. 43.

4. Cibus parcimoniæ, potus abstinentiæ, docet vitia nescire, qui docet causas nescire vitiorum. Lib. 1, *de Virginit.*

5. Temperantia sacratæ vinculo charitatis, mysteriorumque contemplatione cœlestium, negligit corporis voluptates. *Ibid.*, lib. 3.

6. Temperantia est correctionis prævia, disciplinæ magistra. Lib. 1, *de Jacob*, cap. 2,

7. Temperantia a peccato abstinet, sæculum calcat, illecebrosa non quærit. Lib. 5, super *Luc.*, cap. 6, in illud : *Beati pauperes*, etc.

AUGUST. 8. Habet vir temperans in his rebus mortalibus et fluentibus vitæ regulam utroque testamento firmatam : ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum satis est, usurpet, utentis modestia, non amantis affectu. *De Moribus Eccles.*, cap. 21.

9. Omne officium temperantiæ est contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia et divina conferre. *Ibid.*, cap. 19.

10. Actio qua sese anima opitulante Deo, ab amore inferioris pulchritudinis extrahit, virtus est quæ temperantia dicitur. Lib. 6, *de Musica*, cap. 15.

11. Non posse a libidinosis operibus temperare non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Lib. 3, *de Lib. Arb.*, cap. 18.

12. Corpus nostrum, cum per temperantiam castigamus, si hoc propter Deum facimus, sacrificium est. Lib. 10, *de Civit. Dei*, cap. 6.

13. Temperantia in senecta, non est temperantia, sed protervitatis impotentia. Conc. 13, *de Baptism.* S. BASILIUS MAGN.

14. Temperatum omne tam Deo qua hominibus est acceptabile. In suis *Prov.*, verbo *Temperatum.* V. BEDA.

15. Non est temperantia in solis resecandis superfluis, sed in admittendis necessariis. Lib. 1, *de Consid. ad Eugen. Pap.* S. BERNARD.

16. In omnibus negotiis temperantia utilis est. *De Ornam. Eccles.*, cap. 4. S. BRUNO.

17. In cibo et potu moderantiam serva, necessitatem, non delectationem require. In *Exhort. ad novit.*, art. 2. DIONYSIUS CARTHUS.

18. Moderati viri carnem regunt, et spiritui subdunt. Super *Psalm.* CXXXVII. GLOSS. INT.

19. Facilius anima demergitur a dæmonibus, quæ temperantiam negligit. *Centur.* 2, sent. 67. HUGO A S. VICTORE.

20. Esto temperatus in corde, mediocris in opere : anima enim quæ temperamentum custodit, salubriter vivit. *De Animæ medicina*, cap. 2.

21. Temperantia necessaria est, ne medela modum excedat. Super *Cant.*, cap. 8. HUGO CARD.

22. Non habet perpetuam castimoniæ puritatem, quisquis non jugem temperantiæ æqualitatem tenere contentus est. Lib. 5, *de cœnob. inst.*, cap. 9. JOAN. CASS.

23. Generalis hic temperantiæ modus est, ut secundum capacitatem virium, vel corporis, vel ætatis, tantum sibimet cibi unusquisque concedat, quantum sustentatio carnis, non quantum desiderium saturitatis exposcit. *Collat.* 2, *Abbat. Moysis*, cap. 22.

24. Omne quod cum moderatione fit, salubriter fit : quæ cum temperantia fiunt, salubria sunt. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16. S. ISIDORUS.

25. Ita temperantia adhibenda est, ut et vitia carnis non prævaleant, et vis ad ministerium bonæ operationis sufficiat. In *Regula monachor.*, cap. 9.

26. Sic nobis edendi est moderanda libertas ut etiam aliæ cupiditates eadem lege frænentur. Serm. 4, *Quadrag.* S. LEO I.

27. Maxime frænis continentiæ caro moderanda est, et quidquid sublimibus desideriis obviat, amputandum. Serm. 7 *Quadrag.*

28. Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli : ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oportet temperari. Epist. 92, *ad Rustic. Narbonens. episcopum.*

29. Delectatio edendi, etiam corporum contraria est saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, et quod futurum est oneri, subtrahat voluptati. Serm. 8, *de Jejun. septimi mensis.*

30. Felicior semper parca temperantia est, quam profusa luxuria. Serm. 8, *de Jejun. septimi mensis.*

S. PROSPER. 31. Temperantia, temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat. Omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat. Cogitationes pravas removet, inserit sanctas. Ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, et totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 19.

S. THEODOR. 32. Homo qui temperatus est, Deo est charus, similis enim illi est, qui vero non est temperatus, absimilis plane est. Lib. 12, *de Virtute activa.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 33. Abstinendo a voluptatibus efficimur temperati : et facti jam temperati maxime ab ipsis possumus abstinere. Lib. 2 *Ethic., ad Nicomach.*, cap. 2.

34. Qui a corporis abstinet voluptatibus, si hoc ipso gaudet, temperans est : sin moleste fert, intemperans. *Ibid.*, cap. 3.

CHILO LACED. 35. Temperantiam exerce. In *Dictis sapient. ex Græc.*, dict. 3.

CICERO. 36. Temperantia si in te est, non sinet te quidquam immoderate facere. Lib. 2 *Tusc. quæst.*

PLATO. 37. Temperantia voluptatibus et cupiditatibus dominatur. *De Convitio.*

38. Nullum est temperantiæ cum dissoluta nimiaque voluptate commercium. Lib. 3, *de Republ.*

SENECA. 39. Sæpe quidquid virtute erat partum, intemperantia corruit. Epist. 4.

40. Temperantia voluptatibus imperat : alias odit atque abigit, alias dispensat, et ad sanum modum redigit. *Prosec.*

41. Scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere. Epist. 88.

42. Nihil æque tibi proderit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis ævi, et hujus incerti. Epist. 114.

Vide etiam tit. *Licentia*, sent. 44; *Monachus*, sent. 74; *Nimietas*, sent. 13; *Virtutes cardinales*, per totum ; *Virtutum connexio in genere*, sent. 6, 38; *Virtutum connexio in specie*, verbo *Temperantia.*

TEMPLUM.

*Etymologia.* Templum dictum est, quasi tectum amplum. Serm. *Dom.* 1 *post Epiphan.* S. ANTONIUS DE PADUA.

*Definitio.* Templum est locus orationis, et oblationis Deo summo dicatus. Super *Apocal.*, cap. 21. HUGO CARD.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Adorari in templo debet, non negotiari, vel confabulari. Part. 3, tit. 12, *de Ecclesiis*, cap. 7, § 2. S. ANTONIN.

2. Habitat in singulis Deus, tanquam in templis suis, et in omnibus simul in unum congregatis, tanquam in templo suo. Epist. 57, *ad Dardanum.* S. AUGUST.

3. Templum totius summæ Trinitatis sancta est Ecclesia. In *Enchiridio*, cap. 56.

4. Templum Dei violat, qui violat unitatem. Super *Psalm.* X, vers. 4 : *Dominus in templo sancto suo.*

5. Si negotiationis domus non debet fieri domus Dei, dissolutionis debet fieri? Tract. 10, super *Evang. Joan.*, de cap. II.

6. O error horrendus ! itane, o Caipha, ut placeas Deo percutis placentem Deo, et templum Dei vivum feriente prosternitur, ne Dei templum lapideum deseratur? O execrabilis cæcitas ! *Ibid.*, tract. 93, de cap. XVI.

7. O quam plures sunt qui prius tabernam visitant, quam templum! Serm. 33, *ad Fratr. in eremo.*

8. Templum uni et soli vero Deo debetur Epist. 49, quæst. 3.

9. Templum Dei sumus in ista peregrinatione, sed magis in cœlis. Epist. 57, quæst. 1.

10. Simul omnes unum templum, et singuli singula templa sumus ; quia non est Deus in omnibus, quam in singulis major. *Ibid.*

11. Sanctificatio qua efficimur, et singuli templa Dei, et in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt. *Ibid.*, quæst. 2.

12. Deus qui ubique præsens est, et ubique totus, non in omnibus habitat ; sed in eis tantum quos efficit beatissimum templum suum, vel beatissima templa sua. *Ibid.*

13. Videns diabolus templa dæmonum deseri, hæreticos movit. Lib. 18, *de Civit. Dei*, cap. 51.

14. Nos martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quo-

rum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. *Ibid.*, lib. 22, cap. 10.

15. Templum non est factum ab hominibus, nisi aut vero Deo, aut eis qui pro diis habentur. Lib. 3, *contra Maxim.*, cap. 3.

16. Spiritui sancto templum non facimus, sed nos ipsi sumus. *Contra serm. Arianor.*, cap. 29.

17. Nos locus Dei sumus, quoniam templum ejus sumus. Tract. 111, super *Joan.*

ILIUS US. 18. Si templa construis sanctis Dei, eorum etiam trophæa constitue. Apud D. Joan. Damasc., orat. 1, *de Imag.*

ARD. 19. O vanitas vanitatum! sed non vanior quam insanior : fulget Ecclesia in parietibus, et in pauperibus eget; suos lapides induit auro, et suos filios nudos deserit. Inveniunt curiosi quo delectentur, et non inveniunt miseri quo sustententur. In *Apolog. ad Guillelm. Abbat.*, cap. *O vanitas.*

20. Templum sanctum est Deo mens pia, et altare optimum cor ejus. *Ibid.*

ORD. 21. Sancta et laudabilis vitæ consuetudo, templum est. Super illud *Psalm.* v : *Adorabo ad templum*, etc.

22. Illud vere templum Domini est, in quo fides vera, conversatio sancta, et omnium virtutum chorus est. Super illud *Hierem.* VII : *Templum Domini*, etc.

23. Quid prodest audacter ingredi limen domus Domini, et erecta stare cervice; et non solum cor, sed et manus habere pollutas? *Ibid.*

GOR. US. 24. Templum Dei superna patria est. Lib. 2, in I *Reg.*, cap. 3, super illud : *Æmulum suum videt in templo.*

25. Figuram civitatis supernæ, Salomonis templum gestavit. Super *septem Psalm. Pœnit.* in *Psalm.* L, vers. 19.

RON. 26. Verum Christi templum anima credentis est : illam exorna, illam vesti, illi offer donari, in illa Christum suscipe. *Prosec.*

27. Quæ utilitas est, parietes fulgere gemnis, et Christum in paupere fame periclitari? Epist. 13, *ad Paulin.*

28. Vas aureum et argenteum, non tam charum Deo est, quam templum corporis virginalis. Epist. 22, *ad Eustoch.*

29. Jesus ingressus in templum, ea quæ templi non erant, projecit. *Ibid.*

NNES OST. 30. Vis corpus Christi in templo honorare, non despicias ipsum nudum : neque hic quidem in Ecclesia sericis pannis induas, foris autem frigore ac nuditate confici, negligas. *Prosec.*

31. Cum ædes exornes, noli afflictum fratrem despicere, hoc enim templo multo principalius : nam illud infideles, reges et latrones capere possunt, quidquid autem benigne in fratrem feceris, nec diabolus ipse poterit nunquam eripere, sed manet thesauris æternis reconditum. Homil. 51, super *Matth.*, *Oper. perf.*

32. Quid facis homo? mulierum speciem curiosius in ecclesia perscrutaris : nec horrescis, tanta Dei templum afficiens contumelia? prostibulumne tibi videtur ecclesia, et foro ignobilior? nam in foro erubescis : etiam times ne quis te videat : in ecclesia vero Dei, nec horrescis, nec pavescis, nec stupes. *Ibid.*, homil. 74.

33. Templum hominum, est ædificatio lapidum pulchre composita; templum autem Dei, est congregatio electorum religiose conversantium. Homil. 47, super *Matth. oper. imperf.*

34. Argenteas quidem catenas ad lucernas in templo suspendis, ipsum autem in carcere vinctum ne vis quidem visere. Homil. 60, *ad Pop. Antioch.*

35. Pietatis argumentum est, assidue ad sancta loca commeare, ac crebris intercessionibus Deum placare. Vult enim Deus homines ad templorum portus continue appellere. Lib. 2 *Parall.*, cap. 14. S. JOAN. DAM.

36. Sit nobis Deus, non in templis, sed in corde nostro consecratus : destructibilia sunt omnia, quæ manu fiunt. Mundemus hoc templum, quod non fumo, non pulvere, sed malis cogitationibus sordidatur, quod non cereis ardentibus, sed claritate ac luce sapientiæ illuminatur. *De ira Dei*, cap. 23. LACT. FIRM.

37. Non templa Deo simpliciter congestis in altitudinem saxis struenda sunt, in suo cuique consecrandum est pectore, quoniam ipsum est Dei templum. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 25,

38. In templum Domini (quod est Ecclesia Christi) nil contaminatum inferri, nil profanum oportet admitti. Serm. 4, *Quadrag.* S. LEO I.

39. Veri Dei templum non patet profanis sacrificiis. Lib. 2, *de Victimis.* PHILO JUD.

40. In templa passim omnes sordidi atque flagitiosi, sine ulla penitus reverentia irrumpunt : non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant, sed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Lib. 3, *de Gubern. Dei.* SALVIANUS.

41. Templum profecto Dei sumus, sed cum benefacimus; verum non est Dei templum, ubi convenit multitudo vitiorum. Homil. 11. S. VALER. EPISCOPUS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

42. Templum sanctum est Deo, mens pii : et altare est optimum ei : cor mundum et sine peccato. *Sent.* 40 SIXTUS PHILOSOPH.

Vide etiam tit. *Zelus*, sent. 28.

## TEMPORALE.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Oh cum quanto labore ea, quæ in mundo sunt S. ANTONIN.

quæruntur, divitiæ, deliciæ, voluptates, honores, dignitates : cum quanto timore ea amittendi possidentur et sollicitudine ; cum quanto dolore perduntur, vel auferuntur. Part. 2, tit. 5, cap. 14, § 3.

2. Temporalia sunt vilia ob conditionem, deceptibilia ad felicitatem, defectibilia ad permansionem, inquinabilia ad trangressionem, impedibilia ad perfectionem, obligabilia ad rationem, nocibilia ad conservationem. Part. 4, tit. 14, cap. 2.

3. Quid est aurum et argentum ? certe spuma terræ ; quid sericum ? nonne stercus vermium vilissimorum ? *Prosec.*

4. Quid vestes laneæ ? nonne vellus pecorum ? quid palatia ? nonne lapides insensibiles ? quid agri ! nonne terra ? quid gloria temporalis ? nonne ventus ? *Ibid.*, cap. 2, § 1.

S. ANTONIUS DE PADUA. 5. Abundantia temporalium infelix anima ita suffocatur, ut sepulta mole consuetudinis malæ prematur. Serm. *Dom.* 6 *post Pascha.*

6. Non est evidentius signum æternæ damnationis, quam cum temporalia ad votum succedunt : sanctis autem Dominus subtrahit temporalia, ne amittant æterna. Serm. 1 *post fest. Trinit.*

7. Fides spernit temporalia, quæ quisquis diligit, fidem abjicit. *Ibid.*

S. AUGUST. 8. Non tibi alienis exemplis persuadendum est, quam fluxa et fragilia, et plena calamitatum sint omnia, quæ bona mortales putant ; cum ita ex aliqua parte bene expertus sis, ut ex te cæteris persuadere possimus. Lib. 1, *contra Academicos*, cap. 1.

9. Jubet lex æterna avertere amorem a temporalibus, et eum mundatum convertere ad æterna. Lib. 1, *de Lib. Arbit.*, cap. 15.

10. Nondum habet ad æterna contemplanda idoneam mentis aciem, qui temporalibus credit. *De vera Relig.*, cap. 54.

11. Animus nullo modo sanus existimandus est, qui non temporalibus æterna præponit. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 7.

12. Quanto sunt charitati futura meliora, tanto sunt infirmitati violentiora præsentia. Epist. 144, *ad Anastas.*

13. Inter temporalia et æterna hoc interest, quod temporale aliquid plus diligitur, antequam habeatur, vilescit autem cum advenerit : æternum autem ardentius diligitur adeptum, quam desideratum. Lib. 1, *de Doctrina christ.*, cap. 38.

14. Inutilia temporalia decipiunt ægrotos, utilia temporalia suscipiunt sanandos, et trajiciunt ad æterna sanatos. Lib. 4, *de Trinit.*, cap. 18.

15. Temporalia antequam sint non sunt, et cum sunt, fugiunt : et cum fugerint, non erunt. Lib. 3, *de Lib. Arb.*, cap. 7.

16. Bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur ; malus autem ideo infelicitate punitur, quia temporalium felicitate corrumpitur. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 8.

17. Temporalibus magis tendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis. *Ibid.*, lib. 11, cap. 25.

18. Qui temporalibus gaudent, bona æterna desiderare non noverunt. Super *Psalm.* LIII, vers. 2.

19. Sicut pili [illegible] sunt pars corporis, sed quædam superfluitas procedens a corporis humore : sic bona temporalia non sunt nobis naturalia, sed aliena et superflua. *De Contemptu mundi*, cap. 3.

20. Nihil est aliud male facere, quam neglectis æternis temporalia sectari. Lib. 1, *de Libero Arb.*, cap. 16.

21. Non sicut æterna temporalibus, ita ea quæ diutius abolentur, iis quæ breviore tempore transeunt, præferenda sunt. Lib. 6, *de Musica*, cap. 4.

22. Amor rerum temporalium non expugnaretur, nisi aliqua suavitate æternarum. *Ibid.*, cap. 16.

23. Temporalibus bonis non fiunt homines boni, sed aliunde boni facti, bene utendo faciunt ut ista sint bona. Epist. 121, cap. 2.

24. A dolore amissionis bonorum temporalium atque detrimento, tànto qnisque securior, quanto ea vel minus amaverit, vel tanquam non habens habuerit. *De Fide et Oper.*, cap. 16.

25. Repente pleræque accidunt tribulationes quæ turbant quietem ipsius vitæ mortalis, cum est in securitate rerum quamvis temporalium. *Annot. in Job*, cap. 10.

26. Deus temporalia movens, temporaliter non movetur. Lib. 10, *de Civit. Dei*, cap. 12.

27. Præ amore æternorum, temporalia mihi cuncta vilescunt. Tract. 52, super *Joan.*

28. Christus propter te factus est temporalis, ut tu fias æternus : quia et ille sic factus temporalis, ut maneret æternus. Tract. 2, super *Epist. Joan.*

29. Qui non temporalia quærit in Ecclesia, intrat ut sibi aliquid æternum promissum teneat quo perveniat. *Ibid.*, tract. 5.

30. Transitoria ista quæ stare tibi nullo pacto queunt, fac ut a te transeant, non per te. *Prosec.* S. BERNA

31. Rivus qua fluit, cavat terram : sic discursus temporalium conscientiam rodit. Lib. 4, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

32. Qui defigitur in amore temporalium rerum, in Deo nullatenus delectatur : quia curæ temporalium rerum, ab intentione Dei avertunt animum. Serm. 8, *ad Sororem.*

33. Septem sunt in temporalibus, quæ homines S. BON.

appetunt : pecunia, scientia, pulchritudo, dignitas, potentia, fortitudo, sanitas. Super *Psalm.* CIV.

34. Si temporalia petas, quomodo ille præstabit, quæ si habes, præcepit ut contemnas ? Super *Luc.*, cap. 11, in illud : *Omnis qui petit accipit.*

35. Illa omnia temporalia bona æternis bonis comparata, sunt vilissima stercora. Serm. 1, *de SS. Philipp. et Jacobo.*

36. Non est Christianæ dignitatis, in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Lib. 1 *Pharetræ*, cap. 9.

37. Quid vis ? an amare temporalia et transire cum tempore, an Christum amare et in æternum vivere ? In collat. *de Contemptu sæculi.*

FRANCISCUS TITELMAN. 38. Hic homo in vita temporali, quantas sollicitudines, labores, molestias, timores, et mille incommoda sustinet pro rebus temporalibus sive acquirendis, sive augmentandis, sive conservandis. In annot. super *Psalm.* XLVIII, vers. 8.

GLOSS. ORD. 39. Qui abundant in bonis spiritualibus, temporalia quantumcunque modica eis sufficiunt, imo pro divitiis computantur. Super *Psalm.* XXXII.

GLOSS. INT. 40. Præ amoris magnitudine, omnia temporalia sunt mihi fastidio. Super illud *Cant.* V : *Amore langueo.*

GLOSS. ORD. 41. Temporalia in hac vita Deus ad utendum, æterna ad fruendum : illa, unde bona faciamus : ista, unde boni efficiamur. Super illud I *Tim.* VI : *Qui præstat nobis abunde*, etc.

S. GREGOR. MAGNUS. 42. Perfectus Christianus quomodo debet res terrenas jurgando defendere, quas nunc præcipitur non possidere ? Lib. 31 *Moral.*, cap. 8.

43. Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. *Ibid.*, lib. 18, cap. 8.

44. Si semel in appetitu supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 20, num. 15.

45. Qui transeuntia amplectitur, eo ipso ad decursum ducitur, quo decurrentibus implicatur. *Ibid.*, lib. 8, cap. 24.

46. Quidquid temporale est subitum est, et ad instar puncti momentaneum. *Ibid.*, lib. 15, cap. 24.

47. Tanto quisque minus dolet, quod desint æterna, quanto magis gaudet, quod adsint temporalia : et qui minus dolet quod desint temporalia, certius expectat ut adsint æterna. *Ibid.*, lib. 22, cap. 2.

48. Tanto nos necesse est instantius æterna quærere, quanto a nobis cognoscimus velociter temporalia fugisse. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 38.

49. Temporale bonum difficile habetur, et cito amittitur. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. 2.

50. Continuus successus temporalium, est certum futuræ calamitatis indicium. Hab. apud D. Antonin., part. 4, tit. 3, cap. 7, § 10.

HUGO A S. VICTORE. 51. Prava mens quanto magis foris transitoria appetit, tanto amplius intus a desiderio æternorum conticescit. Super *Thren.*, in illud II : *Accincti sunt ciliciis*, etc.

52. Quam magnum damnum incurrit, qui pro rebus transeuntibus, hoc unde debet esse beatus, perdit ! Super *Regul. D. Aug.*, cap. 8.

53. Terrena corrumpuntur, finem expectant, pulchritudinis amittunt florem, bonitatis fructu privantur. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 4.

54. Ille prudentissimus est, qui sic scit transeuntia in usum vertere, ut tamen non norit in eorum defectu mentem a sua stabilitate declinare. Lib. 4, *de Vanit. mundi.*

HUGO CARD. 55. Cæci sunt homines, cum temporalia præponunt spiritualibus. Super *Gen.*, cap. 21.

56. Continuus successus temporalium, manifestum est divinæ reprobationis indicium. *Ibid.*, cap. 21.

57. Scientia verbi Dei amittitur, dum nimis ad temporalia intenditur. *Ibid.*, cap. 37.

58. Præ desiderio æternorum rejicienda sunt temporalia. *Ibid.*, cap. 47.

59. Tanto arctius temporalia despiciunt sancti quanto etiam hæc habere malos cernunt. Super *Job*, cap. 17.

60. Temporalia sunt mendacium : primo promittunt securitatem, et solvunt timorem ; secundo promittunt satietatem, et solvunt esuriem ; tertio promittunt delectationem, et pungunt : quarto promittunt honorem, et solvunt opprobrium ; quinto promittunt libertatem, et inducunt servitutem ; sexto promittunt beatitudinem, et faciunt miserum. Super *Psalm.* IV.

61. Temporalia superficialia et falsa et vana sunt : unde nihil est ibi soliditatis, quod vel morderi possit, vel comedi : sed linguntur, et desiderium accendunt : non satiant, sed peccatores ad appetendum provocant. Super *Psalm.* LXXI.

62. Non est genus tormenti, quo temporalia non torqueant amatores suos. Super *Eccles.*, cap. 1.

63. Stultus est, cui sapiunt temporalia, et desipiunt spiritualia. Super *Isa.*, cap. 32.

IDIOTA. 64. Non est Christianæ dignitatis his temporalibus exaltari, sed potius deprimi : cum mali nihil habeant in cœlo, et boni nihil in mundo. Lib. 2, *de Contemplat.*, *de vera patient.*, cap. 1.

S. IGNATIUS MART. 65. Nihil perpetuum quod videtur : quæ enim videntur temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna. Epist. 15, *ad Romanos.*

S. JOANNES 66. Omnia humana in figura tantum sunt, et

CHRYSOST. sicut umbra et somnium transeunt, nihil solidum, nihil verum habentia. Homil. 35, super *Gen.*

67. Fluxa sunt temporalia, nec quidquam hic firmum ac stabile : non divitiæ, non potentia, non gloria, non vita ipsa, sed singula finem habent. Homil. 4, *de Fide Annæ.*

68. Necessarium est qui terrenis rebus inhiat, a cœlestibus decidat. Homil. 7, super *Joan.*

69. Præsentia omnia, præ futuræ beatitudinis spe, ridicula sunt. *Ibid.*, homil. 43.

70. Præsentia nihil aliud sunt, quam tinearum et vermium esca. Homil. 84, super *Joan.*

71. Res ipsæ singulis diebus, tuba quavis clarius declamant, quam sint omnia hujus mundi vilia, quam ridicula, quam turpia, quam periculosa, quam profundi barathri. Serm. 14, super *Epist. ad Rom.*

72. Carnalis homo rebus præsentibus addictus est, atque in his perpetuo versatur. Homil. 3, super II *Cor.*

73. Cura rerum temporalium hyems est atque hyeme tristior. Homil. 7, super II *Cor.*

74. Nihil formidolosius homine rebus temporariis affixo, propterea quod ille vivit vitam Cain, quotidie tremens. *Ibid.*

75. Labor immensus in mundanis, fructus autem parvus, sæpius ne parvus quidem. *Ibid.* homil. 9.

76. Despiciamus præsentia et desideremus futura : præsentia enim umbræ sunt et somnia. Homil. 50, super *Genes.*

S. JOAN. DAM. 77. Quid in ipsis rebus præsentibus utilitatis est? quid quod stabile sit ac diuturnum ? *Prosec.*

78. Neque id solum, verum etiam tum quoque cum adsunt, ingens ipsis ærumna conjuncta est, ingens mæror, ingens et perpetua sollicitudo.

79. Si quidem earum voluptati ac perceptioni nihil non mœstitiæ ac doloris adnexum est, ipsarum divitiæ paupertas sunt, ipsarum sublimitas, extrema dejectio. *De SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 2.

S. ISIDORUS HISPALENS. 80. Cuncta temporalia quasi herbæ virentes arescunt et transeunt, ideoque pro æternis rebus, quæ nunquam arescunt, recte ista Dei servus contemnit, quia in eis stabilitatem non aspicit. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 16, sent. 6.

81. Terrena omnia servando amittimus, largiendo servamus : patrimonium enim retentum perit, manet autem erogatum. *Ibid.*, cap. 60, sent. 3.

82. Diu enim cum rebus nostris durare non possumus; quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viventes deserunt. *Ibid.*

83. Suo augmento perit, dum id quod videtur in futuro proficere, in præterito deficit. *Ibid.*, cap. 61, sent. 2.

84. Si bona mundi hujus peritura credimus, cur peritura tanto amore cupimus? *Ibid.*, cap. 41, sent. 8.

85. Qui temporalia maluerit, carebit æternis : LACT. FIRM. qui terrena prætulerit, cœlestia non habebit. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 21.

86. Bona temporalia fallacia sunt, quorum incerta et caduca possessio est. *Ibid.*, lib. 7, cap. 27.

87. Temporalia sunt fugienda, ut ad æterna veniamus. *In Epitome*, cap. *Hæc.*

88. Spernenda sunt terrena, ut cœlestibus oneremur. *Ibid.*

89. Temporalia amata inquinant, inquinata au- S. LAURENT. JUSTIN. tem anima Dei amore digna non est. *De Ligno vitæ*, tract. 4, *de Charit.*, cap. 12.

90. Hospes ille est, cui sordent humana. *Parænes.* 14. S. NILUS.

91. Omnia mundana, umbra et fumus, et bullæ sunt. *Ibid.*, *Parænes.* 211, etc.

92. Inhians temporalibus, deserit sempiterna. S. PETRUS CHRYSOL. Serm. 22.

93. Ad hoc dantur temporalia bona, quatenus S. PETRUS DAMIANUS. per hæc acquirantur æterna, ne (quod absit) in statera districti judicis malum præponderet, pondus boni operis inanescat. Lib. 4, epist. 2, *ad B. episc.*

94. Cogita temporalia mutari momento mini- PHILO JUD. mo, et simul ac effloruerunt, marcescere. Lib. 2, *de Victimis.*

95. Qui temporalia bona sectatur ac diligit, quæ S. PROSPER. et quanta sit divinæ dulcedinis multitudo non didicit. Lib. 2, *de vita Contemplat.*, cap, 16.

96. Totum quod in hoc mundo agitur, temporale est et transitorium. Super *Psalm.* CXLV, vers. 3.

97. Dimitte omnia transitoria, quære æterna. THOMAS A KEMPIS. *Prosec.*

98. Quid sunt omnia temporalia, nisi transitoria, nisi seductoria? Lib. 3, *de Imitat. Christ.*, cap. 1.

99. Abundantia temporalium, occasio est jurgiorum et mater vitiorum. *De Discipl. claustr.*, cap. 12.

100. Vere nihil est stultius, quam quærere du- S. VALER. EPISCOPUS. bia, et acquirere peritura. Homil. 20, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

101. Fragilia et caduca non minus quam ipsi PLINIUS II. homines, occidunt desinuntque. Lib. 2, epist. 16, *ad Octavium.*

102. Omnia humana brevia et caduca sunt, in- SENECA. finiti temporis nullam partem occupantia. *De Consolat. ad Marciam*, cap. 20.

103. Angustus animus est, quem terrena delectant. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 9.

104. Quidquid circa te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specta. Epist. CII.

105. Ostenduntur res istæ, non possidentur, et dum placent, transeunt. Epist. CX.

Vide etiam tit. *Acquirere*, sent. 17; *Comparationes*, sent. 23; *Delectatio*, sent. 93; *Dispensatio*, sent. 9; *Fastidium*, sent. 8; *Petitio*, sent. 62; *Rapina*, sent. 6, 7, 8; *Relinquere*, sent. 32; *Res*, sent. 53, 65, 67, 69, 72, 73, 75; *Satietas*, sent. 12, *Vaniloquium*, sent. 84.

## TEMPUS.

GLOSS. ORD. *Definitio*. Tempus est vicissitudo dierum et noctium. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 10, in illud : *Tempus amplius non erit.*

S. GREGOR. NYSS. Tempus est mensura cujuslibet mensuræ. *Prosec.*

Si tempori desit mensura, aut mensuræ opportunitas cum eo quod restat, omnino etiam id quod adest, est inutile : sed et in tempore conveniens est symmetria, et in mensura utilis est opportunitas. Homil. 4, super *Eccles.*

HUGO CARD. Tempus est mensura habens finem et principium. In Prologo super *Joan.*

S. LAURENT. JUSTIN. Tempus nihil aliud est, quam mensura motus cœlorum. Part. 2, serm. *de Vita solitaria*, cap. 10.

CICERO. Tempus generaliter definire difficile est, pars quædam æternitatis est, et est id quo nunc utimur. Lib. 1, *de Invent. rhetor.*

LACT. FIRM. *Divisio*. Omnia tribus temporibus contineri necesse est; præterito, præsenti, futuro. *Prosec.*

Præteriti est origo, præsentis substantia, futuri dissolutio : incipimus enim cum nascimur, et sumus cum vivimus, et desinimus cum interimus. *De divin. Instit.*, lib. 2, *de Origine erroris*, cap. 11.

SENECA. Tempus tribus partibus constat, præterito, præsente, et futuro. Epist. 124.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Habet thesaurum magnum, qui tempus ei concessum virtuose expendit. Part. 2, tit. 1, cap. 3, § 3.

2. Unicuique tempori congruit propria sollicitudo, sicut tempori æstatis competit sollicitudo metendi, et tempori autumni sollicitudo vindemiæ. *Ibid.*, cap. 25, § 2.

3. Debet tempus diligenter conservari, non perdi : nam et pretiosissimum est et brevissimum et est ejus usus examen fiendum subtilissimum. *Prosec.*

4. Tam pretiosum est tempus, quod damnati darent omnes thesauros mundi, si haberent in potestate sua, pro habendo momento temporis. Part. 2. tit. 6, *de Acedia*, cap. 14. § 1.

5. Nihil ita proprium possidemus, sicut tempus. *Ibid.*

6. Omne tempus tibi impensum a te exigetur, qualiter fuerit expensum : et sicut capillus a capite non peribit, ita nec momentum a tempore, de quo non exigatur ratio. *Ibid.*

S. AUGUST. 7. Quid est tempus? si nemo ex me quærat, scio : si quærenti explicare velim, nescio ; fidenter tamen dico scire me, quod si nihil præteriret, non esset præteritum tempus, et si nihil adveniret, non esset futurum tempus, et si nihil esset, non esset præsens tempus. Lib. 11 *Confess.*, cap. 14.

8. Spatium temporis quod subvenienti breve est, longum est amanti. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 20.

9. Nihil de præterito revocatur, quod futurum est transiturum expectatur, nondum habetur dum venit, non tenetur dum venerit. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 6.

10. In omnibus actionibus et motibus nostris, et in omni prorsus agitatione creaturæ, duo tempora invenio, præteritum et futurum. *Prosec.*

11. Præsens quæro, nihil stat : quod dixi, jam non est : quod dicturus sum, nondum est : quod vixi, jam non est : quod victurus sum, nondum est.

12. Præteritum et futurum invenio in omni motu rerum; in veritate quæ manet, præteritum et futurum non invenio, sed solum præsens, et hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est. Tract. 38, super *Evangel. Joan.*, de cap. VIII.

13. Incertus dies tanquam quotidianus sperandus est. *De decem chordis*, cap. 2.

14. Non quiescunt usque nunc murmurare homines laudando tempora præterita, accusando tempora præsentia. *De Tempore barbarico*, cap. 3.

15. Dies malos duæ res faciunt, malitia et miseria hominum. *Prosec.*

16. Ducunt vices, agunt tempora, oritur sol, occidit sol, transeunt tempora.

17. Cui molesta sunt tempora, si homines sibi non sint molesti?

18. Ergo dies malos duæ res faciunt, miseria hominum et malitia hominum : sed miseria communis est non autem malitia. *De Verbis Apostoli*, serm. 24.

19. Perde aliquid ut Deo vaces, non litibus perde : ex eo quod perdes, pretium est temporis. *Prosec.*

20. Quando aliquid amittis, ut aliquid habeas, tunc emis ; quod habes, emptum est, quod amittis, pretium est.

21. Quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid : sic perde nummos, ut emas tibi quietem.

22. Quanto tempus perdidisti, tanto melius est, ut nummos amittas, et tempus redimas. *Ibid.*

23. Sic se habet miseria conditionis humanæ et Dei miseratio, ut prius sit tempus mœstitiæ, posterius lætitiæ : prius sit tempus laboris, posterius felicitatis. Serm. 2, *fer.* 5 *Paschæ.*

24. Duo sibi tempora ordine suo succedunt, tempus flendi et tempus ridendi : nemo se circumveniat, fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi. Serm. 1, *de S. Laurentio.*

25. Deus non operatur ad tempus, et tamen fecit tempora, et quietem ex tempore. Lib. 13, *Conf.*, cap. 37.

26. Deus fecit tempora, et ideo antequam faceret tempora non erant tempora. Lib. 1, *contra Manich.*, cap. 2.

27. Dicuntur tempora æterna, non tamen sic sunt æterna tempora quomodo æternus est Deus; quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum. *Ibid.*

28. Multum pretiosa rebus salubribus impendenda temporum spatia. Lib. 2, *de Gen. ad lit.*, cap. 2.

29. Nulla tempora vel sunt, vel esse potuerunt, vel poterunt, quorum Deus non sit creator. *Ibid.*, lib. 4, cap. 201.

30. In Dei dispositione jam tempora facta sunt, quæcunque futura sunt. Lib. 10, *de Civit. Dei*, cap. 12.

31. Falsum est nihil esse posse sine fine temporis, nisi quod initium non habet temporis : inventa est enim animæ beatitudo, quæ cum initium temporis habuerit, finem temporis non habebit. *Ibid.*, cap. 31.

32. Tempus quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati mutabili non potest esse coæternum. *Ibid.*, lib. 12, cap. 15.

33. Peccata quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, brevissimo tempore perpetrantur. *Ibid.*, lib. 21, cap. 11.

34. Non habet tempus, per quem factum est tempus. Tract. 42, super *Joan.*

35. Non Christum tempus ut moreretur impegit, sed tempus Christus, quo moreretur elegit, qui etiam tempus quo de Virgine natus est, cum Patre constituit, de quo sine tempore natus est. *Ibid.*, tract. 104.

36. Quid est redimere tempus, nisi cum opus est, etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda et capessenda spatia tempori comparare ? Homil. 1, *ex Quinquag. Homil.*, cap. 2.

37. Curramus dum lucem habemus, ne prætereuntia salutis tempora negligamus. *Ibid.*, homil. 16.

38. Turpe est præsentis temporis occasionem dimittere, et postea aliquando quod præteritum est revocare. Conc. 25, *ad Adolescentes.* S. BASILIU MAGNUS.

39. Tempus miseriarum est mater. Orat. 27. S. BASILIU SELEUCENS

40. Omnis dies velut ultimus tractandus est. In suis *Prov.*, verbo *Omnis.* V. BEDA.

41. Habet justus tempus, quod bene expendit : huic tempus habenti, tempus in fine datur, *Prosec.* S.BERNARD SEN.

42. Ille vero tempus non habet, qui male vivendo tempus amisit pretiosissimum. Serm. 13, *fer.* 4, *post Dom.* 1 *Quadrag.*, art. 3, cap. 4.

43. Tanta est pretiositas temporis, quod parvo in tempore lucrari posset homo veniam et gratiam et gloriam. Serm. 42, *Dom.* 5 *Quadrag.*, art. 2, cap. 2.

44. Nemo parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis ? si quidem volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens quid amittat. *Prosec.* S.BERNARD.

45. Libet confabulari (aiunt) donec hora prætereat, donec pertranseat tempus : donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio conditoris indulget.

46. Donec transeat tempus, quo divinam tibi propitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. Serm. *de Triplici custodia linguæ.*

47. Quantos videmus quasi oblitos sui sic non redimere, sed amittere tempus, ut de moribus et affectionibus suis vix ultima apud ipsos mentio fiat. Serm. *contra Vitium ingratitud.*

48. Nihil pretiosius tempore, sed heu ! nihil hodie vilius astimatur : transeunt dies salutis, et nemo recogitat, nemo sibi non reditura momenta periisse causatur. In *Declamat.*

49. Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse : omnis siquidem res aliena est a nobis, tempus autem tantum nostrum est. Lib. *Medit.*, cap. 6.

50. Prætereunt tempora more fluentis aquæ. Super *Psalm.* LXXVI. S. BONAV.

51. Nihil pretiosius tempore, quia nihil pretiosius pœnitenti, nihil pretiosius proficienti, nihil pretiosius pervenienti. *Expos.* 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 8, vers 14.

52. Quatuor sunt tempora, quæ homines frequenter debent habere in memoria : tempus acceptabile nostræ reconciliationis; tempus miserabile humanæ resolutionis : tempus formidabile extremæ damnationis; tempus intolerabile æter-

næ damnationis. Serm. 1, *Dom.* 1 *Quadrag.*

53. Omne tempus tibi impensum, requiret Deus qualiter sit expensum. *Prosec.*

54. O quam infestus est diabolus homini in hoc tempore, et tanto certe infestior, quanto tempus infestandi suspicitur brevius. Serm. 1, *Dom.* 1 *Quadrag.*

55. Modo reliquit nobis Deus tempus ad satisfaciendum, sed tunc accipiet tempus ad puniendum. *Ibid.*

56. Omne tempus cum Deo utiliter expendas, nihil enim est pretiosius tempore. In *Alphab. relig.*, lect. 14.

S. BRUNO. 57. Sicut qui male agit, tempus perdit, sic qui bene agit, tempus quidem habet, sed non redimit; sed præparando se ut sit idoneus ad bene agendum, tempus redimere dicitur. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 5, in illud : *Redimentes tempus.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 58. O si tempus pœnitentiæ quasi incertum disponeretur, quando est in potestate positum, quomodo desideraretur amissum? Homil. 17.

CLEMENS ALEX. 59. Parce tempori, quoniam vita brevis est, non est hoc tempus temere consumendum. Lib. 5 *Stromat.*

S. CYPRIAN. 60. Anceps temporum palpator est. Epist. *ad Donat.*, cap. 8.

S. DOROTH. 61. Quid vitam nostram deperdimus? labi tempus et perire nobis advertimus, vixque timemus. *Prosec.*

62. Tempus si pereat, nec ipsum amissum, nec aliud pro eo potest aliquando restaurari. *Doctrina* 2.

GLOSS. INT. 63. Consideratione æterni, amplius paret brevitas temporis. Super *Job*, cap. 14.

S. GREGOR. MAGNUS. 64. Modus est temporis, ut statum non habeat mansionis. Lib. 4 *Moral.*, cap. 2.

65. Tempus per ventura tendit ad esse, semper ex præteritis festinat non esse. *Ibid.*

66. Illud tempus quo fugere non licet, modo debet cogitari dum licet. Homil. 12, super *Evang.*

S. GREGOR. NAZ. 67. Nulli tempus elabi sinant, quod iterum revocare impossibile existit : siquidem præsens tempus est operationis, futurum vero retributionis. Orat. 5, *de sua Excusat.*

68. Præsens tempus omnis generis contrariis est eventibus refertum : quæ jam nascuntur, paulo post moriuntur : quæ plantantur, postea evelluntur : quæ jam sanantur, mox occiduntur : domus quæ nunc ædificantur, post destruuntur : qui jam plorant, alio tempore rident; nunc terrena coacervantur, post abjiciuntur. Super *Eccles.*, cap. 3.

S. HIERON. 69. Æternitati comparata, brevis est omnium temporum longitudo. Epist. 17, *ad Cyprian.*

70. Exiguum temporis perituri, æternitatis est pretium. Epist. 6.

71. Omne tempus in quo te non meliorem senseris, hoc æstima perdidisse. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

72. Nihil longum est, quod finem habet : et omnis retro temporum series transacta non prodest. *Prosec.*.

73. Omnia orta occidunt, et aucta senescunt! nihil est enim opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas. Lib. 3, super *Ezech.*

74. Omne tempus, in quo non virtutibus, sed vitiis deservitur, perit : et quasi non fuerit, reputatur ut nihilum. Super *Aggæum*, cap. 1 super illud : *Et factum est verbum Domini*, etc.

75. Ne dicas meliora tempora olim Moysi, quam nunc Christi tempore, legis fuisse, quam gratiæ : virtutes dies bonos viventi faciunt, vitia malos. Super *Ecclesiasten*, cap. 7, super illud : *Ne dixeris, quid factum est?* etc.

76. Nullum tempus intermittitur requiei, totum dolori et labori occupatur, et nihil utilitati et saluti acquiritur. Homil. 12, super *Ecclesiasten.* HUGO A S. VICTORE.

77. Nihil suo tempore abjiciendum, et nihil non suo tempore eligendum : sed sic animus ad usum temporis præparetur, ut tamen ad mutabilitatem temporis non mutetur. *Ibid.*, homil. 13 in illud : *Omnia tempus habent.*

78. Temporis est subjacere mutabilitati, et pati vicissitudinem. *Ibid.*

79. Tunc tempus est omni rei, quando justum est, ut fiat quod faciendum est, quidquid illud fuerit, vel a Deo sine homine, vel ab homine, cum Deo. Nam sine Deo ab homine ut aliquid fiat, ita tempus nullum est, sicut justum nihil fieri sine Deo ab homine potest. *Ibid.*

80. Tu comedendo, bibendo, jocando, ridendo, et otiose vivendo, perdis tempus, quod tibi indulserat Deus ad acquirendam gratiam, et ad promerendam gloriam. Lib. 3, *de Anima*, cap. 41.

81. Tempus transis, judicium tuum appropinquat. Lib. 4 *Contemplat*, *de Innocent.*, cap. 6. IDIOTA.

82. Sicut amissum ac præteritum tempus, ulterius revocari non potest, ita ne illa quidem quæ perierunt, emolumenta restitui. *Collat.* 6 *Abbat. Theodori*, cap. 5. JOAN. CASS.

83. Transit tempus, et transit cum tempore benefacti memoria. Homil. 45, super *Matth. Oper. imperf.* S. JOANNES CHRYSOST.

84. Si vel parum argenti amiseris, id omnino damnum appellas : sin totos dies in diaboli operibus consumpseris, nihil amisisse opinaris. *Prosec.*

85. Omnia potius sunt amittenda, quam tem-

pus : aürum amittis, poterit recuperari, amissum autem tempus nunquam. Homil. 57, super *Joan.*

86. Temporis opportunitas non nobis, sed illi cognita est, qui factor est temporis. Homil. 4, super *Epist. ad Coloss.*

S. JOAN. CL. 87. In tempore quæ sunt propria temporis, non referimus. *Grad.* 26.

JOAN. GERS. 88. Tempus res omnium est pretiosissima. Serm. *coram Papa Benedicto.*

JOAN. TRITH. 89. Curiosi homines tempora exquirunt, non facta. Lib. 4, *de Vir. illustr. Ord. S. Bened.*

90. Nihil pretiosius tempore, et nulla pœna amarior, quam amissi temporis recordatio. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 25.

91. Sicut tempore nihil reperitur pretiosius, ita nihil durius semel amisso. *Ibid.*, cap. 2, text. 29.

92. Virtus tempora sanctificat, non tempora virtutes efficiunt. In cap. 2 *Regul. S. Bened.*, verbo *Sententia.*

93. Tempus nunc quidem breve, sed acceptabile nobis multum conceditur, in quo fructus æternæ vitæ operemur. Lib. 1, homil. 9, *ad Monachos.*

94. Qui se moriturum semper cogitat, nullum tempus otiosum transire permittit. *Ibid.*, homil. 17.

95. Res temporis semel perdita, nunquam recuperatur. *Ibid.*, homil. 20.

96. Omnis homo salutis suæ studiosus summopere caveat, ne tempus sibi concessum inutiliter perdat; nunc enim tempus laborandi est. *De Vanit. et Miser. hum. vitæ*, cap. 4.

S. ISIDORUS HISPAL. 97. Tempus non ad eas creaturas, quæ super cœlos sunt, sed ad eas, quæ sub cœlo sunt, pertinere cognoscitur. *Prosec.*

98. Non enim angelis accedunt tempora, vel succedunt : sed nobis, qui sub cœlo versamur. Lib. 1 *de Sum. Bono*, cap. 9, sent. 3.

99. In rebus nullus status est temporum, quia celeri creaturæ motu tempora mutantur. *Prosec.*

100. Nec centum anni unum tempus est, nec unus annus unum tempus est, nec unus mensis unum tempus est, nec dies, nec hora unum tempus est : quia dum hæc omnia particulis accedunt suis et decedunt, quomodo unum dicendum est, quod non simul est ?

101. Et futura, et præterita, et præsentia in animo potius requirenda sunt, et inveniri possunt : præterita reminiscendo, præsentia contuendo, futura expectando. Speramus igitur advenientia tempora, intuemur præsentia, recolimus transeuntia. *Ibid.*, cap. 7

102. Perspice quid, cui aptum sit tempori, quid, ubi, quando, qualiter, quandiu facere debeas, et temporum regulas inspice. Lib. 2, *de Synonym.*, cap, 16.

S. LAURENT. JUSTIN. 103. Nonne omne tempus vitæ hujus, quo deliciis frui videmur, quasi noctis unius somnus est, ad æternitatis comparationem ? *De Ligno vitæ, de Fide*, cap. 5.

104. Quid pretiosius tempore ? quid, quæso, illo fructuosius ? quid carius ? quid excellentius ? quid amabilius ? *Prosec.*

105. Sed, proh dolor! pene ab omnibus nihil habetur vilius, nihil tractatur inutilius, nihil indignius possidetur. Serm. *de Vita solitar.*, cap. 10.

106. Nullum temporis momentum præterit, in quo merita non valeant cumulari æterna. *Ibid.*

107. Nihil æque tam nostrum, tamque proficuum ad merendum cœlestia, quam tempus : misericorditer nobis indultum est, quatenus per commendabilia opera ipso mediante, vitam mereamur æternam. *De Compunct. et Complanctu*, cap. 2.

108. Hoc optime noverunt, quicunque illud amiserunt : videmus nihilominus apud universos nihil tempore tractari pejus.

109. Veniet, veniet necessitatis hora, quando quanti sit præsens tempus noscetur, non ad meritum, sed ad supplicium. *Ibid.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 110. Vir spiritualis etiam minimam temporis perditionem multum ponderet; non autem putet se tempus inutiliter traducere, quando intus Deo vacans, foris nihil agit. In *brevi Regula Tyronis*, verbo *Mores.*

S. NILUS. 111. Nullius perinde rei, ut temporis, penuria laboramus. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 10.

PETRUS BLESENS. 112. Scias non modicam esse temporis illius jacturam, quod in otio aut fabulis expendisti. Tract. *de Inst. Episc.*

PHILO JUD. 113. Maximum æternitatis argumentum, est tempus. Lib. *quod Mundus sit incorruptibilis.*

114. Tempus imago æternitatis est. Lib. de eo : *Quis rerum divinarum hæres sit.*

115. Tempori parcere, præclarum est. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 69.

S. PROSPER 116. Collatum tempus remediis non spernamus, ne is quem placidum mitemque sensimus, iracundiam non pœnitentibus æternam constituat, pœnalemque sententiam. *De Promiss.*, part. 2, cap. 33.

117. Omne tempus malorum pusillum est : quid enim tam exiguum, quam quod in hoc tendit, ut non sit? Apud D. Augustin.

S. ROBERT. A SORBONA.

118. Miror dementiam eorum, qui student, quomodo possint tempus suum perdere, dicentes : Ludamus aleis, et hujusmodi, et interim transibit tempus et trademus illud oblivioni sic ludendo. Lib. *de Conscient.*

THOMAS A KEMPIS.

119. Nunc tempus est valde pretiosum; sed, proh dolor! quod hoc utilius non expendis, in quo promereri vales, unde æternaliter vivas : veniet quando unum diem seu horam pro emendatione desiderabis, et nescio an impetrabis. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 23, sect. 5.

120. Omne tempus cum Deo non impensum, plange velut amissum. In *Exercit. spirit.*, cap. 2, sect. 2.

S. THOMAS A VILLANOVA.

121. Oh si quis haberet plenam notitiam, et apertos oculos, intellectu comprehenderet temporis brevitatem. Serm. *Dom.* 3 *Adventus.*

IN VIT. PATR.

122. Præsens tempus labori præstitum est, futurum autem mercedi. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 24.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

123. Tempus non esse penitus, aut vix esse, ac exigue quispiam suspicabitur : nam aliud ipsius fuit, atque non est; aliud est futurum, et nondum est. Lib. 4 *Physic.*, cap. 10, text. 88.

124. Cum simul esse tempore, et neque prius, neque posterius, nihil aliud sit, quam in eodem nunc esse, si priora posteriorave in hoc nunc sunt, ea profecto quæ ante centies centenos annos sunt facta, simul cum his erunt, quæ hodierno die conficiuntur, et neque prius quidquam alio, neque posterius erit. *Ibid.*, cap. 10, text. 92.

125. Tempus ubique est æque et apud omnia. *Ibid.*, cap. 10, text. 96.

126. Tempus nec ut quantum quid est, nec ut quale tempore definitur. *Ibid.*

127. Tempore motum, motu vero tempus metimur. *Ibid.*, cap. 12, text. 113.

BIAS PHILOS.

128. Ita dispensa tempus, quasi et diu victurus, et mox moriturus. In *Sent.*, sent. 2.

CATO POET.

129. Labitur exiguo, quod partum est tempore longo. Lib. 2 *Distichor.*, metr. 42.

CHILO LACEDEM.

130. Tempori parce. In *Dictis sapient. ex Græco*, dist. 5.

CICERO.

131. In omnibus quid tempora petant, considerandum est. Lib. 2, *de Invent. Rhetor.*

132. Longum tempus breve est imparatis. Orat. 45, *Philipp.*, 3, num. 2.

133. Minimis momentis maximæ inclinationes temporum fiunt. Orat. 47, *Philipp.*, 5, num. 26.

134. Horæ quidem redeunt, et dies et menses, et anni : nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid sequatur sciri potest. *De Senect.*

135. Breve tempus ætatis satis longum est, ad bene honesteque vivendum. *Ibid.*

PLATO.

136. Ecquodnam tempus aliud jam expectamus ad rem agendam opportunius, quam quod nunc est a divino Numine concessum? Epist. 7, *ad Dionem.*

PLINIUS II.

137. Hoc quidquid est, temporis est futilis et caduci, si non datur factis. Lib. 3, Epist. 7, *ad Caninium Rufum.*

SENECA.

138. Oh quam bonum tempus, in re mala perdis ! Lib. 3, *de Ira*, cap. 28.

139. Male dispensamus tempus, quod nobis natura consumendum dedit : alii parce illo utimur, alii prodige, alii sic impendimus, ut debeamus rationem reddere. *De Tranquillit. animi*, cap. 3.

140. Re omnium pretiosissima luditur, fallit autem homines, quia res incomparabilis est; quia sub oculos non venit, ideoque vilissima æstimatur, imo pene nullum pretium ejus est. *Prosec.*

141. Nemo æstimat tempus, utuntur illo laxius quasi gratuito. *De Brevit. vitæ*, cap. 8.

142. Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur : in cursu enim semper est, fluit, præcipitatur : ante desinit esse, quam venit. *Ibid.*, cap. 10.

143. Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt. *Prosec.*

144. Turpissima tamen est jactura, quæ per negligentiam fit : et si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.

145. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet? qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus, magna pars ejus jam præteriit, quidquid ætatis retro est, mors tenet.

146. Tu vero omnes horas complectere, sic fiet ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum injeceris.

147. Dum differtur, vita transcurrit : omnia nobis aliena sunt, tempus autem nostrum est. Epist. 1.

148. Satis multum temporis sparsimus : incipiamus in senectute vasa colligere : in freto viximus, moriamur in portu. Epist. 19.

149. Usque ad hesternum quidquid transiit temporis, periit. Epist. 24.

150. Infinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus : nam ad præsentia intentos fallit, adeo præcipitis fugæ transitus levis est. Epist. 49.

151. Stultus est, qui non exigui temporis mercede, magnæ rei aleam redimit. Epist. 85.

152. Id agimus, ut nostrum omne tempus sit : non erit autem, nisi prius nos nostri esse cœperimus. Epist. 71.

153. Respice celeritatem rapidissimi temporis, cogita brevitatem hujus spatii, per quod citatissimi currimus. Epist. 99.

154. Honeste servit, qui succumbit tempori. In suis *Proverb.*

SIXTUS PHILOSOPH. 155. Omne tempus, quo de Deo non cogitas, hoc puta te perdidisse. *Sent.* 47.

156. Sapiens vir parcit, ne perdat tempus. *Ibid.*, sent. 243.

THEOPHR. PHILOS. 157. Pretiosissimus sumptus est tempus. In suis *Sent.*, sent. 1.

Vide etiam tit. *Certamen*, sent. 134; *Fabula*, sent. 9; *Mors*, sent. 158; *Negotium*, sent. 16; *Pœnitentia*, sent. 74, 169.

## TENEBRÆ.

S. AUGUST. *Definitio*. Nihil sunt aliud tenebræ, quam aer carens luce. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 10.

Nihil est aliud adesse tenebras, nisi abesse lucem. Lib. 2 *Conf.*, cap. 3.

S. BASILIUS MAGNUS. Tenebras dicimus aerem aliquem esse lucis expertem, aut locum objectu corporis obumbratum, aut quacunque causa carentem lumine locum. Homil. 2, *Hexam.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Homo tenebratur dum plus amat creaturam, quam Creatorem. Lib. 2, *de Lib. Arb.*, cap. 16.

2. Infideles homines tenebræ sunt, qui per fidem conversi ad Deum, quadam præmissa illuminatione lux fiunt. Epist. 120, cap. 23.

3. Privationes possunt tenebræ nominari. *De Gen. imperf.*, cap. 5.

4. Non omnes tenebræ nox. Lib. 1, *de Gen. ad litt.*, cap. 12.

5. Homo a Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur. *Ibid.*, lib. 8, cap. 12.

6. Per tenebrarum diuturnitatem mutati oculi, mutatum solem sentiunt. *Annot. in Job*, cap. 10.

7. Homines peccatis suis tenebræ sunt. *Ibid.*, cap. 38.

8. Nihil absurdius quam ibi esse accommodatius, et aptius incolas amatoresque tenebrarum, ubi lucis perspicuitate gaudetur. *De Morib. Manich.*, cap. 9.

9. Ubi lux non est, tenebræ sint necesse est. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 9.

10. Cum acies oculi corporalis currit per species corporales, nusquam tenebras videt, nisi ubi cœperit non videre. *Ibid.*, lib. 12, cap. 7.

11. Sicut aer tenebrescit luce defectus, ita tenebrescere animam intelligimus sapientiæ luce privatam. *Ibid.*, lib. 11, cap. 10.

12. Non nossemus tenebras, si in tenebris semper essemus : sed lucis notitia contrarium suum non sinit incognitum. *De duabus animabus*, cap. 8.

13. Peccata tenebræ animarum sunt. Lib. 1, *de Baptismo contra Donat.*, cap. 11.

14. Mens in tenebris est, nisi luce vestiatur. Tract. 2, super *Joan.*

15. Multi cum fuerint diutius in tenebris, infirmatur acies ipsorum, quasi jejunio lucis. Tract. 13, super *Joan.*

16. Oculi in tenebris patent, et non vident. *Ibid.*, tract. 14.

17. Oculi si se a lucerna averterint, tenebrantur : si se converterint, illuminantur. *Ibid.*, tract. 22.

18. Tenebræ metuendæ sunt morum, non oculorum; et si oculorum, non exteriorum, sed interiorum. *Ibid.*, tract. 35.

19. Amando tenebras, in tenebris remanebis. *Ibid.*, tract. 18.

20. Si recedis a lumine, in tenebris computaris. *Ibid.*, tract. 48.

21. Qui in tenebris ambulant, nesciunt quo eunt; quia tenebræ excæcaverunt oculos eorum. Tract. 1, super *Epist. Joan.*

22. Recordatio tenebrarum exteriorum, facit non horrere solitudinem. Epist. 1, *ad Robertum nepotem suum.* S. BERNARD.

23. Tenebræ luce fugantur, eoque magis quo lux major est. Epist. 1, *ad Caium Monach.* S. DIONYS. AREOPAG.

24. Mens tenebris obducta, ad impudentiam trahit. *Ad Monachos*, parænes. 46. S. EPHRÆM

25. In tenebris residemus, si promoveri cessamus. Homil. 1, *ad Monachos.* S. EUSEBIUS EMISSENUS.

26. Qui lucem justitiæ non quærit, de tenebris non recedit. Super *Job*, cap. XV, in illud : *Non recedet de tenebris.* GLOSS. ORD.

27. Non novit lux tenebras, id est, non aspicit : quia si aspiceret, tenebræ non essent. Super illud *Matth.* VII : *Nunquam novi vos.*

28. Sunt tenebræ, ubi Christus non respicit : ubi lux illa vera non ingreditur, quæ sic lucet in tenebris, ut tamen non comprehendatur a tenebris. In *Psalm. Pœnit.*, super illud *Psalm.* VII : *Non avertas faciem tuam*, etc. S. GREGOR. MAGNUS.

29. Lucem debet conspicere, qui vult de tenebris judicare : ut in illa videat quid de tenebris æstimet, per quas videre præpeditur. Lib. 24 *Moral.*, cap. 6.

30. Lucerna in tenebris lucere cernitur, sed in solis radio posita tenebratur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 28.

31. Homini diviti, dies tenebræ sunt. Super *Ecclesiasten*, cap. 5. S. GREGOR. THAUMAT.

32. Clarius fit lumen comparatione tenebrarum. Epist. 46, *ad Rustic.* S. HIERON.

33. Quando peccator mala operatur, aut cogitat, in tenebris est, sed in tenebris propinquiori- S. JOANNES CHRYSOST.

bus : quando autem in hæresim quamdam incidit, tunc projicitur in tenebras exteriores. Homil. 53, super *Matth. Oper. imperf.*

34. Tenebræ quam splendor lippientibus oculis commodiores sunt. Homil. 7, super I *Cor.*

LACT. FIRM. 35. Multi lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles jaceant. Lib. 1, *de divin. Inst.*, cap. 1.

LAURENT. JUSTIN. 36. Lucem debet intueri, qui vult de tenebris judicare. *De Ligno vitæ*, tract. 12, *de Humilit.*, cap. 4.

37. Tenebrosi effecti, imo tenebræ Verbi lucem recipere non merentur. *De casto Connub.*, cap. 17.

S. LEO I. 38. Lux separetur a tenebris, et fugiant filios diaboli filii veritatis, Serm. 4 *Quadrag.*

PETR. BLES. 39. His, qui de tenebris progrediuntur ad lumen, lux imprimis molesta est, donec oculi lumini assuescant. Epist. 137, *ad Alexandr. de S. Albano.*

S. PETRUS CHRYSOL. 40. Lucem tenebræ fugiunt, tenebræ luce redeunt abscedente. Serm. 44.

PHILO JUD. 41. Brevis lux melior est, quam æternæ tenebræ. Lib. *Quis rerum divinar. hæres sit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 42. Tenebræ sunt invisibiles, quas etiam visus discernit. Lib. 3, *de Anima*, cap. 19, text. 103.

## TENTATIO.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio.* Tentare est experimentum de aliquo sumere. Super I *ad Thessal.*, cap. 3, lect. 1.

Tentare nihil aliud est, quam experiri, seu probare : unde tentare hominem, est probare virtutem ejus. *Opusc.* 7, super *Pater noster*, petit. 6.

S. BONAV. *Divisio.* Duplex est tentatio. Est tentatio violenta, scilicet adversitas ; est tentatio deceptoria, scilicet prosperitas. Super *Psalm.* LXXIII.

HUGO A S. VICTORE. Triplex est tentatio : probationis ; deceptionis ; explorationis. Tentat Deus ut probet ; tentat diabolus ut decipiat : tentat homo ut exploret et sciat. Super I *ad Cor.*, quæst. 81.

RICHARD. A S. VICTORE. Septem sunt genera tentationum. Prima importuna ; secunda dubia ; tertia subita ; quarta occulta ; quinta violenta ; sexta fraudulenta ; septima perplexa. Prima inquietat, secunda exagitat, tertia vulnerat, quarta excæcat, quinta enervat, sexta infatuat, septima dilaniat. Part. 2, super *Psalm.* XC.

S. BONAV. *Comparatio.* Sicut torrens trahit paleas, et ista levia ad Oceanum ; sic torrens tentationis trahit secum vanos, non humiles; ad Oceanum inferni. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Neminem prorsus Dei gratia intentabilem facit, ut nullo cum hoste confligat. *Prosec.*

2. Cum laudabilius sit, atque felicius, pugnantem non potuisse vinci, quam desidem non potuisse tentari. Lib. 2, *de Vocat. Gen.*, cap. 10.

3. Diabolus ubique insidiatur homini, ubique congreditur : sed ubi mulierem non invenit, victus abscedit. Serm. 37, in *Quadrag.*

4. Accepit quidem diabolus tentandi licentiam, sed non accepit copiam subruendi, nisi sua sponte labatur infirmus affectus, qui sibi auxilium non norit accersire. *De Paradiso*, cap. 2.

5. Quælibet jacula justo nocere non possunt, cui Deus lux est. *De Nabuthe*, cap, 14.

6. Tunc potestas diabolo gravioris tentationis permittitur, cum culpa animæ gravior reperitur. Super *Psalm.* XXXVII.

7. Justus optat probari, tentari non timet. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 14, vers. 2.

8. Tentatio est causa victoriæ, materia triumphorum : dives ille qui tentationem non sensit in hoc sæculo, in pœnis est apud inferos. Lib. 4, super *Luc.*, cap. IV, super illud *Matth.* 7 : *Arcta et angusta est via.* S. ANSELM.

9. Diabolus incessanter pios persequitur, et tanto periculosius, quanto occultius. Super II, *Tim.* III, in illud : *Persecutionem patientur.* S. ANTONIN.

10. Ignorant laici in sæculo quid sit tentatio, quia ita occupati sunt vitiis, et pressi occupationibus mundi, quod non expectant tentationes, sed eas præveniunt, et dæmones provocant ad tentandum eos. Part. 5, tit. 16, cap. 10, § 3. S. AUGUST.

11. Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit : nec sibi quisque innotescit nisi tentatus, nec potest coronari nisi inimicum et tentationes habuerit. Super *Psalm.* LX.

12. Tantum permittitur diabolus tentare, quantum tibi prodest ut exercearis, ut proberis, ut qui te nesciebas, a te ipso inveniaris. Super *Psalm.* LXI.

13. Quadrati lapidis similis debet esse Christianus : in omni tentatione sua Christianus non cadit, etsi impellitur, etsi qua vertitur, non cadit : nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat. Super *Psalm.* LXXXVI.

14. Premunt nos, sed non opprimunt : urgent nos, sed non demergunt. Super *Psalm.* XXXI, *Enarrat.* 2, vers. 8 : *In diluvio aquarum multarum.*

15. Si tentator defuit, ut deesset, Domine tu fecisti : locus et tempus si defuit, et ut hæc deessent tu fecisti : affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus ; sed ut non consentirem, tu me tenuisti. In *Soliloq. animæ*, cap. 16.

16. Si Deus cessat tentare, magister cessat docere : sed Deus tentat ut doceat, diabolus tentat

ut decipiat. Serm. 2, *fer.* 4 *post Dominic.* 1 *Quadr.*

17. Diabolus ubique insidiatur homini, ubique congreditur : sed ubi mulierem invenit, vincit; ubi mulierem non invenit, victus abscedit. Serm. 1, *fer.* 4 *Dom.* 2 *Quadr.*

18. Nemo de suis viribus confidat quando suffert tentationem, quia ut mala fortiter perferamus, a Deo est, non nostra est patientia. Serm. 1, *de S. Vincent.*

19. Vocabulum tentationis diversas intelligentias habet, eo quod alia sit tentatio deceptionis, alia tentatio probationis : secundum illam non intelligitur qui tentat, nisi diabolus, secundum hanc vero tentat Deus. Epist. 146.

20. In hoc sæculo necesse est, ut cives regni cœlorum inter errantes et impios tentationibus agitentur, ut exerceantur, et tanquam in fornace, sicut aurum, probentur. Epist. 205.

21. Temporibus hujus vitæ laboriosæ atque ærumnosæ, exercendæ atque ab infirmitate perficiendæ virtuti, necessariæ sunt tentationes. Lib. 3, *de Gen. ad lit.*, cap. 15.

22. Diabolus adventitius est ad tentandum, si quidem habeat homo etiam proprias tentationes. *Annot. in Job*, cap. 20.

23. Invoca Dominum cui credis, ut tueatur te adversus tentationes diaboli. *De Catechiz. rud.*, cap. 25.

24. Non omnis culpanda est tentatio, quia et gratulanda est, qua sit probatio. Lib. 16, *de Civit. Dei*, cap. 32.

25. Non cessat diabolus pios tentare, ut animus humanus aut afflictione succumbat, aut elatione vanescat. Lib. 1, *contra Gaudent.*, cap. 21.

26. Tentat libido, ut accendat. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 16.

27. Forinsecus diabolus oppugnat, immittendo varias tentationes : sed ille non consentit, cui Deus intus loquitur. Tract. 4, super *Epist. Joan.*

28. Laboribus temporalibus exercemur, et tentationibus vitæ præsentis erudimur. *Ibid.*, tract. 7.

29. Tentatio accidit, persevera usque in finem; quia tentatio non perseverat usque in finem. Tract. 15, super *Joan.*

30. Non parva est tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio. *Ibid.*, tract. 73.

31, Ecclesia catholica inter tentationes vivit, crescit, perdurat, pervenit ; sed cum pervenerit, succedet quies labori. Homil. 45, ex *Homil. Quinquag.*

32. Quia diabolus falsa contra nos non potest dicere, quærit vera quæ dicat ; ideo tentat, ut habeat quod dicat. *Ibid.*, homil. 38, cap. 4.

33. Frequenter superantur prosperitate, qui superari non poterant adversitate. In suis *Prov.*, verbo *Frequenter*. V. BEDA.

34. Tentator pervigil hos acrioribus pulsat insidiis, quos maxime videt abstinere a peccatis. *Ibid.*, verbo *Tentator*.

35. Tanta arte pugnandi diabolus fideles semper impugnat, ut nullum eis unquam securum a certando tempus relinquat. Lib. 2, super *Esdram*, cap. 14.

36. Impossibile est humanam animam non tentari. Lib. 4, super *Marc.*, cap. 14, in illud : *Ne intretis in tentationem.*

37. Sæpe antiquus hostis postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda quæ per quietem secura reddidit, repente rediens, facilius inopinatus irrumpat. Lib. 1, super *Luc.*, cap. IV, in illud 11 : *Diabolus recessit ab illo.*

38. Eligamus potius ardere quam cedere : S. BERNARD etiamsi gravis tentationum fervor, utriusque hominis statum vehementer afflixerit. Serm. 3, *vigil. Nativit.*

39. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est si volueris dare, seu negare consensum. Serm. 5, *Quadr.*

40. Diabolus plus confidit in adjutorio carnis, quoniam magis nocet domesticus hostis. Lib. *Medit.*, cap. 15.

41. Caro suggerit mollia, mundus vana, diabolus amara. *Ibid.*, cap. 14.

42. Quod resistentem fatigat, vincentem coronat. *De inter. Domo*, cap. 19.

43. Dæmonum officium est suggestiones malas ingerere, nostrum est illis non consentire. Lib. *Meditat.*, cap. 14.

44. Diabolus dupliciter tentat, ut Leo, et ut S. BONAV. Draco. Prius tentat ut draco, ad seducendum; postmodum ut leo ad frangendum. Prius enim tentat emollire per blanditias, postea tentat frangere per pœnas. Super *Luc.*, cap. IV, in illud : *Recessit ab illo.*

45. Habes signum veræ dilectionis, si non superaris impetu tentationis. Serm. 2, *Dom.* 17 *post Pent.*

46. Quanto tentans est versutior et callidior, tanto difficilius est ejus laqueos et cautelas evadere. Super lib. 2 *Sent.*, dist. 21, art. 2, quæst. 3, argum. 2.

47. Sanctus vir se tentari post virtutes desiderat, ne ex confidentia virtutum torpescat. Super lib. 2, *Sent.*, dist. 2.

48. Tentat Deus ut erudiat, diabolus ut decipiat,

mundus ut alliciat, homo ut conjiciat, caro ut inficiat. In *Centiloq.*, part. 1, sect. 2.

49. A carne, a mundo, a diabolo, et a Deo procedunt tentationes. Lib. 1, *de Profectu relig.*, cap. 2.

50. Ipse diabolus hostis noster contra nos inermis est, et solis astutis suggestionibus nos impugnat, suadendo ut peccemus, non cogendo. *Ibid.*

51. Illa tentatio magis periculosa est, quæ minus molesta sentitur. *Ibid.*, lib 2, cap. 2.

.CÆSARIUS ARELAT.

52. Tunc maximam impugnationem sustinet, quando se quis impugnari non sentit. Homil. 34.

CASSIODOR.

53. Boni viri diaboli quidem tentatione pulsantur, sed Dominum adjutorem habere non desinunt. Super *Psalm.* CVIII, vers. 11 : *Non sit illi adjutor*, etc.

CLEMENS ALEX.

54. Martyrii occasio, est quævis tentatio. Lib. 4 *Stromat.*

.DIADOCH.

55. Vacuum esse passionibus, non est non impugnari a dæmonibus : sed illud potius, ad illis pugnatum, non expugnari. *De Perfect. spirit.*, cap. 98.

DIONYSIUS CARTHUS.

56. Finis tentationis est cognitio : homo tentat aliquem et bene et male : bene, dum quærit eum cognoscere ut prosit : male dum quærit eum cognoscere ut noceat. Super *Epist. Jacobi*, cap. 1, art. 2.

57. Magis timere debet Christianus se non esse in statu salutis et gratiæ, et ad electorum consortum non pertinere, dum nil adversitatis, nil tentationis sibi contingit. *De Mortificat. vivifica.*

58. Tanto quisque instantius atque ferventius Deo adhæreat, et in actibus virtuosis se occupet, quanto acrius et frequentius tentationibus impugnatur. *De Profectu Spirit.* art. 18.

. DOROTH.

56. Necessario bonum dici potest secundum Deum, nisi approbetur tentatione. *Doctrina*. 19.

. EPHRÆM.

60. Nulla unquam tentatio, strenuum pietatis athletam offendit. *De recta vivendi Ratione*, cap. 54.

61. Non est grave oppugnari tentationibus, sed grave est per ignaviam cedere. *De Pugna carnis*, cap. 3.

62. Cupis non succumbere tentationi? omnem tuam voluntatem abscinde, et requiem obtinebis. *Ad Monachos, Parænes.* 5.

EUSEBIUS EMISSEN.

63. Nemo æstimet se a Deo deseri, cum traditur tentationi. Homil. *in Litaniis*.

64. Inimicus noster mille contra nos nocendi exercet ingenia : juniores quosque et insipientes, vel indecorosis gulæ blandimentis attentat, vel aculeis non edomitæ passionis impugnat. *Prosec.*

65. Meliores vero quosque ac seniores per elationis atque jactantiæ malum pro profectu ipso ac meritis propriis expugnare conatur. *Ibid.*, homil. 8, *ad Monachos*.

S. FRANCIS. ASSISIAS.

66. Nullus se Dei servum reputare debet, quousque per tentationem et tribulationem non transierit. *Prosec.*

67. Annulus est quodammodo victa tentatio, quo Dominus servi sui animam sibi desponsat. In suis *Opusc.*, collat. 28.

FRANCISCUS TITELM.

68. Nulla virtute potest diabolus expugnare hominis animum (quantumvis corpus atterat foris) nisi propria voluntate consentiat. In *Elucid.*, super cap. *Job*.

69. Qui gravissimis tentationibus sollicitatur ad malum, ita ut pene consentiat, ipse est in maximis periculis, et quasi morti proximus. In *Annot.* super *Psalm.* IX.

S. FULGENT.

70. Diversis machinis diabolus utitur, et cum certamini manifesto cedit, ad hoc se victum demonstrat, ut vincat : ad hoc fugam simulat, ut persequentem missis post tergum sagittis, occidat. *Prosec.*

71. Evidentibus quippe vitiis provocat, in quibus si palam superetur, illico superbiam perniciosissime jaculatur; et vitiorum auctor in eo quod vincere non potest vitiis suis, vincit virtutibus alienis.

72. Armis, quibus eliditur, surgit : et virtute, qua dejicitur, dejicit.

73. Laudat, qua se perspicit superari, virtutem ut victus possit captivare vincentem.

74. Injicit enim cordi jactantiam, ut graviori lapsu de alto possit dejicere, si quos in hominibus videt gradu firmiore pugnare.

75. Nam cum gulæ delectamenta porrigit, si suscipiatur, fomitem libidinis subministrat : si respuatur, jactantiam de abstinentia seminat.

76. Insinuat dilectionem pecuniæ, si tenuerit assensum, avaritiæ gladio animam confodit incautam : si autem fuerit repulsus, insidiis (quas per tenacitatem tendere non potuit) per liberalitatem nequissimus tendit. Epist. 3, *ad Prob[illegible]*, cap. 15.

GLOSS. INT.

77. Quos tentatione libido superare non potest, gravioribus stimulis urget. Super illud *Gen.* XIX : *Vimque faciebant.*

GLOSS. ORD.

78. Diabolus ut inermis vincitur, cum aperta mala suggerens, omnia bona simuliter tollere conatur; sed armatus venit, cum alia bona manifesta præterit, alia latenter corrumpit. Super *Job*, cap. V.

79. Sinit nos Deus tentari, ut videamur nobis infirmi, et tamen custodit. Super illud *Job* II : *Ecce in manu tua*, etc.

80. Cum tentatio nos percutit, elatio mentis succisa cadit, ut jam quærat manum levantis. Super illud *Job* VI : *Succidat me.*

81. Vita tentationibus est referta. Super illud *Job* VII : *Militia est vita hominis*, etc.

GLOSS. INT. 82. De carne exit tentatio, quæ consumit, et sine sonitu perforat, ita ut aliquando mens non sentiat. Super *Job*, cap. XIII.

GLOSS. ORD. 83. Diabolus durius tentat, cum sub specie virtutis quasi infirmis laqueus occultatur. *Ibid.*, cap. XL.

GLOSS. INT. 84. Diabolus quanto magis frangitur, tanto tentat subtilius. *Ibid.*, cap. XLI.

GLOSS. ORD. 85. Requies diaboli, lectulus tentationis est. Super *Isaiam*, cap. XIV.

86. In tentationem inducitur, qui tentatione frangitur. Super illud *Matth.* VI : *Et ne nos inducas in tentationem.*

87. Tentatio est necessaria ad coronam. Super *Matth.*, cap. VI.

88. Vere omnes mali, vel ficte boni, ingruente qualibet tentatione, pejores fiunt. *Ibid.*, cap. VI.

89. Tribus modis diabolus impugnat. Carnis concupiscentia, exterioribus mundi oblectamentis; et per se, cum universos ventos impulsionum laxat. Super *Matth.*, cap. VII.

90. Utile est sanctis, tentationibus examinari; ut vel tentati, quam fortes fuerint appareant; vel cognita per tentationem sua infirmitate, fortiores fieri discant. Super *Luc.*, cap. XXII.

S. GREGOR. MAGNUS. 91. Mens in Deum immobiliter fixa, tentationum impetum despicit, nec cujuslibet terroris jacula pertimescit. Lib. 31 *Moral.*, cap. 17.

92. Erga dnrum cœlestis militis pectus antiquus hostis tanto acutiora spicula perquirit, se quanto despici robustius conspicit. *Ibid.*

93. Dæmonem audit, qui tentationem sentit : exaudit vero, qui tentationi consentit. *Ibid.*, lib. 4, cap. 31.

94. In hac vita dum sumus, aliquando tentari vitiis necesse est. *Prosec.*

95. Cum tentamur vitiis, pia dispensatione nobiscum agitur, ne his virtutibus, quibus proficimus, extollamur.

96. Vitia dum nos tentant, proficientes in nos virtutes humiliant : per tentantia vitia discimus, quid de nobis simus, et per illa restringimur, ne intrinsecus extollamur. *Ibid.*, lib. 23, cap. 17.

97, Diabolus eos pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. *Ibid.*, lib. 23, cap. 17.

98. Diabolus humanas mentes in quodam fervore insaniæ concutit, sed aperta opera qualiter concussi animam ut evertat ostendit : intus namque prius ebullit in elatione, quod foris postmodum spumat in opere. *Ibid.*, lib. 34, cap. 18.

99. Antiquus hostis neque in exordio intentionis ferit, neque in itinere actionis intercipit, duriores in fine laqueos tendit, quem tanto nequitius obsidet, quanto solum sibi remansisse ad decipiendum videt. *Ibid.*, lib. 1, cap. 20.

100. Pia mens cum tentationum procellas increscere intrinsecus viderit, intra conscientiæ portum fugit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 9.

101. Sæpe aereæ potestates mundas mentis cogitationes ardore libidinis, et castos motus animi luxuriæ tentatione perturbant. *Ibid.*

102. Justus tentatus non solum vires, a quo accipiat, discit : sed quanta eas vigilantia servet, intelligit. *Ibid.*, cap. 27.

103. Antiquus hostis humanum genus duobus modis tentare consuevit : ut videlicet corda stantium aut tribulationibus frangat, aut persuasionibus molliat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 6.

104. Diabolus non solum per seipsum, sed et per eos, qui nobis adhærent nos tentat. *Ibid.*

105. Si post virtutum munera nulla tentatione animus concutitur, has se habere ex semetipso gloriatur. *Ibid.*, lib. 8, cap. 17.

106. Diabolus ex se tentare quoslibet injuste appetit, sed eos qui tentandi sunt, prout tentandi sunt, non nisi tentari Deus juste permittit. *Ibid.*, lib. 18, cap. 3.

107. Justi animam gratia vocat, tentatio interrogat. *Ibid.*, lib. 20, cap. 19, super illud *Eccles.* IV : *In primis elegit eum*, etc.

108. Si tentationi in corde nascenti festine non resistitur, hac eadem, qua nntritur mora roboratur ; et existens foris in operibus, vinci vix prævalet, quia ipsam intus membrorum dominam mentem captivam tenet. *Ibid.*, lib. 21, cap. 7.

109. Tanto altius inter tentationum fluctus mens attollitur, quanto sollicitius ab hujus sæculi cogitatione vacuatur. *Ibid.*, cap. 17.

110. Cum per tentationem humilitas proficit, prospera est ipsa adversitas, quæ mentem ab elatione custodit. *Ibid.*, lib. 26, cap. 28.

111. Diabolus singulis hominibus vitiis convenientibus insidiatur, et prius complexionem uniuscujusque perspicit, et tunc tentationis laqueos opponit; alius lætis, alius tristibus, alius timidis, alius lætis moribus existit. *Prosec.*

112. Quia lætitiæ voluptas juxta est, lætis moribus luxuriam proponit.

113. Quia tristitia in iram facile labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit.

114. Quia timidi supplicia formidant, paventibus terrores intentat.

115. Quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæque voluerit, blandis favoribus trahit. *Ibid.*, lib. 28, cap. 12.

116. Humanum est, tentationem in corde perpeti : dæmoniacum vero est in tentationis certamine in operatione superari. Part. 1 *Pastoralis*, cap. 11, super illud *Cor.* x : *Tentatio vos non apprehendat.*

117. Omnino metuenda et cavenda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tentatione subvertere, latente telo sævius valeat trucidare. Lib. 7, *in Registro*, indict. 2, cap. 110, epist. 110.

118. Blanda et læta appetenda callidus adversarius mentibus suggerit, qui nunquam melius vincitur, quam cum ad devotæ orationis lamenta curritur. Lib. 5, in I *Regum*, cap. 3, super illud : *Absconderunt se.*

119. Afflictio electæ mentis, omnis diabolicæ tentationis peremptorius mucro est. *Ibid.*, super illud : *Afflictus est populus*, etc.

120. Cum tentamur, divina gratia juxta est, ut sustinentes adjuvet; juxta et divina justitia, ut deficientes damnet. *Ibid.*, super illud : *Ecce Samuel veniebat.*

121. Humanum cor ad omnem tentationis impulsum facile concutitur, si virtute constantiæ interius non firmatur. *In septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* III, vers. 10.

122. Antiquus hostis terrarum locis a tentatione non excluditur, quia si in paradiso hominem stravit, quis locus extra paradisum esse potest, in quo mentes hominum penetrare non valeat? Lib. 8, *in Registr.*, indict. 3, cap. 45, epist. 45, *ad Palladium Presbyter.*

123. Manifestum est quod nisi Deus ipse auxiliatus fuerit, et ad se clamantes defenderit, hostis noster vinci non poterit. *Ibid.*, lib. 4, indict. 13, cap. 100, epist. 56.

124. Si inter tentationum breves tenebras fortes sumus, cito divina lux auxilii aderit, in cujus adventu tenebrarum virtus evanescit. Lib. 5, in I *Regum*, cap. 1.

125. Dum Deus tentata corda tangit, ad spem victoriæ erigit. *Ibid.*

126. Tentatis electis, divini auxilii splendor valde vicinus est. *Ibid.*

127. Malignus spiritus ut mentes tentando superet, prius tenebras cogitationum malarum objicit, deinde concupiscentiarum flammas accendit quia nisi prius mentem cæcaverit, ad pravitatem concupiscentiæ non impellit. *Ibid.*

S. HIERON. 128. Si illi tam graves tentationes sustinent, qui exeso corpore solis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella, quæ deliciis fruitur? Epist 22, *ad Eustoch.*

129. Scuto fidei ignitæ diaboli extinguuntur sagittæ. *Ibid.*

130. Nusquam diabolus aperta fronte se prodit. Epist. 90, *de Vita Malchi.*

131. Tanto facilius vincitur, quanto ei citius repugnatur. Epist. *ad Demetriad.*

132. Frequentibus procellis christiana vita quatitur atque tentatur, et pressuris lætatur et crescit. Epist. 6, *ad Amicum.*

133. Miser et infelix est, qui non fuerit in felicitate tentatus. *Ibid.*

134. Exterum se noverit ab amore Dei, qui nescit tentationibus vexari. *Ibid.*

135. Quid quisque possit, nisi tentatus non didicit. *Ibid.*

136. Impossibile aliquem (licet sanctus sit) sine tentatione transire in hoc sæculo. Super *Psalm.* LXVII, vers. 18.

137. Præcedit tentatio ut sequatur victoria. Lib. 1, super *Matth.*, cap. 4, can. 5, num. 16, super illud : *Tunc reliquit eum diabolus.*

138. Humanum est, in corde tentationem perpeti : diabolicum vero est in tentationibus certamine fatigari. *De Allegor.*, super *Exod.*, lib. 3, cap. 17. HUGO A S. VICTORE.

139. Diabolus tanto acrius justum per tentationes pungit, quanto eum ad sublimiora et secretiora per habitum, et vitam ordinis cernit transire. *De Allegor.*, super IV *Reg.*, lib. 7, cap. 14.

140. Multum prosunt tentationes electis, quia per tentationis victoriam pertingunt ad coronam. *De Orat. Dom.*, cap. 2, pet. 6.

141. Quatuor sunt causæ tentationum : prima est loci amœnitas; secunda est locus divitiarum; tertia est pretiosus ornatus; quarta est mulierum species. Lib. 1, *de Claustr. animæ*, cap. 4.

142. Labore annihilatur pondus tentationum, otio multiplicatur tentatio. *Ibid.*, lib. 2, cap. 14.

143. In hoc sæculo diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro delectatur, anima excæcatur, totus homo conturbatur. Lib. 4, *de Anima*, cap. 5.

144. Suggerit diabolus, delectatur caro, spiritus consentit. Lib. 2, *de Nuptiis spirit.*, cap. 1.

145. Dominus sæpe permittit tentari de vitio aliquo, ne tentati de alio succumbamus. Super *Gen.*, cap. 14.

146. Tentationes fortes et duræ, testimonia sunt quod fugerit homo a diabolo : diabolus enim non vexat, nisi adversarios suos. *Ibid.*, cap. 31.

147. Diabolus illum qui recedit ab eo, fortius persequitur, omni peccatorum genere tentans, nunc de isto, nunc de illo : et si forte inveniat otiosum, cito subvertit eum. *Ibid.*

148. Tentatio cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis. Super *Job*, cap. 1.

149. Tentatione pulsante cognoscit homo qualis ex se, et qualis ex Deo sit. *Ibid.*, cap. 33.

150. Quia Deus misericors est et probari tentationibus nos permittit, non reprobari : cito consolationem infundit, et pugnam tentationum interna pace tranquillat. *Ibid.*, cap. 34.

151. Volens tentat diabolus, sed tentando, nesciens, purgat et probat. *Ibid.*, cap. 41.

152. Tentationes et insultus vitiorum, justis non nocent, sed prosunt. Super *Psalm.* CXVII.

153. Omnium tentationum gravissima est non tentari : hæc enim gravissima vere est tentatio, quia quinque vulnera facit. *Prosec.*

154. Primum est stulta securitas, secundum est torpor animi, tertium est contemptus fratrum, quartum est elatio mentis, quintum est negligentia sui. Super *Sap.*, cap. III.

155. Hic est optimus modus contra tentationes diaboli, non litigare cum eo, id est, non turbari : quia ex quo homo non consentit, nec turbatur, diabolus statim cessat. Super *Isa.*, cap. 36.

156. Tunc facile occiditur diabolus, quando tenera est tentatio, et resistitur. *Ibid.*, cap. 37.

157. Multi devicti tentationibus dæmonis, per elationem ægrotant, et plurimi moriuntur. *Ibid.*, cap. 38.

158. Si diabolus, cujus potestas magna est, te graviter tentaverit, locum tuum ne dimiseris. Super *Thren.*, cap. 1.

159. Justus homo in tentatione non solum purgatur a culpa, sed etiam virtutibus confortatur ad bona digne operanda. Super *Ezec.*, cap. 1.

160. Non debemus petere; ut amoveatur tentatio : sed ut anima non vincatur. Super *Joan.*, cap. 12, in illud *Matth.* VI : *Et ne nos inducas in tentationem.*

161. Quanto quis melior, et austerioris vitæ, magis tentatur. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 8.

JOAN. CASS. 162. Non in hoc differt a peccatore vir sanctus, quia non similiter et ipse tentatur : sed quia hic etiam magna impugnatione non vincitur, ille autem etiam parva tentatione superatur. *Prosec.*

163. Non esset justi alicujus laudabilis fortitudo, si vinceret intentatus, cum utique victoria locum habere non possit absque adversitate certaminum. Collat. 18, *abb. Piammon.*, cap. 13.

S. JOANNES CHRYSOST. 164. Constans, et vigil, et sobrius, a tentationibus firmus evadit, et quanto majores sunt, tanto ejus fortitudo magis augetur. *Prosec.*

165. Deses autem et supinus si vel tenuis tentationum aura efflarit, statim commovetur et decidit. Homil. 2, super *Gen.*

166. Mos Dei est, ut nec a tentationibus viros virtute claros totaliter liberet, sed in ipsis tentationibus tantam suam declaret virtutem, ut tentationes ipsæ eis fiant occasio lætitiæ magnæ. *Ibid.*, homil. 62.

167. Tentationis ignis positus super carnem, comburit radices concupiscentiarum in ea, ut non facile concupiscat. Homil. 2, super *Matth. Oper. imperf.*

168. Quanto gravior fuerit tentatio, tanto magis facit clarescere animam. *Ibid.*

169. In aqua semel baptizamur, in igne autem per tentationem pene dum vivimus. *Ibid.*

170. Qui murmurat de periculo tentationis, murmuret necesse est de præmio probationis. *Ibid.*, homil. 19.

171. In spiritualibus rebus nisi præcesserit tentatio, non potest esse probatio. *Ibid.*

172. Qui ad bellum transmittitur, ad gloriam paratur; et cui tentatio imponitur, correctio ei ostenditur. *Ibid.*, homil. 31.

173. Diabolus his maxime instat, qui spiritualia attingunt negotia : ibi multæ insidiæ, ubi virtus : illic invidia, ubi misericordia. Homil. 1, *ad Popul. Antioch.*

174. Nihil ita claros et bonos æmulatores bonis satiat infinitis, sicut tuba tentationum. Epist. 7, *ad Olympiam.*

175. Justus ob id ipsum quod strenue diabolo conflictatus est, tentationibus afficitur. Homil. 43, super I *Cor.*

176. Nihil horum te perturbet; si mali in quiete, tu in tentationibus ac pressuris vivis. Homil. 8, super II *Tim.*

177. Fortis armatura in tentationibus patientia est. Homil. 30, super *Epist. ad Hebr.*

178. Tribus generalibus modis diaboli omne bellum in omnibus excitatur. Aut ex nostra negligentia, aut ex superbia, aut ex dœmonum invidia. Ex his primus miserabilis est, secundus miserrimus, tertius autem beatus. Grad. 26. S. JOAN. CLIM.

179. Nullum certius argumentum est, quod dæmones a nobis victi sint, si nos acerrime oppugnent. *Ibid.*, grad. 26, *de Different. quietis.*

180. Tentaris? Ista communis est sors omnium viventium : absque tentationibus nullo pacto præsens vita ducitur tolera quam habes, quia dum deerit, certus esto, succedet altera tibi fortassis asperior. Lib. 3, *de Consol. theolog.*, prosa 4. JOAN. GERS.

181. Quanto homo justus pluribus impugnatur tentationibus, et quanto renitens eis pluries evincitur, tanto frequentius, certius, et ideo fortius, quia humilius, in Deum se projicit, de Deo sperat, et confidit. Lib. 1, *de Consol. theolog.*, prosa 3.

182. Stet miles Christi, ne paveat tentari : hostes enim debiles sunt, non vincunt, nisi volentem. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2. JOAN. TRITH.

183. Necessarium est, et omnino utile, ut ten-

temur : sed magnopere cavendum, ne superemur. *Ibid.*, cap. 2, text. 8.

184. Licet diabolo data sit facultas tentandi, non tamen datur ei potestas nocendi, nisi quantum Deo permittente, utile est ad nostram exercitationem. *Ibid.*, cap. 2, text. 17.

185. Licet quibusdam intolerabiles diaboli tentationes videantur, tamen ubi sentit resistentem, facillime debilitatur : quanto enim percussus fuerit, tanto magis refrigescit et deficit. *Prosec.*

186. Hostis ille debilis est, non vincit nisi volentem. *Ibid.*

187. Ante conversionem præcedit turba peccatorum, post conversionem sequitur turba tentationum. *Prosec.*

188. Utile est Dei servo post conversionem tentari, quatenus a torpore negligentiæ sollicitantibus vitiis ad virtutes animum per exercitium præparet meritorum. *Ibid.*, cap. 2, text. 32.

189. Plus lædit diabolum una oratio, quam nos ejus offendat tentatio. In cap. 7 *Regulæ S. Bened.*, grad. 4, verbo *Hoc.*

190. Tentationibus nobismetipsis innotescimus et experimur, si Deum veraciter timeamus. Lib. 1, homil. 10, *ad Monachos.*

191. Neminem antiquus hostis tentando, potest dejicere, nisi quem invenerit prius a semetipso defecisse. *Prosec.*

192. Otio quatit torpentem, incautum supplantat militem, illumque prosternit facillime, quem armis invenerit denudatum. *Ibid.*

192 *bis.* Nisi mens prius excæcata fuerit, voluntas dæmoni non succumbit. *Ibid.*, homil. 21.

193. Diabolus tentat improbe et procaciter, sicut musca : quia sæpe repulsus, sæpe redit : et sicut canis impudens per unam januam pulsus, redit per aliam. *Prosec.*

194. Tentat autem frequenter et assidue, ut quem impetu vincere non potest, saltem tædio vincat. Lib. 1, *de Tentat. relig.*, cap. 4.

195. Tentatio, cui non consentimus, occasio nobis est meritorum. *Ibid.*, cap. 11.

196. Sicut aurum in igne splendescit, sic homo bonæ voluntatis in tentatione proficit. *Ibid.*

197. Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutum, nulla sine probationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. *Prosec.*

198. Nam sicut caro si sale non aspergitur, statim nigra fit et corrumpitur : ita et anima, nisi tentationibus continuis saliatur, cito resolvitur et relaxatur. *Ibid.*

199. Noli adversus Dominum murmurare, nihil enim impium pietas parit : non tentat ut perimat, sed probatur ut approbet. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

200. Est versuti hostis ista conditio, ut impetu magis conetur tentare quam viribus : quod si quempiam suis iniquis suggestionibus in primis motibus fortiter senserit obluctari, confestim abscedit confusus. Epist. 3, *ad quasdam Moniales.*

201. Qui tentatus non est, scire non potest, cujus fortitudinis existat : pulsetur contrariis, et statim utrum sapiens sit, an stultus, sibi ipsi innotescit. *Ibid.*

202. Tentationes nobis ad virtutum exercitia utiles sunt, quæ et mala purgant præterita, et præmia nobis cumulant æterna. *Ibid.*

203. Valde necessarium est justum in hac vita S. ISIDORUS
vitiis tentari : ut dum vitiis pulsatur, de virtutibus HISPAL.
non superbiat. *Prosec.*

204. Tentari oportet justum, sed tentatione plagæ, non tentatione luxuriæ. Lib. 3, *de summo Bono*, cap. 1, sent. 12.

205. Ex se diabolus tentare quoslibet injuste appetit : sed eos qui tentandi sunt, et prout tentandi sunt, nonnisi tentari Deus juste permittit. *Ibid.*, cap. 5.

206. Diabolus non est immissor, sed incentor potius vitiorum : neque alibi concupiscentiæ fomenta succendit, nisi ubi prius pravæ cogitationis delectationes aspexerit. Qui si a nobis spernitur, sine dubio confusus abscedit, statimque franguntur tentationis ejus jacula. *Ibid.*, sent. 6.

207. Qui suggestiones diaboli non recipit, in ejus insidias minime transit. *Prosec.*

208. Nam facile in consequenti opere repellitur, si prima oblectamenta illius respuantur.

209. Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus interna cordis, dum non sentitur, illabitur. *Ibid.*, sent. 13.

210. Tentationum diabolicarum initia fragilia sunt : quæ si non moveantur, sed per usum in consuetudinem transeant, in novissimis fortiter convalescunt, ita ut aut nunquam, aut cum difficultate vincantur. *Ibid.*, sent. 14, etc,

211. Diabolus suis fautoribus blanditur, Dei vero servis tentamenta molitur. *Ibid.*, sent. 16, etc.

212. Diabolus sanctos omnes non tentando possidet, sed tentando persequitur : nam qui non in eis intrinsecus regnat, contra eos extrinsecus pugnat. *Prosec.*

213. Tunc contra eum, quem possidet, diabolus acrius sævit, quando se virtute divina ab eo expellendum cognoscit. *Ibid.*, sent. 17, etc.

214. Plus contra eos diabolus diversis tentationibus insistit, qui possunt aliis sua utilitate prodesse ; ut dum illi impediuntur, non proficiant qui docendi sunt. *Ibid.*, sent. 19, etc.

215. Diabolus quando decipere quemquam quærit, prius naturam uniuscujusque intendit, et inde se applicat : unde aptum hominem ad peccandum inspexerit. *Prosec.*

216. Ex ea parte homines diabolus tentat, qua eos pro excrescente humore facile inclinari ad vitia conspicit, ut secundum humoris conspectionem adhibeat et tentationem. *Ibid.*, sent. 23.

217. Quem non decipit diabolus, per carnis luxuriam, cupiditatis ac nocendi malitia tentat. *Prosec.*

218. Quem autem nec sic decipit, insidiatur ei superbiæ ruina : undique enim dolos præparat, quousque inveniat viam, per quam incautum decipiat. *Ibid.*, sent. 27.

219. Unusquisque ad tentationem animum, præparare debet : minus enim, dum sperata advenerit. *Ibid.*, cap. 58, sent. 8.

220. Non potes tentationes vincere, nisi de jejuniis erudiaris ; edacitatis enim vitio, crescit carnis tentatio. Lib. 2, *de Synonym.*, cap, 4.

S. LAURENT. JUSTIN. 221. Patientiæ virtus deficit, nisi tentatione erudiatur. *De Ligno vitæ*, tract. 5, *de Patient.*, cap. 4.

222. Ad tentationum pugnas animas præparemus, et intelligamus, quia quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto vehementius ab adversariis tentamur. *Ibid.*

223. Nulla sine tentationum experimentis opera virtutis, nulla sine probatione fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine aggressione victoria. *Ibid.*

224. Non potest absque tentatione homo ad perfectionem venire : nec sibi innotescit, nisi tentatus : nec potest coronari, nisi vicerit : nec potest vincere nisi certaverit : nec potest certare, nisi inimicum et tentationem habuerit. *Ibid.*

225. Ad virtutis perfectionem proculdubio tentatio via est : quæ non solum hominem perficit, verum etiam divinæ providentiæ thesauros patefacit. *De Casto Connub.*, cap. 6.

226. Optimum humanæ infirmitatis medicamentum, est tentatio. *Prosec.*

S. LEO I. 227. Ex impulsu enim tentationis, humilitatis lux emicat, dum sibi ipsi animus notus fit qualis sit. *Ibid.*

228. Nemo se fallat, nemo se decipiat, neque ita quisquam de cordis sui puritate confidat, ut putet se nullis tentationnm periculis subjacere, cum pervigil ille tentator, eos acrioribus pulset insidiis, quos maxime videt abstinere a peccatis. *Prosec.*

229. Tentatione vincitur, qui vinci ab eadem non veretur. Serm. 3 *Quadrag.*

230. Fallitur prorsus quicunque inter tentationes hujus vitæ ab omni se vulnere credit immunem. *Ibid.*, serm. 3.

231. Quantumlibet sapienter et provide judex animus suis exterioribus præsit, inter ipsas tamen curas nimis ei semper vicina tentatio est. Serm. 5, *de Jejun. septimi mensis.*

232. Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutis, nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. Serm. 1 *Quadrag.*

233. Tentat sanitas, tentat infirmitas ; dum illa materia est negligentiæ, et hæc causa tristitiæ. Serm. 11 *Quadrag.*

234. Facilius et felicius ipsum malignum spiritum prava suggerentem vincere solemus, si ejus immissiones tanquam muscas volitantes contemnamus. *In Speculo spirit.*, cap. 3. LUDOVICUS BLOSIUS.

235. Arce tentationes, tentatus vero tibi fortitudinem præsta. *Parænes.* 158. S. NILUS.

236. Quod corpori sano valentique cibus est, idem est tentatio animo forti ac generoso. Orat. 6, *de Acedia.*

237. Plantas enutriunt venti : et tentatio confirmat animi fortitudinem. *Ibid.*

238. Sicut caro, si sale non aspergatur, quamvis sit magna et præcipua, corrumpitur : ita et anima, nisi tentationibus assiduis quodammodo saliatur, continuo resolvitur ac relaxatur. Homil. 27, in cap. XXXIII *Num.* ORIGENES.

239. Fortitudo quædam et munimem est animæ, tentamentum. *Ibid.*

240. Necesse omnes qui volunt exire de regno diaboli, et fines ejus evadere, tentationum ingruentium certamina tolerare. Serm. 33, *de S. Christophoro.* S. PETRUS DAMIANUS.

241. Vitia, quæ intra nos sunt, tentatoribus in tentatione concordant, et vires iniquis spiritibus administrant. Opusc. 13, cap. 21.

242. Carni, quæ tentatur, necesse est ut præsidens spiritus principetur ; ut cum illa abjiciat pugnam, iste quasi desuper intentet minaciter virgam, dum rigidi terroris adhibet disciplinam. Opusc. 32, cap. 6, grad. 19.

243. His qui ad cœlestem patriam tendunt, tentationes deesse non possunt. *Ibid.*, cap. 7, grad. 29.

244. Sæpe tentatio virtutibus admiscetur, ut laborioso Christi militi merces uberior acquiratur. *Ibid.*

245. Per mala tentationum ad præmiorum bona transitur. *Ibid.*, cap. 7, grad. 30.

246. Per experimenta tentationum ad bonitatem (quæ proculdubio Christus est) pervenitur. *Ibid.*

247. Cavendum est, ne dum tentationes repũnt, subrepant. Super *Psalm.* CII, vers. 26. S. PROSPER

248. Qui nunquam tentatur, nunquam probatur. Super *Palm.* CXLIV, vers. 2.

249. Ad magnam utilitatem fidelium materia est reservata certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas. Lib. 1, *de Vocat. gent.*, cap. 8.

250. Laudabilius est atque felicius pugnantem non potuisse vinci, quam desidem non potuisse tentari. *Ibid.*, lib. 2, cap. 35.

251. Si quis forte aliqua victus tentatione corruerit, non absorbeatur tristitia, nec de Dei miseratione diffidat. *Ibid.*, cap. 37.

ICHARD. A VICTORE. 252. Omnis tentatio surgit aut interius, aut exterius : interius per cogitatum, exterius per sensum. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 31.

ROBERTUS BELLARM. 253. Milites Christi non minus vincunt tentationes fugiendo, quam tolerando. Super *Psalm.* XL. in princ.

SYNESIUS EPISCOPUS. 254. Dæmones nullum tempus, nullum modum, nullum oppugnandi locum intentatum relinquunt : undique laquei, undique machinæ concitantur, donec animam penitus subegerint ; aut capere se posse desperent, donec aut ejecerint, aut spem omnem deposuerint. *De Provid.*, sect. 1.

THEODOR. 255. Post tentationem consolatio. Quæst. 6, super *Deuteron.*

256. Vere magnum et vehemens est tentationis bellum, remissio, et deliciæ, et regnum, et potestas, et forma corporis. Super II. *Reg.*, quæst. 25, cap. 2, in illud : *Et erat mulier aspectu valde pulchra*, etc.

. THOMAS AQUINAS. 257. Impugnantur homines a dæmonibus ex ipsa illorum malitia, ordo autem impugnationis ab ipso Deo est. Part. 1, quæst. 114, art. 1.

258. Tentare ut noceat, ita diaboli proprium est, ut homini non competat, nisi ut diaboli ministro. *Ibid.*, art. 2.

259. Diabolus hominem spiritualem non statim tentat de gravibus peccatis, sed paulatim a levioribus incipit, ut postmodum ad graviora perducat. Part. 3, quæst. 41, art. 4.

260. Diabolus non superveniret tibi ad tentandum, nisi te in majore effectu videret. *De triplici Tentat.*

THOMAS A KEMPIS. 261. Non poterit aliquis diu in disciplina et devotione perseverare, qui contra tentationes viriliter non pugnat. Serm. 1, *ad Novit.*

262. Nullus, quamvis imbecillis, frangatur aut tentationibus perturbetur : sed meminerit quod tanto ibi erit corona pretiosior, quanto fuerit in resistendo conflictus major. Serm. 5, *Ad fratr.*

263. Nescimus sæpe quid possumus, sed tentatio aperit quid sumus. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 13, sect. 5.



264. Quandiu in mundo vivimus, sine tentatione esse non possumus. *Prosec.*

265. Nemo tam perfectus est et sanctus, qui non habeat aliquando tentationes, et plene eis carere non possumus. *Ibid.*, cap. 13, sect. 1.

266. Sunt tentationes homini sæpe valde utiles, licet molestæ sint, et graves : quia in illis homo humiliatur, purgatur, et eruditur. *Prosec.*

267. Omnes sancti per multas tentationes transierunt et profecerunt : et qui tentationes sustinere nequiverunt, reprobi facti sunt et defecerunt. *Ibid.*, cap. 13, sect. 2.

268. Non est aliquis ordo tam sanctus : nec locus tam secretius, ubi non sint tentationes. *Ibid.*

269. Multi quærunt tentationes fugere, et gravius incidunt in eas : per solam fugam non possumus vincere, sed per patientiam et veram humilitatem efficimur fortiores. *Ibid.*, cap. 13, sect. 3.

270. Vigilandum est præcipue circa initia tentationis : quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur, sed extra limen statim ut pulsaverit, illi obviatur. *Ibid.*, cap. 13, sect. 5.

271. Quidam a magnis tentationibus custodiuntur ; et in parvis quotidianis sæpe vincuntur : ut humiliati nunquam de seipsis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur. *Ibid.*, cap. 13.

272. Suggestionem spernere diaboli, insigne est virtutis, et magni meriti. *Ibid.*, lib. 3, cap. 6, sect. 2.

273. In tentationibus et tribulationibus probatur homo, quantum profecit, et ibi majus meritum existit, et virtus melius patescit. *Ibid.*, lib. 1, cap. 13, sect. 8

274. Valde vilis quandoque res est, unde gravis tentatio provenit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 20.

275. Virtus monachi in tentationibus apparet. Lib. 5, libell. 7, *de Fortitud.*, num. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

276. Non dubium est, quin certius robur sit, SENECA. quod non vincitur, quam quod non lacessitur, cum dubiæ sint vires inexpertæ. *De Constantia sapient.*, cap. 3.

277. Pulsari homo potest, capi non potest, nisi velit. Epist. 74.

## TENTATIO CHRISTI.

*Vide* CHRISTUS TENTATUS.

## TEPIDITAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Tepide viventes Christiani, difficilius corri- V. BEDA.

guntur quam pagani. In suis *Prov.*, verbo *Tepide.*

[illegible] 2. Tepidi, si diu ita permanserint, sub onere aut opprimuntur, et succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt. Serm. 3, *de Ascens.*

3. Inde tam perniciosa tepiditas emanat, quia affectus, id est voluntas eorum, qui tepidi sunt, nondum purgata est, nec bonum sic volunt sicut noverunt, a propria concupiscentia abstracti graviter et illecti. *Prosec.*

4. Amant enim in carne suas terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio : et si hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt; inde est quod raro affectiones suas dirigunt in Deum, et eorum compunctio non continua, sed horaria est.

5. Impleri autem visitationibus Domini anima non postest, quæ his tepiditatibus subjacet; et quanto magis illis evacuabitur, tanto amplius istis implebitur : si multum, multum : si parum, parum.

6. Neque enim spiritus et caro, ignis et tepiditas in uno domicilio commorantur præsertim cum tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare. *Ibid.*

7. Quorum tepida conversatio, horum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. *Prosec.*

8. Quos, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet.

9. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, et affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minime sustentantur, socii plane tribulationis, sed non consolationis ?

10. Exurgamus obsecro; quicunque ejusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem, etsi non quia periculosa est, et Deo solet etiam vomitum provocare : certe quia molestissima, plena miseriæ et doloris, et inferno plane proxima umbra mortis jure censetur. *Ibid.*, serm. 6.

11. Si tepidus es, et evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini, et inflammabit te; quia eloquium ejus ignitum valde. Serm. *de multiplici Utilitate verbi Dei.*

12. Sæpe corde tepido et arido accedimus, orationi incumbimus : persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis. Serm. 9, super *Cant.*

13. In tepiditatem incidis, cum incipis remissius agere. Serm. 1, *ad Fratres.*

14. Si semel animam, animæ incuria, et spiritu dormitante, frigus tepiditatis pervaserit, mox subit quidam animi rigor, et vigor lentescit; languor fingitur virium; horror austeritatis intenditur; timor sollicitat paupertatis; contrahitur animus; subtrahitur gratia; protrahitur longitudo vitæ; sopitur ratio; spiritus extinguitur; defervescit novitius fervor; ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas; blanditur voluptas; fallit securitas; revocat cousuetudo, dissimulatur lex; abdicatur jus, fas proscribitur; derelinquitur timor Domini. Serm. 63, super *Cant.*

15. Postremo fit saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum. *Ibid.*

16. Semper in robusto et vegeto corpore, animus mollior atque tepidior jacet. Epist. 253, *ad abbat. Garin.*

17. Perniciosa tepiditas, quia periculosa est, quia molestissima est. Lib. 6 *Florum*, cap. 15.

18. Gratia Dei in tepidis virtutem amittit. Serm. S. BONA
2, *dom.* 2, *post Pent.*

19. Astutus et crudelis hostis diabolus, callidi- S. CÆSAR
tate veteris artificii, ac multiformis ingenii, ani- ARELA
mas quas semel persuasione nequissima desides ac tepidas effecerit, etiam in aliorum subversione eas sibi servire compellit. Homil. 35.

20. Melius tibi fuerat in sæculo mansisse frigidum, quam in monasterio non esse ferventem. *Ibid.*, homil. 30.

21. Nullus respuitur, nisi qui tepidus invenitur. CASSIOD
Super *Psalm.* LXXXIX.

22. Multi sunt : qui in initio conversionis suæ, DIONYS.
in servitio Dei ferventes existunt; sed processu CARTHU
temporis tepescunt. Super *Apocal.*, cap. 2, art. 4.

23. Vir in torpore ac negligentia dies suos S. EPHR.
transigens, seipsum decipit. *Ad Monachos*, parænes. 34.

24. Ille Deus tantorum munerum repromissor S. EUSEB
non vult in servitio suo habere tepidum, despicit EMISSE
fastidiosum; recusat coactum, respuit indevotum. Homil. 3, *ad Monachos.*

25. Periculosum est atque perniciosum, negligentius ac tepidius agendo multorum animas depravare. *Ibid.*, homil. 4.

26. Spiritu tepido et paulatim a gratia friges- S. FRAN
cente necesse est carnem et sanguinem, quæ sua ASSISI
sunt, quærere. In suis *Opusc.*, collat. 10, *de Necessitatib.*

27. Animum ejus, qui proxime Deum accedere GLOSS. O
velit, non tepescere oportet, sed spiritu fervere. Super *Levit.*, cap. 16.

28. Qui in sanctis monasteriis sunt tepidi, me- S. GREG
dendi sunt quasi ægri; non sunt ejiciendi, ut MAGNU

mortui. Lib. 4, in I Reg., cap. 4, super illud : *Non exaudiet vos.*

HAYMO. 29. Torpentes sibi hæc posse ad salutem sufficere credunt, quod sua dimiserunt, quod varia crimina sub habitu religionis constituti, non admittunt : atque idcirco dormiunt, bibunt, et secure vivunt; dumque hoc faciunt, tepidi existunt. Super *Apocal.*, cap. 3, super illud : *Quia tepidus es*, etc.

[HU]GO CARD. 30. Novitii primo fervorem magnum concipiunt, sed postmodum tepiditatem pariunt. Super *Isai.*, cap. XXXIII.

[JO]AN. CASS. 31. Sicut immensa gloria fideliter servientibus Deo repromittitur in futurum : ita pœnæ gravissimæ præparantur his, qui tepide negligenterque quæ promiserunt fuerint executi. *De Cœnob. instit.*, lib. 4, *de Inst. renunt.*, cap. 33.

32. Cum monachus elatione cordis in perniciosissimum teporem noxiumque corruerit : nec verus monachus, nec sæcularis effectus est. *Ibid.*, lib. 12.

33. Is qui professus monachum, nec tamen viam perfectionis arripit, a spiritalis fervoris igne discessit. *Prosec.*

34. Qui semel tepido exorsus initio monachi cœpit abuti vocabulo, nec fervore, quo debuit iter suæ professionis arripuit; non ex se ulterius perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri. Collat. 4, *abbat. Danielis*, cap. 19.

35. Evidens est tepidæ mentis indicium, si verborum salutarium medicinam, quamvis studio nimiæ assiduitatis ingestam, fastidiose negligenterque suscipiat. Collat. 14 *Abbat. Nesterotis*, cap. 13.

JOANNES [CH]RYSOST. 36. Is cui tepidus animus est, etiamsi multi temporis curricula ad sui pœnitentiam mereatur, nihil firmum atque robustum poterit promereri : nec Deum facile ad misericordiam commovebit. Homil. *de Jona propheta.*

JOAN. TRITH. 37. Nihil adeo nocet Deo servire volentibus, sicut mentis tepiditas, quæ semper in principio ex parva quadam negligentia oritur : sed nisi statim curetur, successive mirabiliter augetur. Part. 1, *de Regione claustr.*, tract. 1, reg. 1, art. 7.

38. Cum monachus in tepiditatis foveam semel ceciderit, ad pristinum fervorem difficulter redit. Orat. 5, *in conventu abbat. habita.*

39. Tepidus est, qui sceleribus et vitiis majoribus non involvitur, et tamen sine fervore Dei amoris, otiosus inter alios conversatur. *Ibid.*

40. Citius ad veram pœnitentiam frigidus convertitur, quam a consueta negligentia tepidus emendetur. *Ibid.*

[S.] ISIDORUS HISPAL. 41. Multos remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi tepore resolvit. *Prosec.*

42. Horum ergo exempla quisque conversus evita, ne dum timorem Dei a tepore incipis, rursus mundanis erroribus immergaris.

43. Tepidus in conversione otiosa verba et vanas cogitationes esse noxias non conspicit : quod si a tepore mentis evigilaverit, ea quæ levia existimabat, confestim quasi horrenda atque atrocia pertimescit. Lib. 2, *de sum. Bono*, cap. 10, sent. 1.

44. Væ qui evomitur, quoniam regno Dei ineptus judicatur. *De casto Connub.*, cap. 7. S. LAURENT. JUSTIN.

45. Tepiditas charitatem suffocat, devotionem extinguit, virtutes debilitat, oculos cæcat, aggravat corpus; enervat mentem. *Ibid.*, cap. 15.

46. Sicut vita continens et abstinentiæ labor, atque agonum certamina, faciunt unumquemque virum virtutis appellari : ita e contrario remissa vita et ignava, facit virum ignaviæ appellari. Homil. 25, in cap. XXXI, *Numer.*, super illud : *Dixit ad viros virtutis*, etc. ORIGENES.

47. Nihil remissum, nihil tepidum habeamus in nobis : sed cum fervore spiritus, et calore fidei cuncta pergamus. Lib. 9, in cap. XII, *Epist. ad Rom.* super illud : *Spiritu ferventes*, etc.

48. Vicina morti labes est torpor animorum. *Epist. ad Machar.* S. PAULIN.

49. Devotior est fervidus pœnitens, quam tepidus innocens : cum ille materiam fervoris habeat, hic tepiditatis. Serm. 56, *de S. Martino*. S. PETRUS DAM.

50. Mens quæ tot actionum sæcularium ventos recipit, ab amoris intimi fervore tepescit. Opusc. 12, cap. 11.

51. Nunc quia Christum agnovisti, et negligis quem agnovisti, qui susceptus es, quasi intra os Dei per fidei agnitionem, projicieris per teporem. Lib. 4, *de Gubernatione Dei.* SALVIANUS.

52. Si incipis tepescere, incipies male habere. Lib. 1, *de Imitatione*, cap. 25, sect. 11. THOMAS A KEMPIS.

53. Sicut carbo frigidus conjunctus igni ardenti, fit calidus et ardens, sic tepidus socians se fervido et devoto, fit sæpe fervidus et devotus. *In Hortulo Rosarum*, cap. 1.

54. Tepidus de mane, raro fervescit in vespere. *Ibid.*, cap. 12.

55. Sunt quidam ficti et tepidi fratres, in quibus non est fervor spiritualis, sed tantum exterior apparet habitus humilis cum affectu honoris. Serm. 1, *ad Novit.*, divis. 4.

56. Sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant, si vero tepida fuerit, insident in ea, et faciunt vermes : ita et monachum succensum igne divini amoris fugiunt dæmones, tepidum vero illudunt et insequuntur. Lib. 3, num. 204. IN VIT. PAT.

Vide etiam tit. *Incipere*, sent. 53.

## TERRA.

*Etymologia.* Terra a *tero, teris*, dicta est. Serm. 3 *Quadrages.* S. ANTONIUS DE PADUA.

CASSIODOR. Terra dicta est a *terendo*, quod commeantium gressibus atteratur. Super *Psalm.* XI vers. 19.

HUGO CARD. *Divisio.* Triplex est terra, terra, quam terimus; terra, quam gerimus; terra, quam quærimus. Prima est terra morientium; secunda, est terra mortua, scilicet corpus mortuum per peccatum: tertia est terra viventium in æternum. Super *Genes.*, cap. 31.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Terra exercitium est hominis, cœlum corona. Enarr. 1, super *Genes.*, *ad Herontian.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 2. Vere conteritur; qui se terram agnoscit. Serm. *Dom.* 22 *post Trinitatem.*

S. AUGUST. 3. Melius est carne ambulare super terram, quam cupiditate ire sub terram. Super *Psalm* LXII. vers. 9.

4. Non vis ut det te Deus manducandum draconi? noli esse cibus draconis. Ubi dictum est draconi : Terram manducabis ; ibi dictum est et prævaricatori : Terra es, et in terram ibis; cibus serpentis esse non vis, noli esse terra; non eris terra, si terrena non sapias. Super *Psalm.* CIII, conc. 4.

5. Terra corpus est simplex, quia elementum. *De Quant. animæ*, cap. 1.

6. Inter omnia elementa mundi terra videtur minus speciosa, quam cætera. Lib. 1, *de Gen. contra Manich.*, cap. 7.

7. Aliter absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens : illa indigentia, iste potentia. Epist. 49, quæst. 1.

8. Acutum cor nihil est, quando in terra est. Epist. 216.

9. Deus fecit hominem et bestias, ut impleret terram bonis terrenis. *De catechiz. Rud.*, cap. 18.

10. Deus terram fundavit, atque fœcundat. Lib. 7, *de Civitate Dei*, cap. 29.

11. Altera pars sumus cœli, altera terræ. Lib. *Meditat.*, cap. 37.

12. Pone in terra terrena, sursum cor. Tract. 18, super *Joan.*

13. Terram sapitis, terrenis pascimini, delectamini, inhiatis, sursum corda non habetis. Tract. 38, super *Joan.*, in illud: *Vos de deorsum estis.* etc.

S. BERNARD. 14. Quid, o homo, quæ super terram sunt desideras et diligis, cœlestia vero non curas! Serm. *de Miseria humana.*

S. BONAV. 15. Terra sunt, qui terrena sapiunt. Expos. 2, super *Psalm* CXVIII, cap. 2, vers. 3, art. 2.

16. Terra fertilis si diu inculta fuerit, silvescit: si nimis cogitur fructificare, fit macra; sed si medium tenetur, fertilis perseverat. Lib. *de Profectu relig.*, cap. 1.

16 *bis.* Qui terrenis inhæret, invenire non potest, nisi quod in terrenis latet. *De septem Itineribus æternitatis*, itin. 3, dist. 5.

CONCILIUM TRIBURIE. 17. Omnia quæ de terra orta sunt, in terram convertentur. Quid terra de terram vendis? memento quod terra es, et in terram reverteris. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 13, quæst. 2, can. in *Ecclesiasten.*

17 *bis.* Terram teris, terram geris, et in terram converteris, qui de terra sumeris. *Ibid.*

S. EUSEBII EMISSEN. 18. In quantum te a terrenis abstraxeris, in tantum te cœlestibus insinuabis. Homil. 3, *Epiphan.*

GLOSS. IN 19. In terrenis caro quiescit, sed spiritus deficit. Super *Job*, cap. 11.

20. Terrena sapiunt, qui imaginem terreni, non cœlestis portant. Super *Hierem.*, cap. 1.

GLOSS. OR 21. Omne terrenum revertitur in terram. Super *Daniel.*, cap. 7.

22. Terrena operans, terrena expectans est. Super *Luc.*, cap. 14.

S. GREGO MAGNUS 23. Terra, quia nos omnes genuit, mater est omnium. Lib. 2 *Moral.*, cap. 12.

24. Altitudines terræ sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor et sublimitas dignitatum : quæ terreni eo ipso alta æstimant, quo magna putant. *Ibid.*, lib. 31, cap. 19.

25. Terram semper intuetur qui curvus est. Homil. 31, super *Evang.*

26. Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. *In septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* II, vers. 14

27. Quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit. Homil. 10, super *Ezech.*

S. HIERON 28 In terra seditio est, bella, atque discordiæ. Epist. 29, *ad Theodoram.*

29. Christiani cœlum debent amare, non terram. Epist. 37, *ad Pammach. et Ocean.*

HUGO A S. VICTORE. 30. Qui terrena sapiunt, et terrenis inhiant, carnis desiderio solent aggravari. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 23.

31. In rebus conditis nihil terra infirmius, vel corruptibilius invenitur. Lib. *de Vanit. mundi.*

32. Est terra, quæ plena est furore Domini : et est terra, quæ plena est correptione Domini. *Prosec.*

33. Terra, quæ plena est furore Domini, est infernus : terra, quæ plena est correptione Domini, est ignis purgatorius. Serm. 63, *de Divers.*

34. Est terra, quæ plena est voluptate Domini, quæ est paradisus : et est terra, quæ plena est sustentatione Domini, et est hic mundus. *Ibid.*

HUGO CARD 35. Terræ dediti, nec cogitare, nec loqui, nec audire possunt, nisi de terrenis : quia ibi cor, ibi

lingua, ibi aures eorum sunt. Super *Prov.*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST.

36. Terra ipsa est nutrix, et mater nostra ipsaque nostra patria est, et commune sepulcrum. Homil. 2, super *Genes.*, in illud *Gen.* I : *Terra autem invisibilis erat.*

37. Terra quasi optima nutrix singulis temporibus et anni partibus varia et diversa dona nobis profert, præcepto dominico serviens. *Ibid.*, homil. 21.

38. Nos qui non de terra in terram vocamur ut Abraham : sed de terra in cœlum, tantæ sumus negligentiæ, ut præferamus terram cœlo. *Ibid.*, homil. 31.

39. Quæ utilitas, si terra sit fructuosa et ferax, homines autem mali. *Ibid.*, homil. 33.

40. Tu ad terrena quasi porcus diaboli artibus persuasus devolveris. Homil. 50, super *Matth. Oper. perf.*

41. Omne quod de terra suscepimus, in terra dimittetur. Homil. 26, super *Matth. Oper. imperf.*

42. Terra non germinat nisi pluviam susceperit, nec pluvia fructificat sine terra. *Ibid.*, homil. 32.

43. Terrena perpetrare est quod terrenum efficit, quemadmodum cœlo digna operari, est quod cœlestem reddit. Homil. 42, super I *Cor.*

44. Donec anima terrena miratur, necessario cœlestia spernit ac despicit. Lib. 2, *de Compunct. cordis.*

45. Terra nobis est et patria et sepulcrum. Homil. 9, super *Gen.*

46. Despice terram, ut cœleste diripias regnum. Quæcunque in terris acquisieris, servilia sunt : sin illa despicias, in regia eris illustris. Si ea ipsa despiciamus, Deus illa curabit : si ea nos curare velimus, ipse illa despiciet. Homil. 10, super I *Tim.*

47. Non estis de terra, nec de terra venistis : sed pro tempore de terra suscepistis terram, ut per terram vincatis terram. Homil. 15, super *Matth. Oper. imperf.* in illud : *Nolite thesaurizare*, etc.

LACT. FIRM.

48. Si qui se corpori rebusque terrenis addixerunt, premuntur in terram, nec assequi possunt divini numinis gratiam. *De Ira Dei*, cap. 19.

49. Cum homines Deus artifex ore sublimi, statu recto figuratos, ad contemplationem cœli et notitiam Dei excitaverit, curvare se ad terram malunt pecudum more. *Ibid.*, cap. 20.

50. Humilis et curvus et pronus est, qui ab aspectu cœli, Deique Patris aversus, terrena (quæ calcare debuerat) veneratur. *Ibid.*

51. Non est fas hominem relicto Deo sensus ac vitæ datore, terrenis famulari. *Ibid.*, cap. 23.

52. Opes et corpus ipsum hominis, cujus hospitio utitur, terra est. Lib. 2, *de divin. Inst.*, cap. 2.

53. Vere cæci sunt, qui cœlestia non videntes, et tenebris ignorantiæ circumfusi, terrena et fragilia venerantur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 26.

54. Terreni homines nihil sapiunt, nisi terram. *Ibid.*, lib. 6, cap. 1.

S. LEO I.

55. Terra carnis nostræ, nisi assiduis fuerit subacta culturis, cito de segni otio spinas tribulosque producit, et partu degeneri dabit fructum non horreis inserendum, sed ignibus concremandum. Serm. 4, *de Jejun. Pentec.*

56. Terra est domus omnium mortalium : illuc quo abiit Adam, et omnes qui post eum fuerunt : illuc quo abiit ille, ad quem dictum est : Terra es, et in terram ibis. Lib. 1, *in Job*, super illud : *Nudus ibi illuc.*

PETRUS CELLENS.

57. Qui a terrenis vacant, spiritualium notitiam citius assequuntur. Epist. 7, *ad Quemdam.*

58. Terram sapis, terram loqueris, terram lingis. *Ibid.*, epist. 9, *ad Radulph. Lexoviens. episc.*

59. Terra est homo, quia de terra sumitur, in terra conversatur, in terram revertitur : terram sapit, terram lingit, terram sitit. *Prosec.*

60. Pro terra litigat, pro terra pugnat : nec cessabit a talibus, donec in terram, qui de terra est revertatur.

61. Hieremias propheta tertio vocat hominem terram, quia homo tripliciter terra est. *Prosec.*

62. Terra est, quia de terra creatus est : terra est, quia in terra conversatur : terra est, quia in terram revertetur.

63. Terra est creatione, terra est conversatione, terra est morte. *Ibid.*, super *Job*, cap. 1.

S. PETRUS CHRYSOL.

64. Nemo potest connecti terræ, et jungi cœlo. Serm. 164.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO.

65. Terra est altrix generis humani. *In Dialogo Timæi.*

66. Emetiamur quascunque terras, nullum inventuri sumus solum intra mundum, quod alienum homini sit. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 9.

SIXTUS PHIL.

67. Angustus animus est, quem terrena delectant. *Ibid.*

68. Nemo sapiens, qui deorsum respicit in terram. Sent. 378.

VALERIUS MAXIMUS. 69. Videte ne dum terram custoditis, cœlum amittatis. Lib. 7, *Dictor.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Desperatio*, sent. 36; *Homo*, sent. 58; *Intentio*, sent. 19; *Mensa*, sent. 35; *Occupatio*, sent. 27; *Prævisio*, sent. 27; *Relinquere* sent. 61; *Thesaurus*, sent. 31, 32, 33; *Visio Dei*, sent. 65.

## TESTIMONIUM.

COLLECTOR. *Etymologia.* Testis dicitur quasi antestis, hoc est, ante stans : vel ut aliqui volunt, quasi tenens statum.

S. AUGUST. Testimonia græce martyria nuncupantur, quo verbo jam utimur pro latino eloquio; unde illos qui propter testimonium Christi, diversis passionibus humiliati sunt, et usque ad mortem pro veritate certarunt, non testes, quod latine utique possemus appellare, sed græce utique martyres appellamus. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 6, in illud : *Testimonia tua exquisivi.*

S. PROSPER. *Definitio.* Quis est testis falsus, nisi qui hominem quemlibet de criminibus indiscussis objurgat? Lib. 2, *De Vita contemplat.*

SALVIANUS. Testimonium recte esse dicitur, quo rerum veritas approbatur. Lib. 2, *de Gubernatione Dei.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Conscientia propria sufficit unicuique ad testimonium. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2.

S. ANTONIN. 2. Testificando falsum advertenter, tenetur ad restitutionem omnium, quæ exinde proximus amisit propter ejus testimonium. Part. 2, tit. 1, cap. 19, § 7.

S. AUGUST. 3. Qui divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdiderunt. Epist. 50, *ad Bonifac.*

4. Testis est, qui adest, non in cubiculo adest parietum, sed in cubilibus conscientiarum vestrarum. Super *Psalm.* LVII.

5. Inimicus sæviens, carnem potest occidere; tu autem dicendo falsum testimonium, animam occidis. Super *Psalm.* LXXIX, vers. 17.

6. Falsus testis linguam suam et animam suam prius trucidat, et alterum lædere se perempto conatur, male utitur lingua, nec ideo malum est lingua : opus est Dei lingua, sed bono opere Dei male utitur illa nequitia. Tract. 27, super *Evang. Joan.*, de cap. VI.

7. Veritas quæritur per duos testes, ita sic se habet humani generis consuetudo : sed tamen fieri potest ut et duo mentiantur, ut in Suzanna casta accidit. *Ibid.*, tract. 36, de cap. 8.

8. Humana decet divinis, non divina humanis testimoniis confirmari. *De Sobrietate*, cap. 1.

9. Testimonium martyrum impii audire nolunt, ut vivant : et testimonium dormientium audiunt, ut pereant. Homil. 36, *ex Quinquaginta Homil.*

10. Quid vult falsus testis, nisi mordendo nocere, et consumere mentiendo? Serm. 2, *Sabbat. post* 3 *Dom. Quadr.*

11. Non debet vendere testis verum testimonium. Epist. 54.

12. Constat nostra scientia ex visis rebus et creditis : sed in iis quæ vidimus, nos ipsi testes sumus; in his quæ credimus, aliis testibus movemur ad fidem. § 112, cap. 3.

13. Hæc duo sunt, testis et testimonium, quorum ad oculos unum, ad aures alterum pertinet. *Ibid.*

14. Quæ nec corporeo sensu experti sumus, nec mente assequi valuimus aut valemus, eis sine ulla dubitatione credenda sunt testibus. *In Enchiridio*, cap. 4.

15. Non apud quoscunque loquimur, testes sumus; sed apud eos quibus expedit et debetur per nos cognoscere aut credere veritatem. *Prosec.*

16. Cum autem ille te interrogat, aut vult ex te aliquid nosse, qui eam rem quærit quæ non ad eum pertineat, aut quam ei nosse non expedit non testem, sed proditorem requirit.

17. Itaque si ei mentiaris, a falso testimonio fortasse alienus eris, sed a mendacio profecto non eris. *De mendacio*, cap. 17.

18. Falsi testimonii non minus reus est, qui de seipso falsum fatetur, quam si adversus proximum hoc faceret. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 20.

19. Sicut homo jurans adhibet testem Deum, ita seipsum Deus. Lib. *contra Advers. legis*, cap. 11.

20. Martyres testes dicuntur, testes autem Christi, veri testes sunt. *Ad Donat.*, post collat., cap. 1.

21. Deus testes habere voluit homines, ut et homines habeant testem Deum. Tract. 1, super *Epist. Joan.*

22. Non dedignatur Deus testis esse, qui judex est : quoniam qui testis est, ipse judex erit. Tract. 36, super *Joan.*

23. In judicio nec falsos testes adduces, quibus judex fallatur : tunc enim ipse erit judex causæ tuæ, qui modo est testis vitæ tuæ. *De decem Chordis*, cap. 2.

24. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Tract. 26, super *Joan.*

V. BEDA. 25. Multi hodie Judæ scelus, quod Dominum ac magistrum, Deumque suum pecunia vendiderit, velut immane et nefarium exhorrent, nec tamen cavent. *Prosec.*

26. Nam cum pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt : profecto quia veritatem pro pecunia negant, Deum pecunia vendunt. Lib. 4, super *Marc.*, cap. XIV, in illud : *Promiserunt ei pecuniam*, etc.

[S.] BONAV. 27. Attendenda est non solum testimonii veritas, sed etiam testium honestas. Serm. 2, *Dom. infra oct. Ascens.*

28. Nullum putaveris locum sine teste. *In Speculo discipl.*, part. 1, cap. 30.

CALIXTUS PAPA. 29. Testes per quamcunque Scripturam testimonium non ferant, sed præsentes de iis quæ noverunt et viderunt, veraciter testimonium proferant. Apud Gratian., in *Decretis*, part. 2, causa 3, quæst. 9, can. *Testes.*

[C]ASSIODOR. 30. Mendacii sui pœnas recipiet, qui falsum testimonium proferre contendit. Super *Psalm.* XXVI.

31. Indubitatum testimonium est, quod præstat ingratus ; et non potest gratiosum dici, quod confirmat ille, qui reus est. Super *Psalm.* LVIII.

32. Pro multis malis sæpe bonum testimonium damus, atque de bonis mala dicimus nescientes : et necesse est verecundiam incurrat, qui ignorans aliquid testimonio asseverat. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Quod suspicatus sum.*

CONCIL. [CARTH]AGINENSE. CAP. 6. 33. In testibus fides, dignitas, mores, gravitas moderanda vel examinanda est. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 4, quæst. 2, can. *Si testes*, § *In testibus.*

34. Testes qui adversus fidem suæ testationis vacillant, audiendi non sunt. *Ibid.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 35. Non dicas, Nemo me vidit ; neque putes quod testis factorum non sit : homo quidem quandoque non est, sed non errans testis est in cœlo. *Cateches.* 18.

S. FELIX PAPA. 36. Affinis testis non admittitur, nisi in crimine injuriarum. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 3, quæst. 9, can. *Absens.*

GLOSS. ORD. 37. Falsus testis nocet mordendo, et consumit mentiendo. Super illud *Exodi* X : *Ecce ego inducam cras locustam.*

GLOSS. INT. 38. Qui testem habet in cœlo, si ab hominibus reprehendatur, non curet. Super *Job*, cap. XVI.

GLOSS. ORD. 39. Ille veraciter testis fidelis est, qui nescit mentiri. Super illud *Apocal.* I : *Qui est testis fidelis.*

GRATIANUS 40. Ob carmen famosum damnatus, intestabilis erit. In *Decret.*, part. 2, causa 4, quæst. 2, can. *Si testes*, § *Ob carmen.*

41. Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. *Ibid.*, etc., § *Nullus.*

42. Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt : pluralis enim locutio, duorum numero contenta est. *Ibid.*, etc., § *Ubi.*

43. Eos testes ad veritatem adjuvandam adhiberi oportet, qui omni gratiæ et potentatui, fidem religioni judiciariæ debitam possunt præponere. *Ibid.*, etc., § *Eos.*

44. Testes Dei sunt, qui per exercitium sancti operis, testantur, quæ electos secura sint præmia veritatis. Lib. 9, cap. 35. S. GREGOR. MAGNUS.

45. Qui sine teste ambulat, recte non vivit. Lib. 10, *in Registro*, indict. 5, cap. 22, *ad Joan. subdiac.*

46. Amantium cæca sunt judicia ; nunquam ergo de amicorum testimonio glorieris. *Prosec.* S. HIERON.

47. Illud verum est testimonium, quod ab inimica voce profertur : alioqui si amicus pro te dixerit, non testis, aut judex, sed fautor putabitur. Epist. 15, *ad Pammach.*

48. Fidele testimonium est, si non habet causas mentiendi. *In Regula Monachor.*, cap. 24, *de Virt. humilit.*

49. Falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur. Lib. 4, super *Matth.*, cap. 26, can. 6, num. 309, super illud : *Novissime venerunt duo falsi testes.*

50. Duo testes sunt, vita et conscientia : bonus testis, bona vita. Coram Deo testis est conscientia, coram hominibus vita. Lib. 2, *De Claustro anim.*, cap. 17. HUGO A S. VICTORE.

51. Testes iniqui sunt adulatores, falsum testimonium adulando perhibentes. Super *Psalm.* XXVI. HUGO CARD.

52. Æquus testis est, cujus vita et verba, æqua libra sibi respondent : iniquus autem testis est, cujus verba sunt grana, et vita palea, qui bona dicit, et mala facit. Super *Psalm.* XXXIV.

53. Hodie periclitatur causa Domini, propter defectum testium : adversarii enim tot et tanta habent dicere in testes, et in facta, et in dicta testium, quod per eos parum, aut nihil de jure suo possit Dominus obtinere. Super *Prov.*, cap. 18.

54. Falsus testis est, qui nec juratus, nec rogatus fert testimonium. Super *Isa.*, cap. 43.

55. Testis ille non est idoneus, qui non interfuit testandis. Super *Acta Apost.*, cap. 2.

56. Testes ex auditu et fama, sufficienter non probant. Lib. 2, *Decret.* Const., const. 48, in titulo. S. INNOC. III

57. Diligenter examinandi sunt testes, et puniendi illi, qui eos impediunt, et effrænata testium multitudo est per judicem refrænanda. *Ibid.*, const. 52, in titulo.

58. Cum de fama vel vitio falsitatis inquiritur, cogendi sunt testes. *Ibid.*, const. 62, in titulo.

59. Falsi testes possunt facere malam famam, non tamen possunt interficere conscientiam. Homil. *de Susanna.* S. JOANNES CHRYSOST.

60. Testimonium cujuspiam nequaquam idoneum est, nisi eum bonæ vitæ institutio commendet. *Prosec.*

61. Nemo potest alterius esse testis idoneus, nisi prior fuerit suus. Homil. 3, super *Matth. Oper. imperf.*

62. Inimicorum testimonium in judicio etsi verum fuerit, quasi suspectum reprobatur. *Ibid.*, homil. 42.

63. Id veritatis maximum est argumentum, cum quis inimicos in testimonium adducit. Homil. 82.

64. Duos habere testes, hoc profecto magnæ probationis indicium est. Homil. 15, super I *Tim.*

JOAN. SAR.

65. Non ad multitudinem respici oportet sed ad sinceram testium fidem, et testimonia, quibus potius lux veritatis assistit. Lib, 5, *de Nugis curial.*, cap. 14.

JOAN. TRITH.

66. Magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis assistat. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 28.

S. ISIDORUS HISPALENS.

67. Si mendacium gratis dicitur, quanto magis si venale quæritur ? neque enim deerit multiplex conventus testium falsorum, si tantum præsentia sit nummorum. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 55, sent. 1.

68. Testis falsidicus tribus est personis obnoxius : primum Deo, quem perjurando contemnit: deinde judici, quem mentiendo fallit : postremo innocenti, quem falso restimonio lædit. *Ibid.*, sent. 2, etc.

69. Testibus falsis conjunctis, tarde mendacii falsitas reperitur : quod si separati fuerint, examine judicantis cito manifestantur. *Prosec.*

70. Nam sicut in unitate pravorum testium grandis est fortitudo : ita in separatione major infirmitas.

71. Fraudulentia cito deprehenditur, cum mendacium falsidicorum testium sibi non convenit.

72. Unum pene crimen habent, et qui falsitatem promit, et qui supprimit veritatem : quia et ille obesse vult, et iste prodesse non vult.

73. Prior est autem testis, qui lædit, quam qui præstare nolit : nam ille malignus est, iste inutilis. *Ibid.*, sent. 4, etc.

74. Iniquus testis, quamvis sua falsitate corpori rebusque officiat, animæ tamen nihil oberit, imo maximum lucrum confert, si impetitus æquanimiter tulerit. *Prosec.*

75. Erit autem ille apud Deum condemnatus, qui adversus innocentem falsum testimonium vel dicit, vel dicentibus credit.

76. Nam non solum ille reus est, qui falsum de alio profert testimonium ; sed et is qui cito aurem criminibus præbet. *Ibid.*, sent. 6, etc.

77. Qui metu potestatis virtutem occultat, ejusdem veritatis iracundiam sibi cœlitus provocat : quia plus pertimescit hominem, quam divinam trepidet indignationem. *Ibid.*, sent. 7, etc.

78. Testimonio tuo nulli noceas, ad nullius periculum vocem testificationis adhibeas. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16.

LACT. FIR

79. A cupiditate insatiabili opum, falsa testimonia erupere. *In Epitome*, cap. *Duas.*

S. LEO I

80. Puniendi sunt testes, qui ad calumniam aliquid testificantur : nec eorum voces tanquam plurium admittuntur, quos temporum quidem diversitas simul interfuisse prohibuit. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 3, quæst. 9, can. *Nihilominus.*

ORIGENES

81. Qui falsum testimonium dicit, diabolus aperit os ejus. Homil. 3, in cap. VII *Exod.*

82. Si quis ea quæ videt in delicto proximo sui, vel non indicat, vel in testimonium vocatus, non quæ vera sunt dixerit, peccatum quod commisit ille quem celat; ipse suscipiet, et pœna commissi revolvetur ad conscium. Homil. 3, in cap. III *Levit.*

PHILO JU

83. Vetat Dominus falsum testimonium, non ignarus falsos testes multis magnisque molestiis se involvere. *Prosec.*

84. Primo sanctam veritatem violant, qua nihil est in rebus sacratius, solis in morem illustrante negotia, ne quid eorum in obscuro lateat. *De Decalogo.*

S. PROSPER

85. Falsarius testis multa variaque confingens, rodit ut locusta famam, vitam, actusque alienos, donec totum adversus quem falsa confingit, radicitus exterminet. *De Promiss.*, part. 1, cap. 36.

86. Falsus testis innocentem nullis provocantibus meritis arguendo, videri vult reum. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 8.

SALVIANUS

87. Humana dicta argumentis ac testibus egent, Dei autem sermo ipse sibi testis est : quia necesse est quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

S. THOMAS AQUINAS.

88. Testium inductio publicam præcedere debet in correctione denuntiationem. 2, 2, *Quæst.* 33, art. 8.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO.

89. Testis est dicere quæ scierit, aut audierit, cum veritate sermonis. Lib. 4, *de Arte rhetor.*

PLINIUS II.

90. Solent testes in reos, non in damnatos interrogari. Lib. 1, epist. 5, *ad Voconium Roman.*

SENECA.

91. Testimonium veritati, non amicitiæ reddas. *De quatuor Virtut.*

92. Nullum putaveris locum sine teste. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Judas*, sent. 58 ; *Passio Christi*, sent. 32 ; *Restitutio*, sent. 26; *Reus*, sent. 17.

## THEOLOGIA.

COLLECTOR. *Etymologia.* Theologia dictio est græca : nam Θεός Deus dicitur, λόγος sermo : unde theologia est sermo de Deo, vel de divinis.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio.* Theologia est scientia de divinis. Super lib. 1 *Sentent.*, quæst. 1, art. 1, ad 4.

S. BONAV. *Divisio.* Triplex dicitur theologia : Prima quæ Dei est ; secunda, rationabilis et nostra ; tertia, sensualis et symbologica. *Exposit.* 1, super *Psalm.* CII.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. BASILIUS MAGNUS. 1. Artes de cætero tractant homines, non theologiam. Epist. 61, *ad Fratres episcop.*

2. Theologia sola est scientia perfecta, quoniam incipit a primo, quod est primum principium, et pervenit ad ultimum, quod est præmium æternum. *Prosec.*

3. Incipit a summo, quod est Deus altissimus, et perverit ad infimum, quod est infernale supplicium.

S. BONAV. 4. In hac cognitione theologiæ est sapor perfectus, vita et salus animarum : et ideo ad eam addiscendam inflammari debet desiderium omnium Christianorum. *In Breviloq.*, part. 1, cap. 1.

DIADOCH. 5. Omnia dona Dei sunt valde bona, et omnium bonorum causa : sed nullum ita nostrum cor inflammat, et illud ad amandum bonitatem ejus excitat, ut donum theologiæ, cum sit fœtus matutinus gratiæ Dei. *De perfect. spirit.*, cap. 67.

6. Mens nostra ad theologiam se dat libenter propter latitudinem, et laxitatem res divinas contemplandi. *Ibid.* cap. 68.

S. DIONYS. AREOPAG. 7. Ante omnem actum, et in theologia maxime, ab oratione inchoandum nobis est. *De divin. Nomin.*, cap. 3.

S. EPHRÆM. 8. Ad Theologiam tum erimus idonei, quando superando passiones a nobis ipsi omnem affectionem carnalem exterminaverimus, nullamque occupationem mente retinuerimus. *De Virtute*, cap. 10.

S. FRANCISC. ASSISIAS. 9. Placet mihi, quod sanctæ theologiæ litteras fratribus intrepreteris, ita tamen ut neque in te, neque in cæteris extinguatur sanctæ orationis spiritus. In suis *Opusc.*, epist. 3, *ad S. Antonium de Padua.*

S. GREGOR. NAZ. 10. Opportunum tempus, non parum idoneum theologiæ consecrandum est. Lib. 1, *de Theologia.*

11. Argutatores ac sophistas, non theologos agunt homines. Hab. D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 80.

S. JOANNES CHRYSOST. 12. Via theologiæ profecto longe est major, quam humana. Homil. 4, super I *Cor.*

S. JOAN. CL. 13. Tutum non est cum veste, neque cum passione aliqua, theologiam attingere : dogmatum enim ejus ingens est alta profunditas. Grad. 27.

14. Castitas discipulum theologum facit. Grad. 30.

JOAN. GERS. 15. Theologia ecclesiastici corporis oculus est, et venter etiam spirituales cibos glutiens, coquens et in cætera membra delegans. Serm. *de quatuor Domib.*, divis. 2, consid. 1.

16. Inutilis est theologia, vana prorsus, inutilis et noxia, si non comes affuerit devotio. Tract. 7, super *Magnificat.*

17. Theologia philosophiæ præficitur : quoniam sicut naturam gratia, sicut ancillam domina, sicut discipulam magistra, sicut tempus æternitas, sicut ratiocinationem intelligentia ; sic theologia philosaphiam exuperat. Lib. 1, *de Consolat. theolog.*, prosa. 2.

18. Philosophia et theologia sine devotione, dispergunt superbos, et deprimunt. Tract. 7, super *Magnificat.*

19. Theologia domina est omnium scientiarum; nulla enim scientia reperitur ( si casta est ) quæ non theologiæ obsequatur et ancilletur. Lect. 2, *de Theolog.*, consid. 4, part. 4.

20. Theologia est magna vitæ spiritualis, divinæ, et catholicæ gubernatrix. Serm. *ad Reg. Franc. nomine Univers. Paris.*

S. NILUS. 21. Si es theologus, vere orabis, si eris theologus et vere orabis, theologus vere eris. *De Orat.*, cap. 57.

PETRUS BLESENS. 22. Diu te invitavi ad studiosam Theologiæ militiam, ne abhorreas hunc laborem. Epist. 9 *ad Quemdam.*

23. Sane laborem theologicæ facultatis non debes abhorrere : scholastici namque hominis labor non est in operibus, sed in verbis. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. 24. Theologia est animæ pabulum, et pontificatus viaticum. *De Scient. utiliorib.*

25. Theologia habet principia certa, non simpliciter per se nota theologo, sed per viam credulitatis, supponendo ea a Deo, qui ea habet per scientiam superiorem. Super 1 sent., quæst. 1 prolog., art. 1, in contrar.

26. Tota Theologia ordinatur ad habendam notitiam de Deo. *Ibid.*, art. 2, in contrar.

27. Theologia est sapientia non solum tertio modo, sed etiam secundo, et ideo non solum est speculativa, sed etiam practica. *Ibid.*, quæst. 2, art. 1, ad 3.

28. Theologiæ doctrina notificat Deum per lumen fidei : unde non oportet quod circa universalia versetur, sed circa ipsum Deum, qui est principale subjectum hujus doctrinæ, et circa alia prout sunt a Deo, vel ad Deum. *Ibid.*, ad 4.

29. Theologia, quantum ad materiam et modum cognoscendi, est aliis scientiis perfectior, quamvis ex parte scientis sit imperfectior. *Ibid.*, quæst. 2, in contrar., et ad 1.

30. Theologia est nobilissima doctrina, quia per unum simplicissimum medium (quod est veritas prima, cui innittitur) extendit se non solum ad speculabilia, sed et ad operabilia. *Ibid.*, ad 4.

## THESAURUS.

HUGO CARD. *Etymologia*. Dicitur thesaurus a *thesis*, quod est positio, et *aurum* : unde thesaurizare, est aurum ponere, scilicet in arca, vel alibi. Super *Psalm*. XXXVIII.

COLLECTOR. *Definitio*. Thesaurus est vetus depositio pecuniæ, mobilisve rei pretiosæ, cujus non extat memoria, nec dominus.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Donatum thesaurum qui non abscondit, perdit. Part. 2, tit. 4, cap. 7, § 4.

S. AUGUST. 2. Thesauri mentem possunt plerumque subvertere : at mens quæ non thesauris subvertitur, sine ullis thesauris facilius et expeditius potest vivere. Lib. 14, *de Trinit.*, cap. 14.

3. In thesauro pauperum dulcissima requies, et vera securitas est : ad ipsum enim amittendum nec latro admittitur, nec naufragium metuitur; servat secum quod intus habet, nudus evadit, et plenus est. Super *Psalm*. XXXVI, conc. 2, vers. 22.

4. Non dormiat in thesauris suis, qui pauperi prodesse potest. *De Duodecim abusion.*, cap. 4.

5. Nihil est melius, nihil dulcius, quam divinum scrutari nullo strepente thesaurum; dulce est, bonum est. Homil. 25, *ex Quinquaginta Homil.*

S. BERNARD. 6. Thesauri quos thesaurizare debemus, tres sunt : Desiderium pietatis in corde; doctrina veritatis in voce; assiduitas perseverans in homine. In suis *Sentent.*, cap. *Thesauri*.

7. Utinam saperes miser, et intelligeres, cum thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulari. *In Declamation.*

8. Cur thesaurizas in terra, homo, cum sine dilatione transeat et illud quod colligitur et ipse qui colligit ? Lib. *Meditat.*, cap. 17.

S. BONAV. 9. O cæcitas ! tristatur homo, si perdit thesaurum mundi, et non curat, si perdit fidem, charitatem, justitiam, et patientiam, pretiosum thesaurum Spiritus sancti. *Prosec.*

10. O si cogitamus cum quanta districtione thesaurus iste ponderetur in die redditionis, id est mortis vel judicii, antequam in domum thesaurorum cœli recipiatur, quam diligenter eum custodiremus ! Serm. 3, *fer.* 2 *Pent.*

11. Quantus credendus est thesaurus corporalis comparatus thesauro spirituali ? quanto est anima corpore nobilior, tanto thesaurus animæ est thesauro corporali melior. Thesaurus animæ est quo solo anima dives est. *Prosec.*

12. Si multum doles pro amissione thesauri corporalis, quantum dolorem decet habere pro amissione thesauri spiritualis ? Serm. 1 *de S. Matthæo.*

12 *bis*. Non dormiat in thesauris suis, qui pauperes dormire non sinit. *De duodecim Abusion.*, cap. 4. S. CYPRIAN.

13. Facilius animæ thesaurus non in arca, sed in memoria portatur. Homil. 1, *de Symbolo.* S. EUSEBIUS EMISSEN.

14. Inter omnia, quæ vanitatis sunt hominum, illa est vel præcipua, vel apertissima, quod magno studio, cura, sollicitudine, ac labore thesauros magnos, homines cupidissime congregant, ignorantes quibus ista sic congregent. *In Elucid. super Psalm.* XXXVIII, vers. 10. FRANCISCUS TITELM.

15. Thesaurum nostrum in cœlis ponamus, ut etiam cor nostrum in cœlis habere possimus. *Prosec.* S. FULGENT.

16. Necesse est enim, ut quo præcesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam cognitionis sequatur affectus.

17. Ut ergo in cœlis thesaurizemus, cœlestia diligamus.

18. Vis nosse ubi thesaurizas ? attende quid amas : vis nosse quid amas ? attende quid cogitas.

19. Ita fiet ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, et amorem tuum indicio tuæ cogitationis intelligas. Serm. 1, *de Confessorib.*

20. Inventus thesaurus absconditur, ut servetur : quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. *Prosec.* S. GREGOR. MAGNUS.

21. Deprædari enim desiderat, qui thesaurum publice portat in via. Homil. 2, super *Evang.*

22. Thesaurus spiritualis tanto magis cumulatur, quanto magis temporalis thesaurus studiosius pro Deo expenditur. Serm. *de Virginib.* HAYMO.

23. Qui thesauros effodit, ejicit rudera terræ, et facit in altum foveam, sedulus insistit labori : donec ad thesauros quos quærit, attingat : sic qui thesauros sapientiæ invenire desiderat, quid- S. HIERON.

quid sibi terrenum inesse deprehenderit, expurget, fossam in se humilitatis faciat nec quiescat, donec inveniat. Lib. 1, super *Prov.*, cap. 2.

24. Sæpe plerique thesaurizant, et congregant multa, quæ aut desidia filiorum evertit, aut fiscus occupat, aut diripiunt alieni. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 10, *Thesaurizat*, etc.

25. Ibi quique habent cor, ubi est thesaurus. Gulosi thesaurus venter est : luxuriosi thesaurus epulæ sunt; lascivi ludicra; amatoris libido. Lib. 1, super *Matth.*, cap. 6, can. 5, num. 46, super illud : *Ubi enim est thesaurus tuus*, etc.

HUGO A S. VICTORE.

26. Thesaurus ex pretiosis congeritur, reconditur; custoditur; augmentatur; in tempus necessitatis reservatur. Lib. 4, *de Propriet.*, cap. 18.

27. In thesauro bono habetur firmitas; pretiositas; secretum; pulchritudo; sollicitudo; confidentia. Super *Luc.*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST.

28. Thesaurus malorum est inobedientia, et intractabilitas, et iniquitas. *Prosec.*

29. Fuge thesaurum iniquitatis, et reconde thesaurum eleemosynæ : bonum opus quod possit omne peccatum extinguere, quod idoneum sit ad solvendum omnem iniquitatem. Homil. super *Psalm.* XCV.

30. Diabolus quasi quosdam laqueos facit thesauros in terra, ut homines istis thesauris et cœlestibus spoliet. Homil. 12, super *Matth. Oper. perfecti.*

31. Qui collocat thesauros in terra, non habet quod speret in cœlo; et in vanum aspicit in cœlum, ubi nihil repositum habet. *Prosec.*

32. Qui divitias suas reponit in cœlo, non habet spem in terra : ut quid enim delectaretur in terra, qui nihil habet in terra ?

33. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, quia non estis de terra, nec de terra venistis, sed pro tempore de terra suscepistis terram, ut per terram vincatis terram : sed de cœlo estis, et de cœlo venistis, et iterum redituri estis in cœlum, nisi ultro remanere volueritis in terra.

34. Qui thesaurizat in terris, duplex facit peccatum : primum, quia male congregat : secundo, quia cor habens in terra, nunquam quæ Dei sunt recordatur, sed semper quæ terræ.

35. Qui autem thesaurizat in cœlo, duplicem justitiam facit : primo, quia bene fœnerat : secundo, quia spem habens in Deo, semper quæ Dei sunt cogitat et meditatur, et non quæ terræ. Homil. 15, super *Matth.*, *Oper. imperf.*, in illud : *Nolite thesaurizare*, etc.

36. Thesauros tuos ad cœlestia regna transmitte : fœnerare in pauperibus Dominum, in egenis Christum, et pasce et vesti. Serm. 1, *de Martyrib.*

37. Parentes filiis thesaurizare lex naturæ præcipit. Homil. 27, super II *Cor.*

S. JOANNES CLIM.

38. Sicut is, qui compeditus est, ambulare non valet : ita et qui pecunias sibi thesaurizant, in cœlum ascendere non possunt. Grad. 26.

S. LAURENT. JUSTIN.

39. Thesaurus facile exhauritur, si nullis interim pecuniis reficiatur. *De ligno vitæ*, tract. 5, *de Patient.*

40. Thesaurus animæ non est auri, non argenti, neque gemmarum : sed spiritualis, invisibilis humanis obtutibus, immensique valoris. *De contemptu mundi*, cap. 19.

S. LEO I.

41. Thesaurus hominis est quædam fructuum ejus congregatio, laborumque collectio. Serm. 7, *de Jejun. septimi mensis.*

PETR. BLES.

42. Si opes congreges, ut plenius habeas sufficientiam vitæ hujus, teipsum decipis. *Prosec.*

43. Auget enim inopiam multiplicata rerum temporalium substantia. Epist. 17, *ad Quemdam Cleric.*

S. PETRUS CHRYSOL.

44. Thesaurum, qui non abscondit, prodit. Serm. 7.

45. Thesaurus cœli, est manus pauperis : quod suscipit ne in terra pereat, reponnit in cœlum. *Ibid.*, serm. 8.

46. Jacens animus plebeius est, qui nummulum thesauris regalibus anteponit. *Ibid.*, serm. 22.

47. Thesaurus cor hominis aut per eleemosynam levat ad cœlum, aut per avaritiam demergit in terram. *Prosec.*

48. Homo, mitte et præmitte thesaurum tuum in cœlos, ne cœlestem animam demergas in terram. *Ibid.*

S. PETRUS DAM.

49. Quæris ut acquiras, acquiris ut perdas, perdis ut doleas; thesaurizas, et ignoras cui. Serm. 59, *de S. Nicol.*

50. Cedat, cedat terrena pecunia, ubi cœlestis thesaurus admittitur. Opusc. 12, cap. 4.

SALVIANUS.

51. Loca thesaurorum de meritis thesaurizantium nominavit Apostolus. Ibi enim dicuntur esse jam thesauri, ubi sunt thesaurizantes futuri : ut qui cupiditati et avaritiæ thesaurizarent, in inferno se opes locare cognoscerent : qui vero misericordiæ et humanitati, cœlestes se thesauros præparare gauderent. Lib. 1, *ad Eccles. Cathol.*, super illud, *Matth.* VI : *Nolite thesaurizare.*

52. Duo thesaurorum genera monstrantur : unum scilicet quo filiis thesaurizent patres, aliud quo sibi. Filiis, ut erudiant illos officio ac timore divino : sibi, ut thesaurizent sibi thesauros in cœlo. *Ibid.*

S. VALER. EPISCOPUS.

53. Illius thesauros tinea comedit, qui vanitati servit, et vitam suam in hujus mundi pompa constituit. Homil. 7, *de Misericord.*

54. Stultitiæ genus est, clausum tenere, quod potest multiplici labore proficere, et ad usum æternæ vitæ fructum exhibere justitiæ. Unde utilius judico esse accommodare, quam abscondere: et fœnori magis credere, quam terræ deputare. *Ibid.*

55. Non dubie ille pœnis exonerat profundum, qui thesauros suos præmittit ad cœlum. *Ibid.*

S. ZENO EP. ET MART. 56. Thesaurus res est, quam habere falsum est gaudium, certissimumque periculum publicare. Serm. 2, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SIXTUS PHILOSOPH. 57. Thesaurum quidem defodere, inhumanum est : inventum autem auferre, non est sapientis. Sent. 290.

## TIMOR IN GENERE.

S. ANASTAS. PATRIARC. *Definitio.* Timor est contractio animæ ad seipsam ob expectationem quorumdam, quæ non appetuntur. In *Libro viæ ducis*, cap. 2, *de Verbo.*

S. CLEMENS ALEX. Timor est insignis admiratio, tanquam ob id quod vel factum est, vel est. Lib. 2 *Stromat.*

HUGO A S. VICTORE. Timor est per quem menti fluctuans angustia ex contrariorum expectatione generatur. *De Fructib. carnis et spiritus*, cap. 7.

S.JOAN. CL. Timor est certæ confidentiæ, ac securitatis privatio. Gradu 20.

PLATO. Timor est consternatio animæ ob mali expectationem. *De Definit.*

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Quinque sunt timores. Scilicet : timor naturalis, timor mundialis, timor servilis, timor initialis, timor filialis. Lib. 2, *de Sacram.*

HUGO CARD. Timor in sex dividitur. Scilicet : in segnitiem, in erubescentiam, in verecundiam, in admirationem, in stuporem, in agoniam. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VIII.

Segnities, est timor futuræ opinionis. Erubescentia, est timor in expectatione convitii. Verecundia, est timor in turpi facto. Admiratio, est timor ex magna imaginatione. Stupor, est timor ex inconsueta imaginatione. Agonia, est timor pro casu, scilicet, per infortunium.

S. THOMAS AQUINAS. Timor est aut filialis, aut initialis, aut servilis, aut mundanus. 2, 2, quæst. 19, art. 2.

CASSIODOR. *Differentia.* Humanus timor diffidentiam tribuit, divinus autem spei firmamenta concedit. Super *Psalm.* XXIV, vers. 1.

S. THOMAS AQUINAS. *Origo.* Omnis timor habet ortum ab amore : quia nullus timet perdere, nisi quod amat, et ideo amor et timor ab eodem foventur. Opusc. *de Modo confitendi*, cap. *de Peccatorum origine.*

*Comparatio.* Sicut in morientibus natura propter virtutis debilitatem ad interiora sese recipit : ita in timentibus, calor cum spiritibus ad interiora contrahitur. 1, 2, quæst. 44, art. 1 in corp.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Tuta tenet, qui alta timet. Part. 1, *in Apologia*, cap. 15.

S. AMBROS. 2. Timor temporalis tutaminis servat excubias, sed nescit diuturnitatis custodiam. *Prosec.*

3. Itaque ubi timor decesserit, audacia obrepit, quoniam fidem non timor cogit, sed affectus exhibet. Lib. 2, *Offic.*, cap. 7.

4. Aliud est timere, quia peccaveris, aliud timere, ne pecces : ibi formido de supplicio, hic sollicitudo de præmio. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem.*

5. Quæ pœna major, quam timere quod vitare non possis, nec quod timueris evadere? Super *Psalm.* XXXV.

6. Hominem vereris præsentem, Dei Patris et Filii non vereris præsentiam? *Prosec.*

7. Deus enim novit occulta hominum; incipias scire quod timeas et timere ne pecces. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 1, vers. 2.

S. AUGUST. 8. Timor insolita et repentina exhorrescit, rebus quæ amantur adversantia, dum prævacet securitati. Lib. 2 *Conf.*, cap. 6.

9. Necesse est ut qui metuit aliquid, fugiat: quisquis itaque metuere metuit, est profecto absurdissimus, quia fugiendo habet id ipsum quod fugit. De 83 *Quæst.*, quæst. 33.

10. Omnis sapiens fortis est, nullus autem fortis aliquid metuit. *De Beata Vita*, in disput. 3 diei.

11. Serva quod intus est, et non timebis foris. Super *Psalm.* XXXV.

12. Modo fac quod in posterum times, et non habebis quod in posterum timeas. Serm. 2, *post fer. 3, Dom. Pass.*

13. Sævitia potestatum timeri vult : quis autem timendus, nisi unus Deus? Lib. II *Conf.*, cap. 6.

14. Timeri et amari velle ab hominibus non propter aliud, sed ut inde sit gaudium, quod non est gaudium; misera vita et fœda jactantia : hinc fit maxime non amare te, nec caste timere. *Ibid.*, lib. X, cap. 36.

15. Sunt qui dum nimis timent, ne quasi in dexteram rapti, extollantur; in sinistram lapsi demerguntur. Epist. 81.

16. In hoc mundo non timere impossibile est. Epist. 82.

17. Sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor. Epist. 50.

18. Age quidquid potes, ne fiat quod merito times. *Contra Mendacium*, cap. 9.

19. Mala vota sunt optare habere quem timeas ut possit quem vincas. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 15.

20. Infirmis pueris necessarius est timor. *Ibid.*, cap. 30.

21. In omnibus quæ humana infirmitas timet, sola iniquitas jure damnatur. Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 78.

22. Nolite timere quando facitis bene, ne videat alter : time ne propterea facias, ut tu lauderis ; nam videat alter, ut Deus laudetur. Tract. 8, super *Epist. Joan.*

23. Fuga animi timor est. Tract. 46, *super Joan.*

24. Quod amor ministrat, timor dissipat. *Lib. Medit.*, cap. 2.

25. Animam timor sæpe afficit, lætitia extollit. *Ibid.*

V. BEDA. 26. Homines plusquam Deum timere, non est religionis christianæ. In suis *Prov.*, verbo *Homines.*

.BERNARD. 27. Timor color est, dum libertatem tingit, tegit, et eam nihilominus sibimet reddit dissimilem. Serm. 82, super *Cant.*

BOETIUS. 28. Continuus timor non sinit esse felicem. Lib 2, *de Consolat. Philos.*, prosa 4.

.CÆSARIUS ARELAT. 29. Sapiens semper in metu est. *Prosec.*

30. Quanto quisque sollicitior circa se fuerit, tanto plus metuit.

31. Qui de præteritis suspirat malis, de futuris periculis pervigili sollicitudine contremiscit. Homil. 29.

32. Cum quis perspexerit jam se de præterito non habere quod lugeat, non sit securus ; habet de futuro quod timeat. *Ibid.*

ASSIODOR. 33. Sicut opportuno tempore timere, providentia est : ita dementiæ probatur esse conjunctum, inepta se quadam trepidatione confundere. Super *Psalm.* XIII.

34. Timor humanus non laudem parturit, sed vituperationem. Super *Psalm.* XXI

35. Humanus timor diffidentiam tribuit. Super *Psalm.* XXIV.

36. Peccatores mundi timent ne adepta felicitate fraudentur, ne divitiis minus perfruantur inventis , ne acquisitis priventur honoribus. *Prosec.*

37. Hic vivi formidant amittere, quæ se tamen norunt humana conditione relinquere : et illa non timent, per quæ verissimo timore torquendi sunt. Super *Psalm.* LII.

38. Revera non potest hominem timere, qui se mundana non formidat amittere. Super *Psalm.* LV.

. CYPRIAN. 39. Expedit plus bene timere, quam male fidere. *Prosec.*

40. Ille tutius sibi consulit, qui semper infidus extimescit. *De Singularit. Clericor.*, cap. 2.

41. Major regibus, quam cæteris metus est : tam ille timere cogitur, quam timetur. Lib. 2, *Epist. ad Donat.*

42. Qui non timet, de se præsumit. Epist. *ad Damascenum Papam, de Morte divi Hieronymi.* S. EUSEBIUS CÆSARIENS.

43. Qui sanctior et sapientior est, plus semper timeat : nam qui altius est, cadens majores casus recipit. *Ibid.*

44. Impii ibi timent, ubi vere timendum non est. In Annot. super *Psalm.* XIII. FRANCISCUS TITELM.

45. Si bona est conscientia, non est timendum. Super *Psalm.* CXXXVII. GLOSS. INT.

46. Mens non revocatur, nisi timore. Super *Epist. ad Rom.*, cap. II.

47. Contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Lib. 21 *Moral.*, cap. 10. S. GREGOR. MAGNUS.

48. Sic sub auctoritate superbia, et humanus timor sub humilitate se palliat : ut sæpe nec ille valeat considerare quid Deo, nec iste quid debeat proximo. Homil. 9, *super Ezech.*

49. Humani terrores fumo sunt similes, qui levi aura raptus evanescit. Lib. 8, *in Registro*, indict. 3, cap. 36. Epist. 56, *ad Maximum episc. Salonitanum.*

50. Timeri ab omnibus homo debuerat, si ipse auctorem omnium, ut homo timuisset. Homil. 10, super *Ezech.*

51. Qui timet ubi timendum est, non plus timet quam timere deceat. Orat. 2, *in præsentia S. Basilii.* S. GREGOR. NAZ.

52. Jacentis est animi, formidolosa timere : et inertis est, tuta sectari. Epist. 6, *ad Amicum.* S. HIERON.

53. Præteritorum experientia ad formidinem incutiendam multum habet momenti. Homil. 28, *super Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

54. Neminem metuit, qui nullius mali sibiipsi conscius est. Serm. 14, super *Epist. ad Philipp.*, *in Morali.*

55. Ubi timor est, livor non est : ubi timor est, pecuniarum amor non vexat : ubi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata. *Prosec.*

56. Ubi timor est, ibi et eleemosynæ studium, et orationis attentio, et lacrymæ ferventes et continuæ, et gemitus compunctionis. Homil. 15, *ad Popul. Antioch.*

57. Nihil tantum peccata consumit, virtutem vero crescere facit et germinare, quantum continui timoris natura. *Ibid.*

58. Qui non vivit in timore, recte illum agere difficile est. *Ibid.*

59. Necesse est, ut quem multi timent, et ipse timeat multos. *De Vanit. et Miser. hum. vitæ*, cap. 6. JOAN. TRITH.

S. ISID. HISP. 60. Odium timor affert, fidem metus tollit : ubi timor est, audacia sequitur : ubi metus est, desperatio occurrit. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16.

LACT. FIRM. 61. Timiditas in sapiente esse non debet. Lib. 2, *de divin. Inst.*, cap. 3.

PETRUS BLESENS. 62. Maturius, quæso, tuæ saluti prospicere velis : ne tunc timere velle incipias, cum non possis. Epist. 11. *ad Quemdam Cleric.*

63. Nihil timebit eorum, quæ sub cœlo sunt, quem protegit Deus cœli. *Ibid.*, serm. 12 *Quadrag.*

S. PETRUS CHRYSOL. 64. Victoriæ cupidus, nescit timere. Serm. 22.

65. Quis est qui timeat volens? *Ibid.*, serm. 135.

S. PETRUS DAMIANUS. 66. Nihil fortius ad expugnandum gratiam Dei, quam timor humanus, qui plerosque opprimit. Serm. 38, *de S. Andr.*

S. PROSPER. 67. Aliter quis timet, ne malum quo puniatur, incurrat : aliter ne bonum, quo delectatur, amittat. Lib. 3, *de Vita Contemplat.* cap. 31.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 68. Timoris vacuitas maxima, est legum timor. Epist. 2, *ad Joan.*

THOMAS A KEMPIS. 69. Quis tu, ut timeas a mortali homine? hodie est, cras non comparet : Deum time, et hominum terrores non expavesces. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 36, sect. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 70. Vir fortis timore vacat. Lib. 3, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 6.

71. Is, qui metuendo exuperat; timidus est : nam timet ea quæ non oportet, et ut non oportet, deficit autem et in confidendo; meticulosus male sese habet circa spem, quippe cum universa metuat. *Ibid.*, cap. 7.

CICERO. 72. Plus in metuendo mali est, quam in illo ipso quod timetur. Lib. 6, epist. 4, *ad Torquatum.*

73. Qui se metui volunt a quibus metuuntur, eosdem ipsi metuant necesse est. Lib. 2, *de Offic.*

74. Metus absit, charitas retineatur. *Ibid.*

MIMUS PUB. 75. Minus est quam servus, dominus qui servos timet. In suis *Sentent.*, sent. 232.

76. Multos timere debet, quem multi timent. *Ibid.*, sent. 226.

77. Stultum est timere, quod vitari non potest. *Ibid.*, sent. 266.

PERIANDER CORINT. 78 Multis terribilis, caveto multos. In *Dictis sapient.*, ex Ausonio, dict. 5.

PLATO. 79. Quisquis ab omni timore voluerit fieri vacuus, timeat quæ sunt timenda. Lib. 1, *de Legibus.*

PLINIUS II. 80. Timor est emendator asperrimus. Lib. 7, epist. 17, *ad Celerem.*

SENECA. 81. Necesse est multos timeat, quem multi timent : ita natura constituit, ut quod alieno metu magnum est, a suo non vacet. Lib. 2, *de Ira*, cap. 11.

82. Si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda. Lib. 6 *Quæst.*, cap. 2.

83. Qui in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Epist. 18.

84. Plura sunt, quæ nos terrent, quam quæ premunt : et sæpius opinione, quam re laboramus. Epist. 13.

85. Quid ad te quam potens sit quem times, cum id propter quod times nemo non possit. Epist. 4.

86. Nihil tam certum est ex his, quæ timentur, ut non certius sit et formidata subsidere et sperata decipere. Epist. 13.

87. Si vis omnem sollicitudinem exuere, quidquid vereris ne eveniat, eventurum utique propone : et quodcunque illud est malum, tecum ipse metire, ac timorem tuum taxa; intelliges profecto aut non magnum, aut non longum esse, quod metuis. Epist. 24.

88. Tam demens est qui timet, quod non est sensurus, quam qui timet, quod non est passurus. Epist. 30.

89. Hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ est, formidare inexperta. Epist. 50.

90. Proprium est nocentium trepidare. Epist. 97.

91. Nihil est nec miserius, nec stultius, quam semper timere. Epist. 98.

92. Qui timetur, timet; nemo potuit terribilis esse secure. Epist. 105.

93. Stultum est timere, quod vitare non potes. *De Moribus.*

94. Qui a multis timetur, multos timet. *Ibid.*

95. Cum alios timueris, teipsum verere : nam sæpe sine aliis esse potes, sine te nunquam. *Ibid.*

96. Animus vereri qui scit, scit tuto ingredi. In suis *Prov.*

97. Quotidie damnatur, qui semper timet. *Ibid.*

98. Neminem lædens, nullum timebit. *Sent.* 373. SIXTUS PHILOSOPH.

99. Fidelis homo semper in metu est, usquequo eat ad Deum. *Ibid.*, sent. 414.

Vide etiam tit. *Discretio*, sent. 44; *Dolor*, sent. 59, 60; *Dubium*, sent. 25; *Episcopus*, sent. 10; *Laqueus*, sent. 45; *Peccatum in genere*, sent. 66; *Servitus*, sent. 11; *Sollicitudo*, sent. 18, 437; *Victoria in genere*, sent. 55.

## TIMOR DEI.

*Etymologia.* Deus Hebraice, latine dicitur timor, quasi qui solus est timendus. Super *Ezech.*, cap. 28. HUGO CARD.

*Definitio.* Timor Dei, est fide et moribus, præcep-

MAG. torum divinorum diligens custodia. Part. 1, *de Virtut.*, cap. 22.

Timor Dei, est anxietas cordis, retrahens hominem ab illicito usu membrorum, sensuumque exteriorum, ne anima a Deo penitus vel aliquantulùm separetur. *Ibid.*

RANCISCUS ITELMAN. Timor Dei retinaculum quoddam et salutare vinculum est, quo arcetur homo, ac prohibetur a commissione malorum. Sect. 1, super *Psalm.* XIII.

LLEBERT. ANGLUS. Quid aliud est Deum timere, nisi non tumere adversus Dominum Majestatis? *Prosec.*

Quid est timor ille, nisi votiva subjectio, obedientia non coacta, ultro impensa reverentia?

Quid est timor ille, nisi reverentia humilis, ex debiti necessitate impensa, necessitate nil passa?

Quid est timor ille, nisi temeritatis et negligentiæ magis privatio, quam necessitatis coactio? Serm. 19, super *Cant.*

UGO A S. VICTORE. Timor Domini, est in fide et bonis moribus divinorum præceptorum vigilans custodia. *De Fructu carnis et Spirit.*, cap. 12.

S. JOAN. DAM. Timor Dei nihil aliud est, quam murus et præsidium, ac turris animæ inexpugnabilis. Lib. 1, *Parall.*, cap. 4.

LAURENT. JUSTIN. Timere Deum nihil aliud est, quam nulla (quæ facienda sunt) bona præterire. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tractatu *de Timore*, cap. 2.

S. PETR. DAM. Deum timere, est cuncta quæ Deus prohibet, execrando, et abominando, contemnere. *Prosec.*

Ille Deum timet, qui satagit cavere quæ prohibet. Opusc., 20, cap. 5.

JAN. CASS. *Productio.* De timore Domini nascitur compunctio, de compunctione procedit contemptus facultatum, de contemptu humilitas procreatur, de humilitate mortificatio voluntatum generatur : mortificatione extirpantur atque marcescunt universa vitia, expulsione vitiorum virtutes fructificant; pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur : puritate charitatis perfectio possidetur. Lib. 4, *de Inst. renuntiantium*, cap. 43.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Timor Dei quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam ut quem fecerit timentem, faciat et volentem : nec solum volentem, sed etiam sapientem. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 9.

2. Deum timere, gaudere est. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetr.*

3. Sicut timor sæculi infirmitas est, ita timor Dei magna fortitudo. Lib. 3, *de Sacram.*, cap. 2.

4. Qui Christum timet, non timori est subditus, sed devotioni : pietatis hic timor, non infirmitatis est. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 6, vers. 1.

5. Bene timet, qui hominem se esse cognoscit. *Ibid.*

S. ANTONIN. 6. Timor Dei expellit peccatum tribus modis, corrigendo scilicet præterita, vitando præsentia, cavendo futura. Part. 1, tit. 6, *de Causis peccatorum*, cap. 10, § 4.

7. Cum timor Dei fundetur et radicetur in charitate, crescente charitate augetur timor. *Prosec.*

8. Mens quæ plus est illuminata et inflammata, plus timet. *Ibid.*

9. Timor Dei utilis est peccantibus, pœnitentibus, tribulatis, tentatis et contemplativis. *Prosec.*

10. Primo utilis est peccantibus, quia peccator considerans Dei misericordiam, ad statum pœnitentiæ adducitur.

11. Secundo utilis est pœnitentibus, quia inducit ad contritionem, confessionem et satisfactionem.

12. Tertio est utilis tribulatis, quia facit tribulatum patientem, gaudentem, constantem in tribulationibus.

13. Quarto est utilis tentatis, quia tentatum facit diligentem in pugna spirituali, incutit sollicitudinem in aggrediendo, perseverantiam in pugnando, et confidentiam in vincendo.

14. Quinto utilis est contemplativis : sicut enim servus Domino, cui servit, assistit sæpius, obsequitur humilius, alloquitur dulcius; sic facit timor Dei de contemplativis. *Ibid.*, etc. cap. 10, § 3.

S. AUGUST. 15. Timor Dei cogitationem de nostra mortalitate, et de futura morte necesse est incutiat, et quasi clavatis carnibus omnes superbiæ motus ligno crucis affigat. Lib. 2, *de Doctr. christiana*, cap. 7.

16. Homo timens Deum, voluntatem ejus in Scripturis sanctis diligenter inquirit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1.

17. Cum dicit Dominus : Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant : quid aliud est, quam quod talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant? *De Bono persever.*, cap. 2.

18. Fera sævit, Deum time. Serpens insidiatur, Deum time. Homo te odit, Deum time. Diabolus te impugnat, Deum time. Tota enim creatura sub illo est quem juberis timere. Super *Psalm.* XXXII, conc. 2.

19. Si times Deum, et ideo times Deum quia peccator es, quo iturus es? quid facturus? vis ab illo fugere? ad ipsum fuge. Vis fugere ab irato? fuge ad placatum. Super. *Psalm.* CXLIX.

20. Sicut videmus per setam introduci linum quando aliquid suitur seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum : sic timor Dei primo occupat mentem : non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. Tract. 9, super *Epist. Joan.*, de cap. 4.

21. Crux ipsa mortalitatis carnis crucifigenda

est, et transfigenda clavis timoris Dei, ne solutis et liberis membris, reluctantem portare non possis. Epist. 38, *ad Lætum.*

22. Cupiditatis minuendæ initium est, Deum timere; qui solus timeri sine amore non potest. In 83 *Quæst.*, quæst, 36.

22 *bis*. Dei timor non solum inchoat, sed etiam perficit sapientem. *Ibid.*

23. Timor Dei non magnum est præsidium procedentibus ad salutem : cum autem quisque pervenerit, foras mittitur. Super *Psalm.* v, vers. 8.

24. Si adhuc propter pœnam times Deum, nondum amas quem sic times. *Prosec.*

25. Aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam : aliud est timere Deum, ne recedat a te : ille timor nondum est castus, hic autem castus. Tract. 9, super *Epist. Joan.*, cap. 4.

V. BEDA. 26. Ubi non est timor Dei, ibi regnum est peccati. Tom. 2, in suis *Prov.*, verbo *Ubi.*

S. BERNARD. 27. Non est locus quo admittas superbiam, repletus timore Domini. Serm. 54, super *Cant.*

28. Ubi timor Domini non est, ibi perditio est animæ : ubi timor non est, ibi dissolutio vitæ est : ubi timor non est, ibi est abundantia peccatorum. Serm. 4, *ad Sororem.*

29. Exigit Deus timeri, ut Dominus : honorari ut pater, ut sponsus amari. Serm. 83, super *Cant.*

30. Timor Domini expellit peccatum, sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare. Serm. *de diversis Affect. animæ.*

31. Timor Dei est quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur solitudo. Serm. *de septem Donis Spiritus sancti.*

32. Nunquam homo debet esse sine Dei metu. Serm. 55 *ad Sororem.*

33. Tota beatitudo est timere Deum. Serm. 5, *Omnium Sanctorum.*

34. Timor Domini radix est et custos omnium bonorum. *De donis Spiritus sancti*, cap. 1.

35. Bene initium sapientiæ timor Domini dicitur, quia tunc primum Dominus animæ sapit, cum eam afficit ad timendum, non cum inservit ad sciendum. Serm. 23, super *Cant.*

36. Deum timere timore casto, et mandata ejus observare, hoc est omnis homo. Lib. *de Amore Dei.*

S. BONAV. 37. Timor Domini est speciosus, sicut hortus; virtuosus, sicut ventus; pretiosus, sicut thesaurus. Tit. 5, *Diætæ*, cap. 1.

38. Sicut Mater Dei est Virgo et decor virginum : sic timor Domini castus decor est, et virgo virtutum animæ. *Ibid.*

39. Vis mereri ut ad summum complementum pervenias ? certe time Deum. Serm. 2, *de septem præceptis.*

40. Timor Dei facit recedere a peccato, et sollicitat in opere bono, ut bonum bene fiat. In *Alphab. Religiosor.*, lect. 19.

41. Sapiens semper in compunctione, et semper in metu est. Homil. 29. S. CÆSARIU[S] ARELAT.

42. Sicut remissa securitas culpas admittit, ita timor desiderabilis delicta semper excludit. Super *Psalm.* 11. CASSIODOR[US]

43. Timor Domini non ad miseriam, sed ad gaudium ducit : quippe qui beatos efficit, et sanctos operatur. *Ibid.*

44. Deum timere, non trepida confusio, sed imperturbata constantia est. Super *Psalm.* XVIII, vers. 10 : *Timor Domini sanctus.*

45. In omni sanctitate versatur, qui suum judicem et timere cognoscitur et amare. *Ibid.*

46. Mixta cum pavore dilectio, timor est Domini, qui usu seculari reverentia nuncupatur. *Ibid.*

47. Dei timor quia justus et rectus est, laudem generat, amorem tribuit, ardorem charitatis inflammat. Super *Psalm.* XXI, vers. 24.

48. Nesciunt timere Deum, qui hæretica pravitate cæcati sunt, vel idolis scelerata mente deserviunt. *Ibid.*, vers. 25, *Timeat eum.*

49. Humanus timor diffidentiam tribuit, divinus autem spei firmamenta concedit. Super *Psalm.* XXIV, vers. 15 : *Firmamentum est Dominus.*

50. Si metus Dei nescitur, conversionis medicina negligitur. Super *Psalm.* CX, vers. 9.

51. Timor Domini ex amore descendit, ex charitate nascitur, ex dulcedine procreatur. Super *Psalm.* CXXVII, vers. 1 : *Qui timent Dominum.*

52. Timor Dei peccata extrudit : bona ergo est ars, terrere ne peccemus. Lib. 2 *Pædag.*, cap 8. CLEMENS ALEX.

53. Timor Dei erudit ac castigat, et in dilectionem restituit. Lib. 2 *Stromat.*

54. Nunquam aliquis metum Dei capiet, nisi extra omnes vitæ hujus sollicitudines positus fuerit. *De Prefect. spirit.*, cap. 16. S. DIADOCH[US]

55. Omnium qui laudabiliter agunt, Dei timor fundamentum est. Super 1 *Petri*, cap. II. DIDYM. ALEX. & GLOSS. OR[D].

56. Timor Dei omni Christiano est necessarius, quia præservat a vitiis, custodit in bonis, et sollicitum facit timentem, ne cadat in laqueum inimici. Super *Epist. Petri.*, cap. 1, art 3.

57. Nihil dulcius, quam timere Deum. *Ibid.*, cap. 4, art. 6. DIONYSIU[S] CARTHUS[IANUS]

58. Nihil adeo ab anima depellit timorem Dei, ut suiipsus præsumptio. *Doctrina* 4.

59. Timor Dei comes est justitiæ, qui illam optime novit servare. Homil. 2. S. ELIGIU[S]

60. Talis sit timor Dei, ut desperatio non se intermisceat. *Ibid.*, homil. 13.

S. EPHRÆM.

61. Qui timorem Dei sibi vendicat, carnis voluptatem non admittit. *De timore Dei.*

62. In quo non est timor Dei, omnibus diabolis patet, atque insidiis. *De non habente timorem Dei.*

63. Nihil præstantius esse potest timore Domini. *De Vita spirituali,* cap. 17.

64. Semper mente timorem Dei sumito; nam timor Dei velut gladius anceps est, omnem concupiscentiam pravam excidens. *De Patientia et Consummat.*

65. Initium renuntiationis Monachi, est timere Dominum : qui enim divini timoris expers est, extra portas regni Dei demorabitur. *Ad Monachos Paræn.* 1.

66. Ne decipiaris, o homo : impossibile enim est sine timore Dei proficere. *Ibid.*, paræn. 39.

67. Magnum lumen animæ est timor Domini, ex ea tenebras depellens, ipsamque mundam ac puram reddens. *De humilit. comparanda.*

68. Timor Domini Paradisus est deliciarum : ubi vero non est timor Domini, ibi vulpes habitabunt. *De Timore Dei.*

69. Timor Dei in corde justi, sicut scutum est in manu militis. *Ibid.*

S. FAB. PAPA.

70. Qui omnipotentem Deum metuit, nec contra Evangelium, nec contra apostolos, nec contra prophetas, nec contra sanctorum Patrum instituta agere aliquid ullo modo consentit. Hab. apud Gratian. *in Decretis*, causa 2, quæst. 3, part. 2, can. *Qui.*

S. FRANC. ASSISIAS.

71. Ubi est timor Domini ad atrium suum custodiendum, ibi inimicus non potest habere locum ad ingrediendum. *Opusc. in Admonit. ad fratres*, cap. 26.

GILLIBERT. ANGLUS.

72. Timor Dei de plantario oritur charitatis : non audeo dicere quod charitas est, nec tamen audeo negare. Serm. 19, super *Cant.*

73. Timor Dei non videtur, quia nihil vel peccati vel periculi metuit : et timor manet, quia nihil audacter vel temere præsumit. *Ibid.*

74. Timor Dei approximat ad charitatem : pene illa est, sed pene non est : causa distat, par est affectu. *Ibid.*

GLOSS. ORD.

75. Tremunt Angeli, præsentiam Dei contemplantes; pavent homines, judicium expectantes : formidant dæmones, virtutem ingentissimam sentientes. Super *Orat. Manasses*, super illud : *Omnes pavent et tremunt.*

76. Timor Domini fiduciam fortitudinis præstat, quia mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se auctori earum veracius formidine subdit. Super *Prov.*, cap. 14, in illud : *In timore Domini.*

77. Qui vere timet Deum, non potest esse sine fide. Super *Eccles.*, cap. 1.

78. Tria commendantur timentibus Deum, credere, sperare, diligere. *Ibid.*, cap. 3.

79. Sicut cribrum grana a paleis secernit, ita timor Dei sordidas cogitationes a corde repellit. *Ibid.*, cap. 27.

80. Qui Deum quasi semper præsentem pertimescit, neminem fraudare intendit. *Ibid.*, cap. 29.

81. Catholicus Deum timens, omnia agit Doctorum consilio et Scripturarum documento. *Ibid.*, cap. 32.

82. Qui Deum timet, scientia non caret. Super *Matth.*, cap. 5.

83. Timor Dei corrigit, timor hominum differt, sed voluntatem non aufert. *Ibid.*, cap. 14, super illud : *Timuit populum.*

GLOSS. I...

84. Aliquando blande loquitur Deus, ut ametur : aliquando terribiliter, ut timeatur. Super *Job*, cap. 38.

85. Timor Dei non est miseriæ, sed gaudii. Super *Psalm.* II.

86. Melius est ut servato Dei timore egeas opibus, vel etiam quotidiano victu; quam ut desiderio plúra acquirendi Dei timorem perdas. Super *Prov.*, cap. 15,

87. Ortus justi est, cum incipis Deum timere. Super *Eccles.*, cap. 3, in illud : *Tempus nascendi.*

88. Qui magis timet Deum, magis sapiens est : et quanto sapientior, tanto fructibus bonorum operum plenior, non enim timor Dei otiosus est. Super *Eccli.*, cap. 1, in illud : *Plenitudo sapientiæ, timere Deum.*

89. Timor unius Dei, alios expellit timores. Super *Isai.*, cap. 35.

90. Mens non revocatur, nisi timore. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2.

S. GREGOR. MAGN.

91. Qui Deum timet, nihil negligit. Deum timere est nulla quæ facienda sunt bona præterire. Lib. 1 *Moral.*, cap. 3.

92. Sæpe pigras mentes amor ad opus excitat; et inquietas in contemplatione timor refrænat. *Ibid.*, lib. 6, cap. 17.

93. Ille veraciter vim divini timoris intelligit, qui se a cunctis pravis operibus custodit. *Ibid.*, lib. 19, cap. 6.

94. Qui rationis sensum peccando ad timorem Dei non habuit, tanto in nullo timendus est, quanto hoc quod esse debuit, non est. Homil. 10, super *Ezech.*

95. Anchora cordis est pondus timoris Dei. Lib. 6 *Moral.*, cap. 17.

96. Qui neglecto Dei timore peccata peccatis accumulat, profecto ut meretrix frontem obducit.

*In septem Psalm. pœnit.* super *Psalm.* I, vers. 10.

97. Sæpe mens dum plus justo trepidat, dum pavore quatitur, tædet hanc vivere, quæ se ad vitam vel per labores ambigit pervenire. Lib. 9 *Moral.*, cap. 17.

98. Timeri ab omnibus homo debuerat, si ipse auctorem omnium ut homo timuisset. Homil. 10, super *Ezech.*

99. Ex initio timoris, ad vinculum perducimur magnæ charitatis. Lib. 5 *in* I *Reg.*, cap. 1.

100. Ille timor probabilis sst, qui dum mentem concutit, ad boni operis studium trahit. *Prosec.*

101. Nonnulli sunt, qui per timorem Dei quædam mala respuunt, aliqua bona agunt, et tamen nec mala plene deserunt, nec bona sufficienter operantur. *Ibid.*, cap. 2.

S. GREGOR. NAZ.

102. Ubi timor Dei, ibi mandatorum est observatio. Orat. 2, *de Epiphania.*

103. Timor Dei salutaris quidem est hominibus, verum rarus. Super *Eccles.*, cap. 5.

104. Qui cum timore Dei obsecundat, quæ illi sunt contraria fugit. *Ibid.*, cap. 7.

S. GREGOR. THAUMAT.

105. Qui cum Dei timore incedit, seque submittit, adversa omnia effugit. Super *Eccles.*, cap. 7.

S. HIERON.

106. Nihil aliud anima discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Epist. 7, *ad Lætam.*

107. Timor Dei virtutum custos est. Epist. 5, *ad Fabiolam.*

108. Tantus mentem tuam repleat timor Dei, ut indignari omnino non audeas, et iram metu vincas. Epist. 1, *ad Demetriad.*

109. Vera vita est, Deum nosse et timere. *In Regula Monachor.*, cap. 27.

110. Timor Dei animas sanctorum integras, ac pudicas purasque conservat. Lib. 14, super *Isai.*, cap. 50.

111. Homo timeat Deum, non timore gehennæ, aut timore pœnæ, sed timore sancto : sic timeat, ut quem amat, per negligentiam non perdat. Super *Psalm.* XVIII, vers. 10 : *Timor Domini sanctus.*

S. HILARIUS

112. Rarus ipse est, cum quo perfectio timoris Dei, per annorum augmenta concrescit. Super *Psalm.* CXVIII, in illud : *In quo corrigit adolescentior.*

HUGO CARD.

113. Dolor et timor quasi duæ molæ sunt; inter quas mollitur justus, ut fiat panis, et possit comedi a Christo, et Ecclesiæ incorporari. Super *Genes.*, cap. 20.

114. Timor Dei est quasi pondus virtutum, qui non sinit justos extolli vento superbiæ. Super I *Reg.*, cap. 6.

115. Timor dei sollicitator est instantissimus, et custos vigilantissimus, qui pigritiam et negligentiam instanti stimulatione excludit. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

116. Timor Dei oritur ex consideratione ejus potentiæ. Super *Sapient.*

117. Ubi major timor Dei, ibi major sapientia : timor amaritudinem pœnæ habet, sed generat dulcedinem sapientiæ. Super *Eccles.*, cap. 1.

118. Nihil melius, quam timor Dei, nihil utilius incipienti, nihil cautius proficienti, nihil tutius pervenienti. *Ibid.*, cap. 23.

119. Timor Dei thesaurus est, in quo omnes divitiæ virtutum clauduntur, ne a dæmonibus vel vitiis rapiantur et maxime a fure domestico, id est superbia, quæ plus nocet. Super *Isai.*, cap. 33.

IDIOTA.

120. Summæ æquitatis est, ut Deum timeamus *In Contemplat. de amore Dei*, cap. 21.

JOAN. CASS.

121. Crux nostra, timor Dei est. Lib. 4, *de Inst. renunt.*, cap. 35.

122. Principium nostræ salutis, ejusdemque custodia, timor Domini est : per hunc initium conversionis, et vitiorum purgatio, et virtutum custodia, his qui imbuuntur ad viam perfectionis acquiritur. *Ibid.*, cap. 39.

123. Cum timor Dei penetraverit hominis mentem, contemptum rerum omnium parit, mundique ipsius gignit horrorem. *Ibid.*

124. Timor verus est, quem non pœnarum terror, nec cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo. Collat. 1, *abbat. Chæremon.*, cap. 13

125. Tantæ ubertatis timor Dei est, ut quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam ejus occupet mentem. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST.

126. Tuta armatura est Dei timor. *Serm. in Job et Abraham.*

127. Anima, quæ Dei timorem excussit, ut rationem habenas moderantem ejecit, quævis malitiæ loca decurrit, donec in exitii barathrum delata præcipitetur. Homil. 5, *de Verbis Isai.*

128. Deum, non hominem timeas : si hominem times, ab eo ipso, quem times, derideberis ; sin vero Deum times, hominibus quoque venerabilis eris. Homil. 83, super *Matth.*

129. Ubi timor Dei est, ibi et castitas est : ubi autem non est timor Dei, ibi neque castitas est. Homil. 1, *Oper. imperf.* super *Matth.*

130. Donec homo timet Deum, non eum diligit : cum autem diligere cœperit, jam non eum tantummodo timet, sed etiam amplius diligit *Prosec.*

131. Timere servorum est, diligire autem filiorum : timor sub necessitate est, dilectio in libertate. *Ibid.*, homil. 41.

132. Qui Deum timet, homines non erubescit. *Ibid.*, homil. 52.

133. Facile deviat a justitia, qui in causis non Deum, sed homines formidat; hinc peccandi differt facultatem, non aufert voluntatem. Homil. 15, *ex variis in Matth.*

134. Solus Dei timor nocentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, perpetem tribuit facultatem. *Ibid.*

135. Qui virtuti studet, et Deum timet, is sapientissimus est. Homil. 40, super *Joan.*

136. Quoties non adest vehemens timor Dei, mortua sit anima necesse est, ac mortuis infelicior. Homil. 6, super II *ad Cor.*

137. Dei timor maximum remedium est amoris, *Ibid.*, homil. 7, *in Morali.*

138. Illa est vera requies, ubi solus Dei timor est voluptate plenus. Homil. 6, super *Epist. ad Hebr.*

139. Magnum bonum est, Dei timorem possidere. Homil. 2, *ad Popul. Antiochen.*

140. Timor Dei nihil aliud est, quam murus et munimentum, et turris inexpugnabilis adversus insidias diaboli. *Ibid.*, homil. 15.

141. Qui non vivit in timore, recte illum agere difficile est. *Ibid.*

142. Si Dei timorem habeamus, nihil nobis est opus : si vero non hunc habeamus, etsi regnum ipsum possideamus, sumus omnium pauperrimi. *Ibid.*, homil. 69.

143. Nihil illi adæquari poterit, qui timore Dei præditus est. Serm. 3, super *Epist. ad Philipp.*

144. Timeamus dilectissimi Dominum, timeamus etsi etiam in captivitate fuerimus, omnibus erimus clariores. *Prosec.*

145. Timor adsit Dei, et nihil erit triste.

146. Tametsi paupertatem dicas, tametsi ægritudinem, tametsi captivitatem, tametsi servitutem, et si quid aliud tristium, non solum gravia non erunt, sed magis adjumenta, si Deum timeamus. Homil. 26, super *Epist. ad Hebr.*, in Morali.

S. JOANNES DAM.

147. Timor Domini innumeras animæ virtutes superat. Lib. 1 *Parall.*, cap. 4.

148. Dei timor ab omni passione, ac perturbatione immunis est. *Ibid.*

149. Fieri non potest, ut qui Dei timore præditus est, meticulosus sit. *Ibid.*

150. Qui Deum timet, omnia ut divinæ legi consentaneum est, agit. *Ibid.*

151. Quod peccamus, non aliunde nobis oritur, quam quod Dei metus a nobis absit. *Ibid.*, cap. 12.

ISID. HISP.

152. Timor Dei semper emendat, timor expellit peccatum, timor reprimit vitium, timor facit hominem doctum atque sollicitum. *Prosec.*

153. Ubi timor Dei non est, ibi perditio est : ubi timor Dei non est, dissolutio vitæ est : ubi timor Dei non est, ibi scelerum abundantia est. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 6.

154. Radix sapientiæ, est timere Dominum : et rami illius, longitudo dierum. *De Conflictu vitior. et virtut.*

155. Multi a crimine in crimen corruunt, quia Dei cognitionem habentes, timorem ejus negligunt. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 19, sent. 1.

S. JUSTIN. MART.

156. Major Dei metus causa est, cur ea, quæ chara habentur, minime amittantur. *De necessariis quibusdam quæst. explicat.* 68.

LACT. FIRM.

157. Qui Deum metuit, nec dolorem, nec egestatem, nec exilium, nec carcerem, nec mortem metuit. Lib. 6, *de vero Cultu*, cap. 17.

158. Primum justitiæ officium, est Deum cognoscere ut parentem, eumque metuere ut Dominum, et diligere ut Patrem. In *Epitome divin. Instit*, verbo *Duas.*

159. Timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Lib. *de Ira Dei*, cap. 12.

S. LAURENT. JUSTIN.

160. Utilis plane est timor Domini, et cum sollicitudine inquirendus : qui enim sine ipso fuerit, non poterit justificari. *de Ligno vitæ*, tract. *de Timore*, cap. 1.

161. Timor Dei virtutes excitat, ne rubigine otii consumantur. *Ibid.*, cap. 2.

162. A malo præsentis pœnæ reddit timor Dei hominem securum : qui enim timet Deum, non trepidat : et qui illum possidet, non corruet. *Ibid.*

163. Si ad momentum a domo mentis discedat Dei timor, quasi absente domina cogitationum se clamor (velut ancillarum) garrula turba multiplicat, et affectionum carnalium ignis accenditur. *Prosec.*

164. Ut vero ad mentem timor redierit; mox confusio tumultuosa compescitur, et more ancillarum se ad injunctum opus, mens ipsa tacite reprimit. *Ibid.*

165. Beatus ille, cui donatum est timere Deum. *Ibid.*, cap. 5.

S. MAXIMUS MART.

166. Qui timet Dominum, semper conjunctam habet humilitatem comitem. *Centur.* 1, *de Charitate*, cap. 8.

S. PROSPER.

167. Omnia quæ timentur, rationabiliter declinantur : Deus autem sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur. *Sent.* 77.

168. Timor Domini per humilitatem ad sublimia gradus est. *Ibid.*, sent. 87.

169. Timoris, quo Deus metuitur, nulla est in appellatione distinctio : sed aliud est timere, quia peccaveris : aliud timere, ne pecces. *Epist. ad Demetriad.*

RICHARD. A S. VICTORE. 170. Timor Domini est prima virtutum proles, sine qua cæteras habere non potes. Part. 1, *de Benjamin. minore*, cap. 8.

TERTULL. 171. Timor Dei fundamentum salutis est : timendo cavebimus, cavendo salvi erimus. *De Cultu fœminar.*, cap. 2.

THALASSIUS 172. Qui timet Deum, suiipsius curam gerit, et a pravo consortio se alienat. *Hecatontade* 2, sententia 63.

THEOPHYLACTUS. 173. Etsi sæviat concupiscentia carnis, timorem Dei habeas, et tolletur ejus insania. Super II, *ad Cor.*, cap. 7, in illud : *Sanctificationem in timore Dei.*

THEOPHIL. ALEX. 174. Mens Dei timore vallata, flammas superat, varios tormentorum spernit dolores : quidquid adversi evenerit, calcat et despicit. *Epist. Paschal.* 3.

S. THOMAS AQUINAS. 175. Potest Deus timeri, non quidem sicut aliquod malum : sed ut a quo malum aliquod pœnæ esse potest. 2, 2, *Quæst.* 19, art. 1.

176. Paupertatem spiritus ad eos pertinere certum est, qui filiali timore Deo se voluntarie subjiciunt. *Ibid.*, art. 12.

THOMAS A KEMPIS. 177. Timor Dei facit a peccato recedere; pericula tentationum præcavere; de præteritis malis dolere; a præsentibus delectationibus abstinere; de necessariis vitæ sobrie sumere; discrete actus suos regere; semper ad perfectiora tendere; quæ Deo placent inquirere. Serm. 15, *ad Novit.*, divis. 2.

178. Non est vera libertas, nisi in timore Dei. Lib. 2, *de Imitatione Chr.*, cap. 21, sect. 2.

179. Quis tu ut timeas a mortali homine? hodie est, cras non erit : Deum time, et hominum terrores non expavesces. *Ibid.*, lib. 3, cap. 36, sect. 3.

180. Qui sine Dei timore est, cito corruit in malum. *In Valle lilior.*, cap. 11, sect. 2.

IN VIT. PAT. 181. Sicut lucerna obscurum cubiculum illuminat, ita timor Dei cor, in quod venerit, illuminat. Lib. 5; libell. 3, *de Compunct.*, num. 7.

S. ZENO EPISCOPUS. 182. Nihil est ante omnia timenti Deum tam necessarium atque conveniens, quam ut seipsum noverit. Serm. 2, *de Genes.*

183. Omnis timor Domini in amore est, non in metu. *Ibid.*, serm. de *Psalm.* CXXVII.

184. Exulta, Christiane, et Deum fortiter time, diaboli si vis incendia non timere. *Ibid.*, serm. 5, *de Daniele.*

185. O necessarius timor ! qui nihil aliud agit, nisi ut beatos efficiat : qui timet arte, non casu : voluntate, non necessitate : religione, non culpa : qui Deum metuit, non naturam. *Ibid.*, serm. *de Timore.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 186. Deum time prius et ama, ut ameris a Deo. *De quatuor Virtut.*

SIXTUS PHILOSOPH. 187. Tutissima res est nihil timere præter Deum. In suis *Prov.*

188. Fidelis homo semper in metu est, usquequo eat ad Deum. *Sentent.* 414.

Vide etiam tit. *Abundantia*, sent. 47 ; *Amicitia*, sent. 183; et virtutum connexio, scil. *Timor et Amor*; *Timor et Gaudium*; *Timor et Scientia*; *Timor et Spes.*

## TIMOR MORTIS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Si terribilis apud viventes mors æstimatur, non mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte, quam unusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit. *De Bono mortis*, cap. 8.

2. Certe iis quibus non gravis est timor mortis non est grave mori : sed grave est vivere sub metu mortis. *Prosec.*

3. Non ergo mors gravis, sed metus mortis : metus autem opinionis est, opinio vero nostræ infirmitatis contraria veritati. *Ibid.*, etc.

4. Nihil habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit, vita nostra commisit. *Ibid.*

5. Nihil est quod in morte timeamus, nihil quod debeamus dolere, si aut naturæ repetenti, vita quæ accepta est rependatur, aut petenti impendatur officio, in quo religionis cultus, aut virtutis usus est. Orat. *de Fide resurrect.*

6. Qui mortem reformidat, servus est; servit profecto, et miseram quidem servitutem. *Prosec.*

7. Nihil enim sic animam ad omnem servitutem dejicit, quomodo formido mortis. Lib. 2, epist. *ad Simplicianum.*

S. AUGUST. 8. Mors cum impendere cœperit, ideo cavetur, ut diutius timeatur. *Prosec.*

9. Nam inter tot casus fragilitas humanæ, quam multæ mortes timentur, cum certe una cum venerit, restat cæteras non timeri ; et tamen fugitur una cum omnes timeantur.

10. Quibus excruciantur doloribus, qui curantur a medicis et secantur ? numquid ut non moriantur ? sed ut aliquanto serius moriantur.

11. Et nonnunquam ipsis doloribus victi continuo moriuntur quos mortis timore suscipiunt. Epist. 44, *ad Armentarium.*

12. Nihil est difficilius quam et metuere mor-

tem et ab illecebris hujus mundi, sicut pericula ipsa postulant, temperare. *De Quantit. animæ*, cap. 33.

13. Qui timendo mori, mentitur, moritur antequam moriatur : mentiri vis ne moriaris, et mentiris et morieris et cum vitas unam mortem, quam differre poteris, auferre non poteris, incides in duas, ut prius moriaris in anima, postea in corpore moriaris. Super *Psalm*. XXX, concion. prima, vers. 7.

14. Mors quam timent homines, separatio est animæ a corpore : mors autem vera quam non timent homines, separatio est a Deo. *Prosec.*

15. Et plerumque cum timent homines istam, quæ separat animam a corpore, incidunt in illam ubi anima separatur a Deo. Super *Psalm*. XLVIII, conc. 2, vers. 14.

16. Timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Tract. 66, super *Evang. Joan.*, de cap. XIII.

17. Plus amas mortem, quam vitam tuam : mori male times, et male vivere non times. *Prosec.*

18. Corrige male vivere, time male mori, sed noli timere, non potest male mori, qui bene vixerit. *De Disciplin. Chr.*, cap. 12.

19. Quidquid egeris, quatumcunque invigilaveris, quocumque fugeris, quælibet munimenta quæsieris, quibuslibet divitiis te redemeris, quibuslibet calliditatibus hostem tefelleris, non fallis mortis febrem. *Prosec.*

20. Nihil enim aliud agis, ut non cito ab hoste moriaris, nisi ut serius aliquando a febre moriaris.

21. Habes quod agas, ut nunquam moriaris ; et si times mortem, ama vitam : vita tua Deus est, vita tua Spiritus sanctus est. *De verbis Apostoli*, serm. 18.

22. Vel mortem time, si peccatum non times. Homil. 42, *ex Quinquaginta Homil.*

23. Talem te præpara, ut mortem timere non possis, ut post mortem vivere incipias, qui ante mortem moriendo vivebas, vel vivendo moriebaris. Serm. 11, *ad Fratr. in Eremo.*

24. Si mors sic timetur, quæ finit temporalem laborem : quomodo timenda est quæ mittit in æternum dolorem ? 139.

25. Nihil agunt qui mori timent, nisi ut paulo posterius moriantur. Epist. 260.

26. Eam mortem debes timere, quam tibi ipse facis de Deo blasphemando. Epist. 244.

27. Nolite timere cruces et mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo, quem suscepit Filius Dei. *De Agone Chr.*, cap. 11.

28. Ubi mortis timor est, nec vita dicenda. *De Epicur.*, cap. 8.

29. Disces bene mori, si didiceris bene vivere *De Discipl. Chr.*, cap. 12.

30. Mortem timetis, ventura est si timeas, non efficies ut non sit quod times. *Ibid.*, cap. 11.

31. Multi perverse timendo mortem corporis, inciderunt in mortem animæ. Tract. 43, super *Joan.*

32. Mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. *Prosec.*

33. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes ne veniat, inde est quod laborant : id autem agunt ut multum mors differatur, non ut evadatur. *Ibid.*, tract. 49.

34. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. *Ibid.*, tract. 51.

35. Mortem timeam, an non timeam, venire habet : si timeas non efficies ut non sit quod times. *De Disciplina Chr.*, 11.

S. BERNARD. SEN.

36. Mira stultitia! peccator timet mortem, et quod expavescit expectat : dum moritur, adhuc mortem evadere arbitratur ; quod cum optat, illud sperat : quod abhorret, quodammodo non expectat. *Prosec.*

37. Cupit vivere, credit vivere : nollet mori, non credit mori ; et miratur mori, quia omnino nollet mori, et evadere cupit, quia evadere credit. Serm. 14, *fer.* 3, *post Dom.* 1 *Quadrag.*, art. 1. cap. 2.

S. BONAV.

38. Peccatum mors animæ est : si mors corporis est cavenda, et timenda, et pro illa differenda tantum multi laborant homines ; multo magis pro morte culpæ cavenda, et pro morte pœna vitanda. *Collat.* 52, super cap. XXXI. *Joan.*

S. CYRILLUS HIEROSOL.

39. Non Christianus ille est, qui pro veritate mori timet. Epist. *ad Augustin., de miraculis D. Hieronymi.*

S. EUSEBIUS CÆSARIENS.

40. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. *Prosec.*

41. Non se cogitet Christianum, qui pro Christo mori se non invenit præparatum. Epist. *ad Damas. Papam de morte Divi Hieronymi.*

S. GREGOR. MAGNUS.

42. Præsens vita semper incerta est, tanto semper mors surripiens timeri debet, quanto nunquam prævideri valet. Lib. 2 *Moral.*, cap. 20.

43. Mors ipsa cum venerit vincetur, si priusquam veniat, semper timeatur. Homil. 13, super *Evang.*

44. Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri sollicitior, atque timidior debes. Lib. 7 *in Registro*, ind. 2, cap. 1, epist. *ad Januarium episc. Caralitan.*

S. HIERON.

45. Quid te subtrahis ? quid tergiversaris ? quasi mortem differre possimus, et vitam facere longiorem, sic timemus ad ultimum pervenire. Epist. 3, *ad Heliodor.*

46. Egredere quid times ? egredere anima mea, quid dubitas ? septuaginta prope annis servivisti Christo, et mortem times ? Apud D. Hieron., epist. 15, *de Vita Hilarion.*

IDIOTA. 47. Mors non est timenda viro justo, tum quia certa est, et necessaria, tum quia brevis est, et transitoria, tum quia utilis est, et meritoria. Lib. 5. *Contemplat. de morte,* cap. 9.

48. Mors amara est, et terribilis abundantibus iniquitate, affluentibus prosperitate, deficientibus bonitate, carentibus adversitate, et non languentibus infirmitate. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 49. Horrendum quid mors est, et formidolosum, sed non iis qui supernam sapientiam contemplantur. Homil. 82.

50. Homo mortem contemnit, non tremit, non metuit : quicunque tales non sunt, brutis pejores sunt. Serm. 6, super *Epist. ad Philipp.* in *Morali.*

JOAN. TRITH. 51. Qui mortem recte metuit, nunquam in bono opere torpescit. Lib. 1, homil. 17, *ad Monachos.*

52. Mortem non timeas, quoniam raro bene moritur, qui non ut quotidie moriturus præparatur. *Ibid.*, homil. 20.

53. Quanto vivemus in hoc mundo diutius, tanto mortem amplius formidamus. *Ibid.*, homil. 25.

54. Bona conscientia mortem non metuit. *De Institutione vitæ,* cap. 7.

55. Omnis homo qui divitiis et honoribus mundi affluit, mori pertimescit. *De Vanit. et Miser. hum. vitæ,* cap. 3.

56. Male vivis, et idcirco mori pertimescis, sed frustra metuis, frustra pertimescis, evadere mortem non poteris. *Ibid.*, cap. 8.

57. Quis est qui mortem salubriter timet ? qui timendo bene vivit. *Prosec.*

58. Mortem impii timent et metuunt, sed timentes male vivunt : nihil prodest metus, ubi non est profectus. *Ibid.*, cap. 10.

S. ISIDORUS HISPALENS. 59. Multi vitam odio habent : et tamen mori timent, quod plerisque in angustia contingere solet, sicque contrario affectu et vivendi habent tædium, et moriendi metum. Lib. 3, *de Sum. bono,* cap. 62, sent. 2.

LACT. FIRM. 60. Nemo dubitat, quin timidi et imbecillis sit animi, aut dolorem metuere, aut mortem : quæ quisquis non exhorruerit, fortissimus judicabitur. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 17.

61. Non mors terreat, nec dolor frangat, quominus vigor animi et constantia inconcussa servetur. In *Epitome,* cap. *Nam.*

PHILO JUD. 62. Perspicuum est, nihil æque mentem in servitutem redigere, ut mortis metum. Lib. *Quod omnis probus liber sit.*

63. Homines mali ultimum supplicium mortem existimant, at hæc in divino judicio vix est pœnarum initium. *De Præmiis et Pœnis.*

64. Non est timendum quod nos liberat ab omni timendo : si times vita decedere, quia optimam nosti : certe mortem timere non debes, quam malam nescis. *Prosec.* TERTULL.

65. At cum times, scis malam : non scires autem malam, nec timeres, si non aliquid esse post mortem, quod eam malam faciat, ut timeas. *De Testimonio animæ,* cap. 4.

66. Inter omnes timores, timor mortis est maximus, est enim finis terribilium ; unde si homo timorem mortis superat, superat omnes timores, et hoc superato superatur omnis amor mundi inordinatus. *Prosec.* S. THOMAS AQUINAS.

67. Quando enim bene considerat homo, quod filius Dei Dominus mortis, mori voluit, non timet mori. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 2.

68. Si bonam conscientiam haberes, non multum mortem timeres. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 23. THOMAS A KEMPIS.

69. Stude nunc taliter vivere, ut in hora mortis valeas potius gaudere, quam timere. *Ibid.*, cap. 23, sect. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

70. Is homo fortis proprie dicitur, qui circa honestam mortem, et ea omnia quæ afferunt ipsam, interritus est. Lib. 3 *Ethic. ad Nichomacum,* cap. 6. ARISTOTE.

71. Ne timeas illam, quæ vitæ est ultima finis :
Qui mortem metuit, quod vivit, perdit id ipsum.
Lib. 1. *Distichor.*, metr. 42.

72. Linque metum lethi, nam stultum est, tempore in omni.
73. Dum mortem metuis amittere gaudia vitæ. *Ibid.*, lib. 2, metr. 15. CATO POET.

74. Fac tibi proponas, mortem non esse timendam :
Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum est.
*Ibid.*, lib, 4, metr. 47.

75. Multum venturi ne cures tempora fati :
Non mortem metuit, qui scit contemnere vitam.
*Ibid.*, lib. 4, metr. 46.

76. Turpis fuga mortis, omni est morte pejor. Orat. 50, *Philipp.* 8. CICERO.

77. Quid id quod vitari non potest, metuit : is vivere animo quieto nullo modo potest. *Prosec.*

78. Sed qui non modo, quia necesse est mori, verum etiam quia nihil habet mors, quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi præsidium ad beatam vita comparat. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

79. Mortem horis singulis impendentem, metuens, quis poterit animo securo consistere? *De Senect.*

80. Mors terribilis est his, quorum cum vita omnia extinguuntur, non his quorum emori laus non potest. *De Paradox.*, cap. 3.

81. Homines mortem vel optare incipiant, vel timere desistant. Lib. 1, *Tusc. Quæst.*

82. Nemo justus esse potest, qui mortem timet. Lib. 2, *Offic.*

PERIANDER. CORINT. 83. Mortem optare, malum : timere, pejus. In *Dictis sapient. ex Ausonio*, dict. 3.

PLATO. 84. Mors est omnium bonorum maximum, et tamen mortem pertimescunt homines, quasi recte nossent illam omnium malorum esse maximum. Syzygia. 1, *in Apolog.*

85. Ipsum illud mori nemo reformidat, qui non plane sit ratione destitutus, et animo ignavo atque imbelli. Syzygia. 3, *de Rhetor.*

86. Fieri non potest, ut is qui qui ea credit esse vera, quæ apud inferos esse perhibentur, formidabilia quidem illa et terroris plena, sit immunis a mortis metu. Syzygia. 4, lib. 3, *de Republ.*

SENECA. 87. Crudelius est quam mori, semper timere mortem. Lib. 3, *Declam.*, controvers. 5.

88. Ecquid quod tam cito fit, timetis diu? *De divina Provid.*, cap. 6.

89. Sæpe causa moriendi est, timide mori. *De Tranquillit. anim.*, cap. 11.

90. Plerique inter mortis metum, et vitæ tormenta miseri fluctuant : et vivere nolunt, et mori nesciunt. Epist. 4.

91. Mihi crede ; adeo mors timenda non est (modo conscientia tua tibi fiduciam faciat) ut beneficio ejus nihil anteferendum sit. Epist. 24.

92. Tunc mortem, ut nunquam timeas, semper cogita. Epist. 30.

93. Mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit : veniet iterum, quæ nos in lucem reponat dies. Epist. 6.

94. Stultitia est timore mortis mori. Venit qui occidat, expecta, quid occupas? quare suscipis alienæ crudelitatis procurationem? utrum invides carnifici tuo, an parcis? Epist. 70.

95. Delicati timent mortem, cui vitam suam fecere similem. Epist. 82.

96. Nullum animal ad vitam prodit, sine metu mortis. Epist. 121.

97. Dies iste, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est. Epist. 102.

TRISMEG. 98. Multis timor mortis, veræ rationis ignaros excruciat. *De Volunt. divina*, cui titulus Asclepius, cap. 10.

Vide etiam tit. *Laqueus*, sent. 23 ; *Mendacium*, sent. 45, 46 ; *Mors Christi*, sent. 21 ; *Senectus*, sent. 29.

## TIMOR POENÆ.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Omnia supplicia, graviorum suppliciorum vincuntur formidine. Lib. 1, *Offic.*, cap. 35.

2. Prudentibus delictorum supplicia terrori sunt *De Bono mortis*, cap. 8.

3. Aliud est timere, quia peccaveris ; aliud timere, ne pecces : ibi formido de supplicio, hic sollicitudo de præmio. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriad.*

4. Quæ pœna major, quam timere quod vitare non possis, nec quod timueris evadere? Super *Psalm.* XXXV.

S. ANTONIUS DE PADUA. 5. Sicut clavus clavum ejicit, sic timor gehennæ delectationem luxuriæ. Serm. *Dom.* 2 *Quadrag.*

S. AUGUST. 6. Non bonus quispiam est timore pœnæ, sed amore justitiæ. Epist. 54, *ad Macedonium.*

7. Melius est doctrina homines duci, quam pœnæ timore compelli. *Prosec.*

8. Multis profuit prius timore cogi, ut postea possint doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari.

9. Sicut meliores sunt, quos dirigit amor : ita plures sunt, quos corrigit timor. Epist. 50, *ad Bonifac.*

10. Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditatis intus est hostis. *Prosec.*

11. Quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur?

12. In ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri.

13. Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat : amicus autem erit, si ejus amore non peccet ; tunc enim vere timebit peccare.

14. Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere : ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit : ipse est Domini timor castus. Epist. 144, *ad Anastas.*

15. Sicut ille est iniquissimus, quem nec pœnæ corporales deterrent ab immundis operibus : ita ille justissimus, qui nec pœnarum corporalium terrore revocatur a sanctis operibus. *Ibid.*

16. Charitate Christo, non pœnæ timore cohæremus. *Ibid.*

17. Mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, et ideo nec fit. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. *De Spiritu et Littera*, cap. 14.

18. Ex lege timemus Deum, ex fide speramus in Deum ; sed timentibus pœnam absconditur gratia. *Ibid.*, cap. 29

19. Facile est pœnam timere, sed non hoc est Deum timere, illo scilicet Domini timore pietatis. In *Quæstion.* super *Exod.*, quæst. 35.

20. Timor pœnarum etsi nondum habet delectationem bonæ conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem. Lib. 2, *Contra litt. Petiliani*, cap. 83.

21. Quando timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fide in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impune. Lib. 2, *Contra duas Epist. Pelag.*, cap. 9.

22. Qui timore pœnæ innocens est, non est innocens; quamvis non noceat, cum vult nocere. Non enim nocet alteri per effectum malum, sed sibi plurimum per cupiditatem malam. Super *Psalm.* XCII.

23. Qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profecto invitus facit : quod autem invitus facit (si posset fieri) mallet utique non juberi. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 11.

24. Quando bonum opus, quod lex imperat, fit timore pœnæ, non amore justitiæ, cum Deus metuitur non amatur, serviliter fit non liberaliter. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 17.

25. Timor iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est. *Ibid.*, conc. 25.

26. Timor nondum castus est, si timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud sed timore patiendi malum. Super *Psalm.* CXXVII.

27. Si nihil in te facit amor lucis, faciat timor doloris. Tract. 18, super *Evang. Joan.*, de cap. V.

28. Quandiu timore facis quod justum est, non Deus te delectat. *Ibid.*, tract. 41, de cap. VIII.

29. Noli timere pœnam, sed ama justitiam, nondum potes amare justitiam? time vel pœnam, ut pervenias ad amandam justitiam. *Ibid.*

30. Quantum charitas crescit, timor decrescit : et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. *Prosec.*

31. Major charitas, minor timor : minor charitas, major timor. Tract. 9, super *Epist. Joan.*, de cap. IV.

32. Si adhuc propter pœnam times Deum, nondum amas quem sic times. *Prosec.*

33. Aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam : aliud est timere Deum, ne recedat a te. Ille timor nondum est castus, hic autem castus est. *Ibid.*

34. Timor pœnæ est quidam custos et quasi pædagogus legis : littera est minans, nondum gratia juvans. *De Verb. Apostoli*, serm. 18.

35. Si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse judicium : gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ. Homil. 9; *ex Quinquaginta homil.*

36. Vetus homo aut non facit, aut timore facit quod facit; non amore, sed timore. Serm. 1, *Dom. 4 Quadr.*

37. Modo fac quod in posterum times, et non habebis quod in posterum timeas. Serm. 1, *fer.* 3, *post Dom. Pass.*

38. Quod fit timore pœnæ, nondum fit quemadmodum fieri oportet. *In Enchirid.*, cap. 121.

39. Lex non timore pœnæ, sed justitiæ amore completur. *De Fide et Operib.*, cap. 21.

40. Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati. *De Natura et Grat.*, cap. 57.

41. Jam credit aliquis in Christum, sed odit Christum : habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ. Tract. 10, super *Epist. Joan.*

42. Ille timor quo times ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, non est castus, non enim venit ex amore Dei, sed ex timore pœnæ. Tract. 9, super *Epist. Joan.*

43. Non est magnum timere pœnam, sed magnum est amare justitiam : qui ergo amat justitiam, nihil timet; timet plane, non ne incidat in pœnam, sed ne amittat justitiam. Tract. 43, super *Joannem.*

V. BEDA. 44. Amare, filiorum : timere, est servorum. In suis *Prov*, verbo *Amare.*

S. BERNARD. 45. Vigilias times et jejunia, manuumque laborem; sed hæc levia sunt meditanti flammas perpetuas. Epist. 1, *ad Robertum nepotem suum.*

46. Ille quasi servus timet, qui bonum quod facit, non timore amittendi bonum quod non amat, sed timore patiendi malum, quod formidat, facit. Serm. 4, *ad Sororem.*

CASSIODOR. 47. Metu pœnarum revocatur, qui incentiva pravitate succenditur. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Memor fui judiciorum*, etc.

S. DOROTH. 48. Qui facit Dei voluntatem præ timore gehennæ, hic adhuc novitius est et incipiens; cum propter se bonum non exercet, sed timore pœnarum. *Doctr.* 4.

49. Si quis a malo declinat ob metum pœnæ, est ut servus qui dominum veretur. *Ibid.*

S. EPHRÆM. 50. Qui divino timore nolunt suam refrænare mentem, humano timore indigent. *Adhort.* 4.

GLOSS. ORD. 51. Beneficiis nemo serviliter timens, respondet : tantummodo qui per fiduciam amoris non timet, digna ei reddit obsequia. *Super Job*, cap. IX.

52. Deus pœnis terret, bonis demulcet. Super *Psalm.* IX.

53. Metus pœnarum revocat a malis. Super illud *Psalm.* CXVIII : *Memor fui judiciorum.*

GREGOR. AGNUS. 54. Cum ex peccato præsens pœna metuitur, et amissa Dei facies non amatur, timor ex tumore est, non ex humilitate. Lib. 4 *Moral.*, cap. 25.

55. Cum quis timore adhuc bona agit, a malo penitus non recessit : quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si peccare inulte potuisset. *Ibid.*, lib. 1, cap. 12.

56. Qui a perversitatis opere ex timore perstringitur, perversa libenter ageret, si liceret. *Ibid.* lib. 9, cap. 22,

57. Tanto quisque minus judicem trepidat, quanto in bonis actibus solidius stat. *Ibid.*, lib. 10, cap. 11.

58. Qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat ut audacter illicita committat. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 14.

59. Plerique divinæ districtionis judicia metuunt, et tamen prava agere non desistunt : ille timor probabilis est, qui dum mentem concutit, ad boni operis studium trahit. Lib. 5, *in I Reg.*, cap. 2.

GREGOR. NYSS. 60. Non timore pœnarum, sicuti mancipium a vitiis declines. *De Vita Moysis.*

HIERON. 61. Amare, filiorum : timere, servorum est. Epist. 2, *ad Nepotian.*

62. Fidelius et gravius semper obsequium est, quod ab amore, quam quod a metu proficiscitur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

63. Multo melius est timore pœnarum emendare peccata, quam spe prosperorum divinæ sententiæ subjacere. Lib. 3, super *Hierem.*, cap. 14, in illud : *Et dixit : A, A, A.*

GO A S. CTORE. 64. Qui recte timet supplicia, fide fugit vitia, spe tendit ad merita, charitate currit ad præmia. Super *Abdiam*, in illud *Ezech.* XLVIII : *Hæc est terra*, etc.

65. Si amor Dei te tenere non potest, saltem teneat et terreat timor judicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulphur fœtens, flamma tartarea, et omnia mala. Lib. 3, *de Anima*, cap. 41.

GO CARD. 66. Servi est timere, et ex timore operari : filii autem amare, et ex amore omnia facere. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 8.

67. Timor naturalis, est horror pœnarum; et timor humanus est quo nimis timetur pœna corporis : ita ut prius peccaret, quam pœnam sustineret. Super *I Cor.* II.

68. Status ille proprie est perfectorum, qui non timet pœnam, in quantum est pœna, sed in quantum est separatio a Deo. *Ibid.*, cap. 7.

JOANNES RYSOST. 69. Qui sanæ mentis est, offensam Dei magis timet, quam ullam gehennam. Homil. 5, *de Fide Annæ.*

70. Non potest cogitare peccatum, qui supplicium cogitando veretur. *Prosec.*

71. Formido supplicii, abolitio est peccati. Serm. super illud *Isa.* : *Si volueritis*, etc.

72. Si nihil mali admittis, nihil prorsus est quod extimescas : sin male ac scelerate vivis, judicem time. Lib. 1 *Parall.*, cap. 12. S. JOANNES DAMASCEN.

73. Mortem timeo, quia mihi acerba est : gehennam timeo, quia sempiterna est : ignem timeo, quia nunquam extinguitur : tartarum timeo, quia caloris expers est : tenebras timeo, quia luce vacant. *Ibid.*, cap. 87.

74. Oportet ut quem gaudia cœlestia non allicere valent, pœnæ infernales compellant. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 33. JOAN. TRITH.

75. Multi timore pœnarum bona facere incipiunt, sed amore Christi perficiunt. In cap. 7, *Regul. S. Bened.*, grad. 12.

76. Etsi metu pœnarum recedere a malo ad consequendum Dei regnum minime sufficiat, operantem tamen ad timorem filialem parat. Lib. 2, *ad Monachos*, serm. 7.

77. Qui solo supplicii timore in se vitia reprimit quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi, doletque sibi illicitum, quod lex prohibere dignoscitur. *Prosec.* S. ISIDORUS HISPAL.

78. Ille mercedem boni operis percipit, qui amando justitiam facit : non is, qui eam solo metu pœnarum invitus custodit. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 21, sent. 1.

79. Quamvis quis in hac vita sit justus, tamen dum ex corpore suo egreditur, pertimescit, ne dignus supplicio sit. *Ibid.*, lib 3, cap. 62, sent. 10.

80. Compara pœnam tuam totam gehennæ : leve est omne quod pateris; si timeas, illas pœnas time. *Prosec.*

81. Istæ enim temporales sunt, illæ æternæ : istæ finem habent, illæ perpetuæ sunt.

82. In istis moriendo tormenta recedunt, in illis moriendo æternus dolor succedit. Lib. 1, *de Synon.*

83. Si a prava actione formidanda pœna prohibet, profecto formidantis animum nulla spiritus libertas tenet : nam si pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. *Prosec.* S. LAURENT. JUSTIN.

84. Ignorat itaque gratiam libertatis, quem ligat timoris pœnæ servitus. *De lignoritr.*, *de Timore*, cap. 5.

85. Timor potentiæ superioris est vermis arrodens, qui conscientiam jugiter torquet. Serm. 59, *de S. Nicol.* S. PETRUS DAMIANUS.

86. Metu ultionis, omnis iniquitas refrænatur. Lib. 4, *advers. Marcion.*, cap. 16. TERTULL.

87. Tristitiam parit timor suppliciorum. *Hecatontad.* 2, sent. 71. THALASSIUS

S. THOMAS AQUINAS. 88. Non semper aliquis obedit legi ex bonitate perfecta virtutis, sed quandoque quidem ex timore pœnæ. 1, 2, *Quæst.* 92, art. 1.

89. Quidquid fit timore servili, male fit. Super 2, *Sent.*, dist. 42, art. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

MIMUS PUB. 90. Quotidie damnatur, qui semper timet. In suis *Sent.*, sent. 262.

Vide etiam tit. *Damnatio*, sent. 20; *Liberum arbitrium*, sent. 75; *Præmium*, sent. 11; *Supplicium*, sent. 11.

## TRACTIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Sicut magnes trahit ad se ferrum, ita humilitas trahit gratiam, et cœlestem consolationem. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 5.

S. AUGUST. 2. Displicet tibi, quia traheris ad salutem, cum tam multos ad perniciem traxeris. Epist. 204, *ad Donat.*

3. Nemo venit nisi tractus : quare illum trahat et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare : non traheris, ora ut traharis. *Prosec.*

4. Trahitur animus amore, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur : vide si tractus es, et a Patre tractus es.

5. Trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio.

6. Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam: nuces puero demonstrantur, et trahitur; et quod currit trahitur, amando trahitur. Tract. 26, super *Evang. Joan.*, de cap. VI.

7. Videte quomodo trahit Pater : docendo delectat, non necessitatem imponendo (ecce quomodo trahit). *Ibid.*

8. Ille trahitur ad Christum, cui datur ut credat in Christum. Lib. 1, *ad Bonifac.*, cap. 3.

9. Trahuntur homines, non ut nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. *Ibid.*, cap. 19.

10. Nolite cogitare invitum trahi, trahitur animus et amore. Tract. 26, super *Joann.*

S. BASILIUS MAGNUS. 11. Claritudo in vitio, multos lubricos ad sui imitationem attrahit : et hæc pestis est quædam animarum. Super *Psalm.* I, conc. 1.

12. Sicut stupa ubi ignem olfecit, statim accenditur : ita femina masculi corpus contingens, non opus habet multo labore, neque amore ut attrahat, statim habet latenter incensam voluptatis scintillam. *De Virginit.*

S. BERNARD. 13. Non omnis qui trahitur, invitus trahitur : trahit Christus animam quodammodo invitam, ut faciat voluntariam : trahit torpentem, ut reddat currentem. Serm. 21, super *Cant.*

14. Non expectatur ratio, ubi affectio trahit. Epist. 12, *ad Carthus.*

15. Generosus est animus hominis, et facilius ducitur, quam trahitur. Super *Luc.*, cap. 5. S. BO

16. Sponsa dicit : Trahe me post te ; unde ad ipsum trahimur? quando mente ad ipsum excitamur, et supra nos excedimus. *Ibid.*, cap 18, in illud *Cant.* I : *Trahe me post te.*

17. Sicut funiculo naves ad portum trahuntur ita charitatis vinculo trahuntur ad portum salutis æternæ. Serm. 2, in die Pent.

18. Quoties beneficia Dei recipimus, toties tracti sumus : inter quæ tamen nos maxime trahere debet passionis Christi beneficium, quod tam magnum ipse Christus judicavit, quod merito totum mundum trahere deberet. Serm. 1, *fer.* 4 *Pent.*

19. Ecce nemo potest venire ad Christum, nisi tractus : si ergo per gratiam non trahor, quomodo venire possum? *Ibid.*

20. Invitatur homo verbi exhortatione, allicitur præmii promissione, jubetur præcepti obligatione, trahitur beneficii exhibitione. *Ibid.*

21. Trahit hominem Deus, trahit hominem diabolus, trahit homo. Trahit Deus ad bonum, diabolus ad malum, trahit homo ad utrumque. *Prosec.*

22. Trahit Deus hominem a malo ad bonum, bono ad bonum, a mundo ad cœlum. Primo trahit incipientes, secundo proficientes, tertio pervenientes. Trahit quandoque per flagella, quandoque per beneficia.

23. Trahit quoque diabolus hominem de bono ad malum, de malo ad malum, de mundo ad infernum.

24. Trahit homo hominem ad culpam, ad gratiam, ad pœnam. *Ibid.*, serm. 2.

25. Trahendi sunt homines non solum verbis vel consiliis, sed etiam exemplis et adjutoriis : Dominus enim eum diligit specialiter, qui ad bonum alios trahit.

26. Traxit Christus animas justorum de inferno, trahit quotidie homines per doctrinam et gratiam in mundo, trahet quoque omnes, et angelos et homines et dæmones ad locum judicii in die novissimo. Serm. 4, Dom. 11: *Omnia traham ad meipsum*, etc.

27. Traxit Christus homines ad se, mortis suæ merito, traxit multiplici beneficio, traxit doctrinæ verbo : sed, heu! diabolus plures trahit quam Christus, trahit enim quidquid hamum Christi evadit : trahuntur autem ad pœnam morientes, qui in esca diaboli exultant viventes. *Ibid.*

28. Nulla esca sic fortiter attrahit aves, nulla sagena sic violenter pisces, sicut mulieres attrahunt homines. Serm. 2, *Invent. sanctæ Crucis.*

29. Sicut torrens trahit paleas, et ista levia ad

Oceanum : sic torrens tentationis trahit secum vanos, non humiles ad Oceanum inferni. Tit. 1 *Dictæ*, cap. 3.

30. Iste est pessimus et ingratissimus, qui plus diabolicis figmentis, quam divinis beneficiis est tractus. *In Stimulo amoris*, part. 1, cap. 7.

ONYSIUS RTHUS. 31. Generosus est animus, hominis, et facilius ducitur, quam trahitur. Sup. *Epist. ad Rom.*, cap. 12, art. 16.

32. Quemadmodum unum peccatum trahit aliud, sic una actio virtuosa trahit aliam. Super *Epist. II Petri*, cap. 1, art. 1.

NCISCUS TELM. 33. Attrahunt dæmones et alliciunt quibusdam blandimentis et ostentatione boni secundum speciem, animos simplicium; ac deinde in mortem rapiunt allectas et inescatas animas. *In Annot. super Psalm.* IX : *Dum attrahit eum.*

GREGOR. AGNUS. 34. Iniqui quique quo plus in hoc mundo proficiunt, plures secum ad interitum trahunt. Lib. 6, *Moral.*, cap. 4.

35. Ille apud Deum magis in amore est, qui ad ejus amorem plurimos trahit. *Ibid.*, lib. 14, cap. 22.

36. Non currit qui non trahitur : quia quem divina gratia non adjuvat, molestia suæ corruptionis gravatur. *Super Cant.*, cap. 1, super illud: *Trahe me post te.*

37. In mundo despectus tanto celerius ad Deum trahitur, quanto nihil habet in sæculo, ubi delectetur. *In septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* II, vers. 12.

HIERON. 38. Ætas mollis et tenera in utramque partem flexibilis est, et quocumque duxeris, trahitur. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

39. Difficile est humanam animam aliquid non amare, et necesse est ut in quoscunque mens trahitur, trahatur affectus. Epist. 22, *ad Eustoch.*

40. Si in magnete lapide et succinis hæc esse vis dicitur, ut annulos, et stipulam, et festucas sibi copulent : quanto magis Dominus creaturarum omnium ad se trahere poterat, quos volebat. Lib. 1, super *Matth.*, cap. 6, super illud : *Ne solliciti sitis*, etc.

IDIOTA. 41. *Trahe me post te.* Trahe me torpentem, ut me reddas currentem : trahe me peccantem, ut me reddas pœnitentem : trahe me ignorantem, ut me reddas scientem. *In Contemplat. de V. M.*, cap. 1.

JOANNES HRYSOST. 42. Invocantes se Deus sequitur, et trahit : sanctos diligit, flagitiosos fugit. Serm. 7, *de Resurr.*

JOAN. TRITH. 43. Oportet ut quem gaudia cœlestia non allicere valent, pœnæ infernales compellant. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 33.

HILO JUD. 44. Necesse est mentem illo tendere, quo desiderio trahitur. *De Fortitud.*

S. PROSPER. 45. Qui in cordibus trahendorum hoc egit ut crederent, hoc effecit ut vellent : non enim esset unde traherentur, si sequaces fide et voluntate non essent. *Prosec.*

46. Quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt : neque accedunt qui dissentiunt, sed recedunt.

47. Qui ergo veniunt, amore trahuntur : dilecti enim sunt et dilexerunt : quæsiti sunt et quæsierunt; et quod eos voluit Deus velle, voluerunt. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 27.

RUPERTUS ABB. 48. Qui veraciter diligit, et trahitur et trahi cupit. Lib. 1, super *Cant.*, cap. 1, in illud : *Trahe me post te*, etc.

TUETEIL. 49. (Nullus potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum). Hoc autem dicit, non ut libertatem tollat arbitrii, sed ut ostendat, quod multa habeat opus cooperatione a Deo is qui crediturus est. Super *Joan.*, cap. 6.

THOMAS A KEMPIS. 50. Trahit vehementer amor Jesus ad se amatores suos. Medit. 2, *de Adventu*, cap. 3.

Vide etiam tit. *Conversio*, sent. 30; *Exaudire*, sent. 65 ; *Invitus*, sent. 31, 35.

## TRIBULATIO.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1, Quælibet jacula justo noscere non possunt, cui Deus lux est. *De Nabuthe*, cap. 14.

2. Deus suorum non est immemor, sed semper dat eis in tribulatione solatium. Super II *Cor.*, cap. 7, super illud : *Consolatus est nos Deus.*

S. ANTONIN. 3. Quantumcumque tribulatio sit brevis in tempore, semper tamen tribulato Deus assistit, ut levius tribulationem ferat. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 12.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. O quam dulcis, quam levis tribulatio, quam dilecti sustinent pro Christi nomine ! *Prosec.*

5. Lapides Stephano, craticula Laurentio, carbones ignis Vincentio dulces fuerunt, quas quasi lac pro Christo suxerunt.

6. Sola enim humilitas cum Spiritus aviditate, novit fugere tribulationem. Serm. *Dom. infra octav. Nativit.*

7. Quanto magis igne tribulationis quis incenditur, tanto clarior efficitur. Serm. *Dom.* 2 *post Pascha.*

S. AUGUST. 8. Cruciatus corporis, malas animas miserabiliter affligit, bonas autem fortiter purgat. *De Agone christiano*, cap. 7.

9. Gaudendum Christianis est, dum recte conversantes premuntur in hoc sæculo. *De Quæst. Vet. et Nov. Testam.*, quæst. 15.

10. Nullus hominum est tanta justitia præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad

probandam virtutem. Lib. 22, *contra Faustum*, cap. 20.

11. Per severitatem et misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Lib. 2, *contra litt. Petiliani*.

12. Intelligat homo medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. *Prosec.*

13. Sub medicamento enim positus ureris, secaris, clamas : non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. *Expos.* 2, super *Psalm.* XXI, vers. 2 : *Deus meus clamabo ad te*, etc.

14. Quidquid acciderit justo, voluntati divinæ deputet, non potestati inimici : sævire ille potest, ferire, si Deus noluerit, non potest : et si ille voluerit ut feriat, novit suum quemadmodum excipiat. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2, vers. 18 : *Confirmat justos Dominus.*

15. In tribulatione positus Christianus probatur, si non derelinquit Deum suum : nam quando bene est homini, desertus est sibi Christianus. *Prosec.*

16. Ignis intrat in fornacem, et fornax aurificis magni sacramenti res est, ibi est aurum, ibi est palea, ibi ignis in angusto operatur : ignis ille non est diversus, et diversa agit, paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit : in quibus autem habitat Deus, utique in tribulatione meliores fiunt, tanquam aurum probati. Super *Psalm.* XXI, *Exposit.* 2.

17. In te tribulatio fornax aurificis est, si tamen aurum sis, et non palea, ut sordibus careas, non in cinerem convertaris. Super *Psalm.* XXX, conc. 3.

18. Nolite lassas manus in tribulationibus dimittere, non nutent genua vestra, viriliter agite ad perpetienda et toleranda omnia. *Ibid.*

19. Nullum majus, nullum melius negotium est in tribulatione, quam recedere ab eo strepitu, qui foris est, et ire in interiora mentis secretaria. Super *Psalm.* XXXIV, conc. 2.

20. Inter tribulationes humanæ animæ, nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum. Super *Psalm.* XLV, vers. 1 : *Adjutor. in tribulationibus.*

21. Multæ sunt tribulationes, et in omni tribulatione ad Deum confugiendum est : sive sit tribulatio in re familiari, sive sit in salute corporis, sive de periculo charissimorum, sive de aliqua re ad hujus vitæ sustentaculum necessaria, omnino aliud refugium non debet esse homini christiano, quam Salvator ejus, quam Deus ejus, quo cum fugerit fortis sit : non enim ipse in se fortis erit, aut sibi ipse fortitudo erit, sed ille illi fortitudo erit, qui refugium ejus factus est. *Ibid.*

22. Opus est semper tribulationibus erudiri in isto sæculo : sed tribulari non possumus : nisi ab eis qui longe fiunt a sanctis. Super *Psalm.* LV, in prooemio.

23. Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. *Ibid.*, *in Exposit.*

24. Ad hoc exagitat tribulatio, ut exinaniat vas quod plenum est nequitia, et impleatur gratia. *Ibid.*, super illud : *In ira populos confringes.*

25. Imples tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te, ne deliciis et securitate perversa seducantur. *Ibid.*

26. In fornace ardet palea, et purgatur aurum : illa in cineres vertitur, a sordibus illud exuitur. *Prosec.*

27. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus : quod vult aurifex facio, ubi me ponit artifex tolero. Jubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et quasi consumendum me ; illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Super *Psalm.* LXI, vers. 5.

28. Omnes tribulationes flagella sunt corrigentis, ne sit sententia punientis. Super *Psalm.* LXV, vers. 10.

29. Quam dulcis est sæpe tribulatio, et quam necessaria est tibi ! Super *Psalm.* LXV, vers. 13.

30. In die tribulationis tuæ Deum exquire, non per Deum aliud, ex tribulatione Deum, ut ad hoc Deus removeat tribulationem, ut securus inhæreas Deo. Super *Psalm.* LXXVI, vers. 2 : *In die tribulationis meæ.*

31. Vita ista parva tribulatio est ; si non est tribulatio, non est peregrinatio : si autem peregrinatio est, aut parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. *Prosec.*

32. Ista vita tribulatio est, quacunque prosperitate fulgeat, quibuslibet deliciis abundet atque circumfloreat. Super *Psalm.* CXXXVII, vers. 8 : *Si ambulavero in medio tribulationis*, etc.

33. Premunt nos, sed non opprimunt : urgent nos sed non demergunt. Super *Psalm.* XXXI, enarrat. 2, vers. 8 : *In diluvio aquarum multarum.*

34. Utile quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum, tanquam contra diaboli tentamentum. Super *Psalm.* L.

35. Nemo tribulato libentius succurrit, quam qui in tribulationum casus expertus est. *De Vita christ.*, cap. 8.

36. Estote fortes, tribulatio mundi non vos

frangat, habetis virorum fortium magna exempla. *De Tempore barbarico*, cap. 4.

37. Sicut in fornace purgatur aurum, sicut lima purgat ferrum, sicut flagellum separat a grano paleam : sic in fornace tribulationum, patientia exercetur, fortitudo roboratur, constantia solidatur, spes ad cœlestia invitatur. Serm. 10, *ad Fratr. in Eremo*.

38. Tribulatio tanquam emplastrum mordax urit te, sed et sanat te.

39. Deus tribulationes hujus sæculi, dulcedine tanquam bonus medicus miscet. Epist. 87.

40. Quid non misericorditer præstatur hominibus a Deo, a quo etiam tribulatio beneficium est ? *Ibid.*

41. Si aliquas tribulationes pro nomine Christi passus, non defeceris a fide, nec a bona via deviaveris, majorem mercedem accepturus es. *De Catech. rud.*, cap. 25.

42. Propter hoc unum fiunt tribulationes hominibus, ut magnus sibi potensque nemo videatur, præsumens de viribus suis. *Annot. in Job*, cap. 9.

43. Quid justius unico, cui tamen pater non pepercit ? et quid evidentius, quod nec justis parcat, emendans eos varietate tribulationum ? Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 14.

BASILIUS MAGNUS. 44. Non tribulationes quæ probationis gratia sanctis immittuntur, lætitiam invisibilibus hostibus nostris pariunt : sed cum tribulati desperavimus, tunc lætantur, plauduntque ac exultant. Super *Psalm.* XXIX, conc. 7.

BERNARD. SENENS. 45. Tribulatio est porta cœli et gloriæ. Serm. 9, *Dom.* 8 *post Pent.*, art. 3.

BERNARD. 46. Tribulatio tria confert : exercitium; probationem; præmium; ne virtus amoris otii torpore frigescat; ut nostræ constantiæ fortitudo ad exemplum hominibus innotescat; ut juxta tribulationis modum, immensum gloriæ pondus accipiat. In suis *Sentent.*, verbo *Tribulatio*.

47. Hæc est via vitæ tribulatio præsens, via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni cœlestis. Serm. 1, *Dom. Palm.*

48. Quot corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere videtur, tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir justus. Serm. *de Ser Tribulat.*

49. Donec in carne est anima, inter spinas profecto versatur, et necesse est ut patiatur inquietudines tentationum, et tribulationum aculeos. Serm. 48, super *Cant.*

50. Bonum mihi, Domine, magis tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. *Prosec.*

51. Bonum mihi in tribulatione magis te amplecti, in camino habere te mecum, quam esse sine te, vel in cœlo. Serm. 17, super : *Quis habitat.*

52. Ad virtutem spectat, tribulationes fortiter sustinere; ad sapientiam, gaudere in tribulationibus. Serm. 85, super *Cant.*

53. Viæ tribulationum, viæ vitæ sunt, ducentesque ad vitam. Serm. *de Virt. obedient.*

54. Tribulationis purgatio animam peccantis excæcatam videre facit. Serm. 4 *Quinquag.* in illud *Luc.* XVIII : *Confestim vidit.* S. BONAV.

55. Dominus contra animam peccatricem quasi præliatur, dum spina tribulationis eam pungit, ut convertatur. Serm. 1 *Dom. in oct. Pasch.* super illud : *Quis dabit me spinam* ? etc.

56. Multi non ad Deun redeunt, nec pœnitentiam agunt, nisi a tribulatione cogantur. Serm. 2 *de S. Marco.*

57. Tribulatio cum sit ad Deum redeundi via, non solum patienter ferenda, sed etiam desideranda. *Ibid.*

58. Viri justi ad modum auri posunt liquefieri, sed non in pondere et in valore minui, nec corrumpi : imo aurum fit pulchrius et splendidius, dum ab igne inflammatur. Serm. 2, *de sanctis Philippo et Jacobo.*

59. Plus homo in tribulationibus proficit, quam dum consolatus existit. Serm. 4, *de uno Mart.*

60. Sicut pluvia in terram descendens elevat semina, sic et tribulatio animam intrans erigit desiderium. Lib. 4, *Pharetræ*, cap. 48.

61. Sunt quidam qui ab igne tribulationis non mundantur, sed uruntur : tales non sunt aurum, sed scoria : non granum, sed palea : non oleum, sed amurca. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 5.

62. Tribulationes mundi dulcescunt, si per memoriam prssionis Christi transeant. *Ibid.*, cap. 7.

63. Sicut lima purgat et facit splendere metallum, ita tribulatio abradit rubiginem vitiorum. Lib. 1, *de Profectu Relig.*, cap. 25.

64. Utilior sæpe exercitatio tribulationis, quam quies prosperitatis. Lib. 2, *de Profectu Relig.*, cap. 71.

65. Quanto tribulatio intensior, tanto magis promptior consolatio. *De Stimulo amoris*, part. 2, cap. 6.

66. Deus filios suos diversis tribulationibus exercere non cessat. Homil. 15. S. CESARIUS ARELAT.

67. Tribulatio Deum nobis misericordem facit, reatumque solvit. Super *Psalm.* XLV, vers 1 : *Adjutor in tribulationibus.* CASSIODOR.

68. Nostra tribulatio illa est, quæ propriæ salutis formidine generatur, non quæ carnalium rerum timore concutitur. Super *Psalm.* XLIX, vers. 16.

69. Tribulationibus crebris atque martyriis, robur animæ consenescit. Super *Psalm.* LXX, vers. 10.

70. Tribulatio istius sæculi fidelibus votiva correctio est, quam impii non accipiunt, quoniam a futuris muneribus arcebuntur. Super *Psalm.* LXXII, vers. 5,

71. Eos magis Deus in tribulationibus exercuit, quos æterno honore coronandos esse decrevit. Super *Psalm.* LXXVII, vers. 66.

DIONYSIUS CARTHUS. 72. Quamvis tribulatio in seipsa amara sit et pœnalis, tamen multipliciter utilis est et fructuosa quam maxime : idcirco cum gaudio spirituali est acceptanda et sustinenda. *Prosec.*

73. Si enim Dei intuitu et amore æquanimiter toleretur, purgat a vitiis, disponit ad gratiam, eamque auget, et virtutes augmentat, et Christo propter nos passo patientem conformat.

74. Est quoque signum probabile prædestinationis æternæ, et filiationis adoptivæ, ac dilectionis Dei ad hominem. Super *Epist. Jacobi,* cap. 1, art. 1, in illud : *Omne gaudium existimate,* etc.

75. Sicut vita Christi in mundo tribulationibus fuit plena, sic electorum christianorum vita in hoc sæculo diversis tribulationibus exercetur, probatur, et coronatione gloriæ sempiternæ digna efficitur. *De mortificat. vivifica,* in prooemio.

76. Magis timere debet christianus, se non esse in statu salutis et gratiæ, et ad electorum consortium non pertinere, dum nil tribulationis et afflictionis sibi contingit. *Ibid.*

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 77. Hic tribulationes, quæ cito labuntur, sustineas : hæc enim sola via est, qua itur ad patriam cœli. Epist. *ad Damas. Papam, de Morte D. Hieronymi.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 78. Quælibet tribulatio ab humilitate mitigatur ac vincitur. Homil. 1, *de Epiphan.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 79. Nemo se Dei servum reputare debet, quousque per tribulationem non transierit. In suis *Opusc.*, collat. 28.

FRANCISCUS TITELM. 80. Dum foris tribulatio corpus premit, intus per gaudium spiritus dilatetur. In *Annot. super Psalm.* IV, vers. 1, sect. 1.

81. In tribulationibus et afflictionibus opportunum solet et gratum esse liberantis adjutorium, et jucundum esse potentis refugium. In *Elucid., super Psalm.* IX, vers. 9, sect. 1.

S. FULGENT. 82. In tantum prodest tribulatio Christianis, ut per hanc spiritus justi Deo sacrificium fiat. Epist. 7, *ad Venantiam,* cap. 14.

S. GAUDENT. 83. Pietatis cultores, quod interdum variis tribulationibus afflictantur, triplex esse ratio invenitur ; prima correctionis, secunda purgationis, tertia probationis. In Præfat., *ad Benevolum.*

GLOSS. INT. 84. Quem vident homines calamitatibus fatigatum, putant a Deo desertum. Super illud *Psalm.* LXX : *Deus dereliquit eum.*

85. Fornax tribulationis ferrea fragilibus est, aurea perseverantibus. Super *Ecclesiastic.*, cap. III. GLOSS. OR

86. Tanto merces uberior, quanto gaudio et exultatione in tribulatione fides erit devotior. Super illud *Matth.* V : *Merces vestra copiosa est in cœlis.* GLOSS. IN

87. Tribulatio justis est illuminatio, contumacibus correptio, obstinatis obcæcatio. Super *Apocal.*, cap. 2. GLOSS. OR

88. Bonorum mens, quo duriora pro veritate tolerat, eo æternitatis præmia certius sperat. *Prosec.* S. GREGO MAGNUS

89. Nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. Lib. 10, cap. 12.

90. Prænuntia tribulationis est lætitia satietatis. *Ibid.*, lib. 2, cap. 9.

91. Magna consolatio tribulationis est, si cum adversa patimur, auctoris nostri ad memoriam dona revocemus. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

92. Durum est appetere quod cruciat, sequi quod vitam fugat. *Ibid.*, lib. 7, cap. 6, num. 7.

93. Carmen in nocte, est lætitia in tribulatione. *Ibid.*, lib. 26, cap. 12, num. 11.

94. Aurem cordis tribulatio aperit, quam sæpe hujus mundi prosperitas claudit. *Ibid.*, cap. 23, num. 30.

95. Singulare et saluberrimum est consolationis remedium tribulationes patienti, ad Deum in interiora mentis penetralia confugere, et ibi eum invocare, ubi nemo videt. Super *septem Psalm. pœnitentiales,* super *Psalm.* VII, vers. 13.

96. Grandis tribulatio, ubi nullus evadendi est aditus, ubi nulla libertatis spes, ubi nulla reptionis fiducia. *Ibid.*

97. Tribulatio electorum, superni gaudii introitus est. Lib. 5, in I *Regum,* cap. III, super illud : *Afflictus est populus,* etc.

98. Electis suis Deus in hac vita non promisit gaudia delectationis, sed amaritudinem tribulationis, ut medicinæ more per amarum poculum ad dulcedinem æternæ salutis redeant. Lib. 9, in *Registro,* indict, 4, cap. 39, *ad Theotistam Patriciam.*

99. David tanto in Dei misericordiam spem suam fixerat, quanto miserabilius infirmitatem suæ tribulationis sentiebat : verum ubi devictis hostibus pressuris caruit, homicidium adulterio incaute securus adjecit. In *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* IV.

100. In summa tribulatione positis, sola est consolatio misericordia Creatoris. Lib. 8, in *Regis-*

*tro,* indict. 3, cap. 31, epist. 31 : *ad Libertin. Expræf.*

IERON. 101. Incertum est, utrum ad Dominum pertineat, quem pressura mater gloriæ ventilando non purgat, premendo non nutrit, castigando non probat, cædendo non curat. Epist. 6, *ad Amicum.*

102. Devotio tribulationis reddetur, sempiternis fructibus fœcundata. *Ibid.*

103. Nos urit Dominus, ut curet ; tentat ut liberet : vexat, ut salvet. *Ibid.*

104. Amant perversi homines pro hujus mundi gloria et prosperitate tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter serviunt et gravium laborum jugo devotissime colla submittunt. Lib. 2, super *Lamentationem Hieremiæ*, cap. 3, super illud : *Replevit me amaritudinibus.*

105. Nunquam Deus elongabitur ab eis, qui propter illum sustinent : cum ipsis est in tribulatione, non loco, sed auxilio. Super *Psalm.* XXXIII, vers. 18.

106. Qui tribulationem non patitur, justus non est. *Ibid.*, vers. 19.

107. Propter hoc tribulat Deus peccatores, aut ut emendentur, aut ut per illos corrigat bonos. Super *Psalm.* LIV, vers. 2.

108. Magnitudo tribulationum, magnitudo præmiorum est. Super *Psalm.* XCIII, vers. 18.

ILARIUS 109. Bona est omnis passio, bonæ omnes tribulationes, per quas justificationes Dei cognoscuntur. Super *Psalm.* CXVIII, vers : *Bonitatem fecisti cum servo tuo.*

GO A S. CTORE. 110. Igne tribulationis justus examinatur : quia perfecta virtus in adversitate cognoscitur. Super *Psalm.* XXI, cap. 18, cap. 41.

111. Urit tribulationis adversitas. *De Animæ medicina*, cap. 6.

112. Sicut unguenta nisi commota ; aromata, nisi incensa aut trita, latius nesciunt redolere : ita sancti, qui virtutibus redolent, tribulationibus innotescunt. Lib. 1. *Miscellan.*, codic. 2, tit. 112.

GO CARD. 113. Sicut apis duo habet : scilicet aculeum punctionis et dulcedinem mellis : ita tribulatio justorum amaritudinem habet exterius in carne, sed intus spei dulcedinem in mente. Super *Gen.*, cap. XXXV.

114. Triplex gradus sustinentium tribulationes. Primus sustinet patienter, secundus libenter, tertius desiderat. Primus dolet, secundus gaudet, tertius desiderat. Primus, bonus, secundus, melior ; tertius, optimus. Super *Josue*, cap. 22.

115. Sex tribulationibus in hac vita percutit Dominus justos, quæ sunt, fames, sitis, frigus, labor, morbus, mors. Super *Job*, cap. 5.

116. Tribulatio opportuna et utilis est, quia purgat, roborat, humiliat, impellit ad Deum, et lætificat. Super *Psalm.* IX.

117. Mali hic non tribulantur. Super *Psalm.* XXXIII.

118. Tribulationes ad Dei memoriam nos stimulant. Super *Psalm.* XLI.

119. Tribulatio a Deo est, quicunque sit qui eam inferat. Super *Psalm.* XLI.

120. Paradisi via est in tribulationibus. Super *Psalm.* CXIV.

121. Quatuor genera sunt tribulationum justorum. Primum datur ad peccatorum purgationem : secundum datur ad humiliationem, et conservationem ; tertium datur ad augmentum coronæ, et probationem : quartum datur ad divinæ gloriæ manifestationem. Super *Psalm.* CXVIII.

122. Justis ipsa tribulatio præsens, gaudium est, non afflictio. Super *Proverb.*, cap. 10.

123. Quanto quis in præsenti patientius sustinet tribulationes, tanto magis ei vitæ æternæ cumulabitur meritum. Super *Ecclesiastic.*, cap. 2.

124. Dominus tribulatos habet ante oculos suos, sicut pia mater filium infirmum. Super *Hierem.*, cap. 6.

125. Justi quanto amplius impetuntur, tanto gloriosius coronantur. *Ibid.*, cap. 49.

126. Boni calcantur per pressuras, et tribulationes, sed non conculcantur. Super *Matth.*, cap. V.

127. Quanto gravior tribulatio, tanto copiosior erit postea consolatio. Super *Marc.*, cap. 14.

128. Verus pauper, verus mitis, verus lugens, verus misericors, verus justus, verus mundus, verus pacificus tribulatione probatur, et purior et fortior efficitur. Super *Matth.*, cap. 5.

129. Tribulatio est cum fine, merces sine fine : multo major est gloria, quam labor. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VIII.

130. Tribulationes sunt quasi exercitus Domini, quem immittit contra nos, ut nos acquirat sibi, et plene subjiciat suæ voluntati. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. X.

131. Vita præsens tribulationibus plena est : tanta ejus est tribulatio, ut nec vita sit dicenda, sed potius mors, vel quippiam aliud morte deterius, cum vix aliquis pertranseat sine tribulatione vel unicum diem. Lib. 2, *Contemplat. de vera patient.*, cap. 2. IDIOTA.

132. Tribulatio materiam habet pœnæ. *Ibid.*, cap. 3.

133. Tribulatio producit mœrorem, et compunctionem, inducit timorem, et contritionem ; educit languorem, et infectionem : adducit vigorem, et curationem. *Ibid.*, cap. 6.

134. Tribulatio est via vitæ, via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni. *Ibid.*, cap. 9.

135. Adjutrix virtutis est tribulatio, quam Deus dat electis suis hic in terrenis, ut eos remuneret in upernis. *Ibid.*

136. Bonum est mihi Domine tribulari, dumnodo tu sis mecum. *Prosec.*

137. Melius est mihi in tribulatione amplecti te, et in camino tribulationis habere te mecum, quam esse sine te. *Ibid.*, cap. 10.

138. Nequaquam contemnenda est tribulatio, quæ cordis est sanitas, et via ad vitam recta. *Ibid.*, cap. 12.

139. Tribulatio elationem deprimit, lasciviam refrænat, intemperantiam edomat, motus illicitos suffocat, cervicem submittit, supercilia deponit, oculos ligat, linguam frænat, iram sedat, incessum format, in viam pacis dirigit, ad scientiam erudit, ad timorem exercet, ad gloriam coronat. *Ibid.*

140. Tribulatio contra carnis concupiscentiam, dat continentiam; contra oculorum concupiscentiam, constantiam : contra ambitionem sæculi, humilitatem. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 141. Quemadmodum aurum in conflatoria fornacula purgatur, ita tribulationis accessione justi virtus clarior fit et illustrior. Homil. 39, super *Gen.*

142. Magnum bonum est tribulatio, et tanquam virtutum omnium mater est. Homil. 1, super *Psalm.* L.

143. Tribulationes illatas cum omni gratiarum actione tolerare, magnanimæ opus est æquanimitatis. Homil. 10, super *Matth. Oper. perfecti.*

144. Omnis tribulatio, quæ contingit Christianis secundum carnem, est baptismus ignis. Homil. 3, super. *Matth. Oper. imperf.*

145. Sicut granum tritici inclusum in palea, foras non egreditur, nisi fuerit trituratum : sic et homo de impedimentis mundialibus, quasi in palea involutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliqüa tribulatione vexatus. *Ibid.*

146. Nihil ita amicos facit, ac confirmat, sicut tribulatio. Homil. 42, super *Acta Apost.*

147. Ubi lacrymæ sunt, illic tribulatio est : ubi tribulatio, ibi multa Philosophia et intentio. Serm. 24, super *Epist. ad Ephes.*

148. Nihil ita cor philosophicum facit, sicut tribulatio. *Ibid.*

149. Plena est vita humana exercitantibus te, et facientibus fortiorem. Homil. 19, super *Epist. ad Hebr.*

150. Magnum bonum est tribulatio : duo namque efficit magna, a peccato mundat, et fortiores reddit. *Ibid.*, homil. 28.

151. Vinculum est indiruptum tribulatio, dilectionis argumentum, et compunctionis et reverentiæ materia. Homil. 66, *ad Popul. Antioch.*

152. Ubi tribulatio, ibi et consolatio : et ubi consolatio, ibi et gratia. *Ibid.*

153. Tunc anima purgatur, cum propter Deum tribulatur. *Ibid.*

154. Quod ignis est auro, hoc et animis tribulatio: sordem abstergens, faciens mundos, claros reddens et splendidos. *Ibid.*

155. Si discipulus es, angustam et asperam incede viam, nec ægre feras, nec indigneris. *Ibid.*

156. Non ita cor continens efficit, sicut tribulatio. *Ibid.*, homil. 79.

157. Nihil horum te perturbet, si mali in quiete, tu in pressuris vivis. Ea quippe rei natura est, non esse possibile, ut vir qui malis indixerit bellum, pressuris careat. *Prosec.*

158. Nemo certans, requiem quærat, nemo amplectatur quietem. Nefas est pugilem Dei vacare deliciis, non licet epulari luctantem : luctamen quidem sunt præsentia omnia, certamen, bellum pressura, angustia, stadium. Homil. 8, super II, *Tim.*

159. Non potest justus non tribulari, etiamsi dives sit. Homil. 26, super *Epist. ad Hebr.*

160. Universos justos ex tribulationibus reperies claruisse. *Ibid.*, homil. 29.

161. Spectabiliores tribulatio facit tribulatos, et vexatos meliores reddit. Homil. 1, *ad Popul. Antioch.*

162. Respiciamus semper ad Dominum flagellantem : neque enim venire potest aliunde tribulatio : tenet quippe ligatum leonem infernalem, ne furiat quantum vellet : non ille, sed detinens cum rogandus est, non adversarius quivis alius, sit homo, sit bestia, sit ignis, sit aqua, timendus est, timeatur moderans illa Deùs : et hinc orietur magna securitas. Lib. 4, *de Consol. Theolog.*, prosa 4. JOAN. G

163. Quis non tribulari velit, ut mereatur Christi voce laudari, et cœlesti copiosaque mercede munerari? Lib. 1, homil. 10, *ad Monachos.* JOA TRIT

164. Tribulatio necessaria est his, qui salvantur : ut quodammodo contriti, attenuati, et conspersi per patientiam, apti sint ad convivium Regis. Lib. 5, *advers. Hæres.*, cap. *Venit.* S. IREN.

165. Tunc justis gaudia disponuntur æterna, quando præsenti tribulatione probantur. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 58, sent. 3. S. ISID HISP.

166. Omnes vitæ hujus tribulationes aquis similes comparantur prætereuntibus : quia si quid in hac vita tribulationis acciderit, non stat, sed celeriter transit. *Ibid.*

167. Tribulatio hujus temporis finem habet,

pœna hujus vitæ brevis est : et qui affligit, et qui affligitur, temporalis est. Lib. 1, *de Synonym.*

168. Utilis est tribulatio, utiles sunt vitæ hujus pressuræ : malorum pravitas non te occidat, sed erudiat, pravorum adversitas non te dejiciat, sed extollat. *Prosec.*

169. Humana tribulatio arguat te, non interficiat : quanto enim in hoc sæculo frangimur, tanto in perpetuum solidamur.

170. Quanto in præsenti affligimur, tanto in futuro gaudebimus.

171. In fornace probatur aurum, ut sorde careat : tribulationis camino purgaris, ut purior appareas. *Ibid.*

LAURENT. JUSTIN. 172. Est in justis tribulatio amoris indicium, futuræ beatitudinis præsagium, et prædestinationis testimonium. *De casto Connub.*, cap. 6.

LUDOVICUS BLOSIUS. 173. Tribulationes in hac vita, præclarissima Dei dona sunt, et non est ullum certius signum divinæ electionis, quam ut quis adversa humiliter, ac resignato animo propter Deum toleret. In *Speculo spirit.*, cap. 8.

MAXIMUS MARTYR. 174. Nihil est quod affectum animæ sic indicet, ut carnis tribulationem patientis eruptiones. Centur. 1, *de Virt. et vitio*, cap. 21.

175. Tribulatio expurgat animam, quæ rubiginem contraxit sordibus voluptatis. *Ibid.*, cap. 64.

S. NILUS. 176. Tolera tribulationes, inter ipsas enim virtutes, quemadmodum inter spinas rosæ nascuntur et germinant. *Parænes.* 92.

S. PETRUS DAMIANUS. 177. Quidquid pateris, momentaneum est, ideo quod leve est, æquanimiter est tolerandum, et quod momentaneum est, quantocius evolare confidas. *Prosec.*

178. Gaude et exulta : quia quod tribulationis sustines, momentaneum est : quod gloriæ præstolaris, æternum est.

179. Leve est, quod toleras : pondus est, quod expectas. Gaude ergo, pro tribulatione gloriam, pro levitate pondus, pro momentaneo recepturus æternum. Lib. 8, epist. 6.

180. Sancti viri, omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Serm. 17, *de S. Vitale Mart.*

S. PROSPER. 181. Melius est cum tribulatione exerceri quam cum prosperitate puniri. Super *Psalm.* CXLIV, vers. 2.

RICHARD. A S. VICTORE. 182. Quanto justus durius premitur exterius, tanto delectabilius gloriatur interius. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 35.

S. THOMAS AQUINAS. 183. Ideo Deus immittit sæpe tribulationes justis, ut dum patienter sustinent, appareant virtutes eorum, et in virtute proficiant. Opusc. 7, super *Pater noster*, petit. 6.

THOMAS A KEMPIS. 184. Quanto frequentior vexatio tribulantis, tanto laudabilior virtus patientis. Serm. 5, *ad Novit.*, divis. 3.

185. Quando aliqua tribulatio tibi advenit, tunc Christus cum cruce tibi obviat, et iter ad cœleste regnum, quo pergere debeas, ostendit. *Ibid.*, Serm. 20, divis. 14.

186. Nemo est in mundo sine aliqua tribulatione vel angustia, quamvis rex sit vel Papa. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 22.

187. Non dignus est alta Dei contemplatione, qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione. *Ibid.*, lib. 2, cap. 9, sect. 7.

188. Vult Deus ut tribulationem sine consolatione pati discas, et ut illi totaliter te subjicias, et humilior ex tribulatione fias. *Ibid.*, cap. 12, sect. 4.

189. Credis tu evadere quod nullus mortalium potuit præterire, quis Sanctorum in mundo sine cruce et tribulatione fuit? et quomodo tu aliam viam quæris, quam hanc regiam viam, quæ est via sanctæ crucis? *Ibid.*, cap. 12, sect. 6.

190. Quando ad hoc veneris, quod tribulatio tibi dulcis est et sapit pro Christo; tunc bene tecum esse æstima, quia invenisti paradisum in terra. *Prosec.*

191. Quandiu pati grave tibi est, et fugere quæris; tamdiu male habebis, et sequetur te ubique fuga tribulationis. *Ibid.*, cap. 12, sect. 11.

192. Ne deficias in tribulatione, quia tribulatio ignis consumens est, purgat peccata, extinguit præsumptionem, fugat dissolutionem, ingerit salubrem tristitiam, dat odium mundanorum, et facit Christi imitatorem. *De tribus tabernacul.*, cap 3, sect. 5.

193. Satis virilis es, quandiu nil obviat adversi: bene etiam consulis, et alios nosti roborare verbis: sed cum ad januam tuam venit repentina tribulatio, deficis consilio et robore. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 57, sect. 1.

194. Animæquior esto, et ad majorem sustinentiam accingere. Non est totum frustratum, si te sæpius percipis tribulatum. Homo es, et non Deus : caro es, et non Angelus. *Ibid.*, cap. 57, sent. 3.

S. THOMAS A VILLANOVA. 195. Transit cito quod cruciat, permanet in æternum quod coronat. *Conc. funebr.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 196. Magnus es vir, sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis. *Prosec.*

197. Miserum te judico, quod nunquam fuisti miser, transisti sine adversario. *De Divina provid.*, cap. 4.

198. Ipsis Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet ali-

quid animose fortiterque faciendi. *Ibid.*, cap. 4.

199. Quid miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti? non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat : ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit. *Ibid.*

200. Magis urgent sæva inexpertos. *Ibid.*

201. Erratis, si quem judicatis exceptum : veniet ad illum diu felicem portio : quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. *Ibid.*

202. Vive ut convenit, delibera tecum et perpende, quid velis : quia ut in illa æterna venias, per ista exeundum est. *De Consolat. ad Marciam*, cap. 18.

203. Illustrat fortuna, dum vexat. Epist. 79.

S. ..IUS PHILOSOPH. 204. In tribulationibus quis sit fidelis agnoscitur. Sent. 190.

205. Præpara et apta te ad tribulationes et lætus eris. *Ibid.*, sent. 372.

Vide etiam tit. *Adversitas*, sent. 48; *Caro*, sent. 71; *Differentiæ*, sent. 28; *Exaudire*, sent. 89; *Fides*, sent. 51; *Firmitas*, sent. 2; *Flagellum Dei*, sent. 168; *Gratiarum actio*, sent. 12; *Impudentia*, sent. 22; *Instabilitas*, sent. 47; *Læsio*, sent. 27; *Laus Dei*, sent. 5; *Lux*, sent. 71; *Molestia*, sent. 13, 19; *Passio* in genere, sent. 38, 39; *Profectus*, sent. 7; *Purgatorium*, sent. 85; *Pusillanimitas*, sent. 3; *Religiosus*, sent. 125; *Remuneratio*, sent. 26; *Sobrietas*, sent. 21; *Tentatio*, sent. 273; *Virtus*, sent. 139; *Votum*, sent. 61.

## TRINITAS.

S. BONAV. *Etymologia.* Trinitas est Trium unitas. In lib. 2, *Sent.*, dist. 24, art. 3, quæst. 2.

S. ISIDORUS HISPAL. Trinitas appellatur eo quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi Triunitas. Lib. 7. *Etymolog.*, cap. 4.

S. ANAST. PATRIARC. *Definitio.* Trias seu Trinitas nihil aliud est, quam unitatum compositio : sed in divinis est Trinitas substantia, seu subsistentia omnem numerum supergressa. *Lib. Viæ ducis*, cap. 2. *de Spiritu.*

S. JOAN. DAM. Trinitas est non disparium rerum enumeratio, verum æqualium et parem dignitatem habentium comprehensio. Lib. 1 *Parall.*, cap. 1.

HUGO CARD. *Divisio.* Quinque sunt Trinitates. Prima est increata, a qua cecidit homo; secunda creata, quæ cecidit; tertia, per quam cecidit; quarta, in quam cecidit; quinta, per quam resurget; prima Trinitas est, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Potentia, sapientia, benignitas; secunda Trinitas est, ratio, voluntas, memoria; tertia Trinitas est, suggestio, delectatio, consensus; quarta Trinitas est, impotentia, ignorantia, concupiscentia; quinta Trinitas est, fides, spes, charitas. Super *Genes.*, cap. 5.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Nulla operationum distantia, nulla discretio est, ubi vel in Patre, vel in Filio, vel in Spiritu sancto, nulli secunda plenitudo virtutis est. In Præfat., super *Luc.* S. AMBR.

2. Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil dimensum Trinitas habet. *Prosec.*

3. Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non æstimatione concluditur, non ætate variatur. Lib. 2, super *Luc.*, in illud : *Hic enim erit magnus*, etc.

4. Trinitatem in unitate investigare, temeritas est : credere, pietas : nosse, vita æterna est. Part. 2, tit. 30, *de Deo*, cap. 2, § 2. S. ANTONI

5. Sancta Deitatis Trinitas increata, æterna, et incommutabilis est, et nullius variationis capax. *De Incarnat. Christi.* S. ATHANA MAGNUS

6. Nihil putetur in Trinitate temporibus locisve distare, sed hæc tria æqualia esse, et coæterna, et omnino esse una natura : non a Patre aliam, et a Filio aliam et a Spiritu sancto aliam conditam esse creaturam : sed omnia et singula, quæ creata sunt, vel creantur, Trinitate creante subsistere. *Prosec.* S. AUGUS

7. Nec quemquam liberari a Patre sine Filio et Spiritu sancto, aut a Filio sine Patre et Spiritu sancto, aut a Spiritu sancto sine Patre et Filio, sed a Patre et Filio et Spiritu sancto, uno, vero, vereque immortali, id est omni modo incommutabili solo Deo. Epist. 102, *ad Evodium.*

8. Multa sunt, quæ de Trinitatis ineffabilitate dicuntur, non ut ipsa dicatur, alioquin non est ineffabilis; sed ut illis dictis, illa dici non posse intelligatur. Epist. 50, *ad Elpidium.*

9. Credatur honorifice unitati, ne fiat injuria Trinitati. Epist. 178.

10. Trinitas nihil aliud est tota, quam Deus : nihil est tota, quam Trinitas; nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem, et tres personæ sunt unius essentiæ. Lib. 15, *de Trinit.*, cap. 7.

11. Trinitas divinarum personarum est summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur. Lib. 1, *de Trinit.*, cap. 2.

12. In Trinitate nihil creatum aut serviens, ut vult Dionysius fons Arii; nihil inæquale, ut vult Eunonius; nihil inæquale gratiæ, ut vult Ætius; nihil anterius posteriusve aut minus ut Arius; nihil extraneum aut officiale alteri, ut Macedonius; nihil persuasione, aut surreptione incertum, ut Manichæus; nihil corporeum, ut Melito et Tertullianus; nihil corporaliter effigiatum, ut Anthropomorphus et Vadianus; nihil sibi invisibile a creaturis, ut Origenes; nihil creaturis visibile, ut

Fortunatus; nihil moribus vel voluntate diversum, ut Marcion; nihil ex Trinitatis essentia ad creaturarum naturam deductum, ut Plato et Tertullianus; nihil officio singulare, nec alteri communicabile, ut Origenes : nihil confusum, ut Sabellius : sed totum perfectum, quia totum ex uno et unum ex toto. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 4.

13. Ubi quæritur unitas Trinitatis, Pater et Filius et Spiritus sanctus, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. *Prosec.*

14. Quisquis ergo hæc legit, ubi pariter certus est pergat mecum : ubi pariter hæsitat, quærat mecum : ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me; ita ingrediamur simul charitatis viam tendentes ad eum, de quo dictum est : Quærite faciem ejus semper. Lib. 1, *de Trin.*, cap. 3.

15. In summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul sunt, nec plus aliquid sunt duæ, quam una, et in se infinita sunt : ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. *Ibid.*, lib. 6, cap. 16.

16. Charitas in seipsa repræsentat Trinitatem : hanc ratio sentit, et peccata requirit; hanc charitas invenit, et videndo beata quiescit : hanc in præsenti fides sequitur, spes in cœlum usque comitatur : charitas perenniter amplexatur. *De Spiritu et anima*, cap. 39.

17. In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia. Lib. 1, *de Doctr. chr.*, cap. 5.

18. In Trinitate nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. *De fide ad Petrum*, cap. 1.

19. Mirabile illud de Trinitatis unitate, et de unitatis deifica Trinitate sacramentum, magis est credendum, quam exponendum. Lib. 2, *de Visitatione infirm.*, cap. 2.

20. Trinitati pie, sobrieque intelligendæ, omnis excubat vigilantia christiana. Lib. 3, *de Lib. Arb.*, cap. 21.

21. Deum diligere debemus trinam quamdam unitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quod nihil dicam aliud, nisi id ipsum esse. *De Morib. eccles.*, cap. 14.

22. Trinitas unus est Deus; nec ideo non simplex quia Trinitas. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 10.

23. Spiritus sanctus non tantum est patris, sed Patris et filii, cum quo est Trinitas Pater et Filius et Spiritus sanctus, non creatura sed Creator. *Ibid.*, lib. 13, cap. 24.

24. Non tres Deos, sed unum Deum credimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum quamvis Pater Pater, et Filius Filius sit, et Spiritus sanctus, Spiritus sanctus. *Contra Adimant.*, cap. 1.

25. Nihil facit Pater, nisi per unigenitum Filium, nec sine Spiritu sancto, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. *Contra serm. Arianorum*, cap. 11.

26. Si substantiam quæris, ipsa Trinitas unus est Deus. Si personam, alter est Filius. *Contra Felician.*, cap. 3.

27. Natura quæ facta non est, et tamen ex Deo est; aut genita est ab illo, aut procedit ex illo. Quæ genita est, Filius est unicus, quæ procedit, Spiritus sanctus, et hæc trinitas unius est ejusdemque naturæ. Lib. 2, *de anima et orig.*, cap. 3.

28. Non est illic quidquam integrum, ubi Pater et Filius et Spiritus sanctus non est unum. *De cult. agri Dom.*, cap. 3.

29. Faciamus voluntatem Patris, voluntatem Filii, voluntatem Spiritus sancti; quia Trinitatis hujus una voluntas, una potestas, una majestas. Tract. 22, super *Joan.*

30. Deus Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, veniunt ad nos dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo : veniunt illuminando, venimus intuendo. *Ibid.*, tract. 76.

31. Nullus Deum Trinitatem esse scisset, nisi ipse sic innotescere voluisset : et tamen nullus hominum sicut Angeli sapit Trinitatem. *Ibid.*, tract. 92.

32. Est Deus Pater, Filius, et Spiritus sanctus : Filius Deus ex Deo, Spiritus sanctus Deus ex Deo; et hi tres unus Deus, non tres Dii. Tract. 7, super *Epist. Joan.*

33. Nihil ex toto divinæ ac beatæ Trinitatis creatum est. Epist. 60, *ad Antiochens. Ecclesiam.*

34. Sola sedet Trinitas summa, quæ sola in se est, et ideo sola vere est, sola se fruitur, sola nullius eget, sola sufficit sibiipsi. Serm. *de Verbis Isai.*

35. Pater est verus, id est veritas : Filius est verus, id est veritas; Spiritus sanctus est verus, id est veritas, et hi tres unus verus, id est una veritas. Serm. 80, super *Cant.*

36. Nihil est in Trinitate dispar, ubi est totum summum : nil distans, ubi totum est unum : nil hians, ubi totum est integrum : nil denique imperfectum vel egens, ubi totum est totum. Epist. 190, *ad Innocentium Papam.*

37. Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum : quomodo plurali-

tas in unitate, et hac unitate, aut ipsa in pluralitate scrutari, hoc temeritas est, credere pietas, nosse vita, et vita æterna est. Lib. 5, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

38. Inter omnia quæ recte unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres personæ una substantia sunt. Lib. 5, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

39. Patrem et Filium cum Sancto Spiritu cognoscere, vita est æterna, beatitudo perfecta, summa voluptas. Lib. *Medit.*, cap. 1.

BOETIUS. 40. Pater Deus est, et Filius Deus, Deus et Spiritus sanctus : Deus vero nullas habet differentias, quibus differat a Deo, quia nullo eorum differt. *Prosec.*

41. Differentiæ ibi absunt, ubi abest pluralitas ubi abest pluralitas, ibi adest unitas. *De Trinit.*

S. BONAV. 42. Pensa charissime quam beatissima Trinitas amanda sit, quæ sic tota nobis intendit, imo quæ se totam nobis impendit. Serm. 3, *de SS. Trin.*

43. Personarum Trinitas non præjudicat unitati, nec essentiæ unitas præjudicat Trinitati. In *Centiloq.*, part. 3, sect. 2.

44. Beata Trinitas patet in Scripturis, ostenditur in figuris, relucet in creaturis. Lib. 1, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 10.

CASSIODOR. 45. Credere dignum est totam Trinitatem (cui una, atque omnipotens natura est) omnium rerum indefectam semper habere notitiam. Super *Psalm.* IX.

46. In sancta Trinitate nihil Scriptura divina vult minus majusve sentiri, nec ipsa nomina patitur esse divisa. Super *Psalm.* XVIII, vers. 8.

47. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus; distinctio enim in personis, unitas cognoscitur in natura. *Prosec.*

48. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; trinum quidem nomen sed una virtus, una potentia.

49. Filius a Patre incomprehensibiliter genitus; Spiritus sanctus a Patre et Filio ineffabiliter procedens, potestas non accidens, sed individua manens. Super *Psalm.* LXXX.

CLEMENS ALEX. 50. Laudemus unum Patrem et Filium, una cum sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, qui est undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque justus. Lib. 3, *Pædag.*, cap. 12.

S. CYPRIAN. 51. In hac divini magisterii schola Trinitatis, Pater est qui docet et instruit; Filius, qui arcana Dei revelat nobis et aperit; Spiritus sanctus, qui nos replet et imbuit. A Patre potentiam accipimus, a Filio sapientiam, a Spiritu sancto innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus sanctus conjungit et unit. A Patre nobis datur æternitas, a Filio imaginis ejus conformitas, a Spiritu sancto integritas et libertas. *De Baptismo Christi*, cap. 3.

52. Trinitas ubique latens est, ubique apparens, vocabulis personisque discreta, inseparabilis vero substantia Deitatis. *Exposit. super symbol. Apost.*, cap. 9.

53. Una Trinitas unus est Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus : non alienum a se ipsa in se possidens, increata, ingenita, non facta, sed faciens, non creaturæ nomen habens in seipsa, sed creans, una existens et non multæ. Hæres. 76, *contra Anomœos.*

54. Semper Trinitas est Trinitas, et nunquam additionem accipit; neque diminutionem. In *lib. Ancorato.*

55. O sancta Trinitas, quæ Trinitas in uno nomine numeraris. *Prosec.*

56. Non enim dicitur unitas et dualitas, neque unitas et unitas, sed unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate, uniformiter, unico nomine, unus Deus, Pater in Filio, Filius in Patre, cum sancto Spiritu. *Ibid.*

57. In tribus Trinitatis personis numerus esse potest, ordo esse non potest : ubi totum unum est, nihil ibi potest esse, vel tertium vel secundum. *Prosec.* S. EUSEBIUS EMISSENUS.

58. Nam etsi distinctionem recipit Trinitas, gradum tamen nescit æqualitas. Homil. 2, *de Symbolo.*

59. In illa una substantia Trinitatis est unitas in origine, æqualitas in prole, in charitate unitatis æqualitatisque communio. Nulla est divisio illius unitatis, nulla diversitas illius æqualitatis, nullum fastidium illius charitatis. Lib. 2, *ad Monimum*, cap. 11. S. FULGENT.

60. Ibi enim nihil discrepat : quia æqualitas chara et una, naturaliter et incommutabiliter perseverat. *Ibid.*

61. Sola se potest Trinitas revelare, quia se plene potest ipsa Trinitas nosse : et quantum se dederit agnoscendam, tantum se condonat revelandam. Ibi autem est plena sui cognitio, ubi non est naturalis ulla discretio. Lib. 2, *ad Trasimundum regem*, cap. 10.

62. Etsi unaquæque personarum Deus sit, omnes tamen personæ, non tres Dii, sed unus esse Deus dicuntur. Super *Psalm.* LXVI. GLOSS. ORD.

63. Vera æternitas, et vera immortalitas, non est nisi in Deitate Trinitatis, cui quod est esse, perfectum est, quia natura initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Super *Septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* v, vers. 27. S. GREGOR. MAGNUS.

HAYMO.
64. In ista Trinitatis substantia nihil est creatum, quia nihil est inchoatum : nec aliquid ibi superius cognoscitur, quia nihil anterius aut posterius invenitur : in eo quod Trinitas est, unum est, æternum est, verum est. Serm. 1 *Octavæ Paschæ*.

S. HIERON.
65. Absque Spiritu sancto, imperfectum est mysterium Trinitatis. Epist. 28, *ad Hedibiam*, quæst. 9.

66. Trinitatis quia vera est inenarranda est, invisibilis est, omnipotens est : sese prædicat, sese annuntiat dignanter omni creaturæ visibili et invisibili. Epist. 17, *ad Cyrillum de explanat. fidei*.

67. Nihil in Trinitate subitaneum, nihil nuperum, nihil temporale, nihil impotens, nihil minus, nihil inæquale. Trinitas veneranda, deprecanda : Trinitas inenarranda, investiganda, incomprehendenda. *Ibid.*

68. Mysterii Trinitatis recta confessio, ignoratio est scientiæ. Lib. 18, super *Isaiam*, in procemio.

HUGO A S. VICTORE.
69. Tota Trinitas omnium rerum summa origo, perfectissima pulchritudo, beatissima delectatio est. *De quæstion. circa Epistolam ad Romanos*, quæstione 282, in illud : *Quoniam ex ipso*, etc.

70. Non potest in Deo esse aliquid diversum ab ipso, et unum est totum quod est, et propterea vere est Trinitas, et unitas manet : quia ibi est, qui a nullo est, et est ibi, qui ab illo est, et pariter cum utroque, qui ab utroque est, Trinitas est. Lib. 1, *de Sacram.*, part. 3, cap. 22.

S. INNOC. III
71. Tres sunt personaliter, sua quisque ratione distinctus : Pater generatione, Verbum filiatione, Spiritus sanctus processione, unum essentialiter. Lib. 2, *Myster. Missæ*, cap. 62.

JOAN. CASS.
72. Quævis in Trinitate persona, honorem in se totius continet Trinitatis. Lib. 7, *de Incarnat.*, cap. 21.

S. JOANNES CHRYSOST.
73. Ubicunque affuerit una Trinitatis hypostasis, illic et spiritus adest, inseparabiliter quippe sibi ipse cohæret ipsa Trinitas, atque exactissime unita est. Serm. 13, super *Epist. ad Romanos*.

S. JOAN. DAM.
74. O Trinitas sancta sub numerum cadens, Trinitas uno nomine comprehensa ! Non enim dicitur unitas vel duitas, nec unitas et unitas : sed Trinitas in unitate, et unitas in Trinitate, uno videlicet, atque eodem modo et nomine. Lib. 1 *Parall.* cap. 1.

75. Non est procreata Trinitas, sed sempiterna, et una in Trinitate Deitas, et una sanctæ Trinitatis gloria. *Ibid.*

76. Trinitas etiam post Verbi Incarnationem Trinitas mansit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 8.

S. LAURENT. JUSTIN.
77. Tota summæ Trinitatis majestas, atque majestatis unitas, in omnium sufficientissime rutilat vita Sanctorum ; cum in virtutibus Pater, in sapientia Verbum, in donis Paracletus agnoscitur. *De casto connubio*, cap. 19.

S. LEO I.
78. Consubstantialis sempiternæ Trinitatis essentia, in nullo est diversa : quia simul est intemporalis, simul et incommutabilis ; simul quod est, esse non desinit. Serm. 12, *de Passione*.

79. In Trinitate nihil dissimile, nihil impar est : et omnia quæ de illa possunt substantia cogitari, nec virtute, nec gloria, nec æternitate discreta sunt. Serm. 1, *Pentec.*

LUDOVICUS BLOSIUS.
80. Sicut trium divinarum personarum una est essentia, ita etiam una est operatio, una et eadem voluntas. In *Speculo spirit.*, cap. 10.

81. Non nisi sobrie loquaris de mysterio altissimæ Trinitatis : quia tam impossibile est, ut quis illud explicet, quam impossibile ut homo in terra stans, cœlum digito contingat. *Ibid.*

PETRUS BLESENS.
82. In sancta Trinitate tanta est communio, ut sapientia, potentia, æternitas, et omnia quæ pertinent ad Trinitatis essentiam, sint unum, nec illi unioni præjudicet distinctio personarum. *De Charitate*, cap. 34.

S. REMIGIUS
83. Trinitas est in personis, et unitas in substantia divinitatis. Super I *Cor.*, cap. 15, can. 24.

RICHARD. A S. VICTORE.
84. Nullus in Trinitate est altero major, nullus ibi altero minor, nullus ibi anterior, nullus ibi posterior, sed omnes personas æquales simul et coæternas esse constat. Part. 1, lib. 3, *de Trinit.*, cap. 21.

85. In singulis summa simplicitas, in omnibus simul vera et summa unitas, utrobique autem miranda identitas. *Ibid.*, cap. 22.

THEOPHYLACTUS.
86. In divina Triade unus Deus est, sed non tres Dii, propter Personarum inconfusam comprehensionem. Super *Joan.*, cap. x, in illud : *Si non facio opera Patris mei*, etc.

87. Ubi est una sacrosanctæ Trinitatis persona, illic etiam reliquæ sunt. Super *Epistolam ad Romanos*, cap. 7, in illud : *Si Christus in vobis est*, etc.

THOMAS A KEMPIS.
88. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati ? Lib. 1, *de Imitatione Christi*, cap. 1, sect. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.
89. Non convenit quod Deus existat solus, neque non producat aliud ens nobile receptaculum suæ lucis, intellectum videlicet : sic etiam non decet quod solus intellectus extet, et non subsit opus recipiens ejus luminis splendorem. Lib. 7, *Theolog.*, cap. 2.

PLATO.
90. Tria sunt a nobis animo perspicienda : id quod fit, id unde idipsum quod fit, assimilatur : tertium illud est, quod haud possumus animo percipere. In *dialogo Timæi*.

TRISMEG.
91. Mens Deus utriusque sexus fœcunditate ple-

nissimus, vita et lux cum Verbo suo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis, atque spiritus numen. Lib. *de potestate et sapientia Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 1.

92. O vita! totum quod est in me, salva. O lux! totum me illumina, Spiritus Deus, Verbum tuum me regit spiritifex opifex : tu solus es Deus, tu Pater, tu Dominus, tuque mens. *Ibid.*, cap. 13.

## TRISTITIA.

S. ANTONIN. *Etymologia.* Dicitur tristis secundum etymologiam, quasi tritus stans : quia ipsa tristitia terit, id est affligit et consumit corpus. Part. 1, tit. 6, cap. 6, § 1.

S. ANASTAS. MAGNUS. *Definitio.* Tristitia est inopia appetitionis. *Lib. viæ ducis*, cap. 2, *de Verbo.*

S. NILUS. Tristitia est animi contractio, et mœror ab iracundia proficiscens. Orat. 5, *de Tristitia.*

JOAN. CASS. *Divisio.* Tristitiæ genera sunt duo : Unum quod vel iracundia desinente, vel de illato damno ac desiderio præpedito, cassatoque generatur. Aliud quod de irrationabili mentis anxietate, seu desperatione descendit. Collat. 5, *Abbat. Serapionis*, cap. 11.

S. ANTONIN. *Productio.* Tristitia secularis ex adversis malis illatis nascitur, quæ nisi refrænetur, animus sibi succumbit, et ad vindictam appetendam et indignationem inducit. Part. 4, tit. 3, cap. 7.

JOAN. CASS. De ira tristitiam necesse est pullulare : quamobrem ut tristitia propellatur, ira prius est extrudenda. *Prosec.*

De tristitia acediam necesse est pullulare : sed ut acedia vincatur ante tristitia superanda est. Collat. 5, *Abbatis Serapionis*, cap. 10.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Sicut gaudium est species delectationis, ita et tristitia est species doloris. *Prosec.*

2. Tristitia esse potest de præsenti, præterito, et futuro : sed dolor corporalis non potest esse nisi de præsenti. Part. 1, tit. 6, cap. 6.

3. Sicut pondus grave, quod solus unus portat, alleviatur ex societate alterius secum portantis; sic onus tristitiæ levius et melius fert unus, si alius secum ferat. Part. 2, tit. 8, *de Invidia*, cap. 5, § 3.

S. AUGUST. 4. Causa tristitiæ tuæ, peccatum est; causa lætitiæ tuæ; justitia. Super *Psalm.* XLII, vers. 2 : *Ut quid tristis incedo?* etc.

5. Melior est tristitia iniqua patientis, quam lætitia iniqua facientis. Super *Psalm.* LVI, vers. 9.

6. Tristitiæ medicus est ratio. Conc. 5, *de Grat. actione.*

S. BASILIUS MAGNUS. 7. Nimia tristitia, peccati causa efficitur. Apud Divum Joannem Damascenum, lib. 1 *Parall.*, cap. 23.

V. BEDA. 8. Tristantur facile, quorum spes extat in imis. In suis *Proverbiis*, verbo *Tristantur.*

S. BERNARD. 9. Præ tristitia languet manus, sensus hebescit, horret lingua eloqui. Epist. 167, *ad Innocentium Papam.*

10. Omnis boni impedimentum tristitia est. *De Inter. domo*, cap. 51.

11. Si bene et pie vixeris, nunquam eris tristis; bona vita semper habet gaudium. Serm. 11, *ad Sororem.*

12. Expelle a te tristitiam; quia sicut tinea comedit vestimentum, et sicut vermis rodit lignum, ita tristitia nocet cordi. *Ibid.*

S. BONAV. 13. Occupatio prodest tristibus, ut obliviscantur tristitiæ. Lib. 1, *de Profectu Relig.*, cap. 33.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 14. Servo Dei non convenit exterius tristitiam ostendere, aut faciem habere turbulentam. In suis *Opusc.*, apophtheg. 18.

GLOSS. ORD. 15. Mœrorem et lætitiam in uniuscujusque electi animo, tribus modis alternari invenimus, in conversione, probatione, et morte. Super *Job*, cap. 33.

S. GREGOR MAGNUS. 16. Unde ille lucet, qui potestatem suscipit, inde perversus quisque, qui corrigi metuit, in tristitia tenebrescit. Lib. 16 *Moral.*, cap. 25, num. 29.

17. Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 31, num. 83.

18. Tristitia tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet ad quod intrinsecus recurrat. *Ibid.*, lib. 31, cap. 17, num. 31.

19. Tristitiæ angustiosum malum spiritualis lætitiæ campo devoratur. Lib. 5, in I *Regum*, cap. IV, super illud *Ephes.* VI : *Non est nobis colluctatio*, etc.

20. Tædere mens nullatenus potest, quæ semper jucunda, bona cœlestia lætanter cogitat. *Ibid.*

21. Risus fletum sequitur, gaudium tristitia comitatur. In *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* VI, in prolog.

22. Mens affecta tristitia, minus se ad ea quæ utilitatis sunt erigit, et ante incipit succumbere, quam laborare. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 1, epist. 1, *ad Romanum defensorem.*

23. Triste est quidquid aspicitur, quidquid delectabile creditur, mœsto cordi lamentabile apparet. *Ibid.*, lib. 1, ind. 9, cap. 6, epist. 6, *ad Narsum.*

24. Diffidentiæ quodammodo genus est, contra hoc quod quisque prædicat, torqueri mœstitia. *Ibid.*, lib. 7, ind. 2, cap. 111, epist. 111, *ad Aregium episc.*

S. GREGOR. NAZ. 25. Tristem esse præstet; quam solutis moribus. In *Tetrast.* et hab. apud divum Joannem Damascenum, lib. 2 *Parall.*, cap. 79.

S. GREGOR. THAUMAT. 26. Sapientum animæ elatæ, tristitia contrahuntur. Super *Ecclesias.*, cap. 7.

S. HIERON. 27. Ille est superbus ac invidus, aut sui fastidiosus boni, quem ejus probatio reddit tristiorem. Epist. 5, *ad virginem in exilium missam.*

28. In omnibus pene rebus humanis difficile potest esse lætitia, nisi tristitia ante præcesserit. *Ibid.*

29. Nulla res ita inebriat, ut animi tristitia, quæ ducit ad mortem, hæc abominanda ebrietas est. Super *Joel*, cap. I, super illud : *Expergiscimini ebrii.*

30. Sæculi tristitia est, aut de amissis rebus propriis, aut de alienis non invasis dolere, vel de alterius felicitate torqueri : secundum Deum vero tristitia est, sive sua, sive aliena lugere commissa. Super I *ad Cor.*, cap. VII, in illud : *Sæculi autem tristitia*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 31. Exultatio sine tristitia, mater nonnunquam est delictorum : tristitia sine exultatione, quædam amaritudo vivendi est. Serm. 74, in *Divers.*, *De sancto Joanne Baptista.*

INNOC. III 32. Semper mundanæ lætitiæ tristitia repentina succedit : et quod incipit a gaudio, desinit in mœrore. Lib. 1, *de contemptu mundi*, cap. 23.

JOAN. CASS. 33. Tristitia tranquillum animum ac mitem non patitur, et ad cuncta operationum officia impatientem et asperum reddit. Lib. 9, *Cœnob. inst.*, cap. 1.

34. Est aliud detestabilius tristitiæ genus, quod non correctionem vitæ, nec emendationem vitiorum, sed perniciosissimam desperationem animæ injicit delinquenti. *Prosec.*

35. Quod nec Cain fecit post fratricidium pœnitere, nec Judam post traditionem ad satisfactionis remedia festinare, sed ad suspendium laquei sua desperatione pertraxit. *Ibid.*, cap. 9.

36. Absque illa, quæ vel pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia tanquam sæculi, et quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est, ac penitus extrudenda. *Ibid.*, cap. 12.

S. JOANNES CHRYSOST. 37. Licet tristia sint quæ accidunt in hoc sæculo, sunt tamen momentanea : bona autem in alio immortalia sunt et æterna. Homil. 25, super *Gen.*

38. Nulla tristia ejus animum, qui exemplaris est vitæ, expugnat. Homil. 86, super *Joan.*

39. Charitatis tristitia et fletus, quolibet risu, quolibet solatio sunt amœniores. Homil. 32, super I *Cor.*

40. Magnum et philosophicum animum nihil earum rerum, quæ in hac vita tristitiam pariunt, molestare potest. Serm. 3, *ad Philipp.*

41. Tristitiæ quando ultra mensuram animum distendunt, suo illum robore privant. *Ibid.*, serm. 10.

42. Tristemur tristitia, quæ gaudii sit mater : et non lætemur gaudio, quod tristitiam pariat. Serm. 15, *ad Philipp.*

43. Tristemur tristitia, ex qua germinetur requies et refocillatio. *Ibid.*

44. Anima semel tristitia repleta, nihil audire est idonea. Homil. 11, *ad Popul. Antioch.*

45. Nullus in hac vita inveniri potest a tristitia purus et mœrore. *Ibid.*, 67.

46. Mœrentium societas gravem tristitiæ vehementiam auferre consuevit. *Ibid.*

47. Solet mœroris nimietas, si pertinacius incubuerit, consumere vires. Lib. 2, *de Compunct. cordis.*

48. Tristitia animarum, crudele tormentum est. Epist. 7, *ad Olimpiam.*

49. In omnibus passionibus nihil pejus et perniciosius animi tristitia. *Ibid.*

50. Prorsus neminem invenies tristitiæ exortem : neque enim fas est, ut homo qui sit, mortalemque hanc agit vitam, angoris sit expers; sive quispiam dives sit, sive Rex. Homil. 1, super II *Tim.*

51. Mœstitiam ægritudines faciunt et dolores. Homil. 21, super *Ep. ad Hebr.*

52. Utilius est parentes mœrore afficere, quam S. JOAN.
Deum. Gradu 3. CLIM.

53. Nuditas rerum omnium, tristitiam suffocat. *Ibid.*, Gradu 26.

54. Sicut vestimentum tinea, et vermis devorat S. ISIDORUS
lignum, ita tristitia cor hominis exedit. Lib. apud HISPAL.
Bedam, in suis *Scintillis*, cap. 51.

55. Cor lætum bonam valetudinem facit, viri autem tristitia arescunt ossa. *Ibid.*

56. Si vis nunquam tristis esse, bene vive : secura conscientia tristitiam leviter sustinet, bona vita gaudium semper habet. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 11.

57. Mundi hujus tristitia mortem parit iis qui S. [illegible]
ab ea vincuntur. Epist. *ad Zenon.*

58. Religiosa tristitia aut alienum peccatum S. LEO.
luget, aut proprium : nec de hoc dolet, quod divina justitia agitur : sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur. Homil. in *Festo omnium Sanctor.*

59. Tristitia cum explendæ voluptatis materia S. NILUS.
suppetit, in ventrem descendit : deficiente autem illa, in pectus (ubi est iracundiæ sedes) ingreditur. In *Lib. Ascetico.*

60. Tristitia leonis est os, quod hominem mœstum facile devorat. *Ibid.*, orat. 5, *de Tristit.*

61. Animi vermis tristitia est, qui parentem exedit. *Ibid.*, *ab init.*

62. Doloribus afficitur mater, dum filium parit, sed posteaquam peperit, non amplius dolet : tristitia vero et in ipso partu dolorem affert, et posteaquam nata est, vehementer excruciat. *Ibid.*

63. Qui tristitia se sinit opprimi, spirituum est expers consolationis. *Ibid.*

64. Cum improbus tristitiæ spiritus animam invaserit, omnes ipsius nervos ac robur frangit. *Ibid.*

65. Tristitia vermis cordis est, mentem ad sese trahens ac divellens. *Ibid.*

RABANUS. 66. Tristitia salubris pœnitentes a peccatis mundat. Lib. 1, *de Laude Crucis.*

RICHARD. A S. VICTORE. 67. Fœlix tristitia, quæ non de creatura, sed de Creatore concipitur, quæ nulla præsentis vitæ luget incommoda; dignum plane est, ut Deum totius consolationis consolatorem habeat. Parte 1, *de Gradu charit.*, cap. 2.

THALASSIUS. 68. Omnis tristitia voluptatis repressio est, etiamsi de mundana sentias. *Hecatonde.* 1, sent. 74.

S. THOMAS AQUINAS. 69. Tristitia, quæ hominem ad malum fugiendum, vel vitandum impellit, maximam illi præstat utilitatem. 2, 2, quæst. 39, art. 3.

THOMAS A KEMPIS. 70. Tristitiam facile vincit, qui nil terrenum novit amare. *De Recognit. propr. fragilit.*, cap. 4, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 71. Tristitia inhabilis est ad dispiciendas res, utilia excogitanda, periculosa vitanda, æqua æstimanda. Lib. 2, *de Clement. ad Neronem*, cap. 5.

72. Qui imperturbatus est, sine tristitia est, qui sine tristitia est, beatus est. Epist. 83.

73. Ægritudo animi in sapientem virum non cadit, serena enim ejus mens est : nec quidquam incidere potest, quod illam obducat. Lib. 2, *de Clement. ad Neron.*, cap. 5.

74. Tristitiam, si potes, ne admiseris : sin minus, ne ostenderis. *De moribus.*

75. Nunquam sit tristis facies tibi, incommodo alterius. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Donare*, sent. 44; *Gula*, sent. 74; *Novitius*, sent. 7; *Sanctitas*, sent. 41; *Vocatio Dei*, sent. 28.

## TURPILOQUIUM.

S. CLEMENS ALEX. *Definitio.* Turpiloquium est de vitiosis factis oratio. Lib. 2, *Pædagogi*, cap. 6.

JOAN. GERS. Turpiloquium est vitium, quo quis dicit illiberalia et obscœna verba cum impudentia.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Adulterinus sermo juvenculæ, nodus adolescentium est. Lib. 1, *de Pœnit.*, cap. 13.

S. ANTONIN. 2. Turpiloquium est causa destructiva castitatis. Part. 4, tit. 4, *de Temperantia*, cap. 6, § 2.

3. Spina lacerans est turpitudo sermonis. *Ibid.*, cap. 6, § 6.

V. BEDA. 4. Qui obscœnis carminibus aurem libenter aperit, hanc animæ suæ portam mortis efficit. Lib. 2, super *Luc.*, cap. 7, in illud : *Qui viderit mulierem*, etc.

S. BERNARD. 5. Cum otiosa verba tanquam minima spernimus, ad turpia atque inhonesta dilabimur. Serm. *de Triplici genere cogitat.*

6. Audire quod turpe est, pudori maximo est. *De ordine vitæ.*

7. Immunditia oris, testis est immundi cordis. *Prosec.*

S. BONAV. 8. Non credant homines se habere corda munda, qui verba habent immunda. Serm. 4, *de sanctis Apostolis.*

9. Quid sepulcro patenti fœtidius? et quid ore fœtido immundius? *Ibid.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 10. Anima per turpiloquia et scurrilitates vulneratur, forte etiam moritur. Homil. 20.

CLEMENS ALEX. 11. Cum verba omnia a cogitatione et moribus emanent, fieri non potest ut verba aliqua emittantur ridicula, quæ non procedant a moribus ridiculis. Lib. 2 *Pædagogi*, cap. 5.

12. Perfecta dicendi licentia, turpitudinem usque adeo auget et amplificat, ut eam deducat ad turpiloquium. *Ibid.*

13. Ad impudentiam via est turpis sermo, et utriusque finis est turpium rerum perpetratio. Lib. 2, *Stromat.*

DYONY. ALEX. 14. Periculum sæpe affert, turpia verba audire. Habetur apud divum Joannem Damascenum, lib. 1 *Parall.*, cap. 46.

FRANCISCUS TITELMAN. 15. Tu fidelis discas, cum alieni mali turpia narraveris, eadem verborum honestate velare, neque honesteris turpibus operam præbens, sed turpium locutionem fugiens. In *Annot.*, *super cap.* I *Job.*

GLOSS. ORD. 16. Libidinosum aliquando turpis sermo demonstrat. Super *Ezech.*, cap. 8.

S. GREGOR. MAGNUS. 17. Plerique turpitudinis opera non exercent, sed linguam a turpilocutione non cohibent. Lib. 6, in I *Regum*, cap. I, super. illud : *Non parcas ei*, etc.

S. GREGOR. NAZ. 18. Occlude verbis turpibus aures tuas. In *Tetr.*, et hab. apud. D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 46.

S. GREGOR. THAUMAT. 19. Omni ratione fugiendum est turpium verborum profluvium. Super *Eccles.*, cap. V.

S. HIERON. 20. Anima christiana turpia verba non intelligat. Epist. 7, *ad Lætam.*

21. Nunquam verbum inhonestum audias; aut si audieris, non inesceris : perditæ mentes hominum uno frequenter levique sermone, tentant claustra pudicitiæ. *Ibid.*, epist. 8, *ad Demetriad.*

22. Turpe verbum atque lascivum, nunquam de ore virgineo proferendum est. Epist. 27, *ad Eustoch.*

23. Apud christianos solœcismus est magnus, et vitium, turpe quid vel narrare vel facere. Epist. 1, *adversus Helvidium.*

24. Qui scurrilia loquitur et cachinnis ora dissolvit et aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi verbi, sed criminosi tenebitur reus. Lib. 2, super *Matth.*, cap. 12, can. 10, num. 126, super. illud : *Quoniam omne verbum otiosum*, etc.

GOCARD. 25. Sermo turpis et audientes inquinat, et verecundiam paulatim surripit. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

IOANNES RYSOST. 26. Ubi verba turpia, ibi dæmones et diabolus exultant. Homil. 71, Super *Matth. Oper. perf.*

27. Sermo spurcus est, turpiloquium. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

28. Mulieres non facile impudens quidquam effutiunt, et tu vir a turpiloquio non abstines? *Ibid.*, serm. 13.

29. Ubi turpitudo, ibi et urbanæ facetiæ. *Ibid.*, serm. 18.

30. Sanctus non est, qui facetias loquitur, sed ridiculus. *Ibid.*

31. Ubi turpiloquium est, ibi diabolus adest. Homil. 12, super *Epist. ad Coloss.*

32. Turpis actionis est turpe verbum. Homil. 57, *ad Pop. Antioch.*

33. Ubi turpia verba, illic dæmones choreas agunt. *Ibid.*

34. Certamen quoddam diabolicum est eorum, qui turpia loquuntur, ut obscœnorum et turpium verborum contentione excellant ; et illi superiores habentur, qui plura turpia verba effundunt. Homil. 12, super I *Cor.*

35. Qui turpia loquitur, ridiculus est, et seipsum primum afficit contumelia : perinde ac si quis cœnum aliquod emittat ex ore, ita seipsum polluit. Quod si hic fluxus tam impurus est : cogita qualis sit hujus cœni fons. *Prosec.*

36. Vis igitur scire quantum sit malum, turpia loqui ? considera audientes, quomodo rubore suffunduntur, dum tu loqueris indecora.

37. Quid enim vilius est homine turpiloquo ? quid contemptius ? satius est purulentiam ab ore dimittere, quam verbum obscœnum. Homil. 6, super II. *Cor.*

38. Nihil perinde offendit sanctum ac purum, ut verba turpia : nec alia res æque improbos et inverecundos facit, sicut talia vel dicere, vel audire. *Prosec.*

39. Nihil ita dissolvit nervos pudicitiæ, ut hæc perniciosa flamma.

40. Unguentum pretiosum in ore tuo posuit Deus tu vero cadavere fœtidiora ibi reposuisti verba, ipsamque interius animam torpidam et immobilem reddis. *Ibid.*

41. Turpis sermo, impudici cordis indicium est. *Prosec.* [illegible]

42. In quorum locutione turpi ora quædam frequenter resonant, sanctitatis verba aut nunquam aut rarissime audiuntur. Lib. 1, homil. 11, *ad Monachos.*

43. Turpiloquiis vacantes, castos se corde non existiment. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 3.

44. Internæ libidinis indicium est, dum verba quis turpia loqui consuevit. *Ibid.*

45. Sicut mali mores in bono colloquio corriguntur, ita bonos mores turpia colloquia corrumpunt. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 29, sent. 5. S. ISIDORUS HISPALENSIS.

46. Despice sermones impudicos, fuge inhonesta verba, nulla aures tuas impudicitia subrepat. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 8.

47. Cavenda est verborum obscœnitas, fugienda est turpitudo sermonis : qualis enim sermo ostenditur, talis et animus comprobatur. *Ibid.*

48. Ineptas fabulas non loquaris, turpia et inania verba nunquam garrias. *Ibid.*

49. Linguam tuam a verbis illiberalibus, minusque honestis compesce. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 31. LUDOVICUS BLOSIUS.

50. Qui scurrilitates ac turpitudines de ore suo proferunt, diabolus aperuit os eorum. Homil. 3, in cap. VII *Exodi.* ORIGEN.

51. Turpiloquium inhonestum est in prælato, et plerumque damnosum. Epist. 49, *ad Prælat. quemdam.* PETR. BLES.

52. Absurdum est nimis in prælato scurrilitati operam dare, et labia Christi Evangelio consecrata, immunda et damnabili verborum procacitate polluere. *Ibid.*

53. Non sperandum est quod ab ulla turpitudine se cohibeat, qui immunditiam linguæ non refrænat. *Ibid.*

54. Caveantur a sacerdote scurrilia verba, mordax eloquentia abscedat, et urbana dicacitas inanescit. *Prosec.* S. PETRUS DAMIANUS.

55. Quomodo ex ore sacerdotis oratio ad Deum munda dirigitur, quod videlicet pravi sermonis sordidus inquinatur ?

56. Quomodo inter Deum et homines lingua mediatrix efficitur, quæ iram judicis ex proprio reatu et ipsa meretur ? Lib. 2, epist. 1, *ad Episcopos cardinales.*

57. Turpes sunt illi, qui in rebus turpibus ingenii industria specimen edunt : et cum ad res præclaras discendas tardi sunt, contra ad turpia percipienda celerrimi atque acutissimi. Hab. [illegible]

apud divum Joan. Damasc., lib. 1, *Parall.*, cap. 46.

S. PROSPER. 58. Turpia verba per aures ingressa, quid prævalent, si non fuerint arbitrio mentis admissa? quando autem prævalent, non ipsam corrumpunt mentem, sed jam corruptam sponte reperiunt. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 6.

RICHARD. A S. VICTORE. 59. Verba dissoluta et inepte prolata exterius deformant, et intus rectitudinem mentis dissipant. Part. 2, super *Cant.*, cap. 19.

ROBERTUS BELLARM. 60. Verba turpia, fœtor, qui ex aperto oris sepulcro exhalat. Super *Psalm.* XIII, vers. 7.

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 61. Verbis est ille, quam membris execrabilior. Lib. 3, epist. 13, *ad Apollinar.*

62. Quibus citra honestatis nitorem lingua polluitur infrænis, his conscientia quoque sordidissima est. *Prosec.*

63. Facilius obtingit ut quispiam seria loquens vivat obscœne, quam valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis, et probus moribus. *Ibid.*

THEOPHYLACTUS. 64. Quando videris quempiam obscœne loquentem, scias puod multo plura habeat in corde, quam quæ loquitur. Super *Matth.*, cap. XII, in illud : *Ex abundantia cordis os loquitur*, etc.

S. VALERIUS EPISCOPUS. 65. Qui non dubitent quæ sunt turpia dicere : nec ea quæ sunt pudenda confunduntur audire. Homil. 5, *de Oris insolentia.*

66. Cavendum est ne scenico sermone alter alterum lædat, et theatralibus verbis verecundiam fratri læsæ æstimationis incutiat. *Ibid.*, homil. 6, *de Otios. verb.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 67. Omnino obscœnitas verborum exterminanda est de civitate : ex turpiter enim loquendi licentia, sequitur et turpiter facere. Lib. 7, *Polit.*, cap. 17.

DIOGENES. 68. Qui forma decorus, indecore loquitur, ex eburnea vagina plumbeum educit gladium. In *Sentent.*, sent. 11.

EPICTETUS. 69. Periculosum est etiam ad orationis obscœnitatem progredi. In suo *Enchirid.*, cap. 35.

70. Cum igitur tale quippiam inciderit, aut (si feret opportunitas) objurgabis eum, qui sermonem illum injecerit, aut taciturnitate saltem et rubore vultuque ostendes eam orationem tibi displicuisse. *Ibid.*

SENECA. 71. Longe discedendum est ab omni obscœnitate verborum. Lib. 1 *Controvers.* 1.

72. A verbis turpibus abstineto, quia eorum licentia impudentiam nutrit. *De quatuor virt.*

73. Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor per verba discutitur. *De moribus.*

Vide etiam tit. *Origo*, sent. 18; *Reddere rationem*, sent. 1; *Risus*, sent. 70; *Scurrilitas*, per totum.

## TURPITUDO.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Intelligere quod turpe sit, pudori maximo est : spectare vero, horrori. Lib. 1 *Offic.*, cap. 18. S. AMBRO

2. Multa fiunt, quæ quasi facie populari turpia videntur, aliquo tamen fine laudabili, honesta monstrantur. Lib. 2. *Soliloq.*, cap. 16. S. AUGU

3. Turpis omnis pars est suo universo non congruens. Lib. 3 *Conf.*, cap. 8,

4. Quanto ætate major, tanto vanitate turpior. Lib. 7 *Conf.*, cap. 1.

5. Quare non hac hora finis turpitudinis meæ? *Ibid.*, lib. 8, cap. 12.

6. Pulchrum per seipsum consideratur atque laudatur, cui turpe ac deforme contrarium est. Epist. 5.

7. Nullam turpitudinem paupertas parit. Super *Psalm.* XIV, conc. 4, vers. 6. S. BASILI MAGNUS

8. Fœda admota pulchris, pulchriora reddunt, magisque fœda redduntur. Epist, 78, *ad Suggerium Abbat.*, num. 5. S.BERNAR

9. Turpitudo animæ, deformitas est corporis. Super *Psalm.* XCI. S. BONAV

10. Turpissima illius est facies, cujus violata est virginitas. *Ad monachos*, parænes. 1. S. EPHRÆ

11. Gratus est diabolo et acceptus, qui in turpitudine et flagitiis vivit. Super *Josue*, cap. 19. GLOSS. OR

12. Turpem vitæ speciem proponere, nihil est aliud quam seipsum, spectaculo ac ludibrio exponere. Epist. 71, *ad Celeusium.* S. GREGO NAZ.

13. Latet impudens turpitudo, velo pudicitiæ tecta. Homil. 12, super *Ecclesiasten.* HUGO A S VICTORE.

14. Ubi præcedit spiritus elatio, sequitur carnis turpitudo. *De orat. Dom.*, cap. 16.

15. Omnis qui turpe aliquid committit, in aliqua turpidininis specie Beelphegor consecratur. Super *Num.*, cap. XXIV. HUGO CARI

16. Cum quid turpe facis, quod me spectante ruberes.
Cur spectante Deo non magis ipse rubes?
Super *Ecclesiasten*, cap. 8.

17. Deformitas ipsa mœrori minime est, si probro careat. Homil. 4, super 1 *Tim.* S. JOANNE CHRYSOST.

18. Non rerum unquam specie illustrabitur, quem suæ turpitudinis macula dehonestat. Lib. 5, *de Nugis Curial.*, cap. 17. JOAN. SAR

19. Quidquid honori subtrahitur, turpitudini reservatur. *De ruina Monast. Ordin.*, cap. 6. JOAN. TRITH.

20. Pessima res est, omnibus servire turpitudinibus. *Parænes.* 10. S. NILUS.

21. Omne quod turpe est, Deo displicet. Super *Epist. ad Rom.*, cap, 1, can. 32. S. REMIGIU

22. Turpia atque obscœna sectantes, etsi juxta SALVIANUS

opinionem suam beati sunt, quia adipiscuntur quod volunt, re tamen ipsa beati non sunt, quia quod volunt, nolle debuerant. Lib, 1, *de Gubern. Dei.*

23. Etiamsi res turpes atque damnabiles necessitate non agimus : pro ipsa tamen rerum turpium voluntate damnamur. *Ibid.*, lib. 6.

24. Omnes turpitudine rerum unum sunt qui sibi rerum turpium voluntate sociantur. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

25. Est improbi pro nulla re honesta vel mediocri, res turpissimas facere. Lib. 3 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1.

26. Quid est mirum, quod turpe aliquid admittat, cui nihil sit magnum ? Lib. 4 *Moral.*, cap. 3.

27. Turpia agentem, pudore affici, bonum est. *Ibid.*, lib. 3.

D LAC. 28. Turpia fuge. In *dictis Sapient.*, ex Græco, dict. 4.

RO. 29. Liber est is existimandus, qui nulli turpitudini servit. Lib. 4, *de Arte Rhetor.*

CA. 30. Nihil cupientes magis accendit, quam prosperæ turpitudinis conscientia. *Suasor.* 7.

31. Conciliari nisi cum turpi ratione, amor turpium non potest. Epist. 29.

32. Intellige turpia esse, quibus malitia conjuncta est. Epist. 31.

33. Tunc consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent. Epist. 93.

34. Nihil turpe est, cujus placet pretium. Epist. 95.

35. Omnia tolerabilia, præter turpitudinem crede. *De Quatuor virt.*

LES SOPH. 36. Turpe quid ausurus, te sine teste time. In *dictis Sapient.* ex Ausonio, dict. 1.

MEG. 37. Decretum est eum, qui turpe quid commiserit, pati. *De potest. et sap. Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 12.

Vide etiam tit. *Impudentia*, sent. 25 ; *Meretricium*, sent. 52.

## TYRANNIS, TYRANNUS.

.ORD. & *Definitio.* Proprie tyrannus est, qui in communi republica non jure principatur. Super *Job*, cap.
GOR. 15. Et Gregor. Magn., lib. 12 *Moral.*, cap. 20.

NUS. CARD. Tyrannus est, qui violenta dominatione opprimit subditos. Super *Ecclesiastic.*, cap. 11.

Tyrannus est, qui alienos servos sibi cogit servire. *Ibid.*

RENT. IN. Tyranni sunt, qui populis præsunt, et suo statuta condunt arbitrio, ut subditorum violenter extorqueant facultates. Part. 2, *de Obedientia*, cap. 4.

Tyrannus est qui violenta dominatione populum premit. Lib. 7, *de Nugis Curial.*, cap. 17. JOAN. SARESB.

Tyranni vocantur, pessimi atque improbi reges, dominationem cupiditate crudelissima in populis exercentes. Lib. 9 *Etym.*, cap. 3, verbo *Fortes.* S. ISIDORUS HISPAL.

Tyrannidem est, dicimus, dominantum unius ad proprium commodum intendentis. Lib. 3 *Politic.*, cap. 5. ARISTOTEL.

Tyrannis est, quæ non paulatim, neque clam, sed per apertam vim aliena abripit, et sacra et sancta, et privata et publica. lib. 1, *de Republ.* PLATO.

*Differentia.* Quid interest inter tyrannum et regem? nisi quod tyranni ex voluptate sæviant, reges non nisi ex causa ac necessitate. *Prosec.* SENECA.

Non reges occidere solent, sed quoties id fieri publica utilitas persuadet; tyranni vero sævitia cordi est.

Tyrannus a rege distat factis, non nomine. Lib. 1, *de Clementia ad Neronem*, cap. 11 et 12.

*Comparatio.* Quemadmodum venenum corpus occidit humanum, sic tyrannis est venenum, quod totam vitam politicam et regalem ad interniciem ponit. Part. 4, *Orat. ad Regem Francor.*, verit. 3. JOAN. GERS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Tolerabiliora perjuria, quam sacramenta sunt tyrannorum. Lib. 1, *de Virginibus.* S. AMBP S.

2. Tyrannus mutato genere sævit, nec aliqua pietate movetur, nec humanitate blanditur. Serm. 1, *Dom.* 21 *post Trin.* S. AUGUST.

3. Quis facile dixerit quid vocetur libido dominandi; quam tamen plurimum valere in tyrannorum animis, etiam civilia bella testantur ? Lib. 14, *de Civit. Dei.*, cap. 15.

4. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet : nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæviat. *De Bono conjug.*, cap. 14.

5. Tyrannus dum innocentibus ingerit mortis pœnas, transmittit Martyres ad coronas. Super *Psalm.* XXVII, vers. 5. CASSIO R.

6. Crudelitas tyrannorum, nostra correctio est; furoris flamma, probatio. Super *Psalm.* CXVII, vers. 18.

7. Electorum numerus crescit, quantum se tyrannorum ira succendit. Super *Psalm.* CXVIII, vers. : *Multi qui persequuntur*, etc.

8. Tyrannorum crudelia consilia despicienda sunt atque superanda. *In omnes Sanctos.* S. EPHRÆM.

9. Tyrannorum minæ ac fremitus non deterrent animosos ac fortissimos Christi milites. *De laudib. SS. Mart.*

10. Nihil sibi licere putet tyrannus in corpora, S. EUSEBIUS

I MISSENUS. Dei timore et castis jejuniis consecrata. Homil. 3, *Epiphan.*

GLOSS. ORD. 11. Nero, Domitianus, et Trajanus, hominum quidem principes, dæmonum autem lictores et satellites fuerunt. Super *Josue*, cap. 2.

12. Tyrannus membrum est diaboli, qui inebriatur sanguine innocentum. Super *Judith*, cap. XII.

13. Principes capiuntur hamo tyrannidis et superbiæ. Super *Abacuc*, cap. 1.

S. GREGOR. NAZ. 14. Tyrannis nec laudem meretur, nec diuturna est. In *Apologet. de sua fuga.*

HUGO A S. VICTORE. 15. Nero tyrannus, hostis justitiæ, primus persecutionem in Christianos excitavit; matrem quoque suam, sororem, uxorem, et pene omnes propinquos suos interemit. Lib. 6, *Excerptionum*, cap. 6.

16. Julianus Apostata et tyrannus, ad bellum Parthicum profecturus, amplius effrænata rabie in Christi cultores desinere cœpit : sed cum a Ctesiphonte castra movisset, et jam pugnaturus exercitum ordinaret (incertum a quo) ventre sauciatus punitur : et dum moreretur, cœpit Christum Deum blasphemare, dicens : Vicisti, Galilæe, vicisti : atque in his verbis scelestius expiravit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 3.

17. Tres sunt tyranni, qui contra nos acies suas producunt : diabolus, mundus, et caro. *Prosec.*

18. In exercitu diaboli militant vitia, in castris mundi prospera et adversa, in societate carnis desideria terrena.

19. Ex his tribus duo conjuraverunt tertio ad subversionem nostram : mundus enim et caro, diabolo auxilium ferunt contra nos : unus est vicinus, alter domesticus; mundus enim juxta nos, caro nobiscum. Idcirco confidit diabolus magis in auxilio carnis, quia plus nocet domesticus hostis. Lib. 1 *Miscellan.*, codic. 1, tit. 105.

HUGO CARD. 20. Tyranni bona exteriora rapiunt : exterius deprædantur, et amore rerum sævire non cessant. Super *Job*, cap. 35.

21. Semper agitantur tyranni in hoc mundo. Super *Psalm.* XLV.

22. Tyranni sunt singulares per superbiam, feri per crudelitatem. Super *Psalm.* LXXIX in illud : *Et singularis ferus*, etc.

23. Tyrannus dum bonos persequitur, limat et purgat; et solidat eos. Super *Ecclesiasten*, cap. 5.

24. Non est provocandus tyrannus, sed fugiendus : ubi fides vel charitas non periclitatur. Super *Ecclesiastic.*, cap. 9.

25. Quatuor de causis præficiuntur tyranni Prima, ut Dominus laudetur in eorum humiliatione, et populi oppressi ab eis liberatione; secunda, ut sancti probentur; tertia, ut gravius et justius puniantur; quarta, ut recipiant mercedem bonorum, quæ fecerunt. *Ibid.*, cap. 11.

26. Tyranni pleni sunt crudelitate, sed vacui pietate. *Ibid.*, cap. 25.

27. Sub Diocletiano et Maximiano tyrannis, persecutio fuit in toto orbe. Super *Ezech.*, cap. 26.

28. Dominus quasi spinas conservat tyrannos, ad faciendam sepem vineæ suæ. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 9.

29. Ad hoc excitat Dominus tyrannos persecutores, ut eorum bene utatur sævitia : bene enim usus est sævitia Neronis, quia per eum tot gloriosos Martyres fecit. *Ibid.*

30. Deus etsi det tyrannis potentiam et virtutem persequendi Sanctos non tamen movet eos ad talem finem; novit enim Deus bene uti malis. *Ibid.*, cap. 9.

31. Tyranni sunt Synagoga satanæ, quia irrationabiles et pleni peccatis, quibus ratio adversatur. Super *Apocal.*, cap. 3.

32. Ili sunt tres hostes Ecclesiæ generales : tyranni, hæretici, falsi fratres. Primi, res Ecclesiæ diripiunt; secundi, fidem destruunt, tertii, mores corrumpunt. *Ibid.*

33. Tyranni, quanto sunt potestate fortiores, tanto sunt malitia deteriores. *Ibid.*, cap. 17.

34. Complures tyranni ad pavimentum usque humiliati sunt : humilis vero, et de quo nihil tale sperabatur, diadema tulit. Homil. 1, super II *Thess.* S. JOA[N.] CHRY[S.]

35. Quemadmodum venenum et intoxicatio corpus occidit humanum, sic tyrannis est venenum, quod totam politicam vitam et regalem ad interniciem ponit. *Sermone ad Regem Francorum nomine Universitatis Parisiensis*, partit. 2, verit. 3. JOAN.

36. Raro tyrannus morte moritur naturali : odio enim habetur et a Deo, et a mundo. *Ibid.*

37. Tyrannus est adversariæ fortitudinis, et luciferianæ pravitatis imago. Lib. 8, *de Nugis curial.*, cap. 17. JOAN.

38. Origo tyranni iniquitas est, et de radice toxicata mala, et pestifera germinat. *Ibid.*

39. Tyranni potestas bona quidem est, tyrannide tamen nihil est pejus. *Prosec.*

40. Est enim tyrannis a Deo concessæ homini potestatis abusus ; in hoc tamen malo multus et magnus est bonorum usus.

41. Patet ergo non in solis principibus esse tyrannidem, sed omnes esse tyrannos, qui concessa desuper potestate in subditis abutuntur. *Ibid.*, cap. 18.

42. Tyranno nihil tutum est, aut quietum. *Ibid.* cap. 23.

D. PEL. 43. Tyrannis ad suam, regnum autem ad subditorum utilitatem omnia refert. Lib. 3, epist. 194 *ad Taurum.*

T. ORG. 44. Quanti tyranni una cum auctore suo diabolo conati sunt ecclesiæ virtutem dirumpere, sed prævalere nullo modo potuerunt ? *Prosec.*

45. Nec martyres illorum persecutio, nec virgines carnalis delectatio, nec misericordes cupiditas, nec humiles temporalis gloriæ dejicit ambitio. Super *Cant.*, cap. 6.

. FIRM. 46. Pro belluis immanibus sunt habendi, qui contra jus humanitatis, et fas omne spoliant, cruciant, occidunt, exterminant. Lib. 6, *de Divin. Institut.*, cap. 19.

LEO I. 47. Ecclesia Dei per furorem crudelitatis tyrannorum non minuitur, sed augetur. Serm. 6, *Epiphan.*

48. Omnis innocentia, omnis pudor, omnisque libertas sub Neronis tyranni laborabat imperio. *Prosec.*

49. Cujus furor per omnium vitiorum inflammatus excessum, in hunc eum usque torrentem suæ præcipitavit insaniæ, ut primus nomini christiano atrocitatem generalis persecutionis inferret, quasi per Sanctorum neces gratia Dei posset extingui. Serm. 1, in *Natali SS. Petri et Pauli.*

PETRUS RYSOL. 50. Extincto tyranno solutæ acies sunt tyranni. Serm. 11.

51. Tyrannus est, tyranni habitum qui præsumit. *Ibid.*, serm. 155.

PETRUS CRITIUS ABB. CINIAC. 52. Tyranni quanto sunt majores, tanto pejores : quanto fortiores, tanto ferociores, impotentum et pauperum oppressores. Lib. 6, epist. 27.

LO JUD. 53. Tyrannis proclive est quidvis efficere, quod rabido efferatoque animo concipiunt. *De confus. linguar.*

EMIGIUS 54. Nero non est, nisi aut volente, aut permittente Deo. Super *Epistolam ad Romanos*, cap. 13, can. 1.

YNESIUS SCOPUS. 55. Regiæ dignitati tyrannis vicina, et foribus admodum propinqua est, sicut fortitudini temeritas, liberalitati prodigalitas. *De Regno ad Arcadium Imperatorem.*

56. Regi pro moribus leges sunt, tyranno pro legibus mores. *Ibid.*

TULL. 57. Crudelitas tyrannorum, gloria est Christianorum. Lib. *ad Scapulam*, cap. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

TOTEL. 58. Tyrannis est contraria regno, suum namque bonum sequitur ipse tyrannus. Lib. 8, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 10.

59. Pravus Rex, fit tyrannus. *Ibid.*

60. Studet bellum concitare tyrannus, ut negotiis occupentur cives, et indigentia ducis continuo detineantur. Lib. 5 *Polit.*, cap. 2.

61. Tyranni est maxime amicis diffidere, quasi velint omnes, possint autem maxime amici eum subvertere. *Ibid.*

62. Nullo quidem honesto, nulloque libero delectari, tyrannicum est : se enim solum esse talem putat tyrannus. *Ibid.*

63. Tria conjectat tyrannus : unum, ut animos imminuat civium : nemo enim parvi animi contra tyrannum insurgit; secundum, ut cives inter se dissidentes reddat : non evertitur enim tyrannus, nisi civium aliqui inter se fidem habeant; quapropter et bonos viros persequitur, quasi pestiferos, et adversarios dominationis suæ; tertium, impotentia agendi : nemo enim sibi impossibilia aggreditur, itaque neque tyrannidem tollere, si potentia desit. *Ibid.*

64. Omnium gubernationum brevissime durare solent paucorum potentia et tyrannis. *Ibid.*, cap. 12.

65. In tyrannum extinctum, aut sævissime excruciatum, nemo miseretur, nemo dolet : nam adversus hoc genus hominum, prorsus vim, omnesque stimulos amittit dolor. *De Consolat.* CICERO.

66. In tyrannorum vita nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis esse potest benevolentiæ fiducia. *De Amicit.*

67. Vir tyrannicus fit ille, qui vel natura, vel institutis, vel utrisque temulentus, et amoris impotens, et furiosus evadit. Lib. 9, *de Republ.* PLATO.

68. Infelicissimus apparet, qui diutissime et maxime tyrannide potitur : is revera iniquissimus est atque miserrimus. *Ibid.*

69. Tyrannus a rege distat factis, non nomine. In suis *Proverb.*, in fine positis. SENECA.

70. Cum tibi minatur tyrannus, tunc cujus sis, memor maxime esto. Sent. 352. SIXTUS PHILOSOPH.

71. Tyrannus beatitudinem non aufert. *Ibid* sent. 74.

UNGUENTUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Unguentum accipis, o dives postquam mortuus es, et fœtidus es : perdis alienam gratiam, nec acquiris tuam. *De Nabuthe*, cap. 1. S. AMBROS.

2. Unguenta, in quibus jacet dissolutus, arte dæmonis sunt confecta. Serm *Dom* 6, *post Pasch.* S. ANTONIUS DE PADUA.

3. Pari modo exagitatum, et exhalat horribiliter cœnum, et suaviter fragrat unguentum. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 8. S. AUGUST.

4. Vasculum quod fœtor quidam ante invasit, unguenti infusionem capere non potest, nisi prius elutum fuerit. Apud D. Joan. Damasc. lib. 1 *Parall.*, cap. 39. S. BASILIUS MAGNUS.

S. BERNARD.

5. Est unguentum contritionis, devotionis, pietatis. Primum pungitivum, dolorem faciens; secundum temperativum, dolorem leniens, tertium sanativum, morbum expellens. Serm. 10, super *Cant.*, num. 4.

6. Unguentum compunctionis bonum est, quo unguntur pedes Domini : unguentum devotionis melius, quo ungitur caput : unguentum pietatis optimum, quo totum ungitur corpus Domini. *Ibid.*, serm. 12, num. 10.

7. Qui unguentorum Christi fragantiam non sentit, aut est mortuus, aut putidus. *Ibid.*, serm. 22.

CLEMENS ALEX.

8. Oportet viros unguenta non olere, sed vitæ probitatem. Lib. 2 *Pædag.*, cap. 8.

9. Spiret fœmina Christum (qui est regalis unctio) non unguenta et diapasmata. *Ibid.*

10. Unguenta animam intrinsecus ægrotare significant. *Ibid.*, lib. 3, cap. 2.

S. EUSEBIUS EMISSENUS.

11. Homo ipse se decipit, si cum in medullis fervere sibi sentiat morbum, per superficiem corporis molle deducat unguentum. Homil. 10, *ad Monachos*, num. 28.

S. GREGOR. MAGNUS.

12. Sicut bonus odor ex virtute est, sic fœtor ex vitio. Lib. 14 *Moral.*, cap. 26, num. 28.

S. HIERON.

13. Non olet, qui bene semper olet : quasi quasdam pestes, et venena pudicitiæ, peregrini muris olentes pelliculas, virgo devitet. Epist. 8, *ad Demetriad.*

14. Odoris suavitas, et diversa thymiamata, et amomum, et cyphi, muscus, quod dissolutis et amatoribus conveniant, nemo (nisi dissolutus) negat. Lib. 2, *Advers. Jovian.*

HUGO A S. VICTORE.

15. Odor unguentorum, fragrantia virtutum est : unctio eorum, exhibitio est bonorum operum. Lib. 2, *de Nuptiis spirit.*, cap. 2.

16. Unguenti spiritualis tres sunt species, unguentum humilitatis, unguentum consolationis, unguentum confessionis. Unguentum humilitatis, tumorem curat elationis, unguentum consolationis, læsionem refovet fractæ mentis; unguentum confessionis, ab intimis vis extrahitur inveterati doloris. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST.

17. Oblinire se unguentis pretiosis, cura est ista meretriciis amoribus implicatorum ac perditorum. Conc. 1, *de Lazaro mendico.*

18. Non te oportet olere unguentum, sed virtutem. *Ibid.*

19. Nihil immundius anima, quoties corpus fragrantiam habet unguentorum. *Ibid.*

20. Corporis ac vestium fragantia, arguit intus latere animum grave olentem, et immundum. *Ibid.*

21. Quis præclarum aliquid, aut bonæ frugis opinabitur, de eo qui spirat unguenta? *Ibid.*

22. Qui corpus oblinit unguentis, mulieribus gaudet : illum diabolus aggreditur, et ejus animam omni vitiorum genere complet. *Ibid.*

23. Si vis unguenta spirare, spiret anima tua fragantiam spiritualem, ut tum tibi ipsi, tum aliis afferas utilitatem. *Ibid.*

24. Quid unguentis corpus tuum ungis, quod intrinsecus immunditia plenum est? Homil. 2, super I *Timoth.*

25. Quid putredine pervium corpus pretiosis aromatibus condis, veluti si quis unguentum injiciat cœno, aut molli lateri balsamum? *Ibid.*

26. Sunt, si vis, unguenta pretiosa, sunt pleni cœlestis fragantiæ odores, quibus inungere possis, quæ non ex Arabia, neque ex Æthiopia, neque ex Perside : sed ex ipso convehuntur cœlo; emuntur non auro, sed voluntatis præstantissimo instituto. *Ibid.*

27. Hujusmodi tibi unguenta eme, quorum odor implere orbem possit. *Ibid.*

28. O mulier! quid fortitudinem corporis tui unguentis perdis? unguentum quippe mollities illi est, non robur : si autem ab eis recedens, aliter temetipsam tractas, tunc pulchritudo tibi corporis generatur. Homil. 29, super *Epist. ad Hebr.*

29. Unguentum jejunans est spirituale, et per oculos, et per linguam, bonam animæ dispositionem et odorem demonstrans. Homil. 10, *ad Popul. Antioch.*

30. Non unguento ungitur athleta Christi : nihil anima immundius, quando corpus talem habet odoris suavitatem. *Ibid.*, homil. 22.

S. JOANN. DAM.

31. Intolerabilis est mulier, quæ mollem vestem suam variis unguentis perfundit. Lib. 1 *Parall.*, cap. 76.

S. LAUREN. JUSTIN.

32. Unguentis et aromatibus se delinire, scelus est nefandissimum. *De Humilit.*, cap. 11.

S. PAULIN.

33. Operum bonorum, non odorum fragret unguentum. Epist. 4, *ad Severum.*

S. PETRUS DAMIANUS.

34. Libenter aromatum diu species teritur, præsertim si illius odor suavis est, cui ministerium exhibetur. *Opusc.*, 11, cap. 20.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA.

35. Madentem unguentis, convulneratum libidinibus, et incedentem parere, ut fœminis placeat, fœmina mollior est. Lib. 2 *Controvers.*, controv. 9.

## UNITAS, ET UNIO.

S. ATHAN. MAGNUS.

*Etymologia.* Unio dicta est, propterea quod unum fiant : hoc est, quod res coeant, et commisceantur. *De Definit.*

*Definitio.* Unio sive unitas, est rerum inter se distantium communis convenientia quædam. *De Definit.*

SENECA. Unitas est sine commissura continuatio, et duorum inter se conjunctorum corporum tactus. Lib. 2 *Quæst.* cap. 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Pulchra copula est seniorum atque adolescentium : alii testimonio, alii solatio sunt, alii magisterio, alii delectationi. Lib. 1 *Offic.*, cap. 20.

2. Plus est mente connecti, quam corpore copulari. Lib. 3, epist. 31, *ad Valentinianum imper.*

3. Nescit unitas ordinem. Lib. 3, *de Spiritu sancto*, cap. 18.

4. Unitas prævaricari non potest. *De Paradiso*, cap. 5.

5. Multi minimi, dum congregatur unanimes, fiunt magni. Super *Epist. ad Romanos*, cap. 15.

S. AUGUST. 6. Multi unum corpus sumus in Christo : ac per hoc nemo poterit esse justus, quandiu fuerit ab unitate hujus corporis separatus. Epist. 50, *ad Bonifac.*

7. Quævis multitudo eo minus vincitur, quo magis in unum coit : unde ipsa coitio in unum, cuneus nominatus est, quasi couneus. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 15.

8. Mirabilis fuit conjunctio prima, mirabilis fuit secunda, nec minus mirabilis erit tertia, cum homo, Angelus, et Deus, unus erit spiritus. *De Spiritu et Anima*, cap. 14.

9. Charitas christiana, nisi in unitate Ecclesiæ non potest custodiri. Lib. 2, *contra litt. Petiliani*, cap. 77.

10. Dissensio et divisio facit hæreticos, pax vero et unitas facit catholicos. *Ibid.*, cap. 95.

10 *bis*. Templum Dei violat, qui violat unitatem. Super *Psalm.* x, vers. 4 : *Dominus in Templo sancto suo.*

11. Omnium nostrorum anima, per unam fidem una anima est : et omnes nos quicunque in Christum credimus, propter unitatem corporis ejus unus homo sumus. Super *Psalm.* CIII, conc. 1, vers. 1.

12. Unanimes unum sentientes : iste est locus sanctus Domini. Super *Psalm.* LXVII, vers. 6.

13. Teneamus unitatem fratres mei; præter enim unitatem, et qui facit miracula, nihil est. Tract. 13, super *Evang. Joan.*, de cap. 3.

14. Unitas Christi et Ecclesiæ una est. Serm. 2, *de Communi vita clericor.*

15. Omne ambiguum molestum est, quia certam non habet unitatem. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 23.

16. Omnis forma ad unitatis regulam cogitur. Lib. 1, *de Genes. contra Manich.*, cap. 12.

17. In quantum quodque unitatem adipiscitur, in tantum est. *De Morib. Manich.*, cap. 6.

18. Non est particeps divinæ charitatis, qui hostis est unitatis. Epist. 50.

19. Omnis pulchritudinis forma, unitas est. Epist. 63.

20. Quibus mali placent in unitate, ipsi communicant malis. Epist. 162.

21. Omnis natura similibus inter se [illegible], servat unitatis effigiem. *De Gen. imperf.*, cap. 16.

22. Non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem. Lib. 3, *de Baptismo contra Donat.*, cap. 16.

23. Extra unitatem Ecclesiæ habet sua Christus, et in unitate Ecclesiæ habet sua diabolus. *Ibid.*, lib. 4, cap. 9.

24. Dicunt falsum, qui non sunt in unitate. In *Psalmo contra partem Donati.*

25. Qui divellit se a membris Christi, non amat unitatem. *De Utilit. cred.*, cap. 6.

26. Non habet charitatem, qui dividit unitatem. Tract. 6, super *Joan.*

27. Si amas unitatem, non nihil habes : nam etiam tibi habet, quisquis in illa habet aliquid. *Ibid.*, homil. 32,

28. Unitas membrorum charitate concordat. *Ibid.*

29. Unitas spiritus, vinculum est perfectionis. Serm. 1 *Annunt. B. M.* S. [illegible]

30. Debet quisque perfectus unitatem habere a seipsum, debet et ad proximum : ad seipsum per integritatem, ad proximum per conformitatem. Serm. 5 *Assumpt. B. M.*

31. Tria sunt, quæ solent impedire unitatem : nimietas, pusillanimitas, levitas. *Ibid.*

32. Nihil pretiosius inveniens unitate, non parcat omnibus cæteris propter eam. Jejuniis, vigiliis, orationibus audacter præferat unitatem. Serm. 26, *de Parvis sermon.*

33. Est Unitas naturalis, Unitas carnalis, Unitas virtualis, Unitas moralis, Unitas spiritualis, Unitas socialis, Unitas personalis, Unitas principalis. Unitas naturalis, est inter corpus et animum. Unitas carnalis, est inter virum et mulierem. Unitas virtualis est, quæ [illegible] conjungit. Unitas moralis est, quæ nos conjungit proximo. Unitas spiritualis est, quæ conjungit nos Deo. Unitas socialis est, ubi idem velle est, et idem nolle. Unitas personalis, est in Christo. Unitas principalis, quæ et substantialis, est in Trinitate. *Ibid.*, serm. 80.

34. Væ homini illi, per quem unitatis vinculum [illegible] turbatur. Serm. 29, super *Cant.*

35. [illegible] in unitate [illegible] Deo qui [illegible] non erit. Serm. 5 [illegible]

36. Melius est ut pereat unus, quam unitas. Epist. 102, *ad quemdam Abbat.*

37. Jungant se animis, qui juncti sunt institutis : invicem se foveant, invicem se defendant, invicem onera sua portent. Epist. 243, *ad Conrardum regem Roman.*

38. Est unitas, quæ collectiva potest dici, cum, verbi causa, multi lapides faciunt acervum unum: constitutiva, cum multa membra unum corpus, vel multæ partes unumquodque totum constituunt : consentanea, cum per charitatem multorum hominum est cor unum, et anima una. Lib. 5, *de Consid.*, cap. 8, num. 18.

39. Sanctior est copula cordium, quam corporum. Serm. 5, *ad Sororem.*

BOETIUS. 40. Ubi abest pluralitas, ibi adest unitas. *de Trinit.*

S. BONAV. 41. Triplex est unitas. In bonis, in malis, in Trinitate. Super *Psalm.* LIV.

42. Homo non potest Deum diligere, nisi ei uniatur : uniri ei non potest, nisi eum cognoscat, habeat, et teneat, intelligentia scilicet, voluntate et memoria. Serm. 4, *Dom.* 17.

43. Ubi est hodie unitas? imo ubi non discordia? Serm. 2, *de SS. Apostolis.*

44. Proh dolor! dolore tabesco, quia est major unitas columbarum, major struthionum, major gruum et anserum, quam hominum. Nam illa simul vadunt, simul comedunt. *Ibid.*

45. Cum plures sunt uniti per amoris vinculum, est in eis absque dubio major abundantia meritorum. Tit. 4 *Diætæ*, cap. 1.

46. Quid pace honestius? quid unitate jucundius? In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 3.

CASSIODOR. 47. Justissima regula est, ut ab omnibus in unum fit, quod sanctæ unitati constat offerri. Super *Psalm.* XXXIII, vers. 3.

48. Nescit numerum unitas. Super *Psalm.* CXVI.

GLOSS. INT. 49. Mali sunt in multitudine, boni in unitate. Super *Judith.*, cap. 5, in illud : *In multitudine deorum erunt.*

GLOSS. ORD. 50. Inter superbos et arrogantes nunquam unitas et firma concordia servari potest. Super I *Machab.* IX.

S. GREGOR. MAGNUS. 51. Quisquis ab hac unitate matris Ecclesiæ, sive per hæresim de Deo perversa sentiendo; seu errore schismatis, proximum non diligendo, dividitur, charitatis ejus gratia privatur. Lib. 18 *Moral.*, cap. 14, num. 15.

52. Sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis : ita perniciosum est, si non desit malis. *Ibid.*, lib. 33, cap. 24.

53. Perversos unitas corroborat, dum concordat : et tanto magis incorrigibiles, quanto unanimes facit. *Ibid.*

54. Sicut perniciosum est, si unitas desit : ita perniciosius est, si non desit malis : reproborum enim unitas bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto ei se per collectionem durior opponit. *Ibid.*, lib. 34, cap. 4.

55. Vera requies in unitate est, dividi quippe unum non potest : ubi enim scissura divisionis est, vera requies non est. Homil. 24, super *Evang.*

56. Plus in charitate animorum unitas, quam corporalis potest venerari præsentia. Lib. 2, in *Registro*, indict. 11, cap. 86, epist. 47, *ad Columbum episcopum Numidiæ.*

57. Perfectio viri in præconio ponitur unitatis: ut qui seculum potenter despicit, mentem non dividat, solis supernis inhiet, et tantum ad æterna gaudia suspiret. Lib. 1, in I *Regum*, cap. 5, exposit. *Moral.*, super illud : *Fuit vir unus*, etc.

58. Nemo est qui veræ possit invenire salutis remedium, nisi ad unitatem fidei veniat. *Super septem Psalmos pœnitentiales*, super *Psalm.* V, vers. 24.

59. Unus Dominus unitatem diligit. Serm. in HAYMO. *Sabbato post Pascha.*

60. Casta conjunctio sexum non habet nuptia- S. HIERON. lem. Epist. 29, *ad Theodorum.*

61. Speciosum nomen est pacis, pulchra est S. HILARIUS. opinio unitatis. Lib. *contra Arianos et Auxent.*

62. Nihil est quod diabolus tantum timeat, HUGO A S. quantum charitatis unitatem. Super *Regul. D.* VICTORE. *August.*, cap. 1, in illud *Matth.* V : *Vade prius reconciliari fratri tuo.*

63. Qui amant litem, destruunt unitatem. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 21.

64. Quos virtus unit, peccatum disjungit. Su- HUGO CARD. per *Job*, cap. 8.

65. Hoc est illud solum, quod diabolus magis timet, scilicet concordiæ unitatem. Super *Prov.*, cap. VI.

66. Sicut unitas, quæ est inter caput et corpus, IDEM. diligitur : sic etiam incomparabiliter diligi debet unitas, quæ est ex vera dilectione inter Deum et hominem. Lib. 1, *Contemplat. de Amore Dei*, cap. 28.

67. Quæ amicitia, quæ familiaritas tantam S. JOANNES trahere unionem posset, quantum fidei cognatio? CHRYSOST. Homil. 14, super *Joannem.*

68. Nihil æque gratum acceptumque, sicut nos unanimes esse, et mutuo devinciri. Homil. 16, super *Matthæum Operis perfecti.*

69. Multitudinem unitas refugit, unum unitas JOAN. requirit : nam quantum multitudini concesseris, TRITH. tantum ab unitate recesseris. Lib. 1, *de Regione Claustral.*, tract. 3, regione 3, art. 1.

70. Multitudo est unitati opposita, et quanto se

mens ad multa contulerit, tanto ab unitate recedit. *Ibid.*, art. 4.

S. LEO I. 71. In unitate Sanctorum, ibi idem amatur, idem diligitur, idemque sentitur : nec superbis locus est, nec invidis, nec avaris. *Prosec.*

72. Et quidquid est istud, quo aut vanitas gloriatur, aut ira sævit, aut luxuria lascivit, non in Christi fœdere, sed in diaboli parte censetur, longeque a sedibus pietatis excluditur. Serm. 10, *Quadrages.*

73. Nulla ratione vere est unum, quod aliqua inæqualitate est diversum. Serm. 3 *Pentec.*

. LEO IX. 74. Sicut calamitosum est, si unitas deest bonis : ita perniciosum, si adsit malis. *ad Petrum episcop.*

UDOVICUS BLOSIUS. 75. Magna prorsus res est, tempore hujus exilii Deo per mysticam nudamque unionem in divino lumine copulari. In *Speculo spirit.*, cap. 11.

76. Nemo uniri Deo potest in otio, nisi et amet et desideret Deum. In *Apolog. pro Thaulero*, cap. 3.

77. Non illic esse poterit unitas voluntatis, ubi multifaria fuerit diversitas facultatis. *Opusc.* 9, cap. 6.

. PETRUS DAMIAN. 78. Ubi divisio rerum, ibi proculdubio non est unitas animorum. *Opusc.* 27, cap. 2.

HILO JUD. 79. Unitas nec additionem, nec subtractionem potest recipere. Lib. de eo : *Quis rerum divinarum hæres sit?*

PROSPER. 80. Quod charitate catholica non unitur, hæretica unitate dispergitur. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 9.

. THOMAS AQUINAS. 81. Perfectio hominis est, ut cor ejus congregetur in unum : quia quanto aliquid est magis unum, tanto est Deo similius, qui vere unus est. Super I *Timoth.*, cap. 6, lect. 2.

82. Tanto alicui perfectius Deus unitur, quanto in eo magis suam virtutem exercet. *Contra Græcos et Armenos*, cap. 6.

THOMAS KEMPIS. 83. Nulla major extat jucunditas in monasterio religiosorum et congregatione Fratrum, quam unanimitas animorum, et concordia morum. Serm. 1, *ad Novit.*, divis. 1.

84. Tanto quis Deo unitur, et plus illuminatur, quanto a mundi curis magis elongatur. Epist. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 85. Ubi consensus atque unitas erit, ibi virtutes esse debebunt : dissident enim vitia. *De Vita beata*, cap. 9.

## UNIVERSITAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

AUGUST. 1. Hæc universitas Dei justitia regitur. *De quantit. animæ*, cap. 33.



2. Considerantem universitatem nulla offendit deformitas. *Ibid.*, cap. ult.

3. Hoc universum Dei providentia regi credimus. Libro 1, *De Libero arbitrio*, cap. 1.

4. Etiam mala faciunt ad decorum universi. *Ibid.*, lib. 3, cap. 9.

5. Cum non peccantibus adest beatitudo, perfecta est universitas : cum vero peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est universitas. *Ibid.*

6. Turpis omnis pars est, suo universo non congruens. Lib. 3 *Conf.*, cap. 8.

7. Omnibus suis partibus constat infima universitas. *Ibid.*, lib. 4, cap. 11.

8. Deus omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summa lege dominatur. Libro 1, *de Gen. contra Manich.*, cap. 16.

9. Universitatis integritas multo major est quam domus nostra. *Ibid.*

10. Universum ab unitate nomen accepit. *Ibid.*, cap. 21.

11. Res pro defectibus etiam suis : ad universitatis amplexum ordinantur. Epist. 46.

12. Deus conditor universitatis, rebus quas condidit consulit. Lib. 1, *de Doct. christ.*, cap 10.

13. Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo. In *Enchirid.*, cap. 10.

14. Rebus inter se similibus universitas constat, ut singulæ sint quidquid sunt, et omnes ipsam universitatem compleant. *De Gen. imperf.*, cap. 16.

15. Quæ sigillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas pulchra est. Lib. 3, *de Gen. ad lit.*, cap. 24.

16. Natura universitatis corporalis non adjuvatur extrinsecus corporaliter. *Ibid.*, lib. 8, cap. 25.

17. Mali non efficiunt malitia sua, ut sub Dei administrantis imperio, decus et ordo universitatis aliqua ex parte turbetur sive turpetur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 21.

18. Deus scit universitatis pulchritudinem, quarum partium vel similitudine, vel diversitate contexat. Lib. 16, *de Civit. Dei*, cap. 8.

19. Omnis pars ad universi (cujus pars est) integritatem refertur. *Ibid.*, libr. 19, cap. 16.

20. Non universum condit Deus in singulis, sed ad universi complexum condit singula. Lib. 21, *contra Faust.*, cap. 5.

21. Universum partibus semper jure optimo præponitur. Lib 2, *de Baptismo contra Donat.*, cap. 9.

22. Universitas cœli palmo Dei tenetur, et universitas terræ pugillo concluditur. Lib. 1, *de Trin.*, verbo *Circumspicienti.*

## URBANITAS ET SCURRILITAS.

S. ANSELM. *Definitio.* Scurrilitas, est facetia joculatorium verborum, quæ quadam industria et ingenio artis proferuntur, ut auditores ad risum moveantur. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 5, illud : *Aut scurrilitas*, etc.

DIONYSIUS CARTHUS. Scurrilitas est jocularitas risum concitans. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 5, art. 5.

S. THOMAS AQUINAS. Scurrilitas est jocularitas quædam proveniens ex defectu rationis non valentis cohibere verba, exteriores neque gestus. 2. 2, quæst. 148, art. 6.

*Differentia.* Inter multiloquium et scurrilitatem hoc interest : quod multiloquium pertinet ad verba superfluitatis, scurrilitas vero pertinet ad verba ratione inhonestatis. 2, 2, quæst. 148, art. 6.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Teritur officiis pudor, audacia emicat, risus subrepit, modestia solvitur, dum affectatur urbanitas. Lib. 3, *de Virgin.*

S. ANTONIN. 2. Vera urbanitas facit hominem in dictis vel factis ludicris seu jocosis congruenter se habere, ut non sit nimis agrestis et rigidus, neque nimis levis et jocosus. Part. 1, tit. 1, cap. 3, § 2.

S. BASILIUS MAGN. 3. Ab omni facetia ac urbanitate abstinere convenit : contingit enim ut multi circa talia occupati a recta ratione aberrent, anima ad risum movendum diffusa, et prudentiæ meditationem ac puritatem destruente. In *Cons.*, cap. 12.

S. BERNARD. 4. Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, sed et procul ab aure relegandum est. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

5. Fœde ad cachinnos moveris, fœdius moves. *Ibid.*

6. Sermo ejus qui loquitur, sit potius rusticanus, quam urbanus. In *Speculo Monachor.*

CLEMENS. ALEX. 7. Urbane et lepide loquendum est, non risus autem movendus. Lib. 2 *Pædag.*, cap. 5.

S. GREGOR. MAGNUS. 8. Duplicitas iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur. Lib. 10 *Moral.*, cap. 16.

9. Urbani sunt, qui postposita intentione cœlestium, exterioribus studiis se ostendere strenuos conantur. Lib. 6, in 1 *Regum*, cap. III, super illud : *Et vocavit Isai. Aminadab.*

S. HIERON. 10. Risu dignas urbanitates, et cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur : quanto magis in monachis et clericis, quorum et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio ? Epist. 2 *ad Nepotian.*

11. Urbanitates, et quidquid per aures introit, virilitatem mentis effœminant. lib. 2, *advers. Jovian.*

HUGO CA[...] 12. Gratia, qua mundo gratiosi sumus, non est nisi proditio quædam, sicut osculum Judæ. Super *Prov.*, cap. 31.

S. JOAN[...] CHRYSO[...] 13. Sermo spurcus est, festiva urbanitas. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

14. Ubi turpitudo, ibi et urbanæ facetiæ : ubi risus intempestivus, ibi et urbanæ facetiæ. *Ibid.*, Serm. 17.

15. Sanctus non est, qui facetias loquitur, sed ridiculus. *Ibid.*

16. Ex facetiis perjuria proveniunt et stultiloquia. *Ibid.*

17. Urbanitas mollem facit animum et desidem, et convitia sæpe parturit et bella. *Ibid.*

18. Mentem illam quæ facetiis urbanis dedita est, magna mala, magna dissolutio, et vastitas inhabitant. *Prosec.*

19. Harmonia illius hiulca est, marcidum est ædificium, timor exterminatus est, pietas fugata. *Ibid.*

20. Parasitorum est urbanitas, mimorum, saltatorum, et prostantium mulierum. *Ibid.*

21. Si quisquam est ignobilis, si quisquam est turpris et obscœnus, iste sit urbane facetus. *Ibid.*

22. Multis urbanitas virtus etiam quædam gratiosa esse videtur, et hoc ipsum luctu dignum est. *Ibid.*

23. Nihil urbanitate minus habet gratiæ. *Ibid.*

24. Multa absurda urbanitas inducit, et mores turpes. *Ibid.*

25. Qui facetiis urbanis studet, mox conviciatur, mox maledicit, sibique ipsi innumera mala accumulat. *Ibid.*

26. Ubi urbanitas est, ibi diabolus adest. Homil. 12, super *Epist. ad Coloss.*

27. Omnia mundana risus sunt, facetiæ, et urbanitas. Homil. 15, super *Epist. ad Hebr.*

28. Si quidam facetum quid loquatur, risus confestim præsentes occupat. *Ibid.*

29. Scommata etiam struere, et excogitare, urbanorum est. Serm. 17, super *Epist. ad Ephes.*

30. Urbano nihil impudentius : itaque os illius non gratia, sed dolore plenum est. *Ibid.*

JOA[...] TRIT[...] 31. Qui os suum Domino consecratum scurrilibus verbis polluit, quid aliud quam sacrilegium facit? tollens membra sua Deo dicata, et instrumenta facit diaboli. In cap. 6 *Regul. S. Bened.*, verbo *Scurrilitas.*

S. JU[...] MA[...] 32. Non erit alienum, urbanitate et jocis duritiem et morositatem delere eorum, qui nimium sapiunt. *Epist. ad Zenam.*

NUT.FEL. 33. Procul est a simplicitate, subtilis urbanitas. In suo *Octavio*.

. PETRUS DAMIAN. 34. Caveantur a sacerdote scurrilia verba, mordax eloquentia abscedat, urbana dicacitas evanescat. Lib. 2, epist. 1, *ad Episcopos cardinales*.

35. Scurrilitati deserviens, alios secum per vanam lætitiam destruit, et in hoc insuper reus est, quod otiosa verba inutiliter fundit. Lib. 5, epist. 2, *ad Damian. fratrem suum*.

36. Satius est uberibus lacrymarum rivulis semper affluere, quam alios in risum, faceta quadam dicacis scurræ urbanitate compellere. *Ibid.*

37. Scurrilia quæque, urbanitates, sales, facetias, leporesque verborum, a labiis tuis tanquam gentilitatis quoddam præputium circumcide. Opusc. 49, cap. 11.

SIDONIUS PISCOPUS. 38. Loquax est ipse urbanus, non dicax, ridiculusque nec lætus arrogansque nec constans, curiosusque nec perspicax, atque indecenter affectato lepore plus rusticus. Lib. 3, epist. 13, *ad Apollinar.*

39. Verbis est ille, quam membris execrabilior. *Ibid.*

. VALER. PISCOPUS. 40. Solet nimia oris facetia excitare motus animorum, et sermo lætitia accinctus, reciprocum parare convicium. Homil. 6, *de Otiosis verbis*.

41. Cavendum est, ne scœnico sermone alter alterum lædat, et theatralibus verbis verecundiam fratri læsæ æstimationis incutiat. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

RISTOTEL. 42. Urbanitas mediocritas est, et urbanus inter rusticum et scurram medius. Lib. 3 *Ethic. ad Eudomium*.

CICERO. 43. Vitandus est in omni genere urbanitatis, facetiarum quidam lepos. Lib. 1, *de Oratore*.

SENECA. 44. In omnibus regibus urbanitas est extimescenda. *Suasor.* 1.

45. Qui urbanitatem nesciunt continere, nec periculosis abstinent salibus. *De tranquillit. animi*, cap. 4.

46. Non sit tibi scurrilitas, sed grata urbanitas. *De quatuor virtut.*

## USURA.

. AMBROS. *Etymologia.* Usura bene fœnus appellatur, eo quod ita vile ac fœnum est. *De Tobia*, cap. 4.

Usuram ab usu arbitror dictam, quod sicut vestes usu, ita usuris patrimonia scindantur, *Ibid.*, cap. 13.

. JOANNES CHRYSOST. Usura dicitur ab usu; quia si pecunia fuerit agitata de manu in manum, usu ipso multiplicatur. Homil. 53, super *Matth. Oper. imperf.*

ASSIODOR. Usuræ ab usu appellatæ sunt, quæ creditæ pecuniæ procurant semper augmentum. Super *Psalm.* LXXI, vers. 14 : *Ex Usuris.*

S. ISIDORUS HISPALENS. Usura est incrementum fœnoris, ab usu, æris crediti nuncupata.

S. THOMAS AQUINAS. Usuræ nomen secundum grammaticos ab usu dicitur, et significat primo suo intellectu rem, quæ per usum alicujus rei acquiritur. *Opusc. de Usuris*, cap. 1.

Usura secundum rationem propriam, dicta est res, quæ ex usu æris acquiritur. *Ibid.*

S. ANTONIN. Dicitur usura, quasi usus rei, vel æris, seu usu rea : datur enim ob usum æris, id est, pecuniæ vel alterius rei, quæ usu consumitur, et ob hoc est rea et mala. Part. 2, tit. 1, cap. 7.

*Definitio.* Usura est lucrum ex mutuo principaliter intentum, ut aliquid plus ultra recipiatur. Part. 2, tit. 1, cap. 6, § 1.

S. BONAV. Usura est sub specie negotiationis, sciente domino, alienæ rei contrectatio. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 41.

CONCILIUM AGATHENSE. Usura est ubi amplius requiritur, quam quod datur : quia quidquid ultra sortem exigitur, usura est. Hab. in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 13, quæst. 3, can. *Usura.*

S. HIERON. Fœnus est pecunia ad usuram accommodata; qui enim miseretur pauperis, fœneratur Domino : quia ideo erogat modica temporalia, ut ab eo recipiat ampliora æterna. Lib. 2, super *Prov.*, cap. 19, super illud : *Fœneratur Domino.*

HUGO A S. VICTORE. Usura est pecuniæ, aut alterius rei mutuo datæ cum fœnore receptio. *De fruct. carnis et spiritus*, cap. 8.

JOAN. GERS. Usura est vitium oppositum commutativæ justitiæ, quo quis inclinatur vendere usum rei, quæ non habet usum distinctum a dominio, sicut est in pecunia, cujus dominium est usus ejus. Part. 4. in *Descript. terminor.*, cap. *Justitia.*

S. THOMAS AQUINAS. Usura est omnis superabundantia cujuslibet rei, quam parit usus similis ei, a quo primo dicitur usura. *Opusc., de Usuris*, cap. 1.

Usurarius est ille, qui non mutuat gratis, sed pro spe alicujus incrementi, quod tunc accipit, vel sperat accipere. *Ibid.*, cap. 4.

SENECA. Quid fœnus et usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina? Lib. 7, *de Benefic.*, cap. 10.

S. ANTONINUS DE PADUA. *Divisio.* Tria sunt genera usurariorum. Quidam privatim usuras faciunt, alii aperte faciunt sed non in magna quantitate, ut misericordes videantur; alii perfidi et apertissime usurarii, ab omnibus palam, quasi in foro recipiunt et faciunt. Serm. *Dom. Septuag.*

S. BONAV. Usura dividitur in tacitam, et manifestam : tacita usura est, cum quis ratione dilationis plus justo

vendit, et accipit : et cum quis ratione mutui servitium vel munus accipit. *Prosec.*

Usura manifesta est, cum promissum ex pacto intervenit accipiendi amplius, vel etiam obligatio ex pacto ad simile mutuum faciendum. In *Speculo animæ*, cap. 2.

*Productio.* Fœnus radix mendacii, et causa perfidiæ est. *De Tobia*, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ille est supplantator, qui usurarum captat emolumenta. *Prosec.*

2. Itaque vir Christianus si habet, det pecuniam, quasi non recepturus, aut certe sortem quam dedit, recepturus, habet in ea non mediocrem usuram gratiæ : alioquin decipere illud est, non subvenire.

3. Quid enim durius, quam ut des pecuniam tuam non habenti, et ipse duplum exigas ? qui simplum non habuit unde solveret, quomodo duplum solvet ? Lib. 9, epist. 70, *ad Vigilium.*

4. Erubescit usuræ nomen, et lucrum non erubescit usuræ. Serm. 59, *de Avaritia.*

5. Usuræ arte nequissima; ex ipso etiam auro aurum nascitur. Serm. 81.

6. Usuram omnes prohibuerunt Sancti : quo gravius enim malum fœnus est, eo laudabilior qui illud refugit. *De Tobia*, cap. 2.

7. Usuras solvit, qui victu indiget. *Ibid.*, cap. 3.

8. Non novit pecunia fœneratoris uno loco diutius stare, solita transire per plurimos, uno teneri sacculo. *Prosec.*

9. Versari ac numerari expetit : usum requirit, ut acquirat usuram, fluctus quidam maris, non fructus. *Ibid.*, cap. 6.

10. Dum destruit pecunia, usura superfluit ; tempus minuitur, fœnus augetur : thesaurus exinanitur, sors accumulatur. *Ibid.*

11. Nihil interest inter funus et fœnus, nihil inter mortem distat et sortem. *Ibid.*, cap. 10.

12. Quoties vidi a fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, et negari tumulum, dum fœnus exposcitur ? *Prosec.*

13. Peccatorum reos post mortem carcer emittit, vos clauditis : legum severitate defunctus absolvitur, a vobis tenetur. *Ibid.*, cap. 10.

14. Pecunia fœnoris hodie seminatur, cras fructificat : semper parit, et nunquam interit : semper plantatur, vix evellitur. *Prosec.*

15. Vult semper fœnerator acquirere, nunquam perdere : nunquam custodire pecuniam suam, semper explere : nunquam sanare, semper occidere. *Ibid.*, cap. 14.

16. Sors usuræ cito generat, et nunquam desinit, imo cum exordium crescendi acceperit, in infinitum extendit augmentum. *Ibid.*, cap. 13.

17. Sors fœnoris cum fuerit crescentibus exæquata centesimis, et vetustatem sui renovat, et partus solitos adjunctione multiplicat. *Ibid.*, cap. 13.

18. Usuram petere suffocare est : hominem fœnerare, occidere est. *Ibid.*, cap. 14.

19. Plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam peccatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usurarum emolumenta percipiunt, et usuram faciunt. *Prosec.*

20. Esca enim usura est, et vestis usura est, et quodcunque sorti accedit, usura est, quod velis ei nomen imponas, usura est. *Ibid.*, cap. 14.

21. Ibi usuram exige, cui merito nocere desideras : cui jure inferuntur arma, huic legitime indicantur usuræ. *Prosec.*

22. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes de centesima te vindicare.

23. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere : sine ferro dimicat, qui usuram flagitat.

24. Sine gladio et ferro de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius, et exactor inimici. Et ubi jus belli, ibi etiam est jus usuræ. *Ibid.*, cap. 15.

25. Fœnus non pecunia sua solvitur, sed augetur : numerando coacervatur, et crescit. *Ibid.*, cap. 21.

26. Opulentia usuris minuitur, paupertas usuris non levatur : nunquam enim malum malo corrigitur, nec vulnus curatur vulnere sed exasperatur ulcere. *Ibid.*

27. In usurario contractu, fit fœnerator socius dæmonis infernalis, in lucro scilicet et damno. Part. 2, tit. 1, cap. 3, § 4. S. ANTON

28. Usura est omni lege prohibita, naturali, divinali, et humanali. Part. 2, tit. 1, cap. 6, § 1.

29. Si mutuum dederis, pecuniam tuam a quo plus quam dedisti expectes accipere (non solum pecuniam, sed quidquid aliud, sive triticum, sive vinum, et hujusmodi) usurarius es. *Ibid.*

30. Usura semper rodit et consumit pauperum ossa, et die et nocte, et in festis et in feriis, et dormiendo et vigilando operatur, et nunquam deficit usura. *Ibid.*, cap, 6, § 3.

31. Quid dicam de usuris quas ipsæ leges et judices reddi jubent ? an crudelior est, qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore ? Hæc hujusmodi male utique possidentur, et vellem ut restituerentur, sed non est quo judice repetantur. Epist. 54, *ad Macedonium.* S. AUGU

32. Senatoribus fœnus diffamia est. *De quæst. Vet. et Novi Testamenti*, quæst. 102.

33. Si fœneraveris homini, id est mutuam pe-

cuniam tuam dederis, a quo aliquid plusquam dedisti expectes accipere ; non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud ; si plus quam dedisti expectas accipere, fœnerator es, et in hoc improbandus, non laudandus. *Prosec.*

34. Sed si vis utilis esse fœnerator, attende quid facit fœnerator : minus vult dare, et plus accipere: hoc fac et tu : da modica, accipe magna : da temporalia, accipe æterna : da terram, accipe cœlum. *Psalm.* XXXVI, conc. 3, vers. 27 : *Tota die miseretur et fœneratur.*

35. Non potest usuras accipere, qui Dominum noluerit fœnerare : qui dat pauperibus, Deum fœnerat. Serm. 1, *fer.* 3, *post Dom.* 2 *Quadrag.*

36. Deus nunquam avarus est, et usuras exigit. Lib. I *Conf.*, cap. 4.

37. Cum Deus opera misericordiæ præcipiat, non utique usurarum crudelitas suscipienda est. *Lib. Location. Deuteron.*

BASILIUS MAGNUS.

38. Qui usuris seipsum obnoxium facit, quas persolvere non potest, servitutem vitæ spontaneam suscipit. Super *Psalm.* XIV, conc. 4, vers. 6.

39. Ne ignores te majus additamentum peccatis facere. *Ibid.*

40. Qui mutuum ad usuram petit, in rerum desperatione medius hæret. *Ibid.*

41. Mutuum sumere cum usura, principium mendacii est, ingratitudinis occasio, perfidiæ ac perjurii. *Ibid.*

42. Servus est ejus, qui mutuum dedit, is qui mutuum accepit, et servus mercenarius inevitabilem servitutem ferens. *Ibid.*

43. Dives es ? ne sumas mutuum : pauper es ? ne sumas mutuum. Si enim dives es, mutuo non indiges: si vero nihil habes, mutuum non rependes. *Ibid.*

44. Dicunt viperas maternum uterum perrodentes pari : et usuræ erosis ac consumptis debitorum ædibus generantur. *Ibid.*

45. Fœneratorum pecuniæ, et succedentes pariunt et veteres renovant. *Ibid.*

46. Prava profecto mutui datio cum usura, et danti et accipienti : huic quidem in pecunias, illi vero in ipsam animam damnum inferens. *Ibid.*, vers. 6.

47. Nemo vulnere vulnus curat, nemo malis malo medetur, nec paupertas fœnore corrigitur. Super *Psalm.* XIV.

48. Lepores aiunt ejus esse naturæ, ut simul et pariant et nutriant et superfœtent : sic et fœneratoribus pecuniæ simul tempore et dantur ad usuram et gignunt et superfœtant. *Ibid.*

49. Judicio furis, aut furi concurrentis, uterque subjacet, et qui dat et qui accipit. Quæst. 142.

50. Demus usuram, sed Deo, non homini. Homil. 29, *ex Quinquaginta homil.*, cap. 2.

S. BERNARD. SENENS.

51. Usura est eradicatio charitatis, extinctio fraternæ dilectionis, fons proprii amoris, amicitiæ veræ corruptela, mater illegalitatis, origa deceptionum, legalis proditio, domesticum furtum, dolosa pietas, pauperum homicida, impia in propinquos, perniciosa in proximos, destructio patriarum, inquietus cancer, morbus contagiosus, animarum perditio. Serm. 44, *fer.* 3, *post Dom. Pass.*

52. Usura est terrenorum inextinguibilis sitis, cæcitas mentis. *Ibid*, feriæ 4.

53. Quid est usura ? venenum patrimonii. *Epist. de Cura et regimine rei familiaris.*

54. Quid est usura legalis ? latro prædicens quod intendit. *Ibid.*

S. BONAV.

55. Mirum est quod non timent homines, quod post buccellam, quam de usura acquirunt, intret in eos Satanas. Serm. 1 *Dom.* 3 *Quadrages.*

56. Leo accepta præda quiescit ad tempus, nonquam quiescit usurarius : imo ipsum tempus nocturnum (quod ex natura quieti est deputatum) convertit in computum : qui etiamsi quiescat, usura vigilat. Serm. 1 *de SS. Apostolis.*

57. Zachæus dicebat, Si aliquem defraudavi, reddo quadruplum : sed utinam usurarii modo renderent simplum. Tit. 2 *Diætæ*, cap. 4.

GLOSS. ORD.

58. Ad usuram dari pecunia prohibetur, quia vitium cupiditatis est, exigere velle quod cognoscis te non commodasse. Super illud *Deuter.* XXIII : *Non fœnerabis*, etc.

S. GREGOR. MAGNUS.

59. Accepta pecunia cum ad usuras datur, amittitur, nisi caute tribuatur. Lib. 22 *Moral.*, cap. 3, num. 5.

60. Stultus est debitor, qui gaudens pecunias mutuas accipit cum usura : et tempus quo reddere debeat, non attendit. *Ibid.*, num. 5.

61. In usura pecunia etiam non data recipitur. Homil. 9, super *Evang.*

S. GREGOR. NYSS.

62. O improbum fœnoris inventum ! quod qui latrocinium et parricidium nominaverit, non procul ab eo quod decet, aberrabit. Homil. 4, super *Ecclesiasten.*

S. HIERON.

63. Sortis dilatio, usuram parturit. Epist. 16, *ad Marcellam.*

64. Putant quidam usuram tantum esse in pecunia quod providens Scriptura divina omni rei aufert super abundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti. Lib. 6, super *Ezech.*, cap. 18, super illud *Luc.* IX : *Fœneramini his*, etc.

65. Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt usuram

appellari superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint. *Ibid.*

66. In lege usuræ accipi prohibentur : usura enim est plus accipere, quam dare. Super *Psalm.* LIIII, vers. 11.

HUGO CARD. 67. Usurarius nunquam dormit, sicut diabolus. Super *Psalm.* XIV.

68. Usura est sodomia naturæ : facit enim ut granum non seminatum crescat, non mortificatum reviviscat, dando duos modios frumenti pro tribus, et hujusmodi. *Ibid.*

JOAN. CASS. 69. Grata est fœnoris occupatio, quæ majora dum solvitur augmenta conquirit : et non solum percipientem ditat, verum etiam nihil minuit largienti. Collat. 22, *Abbat. Theonæ*, cap. 1.

S. JOANNES CHRYSOST. 70. In his sensibilibus pecuniis prohibitum est, ne quis usuram accipiat, quia uterque magno damno afficitur : debitor inopia atteritur, creditor augens divitias, et peccatorum accumulat sibi multitudinem. Homil. 41, super *Gen.*

71. Nihil hujus seculi usura turpius, nihilque crudelius : quia fœnerator alienorum incommodo rem suam auget, et uberiores quæstus ex amici calamitate captat. Homil. 5, super *Matth. oper. perf.*

72. Multi cum magnis locare pecuniam studeant usuris, cupiditate lucri minus diligenter conditionem eorum examinant, quibus pecuniam credent, atque ita cum usuris sortis quoque ipsius jacturam faciunt. *Ibid.*, homil. 29.

73. Fœnoris inauditæ excogitationis genera sunt, quæ nec gentilium quidem legibus comprobantur, mutui litteras maledictionis plenas negotiatores conscribunt. *Ibid.*, homil. 62.

74. Quis sub usuris mutuum dat, in prima facie sua videtur dare, revera autem non sua dat, sed alterius tollit. Homil. 12, super *Matth. oper. imperf.*

75. Similis est pecunia usurarii aspidis morsui. Sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, et sic per suavitatem soporis moritur : sic qui accipit sub usuris, pro tempore delectatur, et per suavitatem beneficii non sentit quomodo captivus efficitur. *Prosec.*

76. Sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit et corrumpit : sic usura per totas facultates ejus, qui eam accipit, discurrit et convertit eas in debitum. *Ibid.*

77. Cum usura in domum alicujus intraverit, totam substantiam ejus ad se trahit et convertit in debitum. *Ibid.*

78. Fœnerator mutuat pecuniam, ut tollat usuras. *Ibid.*, homil. 38.

79. Qui agrum locat, ut agrariam recipiat : aut domum, ut pensiones accipiat, num similis est ei, qui pecuniam dat ad usuram? absit. *Ibid.*

80. Usuræ cursum interrumpit, qui statim summam universam restituit : quæstum vero auxit, quisquis concreditum multum temporis apud se detinuit. Serm. 7, super *Epist., ad Rom.*

81. Usurarii in mediis urbibus latrocinantur, et ideo tanto latronibus pejores sunt, quanto difficilius observantur : et majore confidentia ea ipsa audent, quæ illi timidi latitantes tentant. *Ibid.*, serm. 11.

82. Pecuniam si quam quis crediderit, non accipiat usuram, ut beneficium incolume sit, quod succurrit necessitati : plus autem accipere, quam dederit, injustum est. *Prosec.* LACT. FIRM.

83. Qui usuram facit, insidiatur quodammodo ut ex alterius necessitate prædetur. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 18.

84. Mala semper est ratio fœnerantis, quia pecuniam et minuisse et auxisse peccatum est : ut aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Serm. 6, *de Jejun. decimi mensis.* S. LEO I.

85. In usura multiplicatur facultas injustis et tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit. *Ibid.*

86. Fœnus pecuniæ, funus est animæ. *Ibid.*

87. Qui dolosum quæstum de pecuniæ suæ captat usuris, et per aliena cupit damna ditari, æterna dignus est egestate puniri. *Ibid.*

88. Christianos se dici cupiunt et non sunt, qui lucri turpis cupiditate ita sunt capti, ut usurariam exercere pecuniam, et fœnore velint ditescere. Epist. 1, cap. 3.

89. Erubescit usuræ nomen, et lucrum non erubescit usuræ. Homil. 2, *de Avarit.* S. MAXIMUS EPISCOPUS TAURIN.

90. Divitiis incumbere, pecuniam fœnore augere, possessiones auctionibus dilatare, industria et quæstus est apud hoc sæculum, sed apud Deum crimen et pœna est. Epist. 2, *ad Sever.* S. PAULINUS

91. Usurari quære te; perde usuram, ut te valeas invenire. Serm. 28. S. PETRUS CHRYSOL.

92. Potestne inveniri tam avarus, aut credulius, aut importunus fœnerator, ut quatuor paucioresve drachmas fœnerari malit, quam donare? Id spoliatoris magis, quam fœneratoris est. *De Somniis.* PHILO JUD.

93. Frustra fœnerat, qui de receptione desperat. Lib. 2, *ad Eccles. Catholic.* SALVIANUS.

94. Sæcularis pecuniæ usura, peccatum. Lib. 2, in *Evang.* S. THEOPH. ANTIOCH.

95. Usuræ vitium est detestandum, et æterna morte dignum. *De Usuris*, cap. 4. S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

96. Nemini mutuum dare ad fœnus liceat. Lib. 5, *de Legibus.* PLATO.

Vide etiam tit. *Clericus*, sent. 144, 145, 146; *Eleemosyna*, sent. 42; *Misericordia*, sent. 26; *Negotiatio*, sent. 50, 51; *Ordo sacer*, sent. 44.

## USUS, UTI.

ANTONIN. *Definitio.* Usus est jus utendi alienis rebus salva rerum substantia. Part. 3, tit. 5, cap. 3, § 1.

AUGUST. Uti est quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre. Lib. 1, *de Doctrin. christ.*, cap. 4.

THOMAS AQUINAS. Usus rei alicujus est applicatio rei illius ad aliquam operationem. 1, 2, quæst. 16, art. 1.

Uti est applicare aliquod principium actionis ad actionem. *Ibid.*, etc. art. 2.

AUGUST. *Differentia.* Differunt uti et frui : uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis : frui est uti cum gaudio, non adhuc spei, sed jam rei. Lib. 10, *de Trinit.*, cap. 11.

### SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Usus cito inflectit naturam. Lib. 1 *Offic.*, cap. 20.

AUGUST. 2. Bonus usus ejus jam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus male uti nullus potest. Lib. 1, *Retract.*, cap. 9.

3. Nemo bene utendo, male utitur. Lib. 2, *de Libero Arbitrio*, cap. 19.

4. Virtutibus nemo male utitur, cæteris autem bonis, id est, mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. *Prosec.*

5. Et ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis, est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus. Lib. 2, *de Lib. Arbitr.*, cap. 19.

6. In usu rerum abesse oportet libidinem. Lib. 3, *de Doctr. christiana*, cap. 12.

7. Omnis, qui fruitur, utitur : assumit enim aliquid in facultatem voluntatis, cum fine delectationis : non autem omnis, qui utitur fruitur. Lib. 10, *de Trinit.*, cap. 11.

8. Usus illicitus, abusus potius, vel abusio nominandus est. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 4.

9. Quisquis rebus prætereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum cum quibus vivit, aut temperans, aut superstitiosus est. *Prosec.*

10. Quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est.

11. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. *Ibid.*, lib. 3, cap. 12.

12. Recta ratione male uti nemo potest. Lib. 2, *de Libero Arbitrio*, cap. 18.

13. Sicut perversi bonis Dei male utuntur, dum non corriguntur : sic contra, Deus etiam malis eorum bene utitur, non solum ad justitiam suam, quæ his digna in fine retribuet, sed etiam ad exercitationem et profectum Sanctorum suorum, ut ex ipsa etiam malorum perversitate boni proficiant, et probentur et manifestentur. Epist. 141, *ad Maximam.*

14. Quisquis natura sua male utitur, malus sese judicatur. *De Spiritu et Anima*, cap. 42.

15. Abutuntur licitis, qui bona Dei maculant usibus inconcessis. *Ibid.*, etc.

16. Omnis humana perversio est (quod etiam vitium vocatur) fruendis uti velle, et utendis frui. *Prosec.*

17. Omnis autem ordinatio est (quæ virtus etiam nominatur) fruendis frui, et utendis uti. *De* LXXXIII *quæst.*, quæst. 30.

18. Utimur assumendis, vel respuendis ad valetudinem, tolerandis ad patientiam, ordinandis ad justitiam. *Ibid.*

19. Temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 25.

20. Perversi frui volunt nummo, uti autem Deo : quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. *Ibid.*

21. Tantum valet ordinatio Creatoris, et ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cum modus exceditur, longe sit tolerabilius, quam in eis, quæ concessa non sunt, vel unus vel rarus excessus. *De Bono conjugali*, cap. 11.

22. Bene utitur bono, continentiam dedicans Deo : male utitur bono, continentiam dedicans idolo. *Prosec.*

23. Male utitur malo, concupiscentiam relaxans adulterio : bene utitur malo, concupiscentiam restringens connubio. Lib. 1, *de Peccator. meritis et remiss.*, cap. 29.

24. Omnia quibus uteris in hac vita, sic tibi debent esse, tanquam stabulum viatori, non tanquam domus habitatori. Super *Psalm.* XXXIV, vers. 3.

25. Sicut iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic contra Deus bene utitur malis operibus iniquorum. Tract. 27, super *Evang. Joan.*, de cap. VI.

26. Omnibus bonis Dei, male utitur malus : e contra malis hominum malorum bene utitur bonus. *Ibid.*

27. Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ : utere cibis electis, pretiosis, quia sic consuevisti, quia non aliter potes; conceditur tibi, utere necessariis, da pauperibus superflua : utere pretiosis, da pauperibus vilia. Serm. 5, *de Ve[illegible] Dom.*

28. Non prodest bona res non bene utenti. Lib. 4 *Conf.*, cap. 16.

29. Sic utaris hoc mundo, tanquam non utens; ut ex bonis ejus bona facias, non malus fias. Epist. 70.

30. Non efficit anima perverse utens creaturis : ut ordinationem effugiat Creatoris : quoniam si illa male utitur bonis, ille bene utitur etiam malis : ac per hoc illa perverse bonis utendo fit mala; ille ordinate etiam malis utendo, permanet bonus. Epist. 120, cap. 2.

31. Usus rerum est legitimus, ut anima in lege Dei maneat. *De Gen. imperf.*, cap. 1.

32. In omnibus rebus, non ex earum rerum natura quibus utimur, sed ex causa utendi, et modo appetendi, vel improbandum est, vel probandum quod facimus. Lib. 3, *de Doctr. christ.*, cap. 12.

33. Boni ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo : mali autem contra, ut fruantur mundo, uti volunt Deo. Lib. 15, *de Civit. Dei*, cap. 7.

34. Malum est male uti bono. *De Nat. boni*, cap. 36.

35. Nullus bonis terrenis bene utitur, nisi qui et non uti potest : multi quidem facilius se abstinent ut non utantur, quam temperant ut bene utantur. Nemo tamen potest eis sapienter uti, nisi qui potest et continenter non uti. *De Bono conjug.* cap. 21.

36. Non ad fruendum ametis, quod ad utendum habere debetis. Tract. 2, super *Epist. Joan.*

37. Sicut bonum est bene uti malis, ita honestum est bene uti inhonestis. Lib. 5, *contra Julian.*, cap. 9.

S. BERNARD. 38. Non natura virtutes, sed usus facit : tuum est aut abutendo et confundendo facere vitia, aut bene ordinateque utendo virtutes. Lib. 2, *de Consid. ad Engen. Pap.*

S. EUSEBIUS EMISS. 39. Ipsis creaturis, quæ extra nos sunt, quæ a foris adjacent, quæ bonæ factæ sunt, malus male utitur. Homil. 4 *Epiph.*

GLOSS. ORD. 40. Non parva condemnatio est, scire bonum, et nescire quomodo uti debeat. Super *Job*, cap. XXXII.

S. HIERON. 41. Ad contemnendos labores, et ad virtutis notitiam experimenti opus est usu, eligendarum scilicet virium nutritore. Epist. 6, *ad Amicum.*

42. Solidum corpus est, molesque robusta membrorum, quam frequens usus agitaverit. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 43. Veræ divitiæ sunt, et inexhaustæ facultates, cupere tantum, quantum usui satis, et ea quæ ad usum pertinent recte dispensare. Homil. 37, super *Gen.*

44. Abstineas a rebus tuis, ut tanquam tuis utaris alienis. Homil. 15, super I *Cor.*

45. Licet hominibus et pecuniis et deliciis et voluptate cum modestia uti : et qui his immodeste abutuntur, omnia corrumpunt. Serm. 13, super *Epist. ad Ephes.*

JOAN. SAR. 46. Nescit uti suo, qui semper abusus est alieno. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 16.

S. ISIDORUS HISPALENS. 47. Bonis bene utuntur, qui illis sibi commissis in rebus salutaribus perfruuntur. *Prosec.*

48. Bonis male utuntur, qui aut juste pro temporali lucro judicant, aut aliquid boni pro vanæ gloriæ appetitu faciunt.

49. Malis male utuntur, qui noxias cogitationes operibus pravis perficiunt.

50. Malis bene utuntur, qui luxuriam carnis conjugali honestate restringunt.

51. Sed sicut malo bene uti bonum est, sic bono bene uti, melius est ; et sicut bono male uti malum est : sic malo male uti, pessimum est. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 60.

52. In bonis immoderatus usus esse non debet: bona enim immoderato usu, noxia efficiuntur. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 16.

53. Jugis usus in naturam se vertit : omnia usui cedunt, usui omnia parent, res ipsa se agit ut usus erit : quod cum difficultate cœperis, per usum cum voluntate perficies. *Ibid.*, cap. 12.

S. JUSTIN. MART. 54. Voluntatis est et judicii, uti bene aut male. *De necessar. quibusd. quæst.*, explicat. 46.

S. LAURENT JUSTIN. 55. Rerum usum tribuit Deus, sed privatum damnat affectum. Serm. *de Ramis Palmar.*

S. LEO I. 56. Qui bene usus est magnis, utitur bene et modicis. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

S. MAXIMUS MART. 57. Nihil rerum a Deo nobis in usum datarum Scriptura tollit, sed immoderatum usum castigat, et rationi non consentaneum emendat. Centur. 4, *de Charit.*

S. PETRUS DAMIANUS 58. Cuncta condita Omnipotens Deus usibus hominum tradidit, solas autem animas suo usui reservavit. Lib. 4, epist. 2, *ad B. Episc.*

PHILO JUD. 59. Manifestissimum est jus possessionis omnium rerum ad Deum pertinere, usum vero solum ad creaturam. Lib. *de Cherubim.*

S. PROSPER 60. Quando bene malis usuri sunt, qui male bonis uti non desinunt? Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 9.

SALVIANUS 61. Divinis beneficiis bene uti, est ut datis suis illum honores, a quo data ipsa acceperis. *Prosec.*

62. Nos usum tantum earum rerum accepimus, quas tenemus : commodatis enim a Deo facultatibus utimur, et quasi precarii possessores sumus.

63. Quid rectius? quid honestius? quam ut ubi res ab eo discedit, qui usum habuit, revertatur ad eum possessio, qui utendam concessit?

64. Inæstimabile malum est, bonis a Deo datis non bene uti. Lib. 1, *ad Eccles. Catholic.*

S. THOMAS AQUINAS. 65, Quemadmodum injusti male utuntur non tantum malis, verum etiam bonis; ita justi bene utuntur non tantum bonis, sed etiam malis. 2, 2, quæst. 164, art. 1.

66. Quæcunque aliquis in suum usum assumit, non vere illa amat, sed usum et magis seipsum. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 67. Rebus, quarum est aliquis usus, et bene uti, et male etiam possumus : is autem optime re quavis utitur, qui eam virtutem habet, quæ ad rem illam accommodatur. Lib. 4 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1.

CATO POET. 68. Utere quæsitis, sed ne videaris abuti. Lib. 3 distich. metr. 45.

CICERO. 69. Usus magister est optimus. Orat. 39, *pro Rabirio.*

Vide etiam tit. *Frui*, sent. 37; *Liberum arbitrium*, sent. 51; *Mundus*, sent. 85; *Superfluitas*, sent. 26.

## UTILITAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Nihil est utile, nisi quod ad vitæ æternæ prosit gratiam. Lib. 2 *Offic.*, cap. 9.

2. Nihil judicandum utile, nisi quod in commune prosit : quomodo enim uni potest prodesse quod inutile sit omnibus? Mihi certe non videtur, qui inutilis est omnibus, sibi utilis esse posse. *Ibid.*, lib. 3, cap. 4.

AUGUST. 3. Non vincat honestatem utilitas, sed honestas utilitatem. *Ibid.*, cap. 6.

4. Multa bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati. In *Enchirid.*, cap. 72.

5. Non sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi : nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 19.

6. Magna est utilitas homini, quod Deo servit, jubendo Deus utile facit. Lib. 8, *de Genesi ad lit.*, cap. 13.

BASILIUS MAGNUS. 7. Utiliter vide, utiliter audi, utiliter loquere, utiliter responde. Serm. 2, *Exercitamento.*

8. Quemadmodum splendor lucem sponte sequitur, et unguentum fragrans odor : sic etiam probarum actionum utilitas necessario comes est. Apud D. joan. Damasc., cap. 11.

S. BONAV. 9. Adhibere sollicitudinem, ubi non est utilitas, est curiositas. Super *Ecclesiasten*, cap. 8.

CASSIODOR. 10. Utilitas carnalis singulariter perfrui desiderat, quod delectatione avida concupiscit. Super *Psalm.* XXXIII.

GLOSS. ORD. 11. Omnia ex utilitate, nihil sine ratione. Super *Psalm.* CXXXIV.

S. GREGOR. MAGNUS. 12. Qui parere utilitati proximorum prædicatione refugiunt, de quo si districte judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quamvis venientes ad publicum prodesse potuerunt. *Prosec.*

13. Qua mente is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum secretum præponit suum : quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum. Part. 1, *Pastoral.*, cap. 5.

14. Nullus vestrorum neglecta utilitate communi, suo lucro prospiciat. Lib. 2, in *Registro*, indict. 11, cap. 68, epist. 29.

S. BENED. 15. Nulla prævaleat utilitas, ex qua formidatur animarum periculum. In *Regula monachor.*, cap. 19.

HUGO A S. VICTORE. 16. Nil sine causa appeti debet, nec desideria trahit, quod utilitatem non promittit. Lib. 5 *Didasc.*, cap. 6.

HUGO ARD. 17. Quod utile est sæpe dicere, non debet esse pigrum, nec audire molestum. Super *Deut.*, Prologo.

18. Res diligentius, quanto est sollicitius quæsita, servatur, cum ipsius utilitas agnoscitur. Super *Joannem*, cap. 1.

S. INNOC. 19. Sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur. Lib. 3, *Decret. Const.*, const. 89.

S. JOANNES CHRYSOST. 20. Unusquisque ad communem utilitatem omnia conferre debet quæ sua sunt : sive sapientiam, sive principatum, sive quidquid aliud. Homil. 78, super *Matth. oper. perf.*

21. Nulla re alia Deus magis irritatur, quam si proximi commoditatem despicias. *Ibid.*

22. Hæc perfectæ Christianæ religionis regula est, hic certissimus terminus, hoc supremum cacumen, quærere quæ communem omnium comprehendant utilitatem. Homil. 25, super I *Cor.*

23. Qui quærere commodum proximi in utilitate proximi non valet, coronam rebus his propositam nunquam assequetur. *Prosec.*

24. Constat utilitas privata, utilitate proximi. *Ibid.*, homil. 33, in illud : *Non quærit quæ sua sunt.*

25. Ne quæras ergo quod tuum est, ut invenias tuum : nam qui quod suum est quærit : non invenit quod suum est.

26. Nemo quærat quod suum est, sed quod proximi est unusquisque : propria enim utilitas sita est in utilitate proximi, et illius utilitas in ea. *Ibid.*

27. Bonum virum oportet publica utilitate facta sua omnia metiri. Lib. *contra Gentiles.*

28. Nullum officium Deo charius est, quam quærere utilitatem, et saluti prospicere fratrum suorum. Orat. *de B. Philogon.*

29. Qui contemptis commodis propriis, Domini commoda quærit : non sua despicit, sed majora consequitur. Homil. 10, super II *Tim.*

JOAN. SARESB. — 30. Liquet privatæ voluptati cujusvis præferendam esse multorum utilitatem. Lib. 1, *de Nugis Curial.*, cap. 4.

LACT. FIRM. — 31. Pereundum est, nisi scias quæ ad vitam sunt utilia, ut appetas : quæ periculosa, ut fugias et vites. Lib. 3, *de divin. Inst.*, cap. 5.

S. LEO I. — 32. Publica præferenda sunt propriis, et ibi intelligenda est præcipua ratio utilitatis, ubi vigilat cura communis. Serm. 4, *de Jejun. septimi mensis.*

S. PELAGIUS PAPA. — 33. Plurimorum utilitas, unius utilitati præferenda est. Epist. *ad Benign. archiep.*, hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 7, quæst. 1, can. *Scias.*

PHILO JUD. — 34. Quidquid Deo favente agitur, omnino bonum est ac utile : sicut inutile quidquid, citra opem numinis. *De Abraham.*

SALVIANUS. — 35. Tantum abest ut aliorum commodis aliquid cum propria incommoditate præstemus : ut omnes vel maxime nostris commodis cum aliorum incommodo consulamus. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

36. Omnes ad effectum atque appetitum utilitatis suæ, naturæ ipsius magisterio atque impulsione ducuntur : ideoque et qui militant id sibi commodum; et qui negotiantur, id sibi utile : et qui agricolantur, id sibi fructuosum esse existimant. Lib. 2, *ad Eccles. catholic.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. — 37. Consuetudini utilitatem anteponere præstabilius est. Epist. 55, *advers. Andronic.*

S. THOMAS AQUINAS. — 38. Ea, quæ sunt ad finem accommoda, utilia dicuntur : et ipsa utilitas interdum usus nominatur. 1, 2, quæst. 16, art. 3.

#### SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. — 39. Quærere utilitatem ubique, maxime congruit magnanimis et ingenuis hominibus. Lib. 8 *Polit.*, cap. 3.

CICERO. — 40. Nihil est utile, quod non idem honestum : nihil honestum, quod non idem utile sit. Lib. 3, *de Offic.*

41. In eadem re et utilitas et turpitudo esse non possunt. *Ibid.*

42. Non nostræ nobis utilitates omittendæ sunt, aliisque tradendæ, cum iis ipsi egeamus : sed suæ cuique utilitati (quod sine alterius injuria fiat) serviendum est. *Ibid.*

43. Pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honestate sejungunt. *Prosec.*

44. Omnes enim expetimus utilitatem, nec facere aliter ullo modo possumus : nam quis est qui utilia fugiat? aut quis potius est, qui ea non studiosissime prosequatur?

45. Utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium ducimus, unde omnium regula una est : aut illud quod utile esse videtur, ne turpe sit; aut si turpe, ne videatur esse utile. *Ibid.*

46. Ubi utilitas, ibi etiam est pietas. In suo *Enchirid.*, cap. 38. — EPICTETUS

47. Id quod utile est, honestum esse : quod autem inutile est, turpe esse perspicuum est. Lib. 5, *de Republ.* — PLATO.

48. Oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre. Lib. 7, epist. 18, *ad Caninium.* — PLINIUS I

49. Non utilius quidquam est, quam sibi utilem fieri. Lib. 1, *de Benefic.*, cap. 11. — SENECA.

50. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Epist. 2.

51. Non potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit. Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Epist. 48.

Vide etiam tit. *Damnum,* sent. 6; *Exaudire,* sent. 124; *Invitus,* sent. 37; *Monachus,* sent. 61; *Pravitas,* sent. 17; *Regimen,* sent. 38; *Respublica,* sent. 11; *Salus animæ,* sent. 119; *Societas,* sent. 90.

## UXOR.

*Etymologia.* Uxor dicitur, quasi *unxor* : quia antiquitus inungebantur nubentes suavi et odorifera unctione : unctio designat lenitatem, odor bonam famam uxoris. Part. 3, tit. 1, cap. 1, § 5. — S.ANTONIN

Uxor dicta est, quasi ut soror. Super *Psalm.* CXXVII, vers. 3 : *Uxor tua,* etc. — CASSIODO

Uxores vocantur, quasi unxiores, quia antiquitus moris erat ut nubentes puellæ oleo ungerentur. Lib. 9 *Etymol.*, cap. 8. — S. ISIDORU HISPALEN

#### SENTENTIÆ PATRUM.

1. Mulier viro deferat, non serviat : regendam se præbeat, non coercendam. Indigna est conjugio, quæ digna est jurgio. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.* — S. AMBRO

2. Vir uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam consortem vitæ honoret, participet ut cohæredi gratiæ. *Ibid.*

3. Prima conjugis fides, castitatis gratia est. Lib. 1, *de Abraham.*, cap. 9.

4. Bonitas uxoris multoties virum iniquum efficit bonum. Part. 1, tit. 6, cap. 2, § 2. — S.ANTONI

5. Debet uxor regi mansuete, corrigi secrete, diligi complete. *Prosec.*

6. Mansuete, non cum tyrannide austeritatis, aut rigore : verbis non verberibus, amore non timore, dulcedine non amaritudine. Part. 3, tit. 14, *de Sacramentis*, cap. 9, § 1.

7. Ad castitatem uxoris multum facit sobrietas, et cibi parcitas, quibus maxime mulieres debent pollere. Part. 4, tit. 2, *de Prudentia*, cap. 5, § 2.

8. Quærenda est in uxore verecundia : alioquin si mulier verecundiam perdit, efficitur audacissima sine fræno. *Ibid.*

UGUST. 9. Nihil esse sentio quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque contactus, sine quo uxor haberi non potest. Lib. 1, *Soliloq.*, cap. 10.

10. Conjux, quæ adulterinum animum gerit, etiamsi timore viri non adulterium perpetrat, tamen quod deest operi, inest voluntati. *Prosec.*

11. Casta vero aliter timet, nam et ipsa timet virum, sed caste : timet illa ne vir infestus adveniat, ista vero ne offensns abscedat.

12. Non amanti enim præsentia viri molesta est, amanti autem absentia. Epist. 120, *ad Honorat.*, cap. 21.

13. Cavendum est viro illuc ire vivendo, qua timet ne uxor sequatur imitando. Lib. 2, *de Adulterinis conjugiis*, cap. 8.

14. Periniquum est, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet. *Ibid.*

15. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinet prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. *Ibid.*, cap. 4.

16. Tu exigis castitatem ab uxore, et non vis reddere hoc uxori : et cum debeas in virtute præcedere uxorem, quoniam castitas virtus est, et tu sub uno impetu libidinis cadis, et vis uxorem tuam victricem esse; tu victus jaces.

17. Si caput est vir, melius debet vivere vir, et præcedere in omnibus bonis factis uxorem suam, ut illa imitetur virum, et sequatur caput suum. *De decem chordis*, cap. 3.

18. Vir à fœmina exigis castitatem : præbe illi exemplum, non verbum. *Prosec.*

19. Tu es caput, qua is, vide : hac enim debes ire, qua illi non sit periculosum sequi ; imo tu ipse qua vis eam sequi, illuc debes ambulare.

20. Ab imbecilliori sexu exigis fortitudinem : carnis concupiscentiam ambo habetis ; qui fortior est prior vincat ; et tamen, quod dolendum est, multi viri a fœminis vincuntur.

21. Servant fœminæ castitatem, quam viri servare nolunt, et in eo quod non servant, se viros videri volunt, quasi propterea sit fortior sexus, ut eum facilius subjuget inimicus.

22. Lucta est, prælium est, pugna est; vir fortior fœmina, vir caput fœminæ : fœmina pugnat et vincit, vir hosti succumbis ? stat corpus, et caput jacet.

23. Quales uxores vultis ad vos venire, tales et vos debent ipsæ invenire.

24. Quis juvenis est, qui non castam velit ducere uxorem? et si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? intactam quæris, intactus esto : puram quæris, noli esse impurus.

25. Non enim illa potest, et tu non potes? si fieri non possit, nec illa posset : quia vero illa potest, doceat te quia fieri potest. *De verbis Dom.*, serm. 46.

26. Velis, nolis, illa quæ præter uxorem tuam tecum dormit, meretrix est. Serm. 8. In *Oct. Paschæ.*

27. Chara mariti et uxoris debet esse conjunctio. Lib. 12, *de Civit. Dei*, cap. 26.

28. Quamvis Dominus dederit uxorem viro, relinquenda est tamen, si opus est, propter regnum cœlorum. *Contra Adimant.*, cap. 3.

29. Longe minus peccat quamlibet assiduus ad uxorem, quam vel rarissimus ad fornicationem. *De bono cong.*, cap. 11.

30. Illicite etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur. Lib. 2, *de Adult. conjug.*, cap. 12.

31. Quis nescit uxorem marito tanquam domino debere servire? Lib. 22. *Contra Faust.*, cap. 30.

32. Qui nesciens uxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter ex quo didicerit, nisi discesserit. Lib. 2, *contra Crescon.*, cap. 26.

33. Quando tu uti uxore amplius, quam necessitas procreandorum liberorum cogit, volueris, jam peccatum est. *De decem chordis*, cap. 11.

34. Qui ducere uxorem optat, in illa castitatem amet, non carnis faciem. Tract. 6, in *Epist. Joan.*

35. Mulier opum amans, ejusmodi viro con- S. BASILIUS
juncta, duplex morbus est : nam et delicias ac- MAGNUS.
cendit, et voluptatum amorem auget. Homil. 7, *ad Divites*. Et hab. apud D. Joan. Damasc. Lib. 1. *Parall.*, cap. 76.

36. Sicut debilia navigia procellæ ac tempestates dispergunt, atque inundant : sic pravi uxorum affectus virorum debiles animas corrumpunt ac pessumdant. Homil. 7, *ad Divites.*

37. Malam uxorem potius risu, quam baculo S. BERNARD.
castigabis. *Epist. de cura et regim. rei familiaris.*

38. In eligenda uxore quatuor requiruntur : S. BONAV.
scilicet pulchritudo, divitiæ, genus, et mores. Super *Psalm.* XLIV.

39. Triplici causa ducitur uxor : causa prolis, causa adjutorii, causa incontinentiæ. *Ibid.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 40. Qua fronte uxorem integram vis invenire, cum sis ipse corruptus? Homil. 16.

S. CLEMENS. PAPA. 41. Uxor est vitæ consors ac socia, in unum corpus a Deo conflata. Lib. 6, *Const.* Hab. in Glossa ord. super *Malach.*, cap. 2.

GLOSS. INT. 42. De meretrice uxor facta, pristinos mores non derelinquit. Super *Oseam*, cap. 2.

GLOSS. ORD. 43. Ille uxorem habens sed quasi non habet, qui sic studet placere conjugi, ut tamen non displiceat Creatori. Super illud I *Cor.* VII : *Tanquam non habentes.*

S. GREGOR. NAZ. 44. Nihil homini melius contingit conjuge casta. Orat. 9, in *Funere patris.*

S. HIERON. 45. Uxor hæres pudicitiæ pretium est. Epist. 9, *ad Salvinam.*

46. Maritalis auctoritatis umbra, tutamen uxoris est. *Ibid.*

47. Divitiæ magis in uxoribus eligi solent, quam pudicitia : et multi non oculis, sed digitis uxores ducunt. Lib. 1, *advers. Jovian.*

48. Uxorem pauperem alere, difficile est : divitem ferre tormentum. *Ibid.*

49. Nulla est uxoris electio, sed qualiscunque obvenerit, habenda : si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida, quodcunque vitii est, post nuptias discitur. *Prosec.*

50. Equus, asinus, bos, carnis, et vilissima mancipia, vestes quoque et lebetes, sedile lignum, calix et urceolus fictilis probantur prius, et sic emuntur; sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat, quam ducatur. *Ibid.*

51. Quid prodest diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat ? Infida enim custos est castitatis necessitas : et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, si voluisset. *Prosec.*

52. Pulchra cito adamatur, fœda facile concupiscit : difficile custoditur quod plures amant : molestum est possidere, quod nemo habere dignetur.

53. Minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur.

54. Nihil tutum est, in quod totius poli vota suspirant : alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat; aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod undique incessitur. *Ibid.*

55. Bona et suavis uxor, rara avis est. *Ibid.*

56. Nihil est fœdius quam uxorem amare suam, quasi adulteram. *Ibid.*

57. In aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. *Ibid.*

58. Sapiens vir debet amare conjugem suam, non afficere. *Ibid.*

59. Miser est, qui uxorem bonam perdit : miserior, qui malam possidet : satis felicior est, qui utrumque illud non novit. Epist. 24, *ad Quemdam Militem.*

60. Uxoris timere est, et cum timore virum diligere ; viri tantum diligere, quia dilectio perfectorum est. Lib. 2, super *Michæam*, cap. VII, super illud I *Cor.* II : *Uxor timeat virum*, etc.

61. Quid pulchritudinem uxorum quæritis, quæ meretricibus apta est, non uxoribus ? Super *Malach.*, cap. II, super illud : *Et uxor fœderis tui.*

62. Viri quales uxores cupiunt invenire, tales exhibeant se uxoribus. Super epist. *ad Ephes.*, cap. 5, in illud : *Viri debent diligere uxores suas.*

63. Non est uxor ducenda sapienti : primum enim studia philosophiæ impedit, nec potest quisquam libris et uxori pariter inservire. Lib. 1, *de Nuptiis carnalibus*, cap. 1. HUGO A S. VICTORE.

64. Attendenda est semper a viro uxoris facies, et pulchritudo laudanda : ne si alteram inspexerit, se existimet displicere. *Prosec.*

65. Si totam ei domum regendam commiseris serviendum est : sin aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit, et in odium vertitur et jurgia, et nisi cito consulueris, forte parabit venena anus. *Ibid.*

66. Uxor, quæ bona sit et suavis, rara aut nulla est. *Ibid.*

67. Liberorum causa uxorem ducere, ne nomen nostrum intereat, vel ut habeamus senectutis præsidia, et ut certis utamur hæredibus, stolidissimum est. *Ibid.*

68. Si quis uxoris non est expertus incommoda, experto credat. *Ibid.*

69. Cicero rogatus ab Hirtio, ut post repudium Terentiæ, sororem ejus duceret, non acquievit, dicens, non se posse et uxori et Philosophiæ pariter operam dare. *Ibid.*

70. Forsitan putet aliquis concordiæ providisse, si pauperem ducat uxorem : Marcus Cato Censorius habuit uxorem Paulam humili loco natam, vinolentam, impotentem, et Catoni superbam. *Ibid.*

71. Non acquiescit mulier superba viro sapienti, nec potentem veretur irata. *Ibid.*

72. In aliena uxore, omnis amor turpis, in sua nimius. *Ibid.*

73. Divitiæ in uxoribus magis eligi solent, quam pudicitia : et multi non oculis, sed digitis uxores ducunt. *Ibid.*

74. Ducuntur plerumque uxores, non causa

fornicationis vitandæ, sed causa luxuriæ explendæ : nec causa prolis, sed causa pecuniæ. *Ibid.*, etc.

75. Optima est uxor, quam non avaritia conciliat, nec luxuria copulat. *Ibid.*

UGO CARD.

76. Bona uxor dicitur illa mulier, quæ est sapiens, sedula, casta, tacita, fœcunda, humilis, viro consentiens. Super *Psalm.* CXXVII.

INNOC. III

77. Uxor sola vult diligi, et laudari alterius amorem, suum suspicatur dedecus. *Prosec.*

78. Amandum est omne, quod diligit : odiendum est omne, quod odit.

79. Vincere vult, sed vinci non valet : famulari non patitur, sed dominari molitur.

80. Cuncta vult posse, nulla non nosse : si pulchra fuerit facile adamatur : si fœda, non facile concupiscitur. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 16.

JOANNES HRYSOST.

81. Quando et pax, et vinculum dilectionis cum muliere et viro fuerit, omnia simul affluunt bona, et nullis insidiis expositi, sed magno et inexpugnabili quodam muro circumdati sunt. Homil. 38, super *Gen.*

82. Apud pauperes uxor et ancilla et ministra est, et procreat filios, et ipsa mater, et nutrix est : apud divites autem non est ita, sed cum generaveris filium, statim eum tradis foris : erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater. Homil. 1 *Psalm.* L.

83. Viro casto qualiscunque uxor bona videtur; quia perfecta charitas vitia non sentit. Homil. 32, super *Matth. oper. imperf.*

84. Patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris. *Ibid.*

85. Non potest Deo esse fidelis, qui uxori suæ perfidus est. *Ibid.*

86. Uxor neminem debet sapientiorem reputare, quam virum suum : etsi sit alter sapientior, tamen illa sapientiorem esse alterum intelligere non debet. *Prosec.*

87. Uxor neminem fortiorem debet putare, quam virum suum : etsi alter fortior sit, tamen illa intelligere non debet alterum fortiorem.

88. Uxor neminem formosiorem, debet credere, quam virum suum ; etsi sit alter formosior, tamen coram oculis ejus, alter formosior non debet apparere. *Ibid.*, homil. 42.

89. Uxor non facile decipitur, habens consiliatorem virum; deinde nec facile de facultatibus aliquid aliis dat, cum sit in potestate viri. *Ibid.*, homil. 44.

90. Domum, si vitiosa sit, licet denuo vendere : uxorem vero semel acceptam, non item fas est eis, a quibus acceperis, reddere : sed necesse est in perpetuum eam domi habere nisi malis ea ejecta reus fleri adulterii. Homil. 22, *ex divers. in Matth.*

91. Habet voluptatem quamdam admonitio uxoria, cum plurimum amet illum, cui consulit. Homil. 60, super *Joan.*

92. Uxor serva et domina est viri. Homil. 19, super I, *Cor.*

93. Cum vir et uxor domi dissentiunt, nihilo melius navi tempestate jactata, cum gubernator adversus proræ directorem dissentit. *Ibid.*

94. Vincit uxoris puritas viri immunditiam ; et fidelis viri puritas, infidelis uxoris immunditiam superat.

95. Nullus magister ita persuadere potest, quemadmodum uxor. *Ibid.*

96. Quamvis viro subdita sit mulier, tamen ut uxor, ut libera, et pari in honore est habenda. *Ibid.*, homil. 26.

97. Si alienis qui dextram maxillam percutiunt etiam sinistram præbere oportet, longe magis asperior uxori vir ferendus est. *Ibid.*

98. Ultima ignominia est, non uxoris quæ verberatur, sed viri qui verberat. *Ibid.*

99. Si invicem onera ferenda sunt, multo magis uxoris. Si pauper sit, noli exprobrare : si stulta, noli ei insultare, sed esto modestior : etenim tuum membrum est, et caro una facti estis. *Prosec.*

100. Sed ebria est et iracunda; igitur dolendum est, non irascendum : ipsa admonenda est, et consilio adjuvanda, et omni conata annittendum, ut illis liberetur affectibus. *Ibid.*

101. Fertur quemdam Philosophum (cum malam haberet uxorem, pravam, temulentam, et interrogaretur quare ejus mores tolleraret) respondisse, ut gymnasium et palæstram Philosophiæ domi habeam. *Ibid.*

102. Vir si diligat, uxor quoque ex eo reddetur amica ; uxor si subdita sit, reddetur vir mansuetus. Homil. 10 super *Epist. ad Coloss.*

103. Ne domineris temere, quia uxor subjecta est : neque tu mulier intleris, quia a viro diligeris. Nec amor viri uxorem extollat, nec subjectio uxoris virum inflet. *Ibid.*

104. Præcipuum domesticæ pacis, ac bonorum omnium fundamentum illud est, si uxor viro per omnia consentiens sit. Homil. 4, super *Epist. ad Tit.*

105. Uxor, quæ domus curam habet, pudica sit necesse est. *Ibid.*

106. Contumeliam facit uxor ? Ne sit uxor tibi : est enim muliebre, contumeliam facere, morbus est animæ, defectus est. Homil. 62, *ad Popul. Antioch.*

107. Uxor pulchra, suspicionis plena res est, et insidiarum. *Prosec.*

108. Uxor deformis, res est fastidio plena. *Ibid.*, homil. 67.

109. Uxori junctus, uxore nihil et sollicitudine pejus asseverat : uxore carens, nihil illiberalius quam uxorem non habere testatur. *Ibid.*

110. Viri est, ut diligenti opera, male consulentem uxorem repellat. Homil. 17, super *Gen.*

JOAN. SARESB. 111. Ex causa fornicationis licenter divertit conjux a conjuge; et plerumque patronus est turpitudinis, qui crimen celat uxoris. Lib. 6, *de Nugis curial.*, cap. 26.

S. ISIDORUS HISPALENS. 112. Melius est uxorem ducere, quam per libidinis ardorem perire. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 40, sent. 12.

113. Tres ob causas ducitur uxor : prima est causa prolis, secunda causa adjutorii, tertia causa innocentiæ. Lib, 9, *Etymol.*, cap. 8.

S. PAULINUS 114. Miser est, qui uxorem bonam perdit; miserior, qui malam possidet : sed satis felicior est, qui utrumque non novit. *Epist. ad Quemdam Militem.*

S. PETRUS DAMIANUS. 115. Ubi uxor rectius judicat, dignum est, ut ei vir auctoritatis suæ legibus non obsistat. Lib. 7, Epist. 18, *ad Guillam. comitiss.*

SALVIANUS. 116. Haud multum uxor abest a vilitate servarum, ubi pater familias ancillarum maritus est. Lib. 7, *de Gubern. Dei.*

TERTULL. 117. Uxor nulla deformis est marito suo, satis placuit cum electa est, seu moribus, seu forma commendata. *De cultu fœminar.*, cap. 4.

S. THOMAS AQUINAS. 118. Mulier non est formata de pedibus viri, tanquam ancilla : nec de capite, tanquam domina : sed de latere tanquam socia. Super I *Cor.*, cap. VII, lect. 1.

S. ZENO. 119. O uxor infelix es, si nescis quid agatur in domo : infelicior certe, si scieris. Serm. *de Continent.*

120. Non potest uxor timere maritum, quæ non timet Christum. *Ibid.*, serm. 2, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 121. Existimare debet uxor bene composita, mores viri esse legem suæ vitæ impositam sibi a Deo, per conjunctionem matrimonii, atque consortii : quos siquidem æquo ferat animo, perfacile reget domum, sin contra, difficilius. *Prosec.*

122. Quapropter decet non solum in prosperis rebus, secundaque fortuna, unanimem se viro præstare, et inservire velle : verum etiam in adversis.

123. Si sit in rebus defectus vel corporis ægrotatio, vel alienatio mentis, æquo ferat animo, et obsequatur, nisi forte turpe aliquid sit, vel indignum. Lib. 2, *Œconomic.*, cap. 1.

124. Uxor viro jubenti aliquid turpe, parere non debet. *Ibid.*

125. Maximus honor est sobriæ uxori, si cernat virum suum observantem sibi castitatem, nec de ulla muliere magis cogitantem, sed præ ceteris omnibus hanc suam et fidam existimantem. *Ibid.*, cap. 2.

126. Tanto magis studebit uxor se castam et fidam præstare, quanto se cognoverit fideliter atque juste a viro diligi. *Ibid.*

127. Nihil magis suum est uxori, nec magis illi viro præstandum, quam sancta et intemerata societas. *Ibid.*

127 *bis.* Appropinquandum vero est uxori cum magna temperantia, atque modestia : sitque pudor in verbis, in operibus vero fas atque honestas, conversatione fides et moderatio. *Ibid.*

128. Virum et uxorem in his, quæ improba et impudica sunt, sibi invicem consentire nequaquam debere, manifeste præcipit Poeta : in his vero quæ quam maxime fieri potest, pudica sun et justa concorditer sibi invicem inservire. *Ibid.*, cap. 4.

129. Vir uxoris parentibus, non minus, quam propriis subvenire debet, uxor autem viri. *Ibid.*

PLATO. 130. Consentaneum est uxorem rem familiarem recte administrare, ut domesticas res conservet, et obtemperet viro. *De Virtute.*

SENECA. 131. Insolens malum est beata uxor (id est dives) cum immensum pondus auri attulerit, cum pecunia arcas oneraverit, quid aliud quam ut illi serviamus, desiderat ? Lib. 1 *Controvers.* 9.

132. Omnes uxores divites, servitutem exigunt: volunt enim in suis regnare divitiis. *Ibid.*

133, Nemo uxorem duxit, nisi qui abduxit. Lib 1, *de Benefic.*, cap. 9.

134. Quid jucundius, quam uxori tam carum esse, ut propter hoc tibi carior fias ? Epist. 104.

135. Non multum uxor abest a contemptu viri, qui se nimis suspicit. *De Remediis fortuitor.*

136. Uxor adventitium bonum est. *Ibid.*

SIXTUS PHILOSOPH. 137. Adulter est in suam uxorem, omnis impudicus amator ardentior. Sent. 222.

138. Reverentiam habens uxori, habebis eam reverentem. *Ibid.*, sent. 229.

Vide etiam tit. *Conjugium*, sent. 109, 110, 113, 114 ; *Facies*, sent. 13 ; *Meretricium*, sent. 56 ; *Mulier*, sent. 73, 88 ; *Placere*, sent. 83 ; *Pulchritudo*, sent. 103.

## VACARE DEO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTON. 1. Vacare Deo, non otium, scilicet malum, sed negotium negotiorum. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 14, § 1.

2. Summa hominis perfectio in hoc consistit, quod mens hominis Deo vacet. Part. 4, tit. 12, cap. 2.

3. Homo a sollicitudinibus liberatus, liberius divinis et spiritualibus vacat. *Ibid.*, cap. 3.

. AUGUST.

4. Qui Deo se committit, diabolum non timet. *De verb. Dom.*, serm. 28.

5. Perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus perde. *De verbis Apostoli*, serm. 24.

BERNARD.

6. Felices plane, qui soli Deo vacant intelligendo, diligendo, fruendo. Serm. 6, *de Ascens.*

7. Absit, absit ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. Serm. 3 *Assumpt. B. M.*

8. Otiosum non est vacare Deo, imo negotium negotiorum omnium hoc est. *De vita solit.*

CÆSARIUS ARELAT.

9. Non sint ita nimiæ occupationes, ut nos Deo vacare non sinant. Homil. 10.

CYPRIAN.

10. Ad terrenos et sæculares actus vacare non possunt, qui Deo sibique vacant. Epist. 66, *ad Clerum et plebem Furnitanorum.*

IONYSIUS ARTHUS.

11. Beati sunt religiosi, si tanto sincerius, stabilius, fructuosius vacant Deo, quanto præ cæteris se corporaliter elongaverunt a sæculo. *De Hymno S. Joan. Bapt.*

GREGOR. MAGNUS.

12. Qui vacare Deo negligit, suo sibi judicio lumen ejus visionis abscondit. Lib. 5 *Moral.*, cap. 8. Super illud *Psalm.* XLV : *Vacate et videte*, etc.

13. Prælati vacare Deo appetant ex gratia dilectionis. *Ibid.*, lib. 18, cap. 25, num. 29.

IGNATIUS MARTYR.

14. Christianus homo sui potestatem non habet, sed Deo vacat. Epist. 11, *ad Polycarp.*

UDOVICUS BLOSIUS.

15. Quanto liberior intus fueris ab impedimentis rerum transeuntium, tanto facilius tibi, feliciusque Deo vacare poteris. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 15.

16. Vir spiritualis non se putet tempus inutiliter traducere, quando intus Deo vacans, foris nihil agit. In *brevi Regula tyronis*, verbo *Mores.*

. MAXIMUS MARTYR.

17. Impossibile est, ut mens Deo vacet, si virtutes has tres : dilectionem, continentiam, et orationem non possidet. *De Incarnat. Verbi.*

SYNESIUS EPISCOPUS.

18. Cum ab iis inferioribus animus vacat, circa Deum occupatur. Epist. 103, *ad Pylæmenem.*

S. THOMAS AQUINAS.

19. In divinorum exercitiis vacare, hoc perfectorum est. Opusc. 9, *de Decem præcept.*, præcept. 3, verbo *Momento.*

20. Impeditur animus hominis ne libere possit Deo vacare, non solum ex amore exteriorum rerum, sed multo magis ex interiorum passionum impulsu. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 8.

THOMAS A KEMPIS.

21. Beati, qui Deo vacare gestiunt, et ab omni impedimento sæculi se excutiunt. Lib. 3, *de Imit. Christ.*, cap. 1, sect. 1.

22. Dei vacationem omnibus exterioribus antepone : non enim poteris Deo vacare, et in transitoriis pariter delectari. *Ibid.*, cap. 53.

23. Ubicunque fuerit bonus homo occupatus cum Deo orando, meditando, studendo, scribendo : ibi adsunt Angeli sancti congaudendo, adsunt et dæmones ipsum tentando et distrahendo. In *Hortulo Rosar.*, cap. 14.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SIXTUS PHIL.

24. Sine Deo non poteris vivere Deo. Sent. 205. Vide etiam tit. *Latere*, sent. 20 ; *Psalmus*, sent. 51 ; *Religiosus*, sent. 81.

## VACARE SIBI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Mihi eum vacare non credam, qui sibi non vacet. Lib. 2, *Offic.*, cap. 12.

S. AUGUST.

2. Vellem ut nihil aliud agerem, quam reddere me mihi, cui me maxime debeo. *De quant. animæ*, cap. 28.

V. BEDA.

3. Multi vacant exterius in tenebris, sed tumultuantur in conscientiis suis. Super *Psalm.* XCI.

S. BERNARD.

4. Is, qui aliis præest in sollicitudine, vix unquam vel raro secure vacat sibi. Serm. 53, super *Cant.*

5. Tibi vaca, multa tu ipse tibi sollicitudinis materia es. *De Vita solit.*

6. Redde te tibi, et si non semper, vel sæpe, saltem interdum. Lib. *Medit.*, cap. 5.

7. Vaca, et ubicunque fueris, tuus esto : noli te tradere, sed commodare. *Ibid.*, cap. 6.

S. CYRILLUS HIEROSOL.

8. Tot annorum circulos transegisti, mundo frustra operam navans, et quadraginta diebus non vacabis pro anima tua ? Cateches. 1.

DIDYM. ALEX.

9. Non est aptus ad vacandum nec sibi, nec virtuti, qui natura malus est. Lib. *contra Manich.*

HUGO A S. VICTORE.

10. Animus vacans sibi, liber est a forensi cura, seipsum possidens, tranquillus et quietus, et templum spirituale. Lib. 3, *de Claust. anim.*, cap. 11.

11. Vir qui sibi vacat, præsentis vitæ naufragium evadere potest. *De casto Connub.*, cap. 6.

S. LAURENT. JUSTIN.

12. Laudabilis quidem, proximorum invigilare saluti, non tamen minus, vacare sibiipsi, necessaria actio. *Ibid.*, cap. 12.

LUDOVICUS BLOSIUS.

13. Quanto liberior intus fueris ab impedimentis rerum transeuntium, tanto facilius tibi, feliciusque Deo vacare poteris. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 55.

S. SYNESIUS EPISCOPUS.

14. Sapientis est suarum rerum satagere, non perperam actui rerum se immiscere. Epist. 103, *ad Pylæmenem.*

THOMAS A KEMPIS.

15. Quære aptum tempus vacandi tibi. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 20.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO.

16. Jucundum ac salutiferum et illud vivendi

genus, agere sua, non aliena. Epist. 9, *ad Archytum.*

PLINIUS II. 17. Nulla spe, nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor : mecum tantum loquor. O regiam sinceramque vitam! o dulce otium honestumque, ac pene omni negotio pulchrius? Lib. 6, Epist. 6, *ad Munitium Fundanum.*

SENECA. 18. Occupationes recidantur, et sibi totus animus vacet. Lib. 3, *Quæst.* in præfat.

19. Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Epist. 17.

20. Omnia impedimenta dimitte, et vaca bonæ menti : nemo ad illam pervenit occupatus. Epist. 63.

21. Vaco utique vaco : sed ubicunque sum, meus sum. Epist. 63.

## VANILOQUIUM.

GLOSS. ORD. *Definitio.* Sermo inanis est, qui virtutis actione caret. Super *Job,* cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. Vaniloquium est quod nullam habet utilitatem. Homil. 15, super *Epist. ad Hebr.*

ORIGENES. Inanis dicitur omnis sermo, in quo non est intrinsecus aliquid pro Deo vel pro mandato Dei. Homil. 25, in caput. XXIX *Numer.*

HUGO CARD. *Divisio.* Vana loqui dicitur tripliciter inutilia, superflua, temporalia, super *Psalm.* XI.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Non debet esse Christianus vaniloquax. Serm. 2, *Dom.* 24 *post Trinit.*

2. Sermo vanus, vanæ conscientiæ index est. Serm 3, *ad Fratr., in eremo.*

3. Custodite linguam, servate linguam, claudite linguam vecte ferreo; quoniam sermo vanus in vacuum non ibit. *Ibid.*, serm. 26.

4. Crede rebus, non verbis inanibus. Lib. 2, *contra Crescon.*, cap. 9.

S. BASILIUS MAGNUS. 5. Videtur quodammodo vaniloquo homini similem se præbere, qui ipsius verbis contradicit. Apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 80.

S. BERNARD. 6. Vaniloquia nunquam nisi contra mandatum, et Dei mandatum usurpantur. *De præcepto et dispens.*

7. Nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum; sed nugæ et risus et verba proferuntur in ventum. *Prosec.*

8. Pudet dicere, sed magis pudeat actitari : et si pudet audire, non pudeat emendari. In *Apolog. ad Guillel. Abbat.*, verbo *Dicitur.*

9. Si sæcularis loquitur tecum, et vana proponit, quam citius potes succide sermonem, et transferas te ad ea quæ Dei sunt. In *notabili documento.*

10. Vanus sermo cito polluit mentem. Serm. 30, *ad Sororem.*

11. Vanus sermo demonstrat vanam conscientiam. *Ibid.*

12. Qui continens esse vult, debet vanas locutiones vitare. Serm. 2, *de Invent. S. Crucis.* S. BON

13. Dissuesce a vaniloquio linguam, qui ad profectum aspiras. in *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

14. Processurus in publicum, præmuni teipsum, et animo statue a verbis inanibus abstinere. *Ibid.*

15. Verba vana, mentis aperiunt vanitatem. *Ibid.*, cap. 31.

16. Nulla certe permanet in homine quies mentis, qui multorum vaniloquiis implicatur. Epist. *ad Augustin. de miraculis D. Hieronymi.* S. CYRIL HIEROS

17. Quis mihi reddet hunc diem, quem in vanis fabulis perdidi? Homil. 9, *ad Monach.* S. EUSEB EMISSEN

18. Væ illi Religioso, qui delectat se in verbis otiosis et vanis, et cum his homines perducit ad risum. In suis *Opusc.*, in *Admonit. ad Fratr.*, cap. 20. S. FRAN ASSISI

19. Loquuntur ad invicem homines quæ vanitatis sunt, non quæ veritatis. In *Elucid.*, super *Psalm.* XI, vers. 2 : *Vana locuti sunt,* sect. 1. FRANCI TITELM.

20. Dum verba consolatoria aliqui plus æquo sectantur, in vana devolvuntur. Serm. 31, super *Cant.* GILLEBE ANGLU

21. Stulti, per vaniloquium humiles quos despiciunt, affligunt : sed hi per doctrinam sapientium ne decipiantur, se muniunt. Super *Prov.*, cap. 14. GLOSS. O

22. Quot supervacuis verbis a silentii sui censura mens dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Lib. 7 *Moral.*, cap. 17. S. GREG MAGNU

23. Sicut vana sunt multa somnia, sic et multa verba inania existunt. Super *Ecclesiasten*, cap. 5. S. GREG NAZIAN

24. Ut plerumque insomnia vana, sic etiam pleraque verba. Super *Eccles.*, cap. V. S. GREG THAUMA

25. Contradicendum est et impietati insolenti, et insolentiæ vaniloquæ et vaniloquio seducenti. Lib. 8, *de Trin.* S. HILAR

26. Loca in quibus vana et superflua dici debeant, invenire non possum. *De Instruct. Novit.*, cap. 15. HUGO A S. VICTO

27. Inanis est omnis sermo, in quo non est intrinsecus aliquid de Deo, vel Dei mandato. Super *Matth.*, cap. XII. HUGO CA

28. Omnis sermo vanus, qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur. Homil. 11, super *Matth. Oper. imperf.* S. JOANN CHRYSOS

29. Qui os suum Domino consecratum vaniloquiis polluit, quid aliud quam sacrilegium facit? tollens membra sua Deo dicata, et instrumenta facit diaboli. In cap. 6, *Regul. S. Bened.*, verbo *Scurrilitas.* JOAN. TRITH.

IDORUS ALENS. 30. Vani sermones in ore Christiani esse non debent, bonos enim mores corrumpunt. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 29, sent. 5.

31. Vanus sermo cito polluit mentem, et facile agitur quod libenter auditur. *Prosec.*

32. Nihil unquam vani ex ore tuo, quod impedire possis, procedat : nihil quod non expediat, sonus vocis erumpat. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 8.

. FIRM. 33. Nemo vaniloquentia philosophorum inductus ad contemptum se Dei erudiat, quod est maximum nefas. *De Ira Dei*, cap. 23.

IRENT. STIN. 34. Nihil sic dissolvit mentem, compunctionem dissipat, confusionem inducit, denigrat honestatem, et interioris gustus dulcedinem tepefacit, sicut inanis et præsumptuosa loquacitas. *De discipl. monast. conversat.*, cap. 15.

ETRUS AM. 35. Quid vaniloquio potest esse deterius? quod non modo per semetipsum infelicem animam lethaliter gravat, sed et ipsam honestæ vitæ religionem, quæ hominem Deo jungit, evacuat. Serm. 73, *de Vitio linguæ.*

ARD. A CTORE. 36. Quot verbis vanis et superfluis aliquis utitur, tot modis extra se ducitur, et a custodia su[a] dissipatur. Part. 2, super *Cant.*, cap. 19.

HOMAS INAS. 37. Sicut qui temerarius est in asserendo, ita vaniloquus in probando, dum frivola quædam pro rationibus inducit. *De Forma absolut.*, cap. 2.

OMAS EMPIS. 38. Ex vanis verbis fit animus vagus et lubricus, vix valens ad interiora sua redire post longos gemitus et fletus. Serm. 4, *ad Novit.*, divis. 3.

39. Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est Deo? Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 14, sect. 4.

40. Qui libenter vana audit et profert, vili pretio animam suam vendit. In *Hortulo Rosar.*, cap. 12, sect. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

NECA. 41. Sermo tuus non sit inanis, sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. *De quatuor virtut.*

XTUS LOSOPH. 42. Oratio vel vota pigri, sermo vanus. Sent. 118.

43. Melius est lapidem frustra jactare, quam verbum. *Ibid.*, sent. 144.

44. Melius est animam perdere, quam verbum vanum de Deo proferre. *Ibid.*, sent. 350.

## VANITAS.

ECTOR. *Etymologia.* Vanitas dicitur, quasi vanni inanitas.

O CARD. Vanum dicitur, quasi ex nihilo veniens, vel ad nihilum vadens. Super *Ecclesiasten*, cap. 1.

RNARD. *Definitio.* Vana superbia seu vanitas, est vitium, quo quis tam de eo quod est, quam de eo quod non est, suis magis quam Dei laudibus delectatur. Epist. 42, *ad Henricum archiep.*

S. BERNARD. SENENS. Nihil aliud est vanitas, quam superbiæ fumus. Serm. 46, *Fer.* 5, *post Dom. Passionis*, art. 3, cap. 4.

CASSIODOR. Vanum dicitur, quod est inane, fragile, et caducum, et ab ipsa firmissima veritate discretum. Super *Psalm.* LI, vers. 7.

HUGO A S. VICTORE. Vanitas mundi est, cum modum necessitatis excedendo, in voluptatem abimus. Lib. 3, *de Arca Noe morali*, cap 10.

S. PROSPER. Vanitas est inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio. Lib. 3, *de Vita contempl.*, cap. 10.

S. THOMAS AQUINAS. Vanum dicitur illud, quod non habet stabilitatem, seu firmitatem. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, lect. 7.

S. VALER. EPISCOPUS. Quid est vanitas, nisi cultus divitiarum, et secularium studia voluptatum? Homil. 6, *de Otiosis verbis.*

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Triplex est vanitas. Prima vanitas est, non profutura appetere ; secunda transeuntia congregare ; tertia, labore parta aliis possidenda relinquere. Homil. 12, super *Ecclesiasten.*

HUGO CARD. *Comparatio.* Vanitas quinque comparatur. Prima, sumitur ab umbra ; secunda, a nuntio ; tertia, a navi ; quarta, ab ave ; quinta, a sagitta. Super *Sapient.*, cap. 5.

Ista quinque ita cito transeunt, quod etiam post se nulllum vestigium relinquunt. *Ibid.*

S. [illegible] *Conditiones quindecim vanitatis.* — 1 Vanitas est potiendi honoris avida simul et nescia, — 2 morbo excellentiæ inanis afflata, cava, morbida, et turbulenta, — 3 animarum levium domina, male fundatis omnibus blanda, — 4 repugnantibus fumea, capiendis seductoria, captis invicta, — 5 simulatio quædam virtutum, anima vitiorum, fomes carnalium delectationum, labes morum, appetitio dignitatum, — 6 dulcis miseris, amara perfectis, periculosa dubiis, imperiosa subjectis, infirma fundatis, — 7 incautos facile captivat, captivatos oblectat, ambitiosos vexat, angustos inflat, inflatos humiliat, — 8 cui serviunt tumidi, sub qua jacent elati, quam inveniunt, ad quam currunt lapsuri, in qua sibi videntur stare jam lapsi, — 9 Hæc est vanitas, quæ non aliquas virtutes (ut putatur) strangulat : sed licentiam vitiorum (cum fuerit a vitiosis recepta) corroborat, — 10 mentes virtutum plenas omnino non penetrat, — 11 vacuos, ac nullis fultos virtutibus tentat, et ipsos fastu ruinosæ ambitionis inflatos, in occulta dedecora quadam publice furendi delectatione præcipitat, — 12 sicut vacuam navim tempestas in diversa tumidis fluctibus jactat, — 13 et in area frumenti granis sua gravitate manentibus, levis ex ea ventus paleas rapit, — 14 non vitiosos facit vanitas, s[ed] ...

ostendit, — 15 quæ illos sui afflatus vento circumfert, ac lubricis circumactos affectibus rotat. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 10.

S. PROSPER. *Indicia vanitatis vanitantium.* — 1 Qui se ad omnes vanitatis impulsus, studio propriæ voluntatis accommodant, — 2 qui se de operibus, quorum sibi conscii non sunt, turpiter jactant, — 3 qui sanctos viros sui comparatione depretiant, — 4 qui vitio auræ popularis elati, nihil sibi deesse perfectionis existimant, — 5 qui se ab omnibus prædicari per nefas affectant, — 6 occurrentium salutationibus gaudent, — 7 suis adulatoribus avent, — 8 voluptatibus parent, — 9 omnibus turpibus placent, — 10 gestiunt docere quod nesciunt, — 11 credi de se sublimia volunt, — 12 delectabilia gravibus anteponunt, — 13 execrantur verbo, quod animo concupiscunt, — 14 appellationes virtutum vitiis suis imponunt, — 15 seipsos fallunt, et faventes sibi decipiunt, — 16 in promissione honesta veloces, in exhibitione mendaces, — 17 a bono mutabiles, mali tenaces, in verbo graves, in animo turpes, ubique fallaces, — 18 læti ad prospera, fragiles ad adversa, inflati ad obsequia, anxii ad opprobria, — 19 immoderati ad gaudia, faciles ad humana, difficiles semper ad honesta.

His et similibus delinitos vanitas premit, nec eos aut suum morbum sentire, aut ad medicum venire permittit. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 10.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Frequenter vanitatum offusio ita mentem occupat, ut quod studeas vitare, hoc cogites, animoque volvas : quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. *De fuga sæculi*, cap. 1.

2. Vanitas circus est, quia nihil prodest, vanitas est equorum velocitas, quia mendax ad salutem est : vanitas theatrum est, vanitas ludus omnis. *Ibid.*

3. Omnia quæ nascuntur in mundo, infirma, caduca, corruptibilia, ac vana sunt. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VIII, in illud : *Vanitati creatura subjecta est.*

S. ANTONIN. 4. In mundo est vanitas, cujus finis est fœtor vitiorum, ignis tormentorum, et cinis mortuorum. Part. 1, tit. 5, cap. 4, § 1.

S. AUGUST. 5. Pereant omnia hæc vana et inania : vita hæc misera est, mors incerta. Lib. 6 *Conf.*, cap. 11.

6. Vana sæculi hujus, si inexperta concupisti, experta contemnas. Epist. 82 *ad Largum.*

7. Homo qui ratione uti potest, in tantum hebes pigerque ad quærendam veritatem efficitur, in quantum plus velit in tenebris vanitatis remanere. *De quantit. animæ*, cap. 15.

8. Vanitas vanitantium : vanitas est fallacia, vanitantes autem, vel falsi, vel fallentes, vel utrique intelliguntur. *Ibid.*, cap. 33.

9. Ne incidamus in vanitates vanitantium, cum mentiantur : tolle vanitantes, et nulla erit vanitas. *De vera Relig.*, cap. 33.

10. Creatura vanitati subjecta est, quandiu dedita est temporalibus rebus, quæ transeunt tanquam umbra. In *Expos. super Epist. ad Rom.*, propos. 53.

11. Quid stultius, quam fidere in vanitate? *De Annot., in Job*, cap. 31.

12. Quæ vides, bona putas, falleris; sanus non es, nimia febre phreneticus factus es : verum non est quod amas, vanitas est, insania mendax est. Super *Psalm.* XXXIX, vers 6 : *Non respexit in vanitates.*

13. Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, typhi, minæ, tumores, flos fœni est. Super *Psalm.* CII, vers 14 : *Sicut flos agri*, etc.

14. In vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui magni in hoc sæculo nominati sunt, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, et propter hanc perceperunt mercedem suam, vani vanam. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 12.

15. Si vanum est propter hominum laudes bona facere, quanto vanius propter adipiscendam pecuniam, vel augendam sive retinendam, quia omnia vanitas? *Ibid.*

16. Si vita nostra ibi est, ubi est veritas : non est vita nostra sub sole, ubi est vanitas. *Ibid.*, conc. 12.

17. In ea quæ stant sic inhio, verumtamen sic, quomodo hic sum, quandiu carnem mortalem porto, quandiu inter scandala suspiro, quandiu timeo ne cadam qui sto : universa vanitas omnis homo vivens. O insana vanitas, et omnia vanitas, et vanitas vanitantium. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 8 : *Verumtamen universa vanitas.*

18. Quid vanius eo qui putat plus valere nummum quam Deum? Super *Psalm.* LI, vers. 7.

19. O vanitas vendens vanitatem, vanitatem audituris vanis et credituris. Homil. 36, *ex Quinquaginta homil.*

20. Vanitates concupiscens diabolicas, perpetuas incurrit pœnas. Serm. 36 *ad Fratr. in eremo.*

21. Urbanus esse gestiebam abundanti vanitate. Lib. 3 *Conf.*, cap. 1.

22. Quanto ætate major, tanto vanitate turpior. *Ibid.*, lib. 7, cap. 1.

23. Noli esse vana anima, et obdurescere in aure cordis tumultu vanitatis. *Ibid.*, lib. 4, cap. 11.

24. Cum amantur vana, perpetrantur mala. Epist. 70.

25. Tollantur omnia vana, tunc patriam tuam florentem videbis. Epist. 202.

26. Vanitas plus potest clamare quam veritas. Lib. 5 *de Civit. Dei*, cap. 27.

27. Ea putatur gloria vanitatis, nullis cedere viribus veritatis. *Ibid.*, lib. 6, cap. 1.

28. Omnis humana natura per peccatum primi hominis, in vanitatem de veritate collapsa est. *Ibid.*, lib. 17, cap. 11.

29. Non a vanitate nisi veritas liberat. Lib. 6 *contra Julian.*, cap. 12.

30. Multi oculis carnis vident vanitatem, nos cordis oculis veritatem. Tract. 7, super *Joan.*

31. Cum se homines hominibus vendunt, dant isti nummos, ut se vanitatibus vendant. *Ibid.*, tract. 8.

32. Rector meus averte a me vanitatem. Lib. *Medit.*, cap. 1.

ERNARD. ENENS. 33. Multa est malitia vanitatum, tantaque labe inficit humanas mentes, ut cum transierint in affectum, omne rationis judicium perturbetur. Serm. 47, *Fer.* 6 *post Dom. Pass.*, art. 3, cap. 4.

ERNARD. 34. Spiritum vanitatis studeas exsufflare, et quantuncunque illum senseris, negare omnino consensum. Serm. 1, in *Festo SS. Petri et Pauli.*

35. Vanus est, qui in vanitate est, aut in vanitate curiositatis, aut erroris. *Prosec.*

36. Vanitas curiositatis procedit a vanitate mutabilitatis, et generat vanitatem mortalitatis. Serm. 2, super *Salve Regina.*

37. Funiculus triplex difficile rumpitur, curiositatis, voluptatis, et vanitatis. Serm. 1 *Annunt. B. M.*

38. Non est quo vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit. Serm. 5, *Omnium SS.*

39. Vanitas vanitatum, quam nihil sit, vel ex ipso nomine manifestius indicatur : vanus utique labor, qui studio vanitatis assumitur. Serm. *de Convers., ad clericos*, cap. 12.

40. Appetitus vanitatis, est contemptus veritatis : contemptus veritatis, causa cæcitatis. Epist. 18, *ad Petrum cardinalem.*

41. Quid vanius quam diligere vanitatem? et quid iniquius quam contemnere veritatem. Epist. 18, *ad Petrum diaconum.*

42. Vanum cor, vanitatis notam ingerit corpori : et exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. In *Apologia ad Guillel. abbat.*, cap. *Dicitur.*

. BONAV. 43. Illorum sensus vanitas detinet, qui in vanitate, tanquam in veritate delectantur. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 3, vers. 5, art. 3.

44. Omnia vanitas, quia non patent, propter sui obscuritatem ; non implent, propter sui vanitatem ; non permanent, propter sui fluxibilitatem. Super *Ecclesiasten*, cap. 1.

45. Vanitas vanitatum : id est, a vanitatibus oritur vanitas : si a vanitatibus oritur vanitas, et omnia vanitas, ergo omnia creata dilectorem beatum non faciunt, sed vanum. Super *Ecclesiasten*, cap. 12.

46. Vere in omnibus, in honoribus, in divitiis, in voluptatibus vanitas est, sicut vanum est somnium, et vana est umbra : umbram equi pro equo tenere, vanitas est : sic transitoria, respectu æternorum sequi, vanitas est. Hanc vanitatem cognoscent in inferno, qui nolunt salubriter recognoscere in mundo. Serm. 1, *Dom.* 12 *post Pent.*

47. Difficile est ut inter vanitates sæculi quis positus, a vitiis maneat illibatus. In *Collat. de Contemptu sæculi.*

48. Iste est vanissimus, qui plus vanitatem, quam Dominum diligit. *De stimulo amoris*, part. 1, cap. 7, gradu 7.

49. Vanitas in falsitate versatur. Super *Psalm.* XXX, vers. 7. CASSIODOR.

50. Vanitates mundanas Christianis vere religiosis, seu devotis esse vitandas, perspicuum est. Super *Epist. Jacobi*, cap. 2, art. 4. DIONYSIUS CARTHUS.

51. Stultus est, qui inter vanitatem stultorum versatur, et in rebus vanis suam vitam transigit. *De Recta vivendi ratione*, cap. 27. S. EPHRÆM.

52. Vanitas rerum humanarum est hæres, quoniam ipsius est distractio et occupatio varia. *De Pœnit.*

53. Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior efficieris : cætera enim vitia crescunt vitiis, vanitas virtutibus. In *Epist. Parænetica ad Valerian.* S. EUCHER.

54. Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus est finis, qui in mundi vanitatibus semper vixit. *Epist. ad Damas. papam, de Morte D. Hieronymi.* S. EUSEBIUS CÆSARIENS.

55. Quam nihil es, et quantum aliquoties præstas, vanitas terrenorum! multum præcipis dum teneris ; sed plus tribuis, dum repudiaris. *P[illegible]* S. EUSEBIUS EMISSEN.

56. Sectatores tuos dilecta captivas, contemptores tuos despecta glorificas.

57. Magnas per odium ac fugam tui, es collatura divitias. Serm. *de Castigat.*

58. Ea quæ carnis sunt et mundi, revera nihil aliud quam vanitas sunt et mendacium : in quibus nihil est solidæ ac veræ bonitatis, et quæ suos sectatores misere decipiunt, pro felicitate quam promittunt, æternæ mortis stipendia adducentes. In *Elucidat. super Psalm.* IV, vers. 3 : *Ut quid diligitis vanitatem?* etc., sect. 1. FRANCISCUS TITELM.

59. Deliciæ et temporalia bona, et malarum

concupiscentiarum adimpletio, nihil sunt nisi vanitas. In *Annot. super Psalm.* IV, vers. 3, sect. 1.

60. Dicuntur bona temporalia et caduca vanitates et insaniæ falsæ, non quod non veræ sint vanitates (verissime enim nil nisi vanitas sunt, et vanitas utique vanitatum) sed falsæ ab effectu, quod fallant omnes suos amatores. In *Annot. super Psalm.* XXX.

61. Certe omnis homo donec in hac vita corporis vivit, nihil aliud est quam vanitas, imo universa et integra vanitas. In *Elucid. super Psalm.* XXXVIII, vers. 8, sect. 1.

GLOSS. ORD. 62. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quia omnia more fluentis aquæ transeunt et non redibunt. Super *Ecclesiasten*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 63. Si vanitatis culpam nequaquam caute compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta devoratur. *Prosec.*

64. Vanitas mentem obnubilat, iniquitas cæcat. Lib. 10 *Mor.*, cap. 9.

65. Vanitatis finis est, ut cum peccato mentem sauciat, hanc ex culpa audacem reddat : quatenus sui reatus oblita, quæ amisisse se innocentiam non dolet, justo excæcata judicio, simul et humilitatem perdat. *Ibid.*, cap. 10, num. 15.

66. Vana sunt omnia ; quidquid in hoc sæculo lætum, delectabile sublime, aut prosperum cernitur, vanum profecto est. *Prosec.*

67. Repente alta sæculi corruunt, pulchra transeunt, læta et prospera evanescunt.

68. Vana sunt gaudia sæculi, quæ quasi manentia blandiuntur, sed amatores suos, cito transeundo decipiunt. Lib. 5, in I *Regum*, cap. 2, super illud : *Et servite Domino*, etc.

69. Qui in amore cœlestium fixus, sæculum perfecte despexerit, nulli omnino vanitati succumbet. In *Septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* II vers. 13 : *Sperantem autem in Domino.*

S. HIERON. 70. In comparatione æternorum bonorum vana sunt omnia, etiam bona temporalia. Lib. 5, in I *Reg.*, cap, II.

71. O miserabilis humana conditio? et sine Christo vanum omne quod vivimus! epist. 3, *ad Heliodor.*

72. Qui faciunt vanitates, ita custodiunt vanitatem quasi diligant, et thesaurum invenisse se putant. Super *Joannem*, cap. 2, superillud *Eccl.* I : *Vanitas vanitatum*, etc.

73. Ille qui ea agit, quæ mundanæ vanitati sunt apta, telas texit araneæ. Super *Psalm.* XXXV, versrs. 15 : *Sicut araneam*, etc.

74. Omnia quæ in mundo sunt, vanitas est, insaniæ falsæ sunt iræ, rixæ, deceptiones, in quibus homines insaniunt, ut peccent. Super *Psalm.* XXXIX, vers. 6 : *Non respexit in vanitates*, etc.

HUGO A VICTORI. 75. Ille vanitatem in corde habet, qui transitoria diligit. Super *Psalm.* XI, cap. 10.

76. Vanitas est totus temporalis fructus hominis, et in vanum laborat omnis homo, nihil accepturus præter vanitatem de universo labore suo. Homil. 1, super *Ecclesiasten.*

77. O homo ! considera in quanta vanitate vivis qui quotidie cernis præterire quod es ; nec tamen scire ulla ratione potes quale sit quod futurus es. *Ibid.*

78. Magna est vanitas corporis, sed multo major vanitas spiritus, qui per vagas cogitationes fere semper evanescit. In *Annot. super Epistolam ad Rom.*, in illud : *Christus moram facit*, etc.

HUGO CA. 79. Vanitas est gladius mundi, quem fugere debemus. Super *librum Jud.*, cap. 8.

80. Homo est vanus in opere, vanior in sermone, vanissimus in cogitatione. Super *Psalm.* XI.

81. Vanitas est, quæ nec plenitudinem confert continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti. Super *Ecclesiasten*, cap. 1.

82. Tolle iniquitates, et nulla erunt vana. Super *Ecclesiastic.*, cap. 3.

83. Ista duo maxime tenent homines in peccato : vanitas mundi, et voluptas carnis. Super *Isai*, cap. 16.

84. Quanto plus homines de vanitate temporalium congregant et laborant, ut æstum cupiditatis extinguant, tanto vanitatis ventum in se fortiorem inveniunt, et æstu cupiditatis magis calent. Super *Hierem.*, cap. 2.

S. JOAN. CHRYSOS. 85. Fieri non potest ut caro nata de vanitate, non sit vanitatis amatrix. Homil. 13, super *Matth. Oper. perf.*

86. Extremæ insaniæ est, hominem ridiculum, probrosum, turpem, ignominiosum, et omni supplicio dignum, adhuc tamen in vanitatibus gloriari velle. Serm. 11, super *Epist. ad Rom.*

87. Vani pietatis faciem gerunt, et honesti apparent, bonorum autem operum sunt expertes. Homil. 11, super II *Cor.*

88. Vanitas vanitatum sunt domus splendidæ, plurimum et superfluum aurum, fastus est vanæ gloriæ studium, mentis superbia et elatio, hæc omnia vana sunt. Serm. 12, super *Epist. ad Ephes.*

89. Inhumana et crudelis et tyrannica vanitas est captivis suis. Homil. 37, *ad Popul. Antioch.*

90. Nihil somnii vanitati præsentium rerum conditio præstat, sive illæ tristes, sive sint prosperæ. Homil. 10, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. TRITE. 91. Vis beatus esse? abjice molem carnis tuæ, ut non consentias vanitati. In cap. 7, *Regulæ S. Bened.*, grad. 7.

92. Quidquid corrumpitur, recte vanitas vanitatum nominatur. *De vanit. et miseria human. vitæ*, cap. 2.

93. Vana sunt omnia, quæ in mundo cernuntur : vanus homo, vanæ divitiæ, vani honores, omnia vana. *Ibid.*

94. Quid hac vanius vanitate? terra manet, quæ hominum causa facta est, et ipse homo terræ dominus in pulverem repente dissolvitur. *Ibid.*

95. Vana sunt omnia, et non solum vana, sed et vanitas vanitatum. *Prosec.*

96. Vanus est mundus; quoniam eos quos amatores tolerat, morientes minime salvat.

97. Vani sunt omnes honores sæculi : quia quos magnos coram hominibus faciunt, repente solos et ignobiles in morte derelinquunt.

98. Vanæ sunt divitiæ, quia possessores suos a morte non liberant, sed de abusu gravius damnant.

99. Vana est omnis potestas terrena : quoniam eos quos in sublimitate posuit, in puncto deserens ad inferos transmittit.

100. Vana sanguinis alti nobilitas : quoniam quos gloriosos coram hominibus facit, morientes escam vermibus concedit.

101. Vana est parentelæ ampla familia : quoniam qui nobilitate generis vivus ab aliis secernitur, mortuus bestiis comparatur.

102. Vana est cognatio carnis; quia interrumpere non potest sententiam mortis.

103. Vanum est dulce maritale conjugium : quoniam quos vivos diligit, mortuos confestim derelinquit.

104. Vana est liberorum multis impensis laboriosa educatio : quoniam parentem, quem vivum sequitur, mortuum detestatur.

105. Vanum est quidquid in mundo pretiosum cernitur : quoniam cito valde amittitur.

106. Cum ergo vana sint omnia, profecto vanus evanescere desiderat, quisquis vanitatem amat. *Ibid.*

PETRUS BLESENS. 107. Totum vanitati datur, quod erat debitum veritati. Epist. 87, *ad Hugonem episcopum.*

PETR. CELL. 108. Gravis est vanitas, quam non levigat sanctitas. *De Panibus*, cap. 15.

S. PETRUS DAMIANUS. 109. Vanitas efficit vanitantes, et ipsi vanitantes faciunt vanitatem : et dum mundus (qui transitorius est) homines, quos decipit, vanos efficiat, et homines mundum, quem insane diligunt, in vanitatem vertant. Lib. 4, epist. 15, *ad V. Episc.*

PHILO JUD. 110. Veritatis adversaria vanitas est, quæ licet ægre, cedit tamen victa viribus efficacioribus. *De Præliis.*

111. Totum quod videtur in terra, nihil est aliud quam universa vanitas, sive universitas vanitatis. *Prosec.* ROBERTUS BELLARM.

112. Quidquid in mundo est, sive sanitas, sive robur, sive pulchritudo, sive divitiæ, sive dignitas, sive potentia, totum fragile et momentaneum est. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 8.

113. O qui scintillam haberet veræ charitatis, profecto omnia terrena sentiret plena fore vanitatis. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 15. THOMAS A KEMPIS.

114. Nemo in hujus mundi vanitate confidat, quam videt infirmis stare vestigiis, cujus cultus temporalis atque inanis est, et ornatus fumo, ventoque similis. Homil. 6, *de Verb. otiosis.* S. VALER. EPISCOPUS.

115. Talis est decor vultus vanitatis; ut si speciem illius vitis aspicias, quæ solstitiali flore est composita, promissæ fructum nescit exhibere vindemiæ, quæ dum minime parturit, maculam perpetuæ sterilitatis incurrit. *Ibid.*

116. Ille ad cœlos opulentissimus pergit, qui a se pompam temporariæ vanitatis excludit. *Ibid.*

117. Propter vanitatem hujus mundi difficile est cuiquam ad cœlestia pervenire. *Ibid.*, homil. 17, *de Bono martyrii.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

118. Nihil quidquam est turpius vanitate. Lib. 1, *de Offic.* CICERO.

119. Projice omnia vana, si sapis, imo ut sapias : et ad bonam mentem magno cursu, ac totis viribus tende. Epist. 17. SENECA.

120. Ne gaudeas vanis, fundamentum hoc est bonæ mentis : etiam culmen. Epist. 23.

Vide etiam tit. *Consolatio*, sent. 42; *Dies*, sent. 41; *Eloquentia*, sent. 11; *Esse*, sent. 14; *Gaudium*, sent. 11; *Hypocrisis*, sent. 82; *Ornatus*, sent. 26; *Pecunia*, sent. 53; *Populus*, sent. 16; *Spectaculum*, sent. 15; *Templum*, sent. 19; *Thesaurus*, sent. 53; *Voluptas*, sent. 33.

## VENATIO.

*Definitio.* Venatio est ferarum in sylvis, recreationis, seu prædationis causa, persecutio. COLLECTOR.

Venatores sunt, qui feras laqueis captare consueverunt, et muta animantia vinculis alligare. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 8, vers. 4. S. AMBROS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Quid jejunare visceribus, et luxuriare venatibus? castigare corpus inedia, mentem exercere nequitia? *Prosec.* S. AMBROS.

2. An putatis illum jejunare, qui primo diluculo, non ad Ecclesiam venit, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus silvasque perlustrat?

3. Servulos secum pertrahit, fortasse magis ad Ecclesiam proclinantes, et voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nescius reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione servorum.

4. Toto igitur die venatibus immoratur, nunc clamorem immoderatum effert, nunc silentium latenter indicit, lætus si aliquid ceperit, iratus si id quod non habebat, amiserit.

5. Tanto denique studio se gerit, quasi ideo indictum jejunium fuerit, ut venetur. Serm. 33, *de Jejunio.*

6. Nullum invenimus divinarum in serie Scripturarum, de venatoribus justum. Super *Psalm.* CXV, serm. 8, vers. 5.

S. ANTONIN. 7. Venatio, quæ fit sine clamore et canibus (ut ponere laqueum, et rete, et hujusmodi) licita est clericis. Part. 3, tit. 13, *de Clericis*, cap, 2, § 1.

S. AUGUST. 8. Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant ; sicut venantium, aucupantium, et piscantium : in eo quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur. *Prosec.*

9. Quam pudendum et dolendum est, si delectat labor ut fera capiatur, et non delectat ut Deus acquiratur. *De Bono viduit.*, cap. 21.

10. Quis æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, a fossis, a præcipitiis, a fluminibus, a feris perferunt venatores : quem laborem esuriendi et sitiendi, quantas vilissimi et sordidissimi cibi et potus angustias, ut bestiam capiant? et interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, sunt epulis necessariæ. Quanquam etsi aper cervusve capiatur, magis suave sit venantis animo, quia captus est, quam comedentis palato, quia coctus est. Serm. 9, *de Verbis Dom.*

11. In die festo nullus in venatione se occupet, et diabolico mancipetur officio. Serm. 1, *Dom.* 26 *post Trinit.*

12. Milites Christi abhorrent venationem, nec ludicra illa avium rapina delectantur. *Ad milites templi*, cap. 4.

S. HIERON. 13. Multi sunt venatores in hoc mundo, qui animam nostram venari conantur ; diabolus venator est qui animas nostras venari cupit ad perditionem. Super *Psalm.* XC, vers. 3 : *De laqueo venantium.*

14. Piscatores invenimus sanctos in Scripturis sanctis, sed penitus non invenimus sanctum aliquem venatorem. *Ibid.*

JOAN. SARES. 15. Quid eo bestialius, qui omisso officio de media nocte surgit, ut sagacitate canum, venatorum industria, studio commilitonum, servulorumque fretus obsequio, temporis et famæ jactura, rerum laborisque dispendio, de nocte ad noctem pugnet ad bestias? Lib. 1, *de Nugis Curial.*, cap. 1.

16. Quomodo dignus est vita, qui nihil aliud novit in vita, nisi vanitatis studio sævire in bestias ? *Prosec.*

17. Quos vero species illa venationis oblectat, ut aves avibus insequantur, si tamen hoc genus aucupii venationi censeas annectendum, mitiori quidem vexantur infamia, sed non impari levitate.

18. Venatica tam terrestris quam aerea, quanto solidior, tanto fructuosior est. *Ibid.*, cap. 4.

19. Licet plurimi venationem exerceant, ut sub eo prætextu sumptus faciant parciores, domi rarius, sæpius in mensa aliena, multitudinem vitant, dum silvas, saltus, lacusque circumeunt, voluptatis aut potius vanitatis imagine consolentur. *Ibid.*

20. Raro invenitur quisquam venatorum modestus aut gravis, raro continens, et, ut credo sobrius nunquam. *Ibid.*

21. Esau venationem exercuit, et benedictione paterna meruit defraudari. *Ibid.*

22. Interroga patres tuos et annuntiabunt tibi, majores tuos, et dicet se nusquam sanctum legisse venatorem. *Prosec.*

23. Quod si nomini venatorum de prophetica professione blandiaris, qua se venatores missurum Dominus pollicetur, qui de umbrosis et excelsis venentur erroneos, bestiolium vitam noveris increpari, non commendari venantium vanitatem. *Ibid.*

24. Potest venatica esse utilis et honesta, sed ex loco, tempore, modo, persona et causa : persona namque venustat studium, dum suo insistit officio, et non præripit alienum. *Ibid.*

25. Esau dum officium venationis exequitur, gratia primogenituræ, et paterna benedictione fraudatus est. Epist. 56, *ad Gualter. Roffens. episcopum.* PETR. B

26. Si curratur ad inventionem et initia venaticæ artis, patebit ex ipsa inventione sua damnabilis. *Prosec.*

27. Hujus enim artificii, aut potius maleficii, legitur fuisse inventrix gens Thebana, fœda parricidiis, detestanda incestibus, insignis fraude, nota perjuriis.

28. Deriserunt eos Athenienses, fingentes sub quodam involucro Dardanum venatorem raptum ad pocula, et a poculis ad illicitos et infames amplexus.

29. Ut de sanctis patribus taceam, vix in numero virorum illustrium poterit inveniri, qui exercuerit artem venaticam gratia voluptatis. *Ibid.*

30. Non bene conveniunt cilicium et accipiter, afflictio carnis et exercitium venationis. *Ibid.*, epist. 61, *ad Sarisberiens. Archid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 31. Consuetudinis magna vis est : pernoctant enim venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. Lib. 2 *Tusc. quæstionum*, num. 40.

PLATO. 32. Congrua venationis laus et vituperatio conscribenda est, ut illud venationis genus, qua ad honestatem juvenum animi informentur, commendetur, quæ contra, vituperetur. Lib. 7, *de Legibus*.

PLINIUS II. 33. Undique silvæ et solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Lib. 1, epist. 7, *ad Cornelium Tacitum*.

## VENDITIO.

COLLECTOR. *Definitio*. Venditio est alienatio rei suæ, jurisque sui in alium translatio. Lib. 5, *de Beneficio*, cap. 10.

S. AMBROS. 1. In contractibus etiam vitia eorum, quæ veneunt prodi jubentur : ac nisi intimaverit venditor (quamvis in jus emptoris transcripserit) doli actione vacuantur. Lib. 3 *Offic.*, cap. 10.

2. Non ita solet constare emptio atque venditio: bonum est emere, sed in pace ; quod propria voluntate venditur, non inde prædatione. *Prosec.*

3. Respice contractus originem, venditionis auctorem, pretii quantitatem, et intelliges prædæ magis, non venditionis emptorem. Serm. 59, *de Avaritia*.

4. Sicut Judæi Christum pro triginta denariis emerunt, ita postea Romani triginta Judæos pro uno denario vendiderunt. *De Passione Domini*.

5. Mimus quidam vel seipsum intuendo, vel alios quoque experiendo, vili velle emere, et care vendere, omnibus id credidit esse commune. Lib. 15, *de Trinit.*, cap. 3.

6. Quæ honeste emuntur, non illicite venduntur. Tract. 19, super *Evang. Joan.*, de cap. 2.

S. ANTONIN. 7. Seductor ut vendat, cum amaritudine blanditur. Tract. 7. super *Epist. Joan.*, de cap. 4.

S. AUGUST. 8. Non debet vendere testis verum testimonium. Epist. 54.

9. Adulatores laudem suam, tanquam oleum, venditant stultis. Epist. 120, cap. 31.

10. Cum se hominibus vendunt, dant isti nummos ut se vanitatibus vendant. Tract. 8, super *Joan.*

11. Venale habent totum, qui nolunt redimi : emi nolunt, et vendere volunt. *Ibid.*, tract. 10.

12. Qui scripturis fallunt populos, a quibus quærunt honores, vendunt boves et oves, id est ipsas plebes, et cui vendunt, nisi diabolo ? *Ibid.*

13. Cum emere cupis, hoc optas ut res suas alii relinvendant : non autem poteris emere, si alius non compulsus fuerit venumdare. Homil. 8, *ex Quinquag. homil.*

S. BERNARD. 14. Id quod venustius, studiosissime quæritur ; et quod rarius invenitur, pretiosius emitur. In *Apol. ad Guillelm. Abbat.*, verbo *Dicitur*.

15. Vende bladum cum satis valet, non quando per pauperem emi non potest. Epist. *de Cura et regimine rei familiaris*.

16. Vis aliquando vendere ? cave cum vendere volueris, ne partem hæreditatis vendas. *Prosec.*

17. Melius enim est gravem pati famem, quam patrimonii venditionem. *Ibid.*

18. Nihil emas in consortem potentioris, ne tibi fortiorem societ. *Ibid.*

S. BONAV. & S. LEO I. 19. Difficile est inter ementis et vendentis consortium non intervenire peccatum. Serm. 4 *Dom.* 2, *post Epiphaniam*, et S. Leo I, epist. 92, *ad Rustic. episc. Narbonens.*, cap. 10.

CLEMENS ALEX. 20. Qui aliquid vendit aut emit, eorum quæ a se venduntur, aut emuntur, nunquam dicat duo pretia. *Prosec.*

21. Unum pretium ac simplex dicens, et vera dicere studens, si id non consequatur, dum veritatem assequitur, dives est recta animi affectione.

22. Absit jusjurandum, auctor omnium quæ venduntur. Lib. 3 *Pædag.*, cap. 11.

S. GREGOR. MAGNUS. 23. Vili pretio opus vendit, qui magna impendit, sed minima recipit. Lib. 8 *Moral.*, cap. 25.

S. HIERON. 24. Nemo renuntiaturus seculo, bene potest vendere, quæ contempsit ut venderet. Epist. 1 *ad Paulin.*

HUGO A S. VICTORE. 25. Molles mollia quærunt, elati pretiosa, delicati speciosa ; sed id quod vilius occurrerit, non quod carius, emendum puto. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 18.

S. JOANNES CHRYSOST. 26. Omnes honores hujus sæculi venduntur et emuntur, et omnis quæstus eorum in venditione seu mercatione consistit. Homil. 34, super *Matth. Oper. imperf.*

27. Qui emit et vendit, sine mendacio et perjurio esse non potest : necesse est enim ut hic juret, quia non tantum valet res, quantum eam comparat ; et ille juret, quia plus valet res, quam vendit. *Ibid.*, homil. 58.

S. IRENÆUS. 28. Quis vendit et non lucrari vult ab eo quod vendit ? Lib. 4 *Advers. hæres.*, cap. 10.

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 29. Non ita solet constare emptio, sicut venditio : bonum est emere, sed in pace, quod propria voluntate venditur, non in deprædatione. *Prosec.*

30. Respice contractus originem, venditionis auctorem, pretii quantitatem, et intelliges prædæ magis, non venditionis emptorem. Homil. 2 *de Avaritia*.

S. PAULINUS 31. Vendere patrimonia et donare pauperibus, stultitia est huic sæculo, sed sapientia Deo est. Epist. 2, *ad Sever.*

S. THOMAS AQUINAS. 32. Vendere et emere rem unam pro alia, vel non in debita mensura, ac rei qualitate, illicitum est. 2, 2, quæst. 77, art. 2.

33. Pretium rerum venalium non consideratur secundum gradum naturæ, cum quandoque pluris vendatur unus equus quam unus servus : sed consideratur secundum quod res in usum hominis veniunt. *Ibid.*

S. VINCENT. FERRAR. 34. Caveamus ne vendamus nos diabolo modico pretio : superbus vendit se diabolo modico vento superbiæ et vanitatis, avarus pro uno denario, luxuriosus modica delectatione ; gulosus uno cibo, vel una paterna vini. Serm. *de Circumcis.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 35. Liberum sit commercium, quod in vendendo versatur. Lib. 2, *de Republ.*

36. Qui in foro aliquid vendit, ne rerum quas vendit pretia addicat, sed ipso pretio simpliciter indicato, minime pretium augeat : nec qui vendit, merces suas nimium laudet, nec tanti sibi eas constitisse jurejurando confirmet. Lib. 2, *de Legib.*

PLINIUS II. 37. Mala emptio semper ingrata est, eo magis quod exprobrare stultitiam domino videtur. Lib. 1, epist. 24, *ad Bebium Hispan.*

SENECA. 38. Emas non quod opus est, sed quod necesse est : quod non opus est, asse carum est. Epist. 94.

39. Quærimus, non quale sit quid, sed quanti. Epist. 15.

Vide etiam tit. *Judas*, sent. 10; *Negotiatio*, sent. 36 ; *Simonia*, sent. 23 ; *Testis*, sent. 11, 12.

## VENENUM.

CASSIODOR. *Etymologia.* Venenum dictum est, eo quod per venas serpat. Super *Psalm.* XIII, vers. 5 : *Venenum aspidum*, etc.

S. ISIDORUS HISPALENS. Venenum dictum est, eo quod per venas vadit : infusa enim pestis ejus per venas vegetatione aucta discurrit, et animam eximit. Unde non potest venenum nocere, nisi hominis tetigerit sanguinem. Lib. 12 *Etymol.*, cap. 4.

S. BONAV. *Comparatio.* Sicut virus serpenti vitam conservat, sic homini mortem propinat. Tit. 2 *Diætæ*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Fratres fugiendum est virus, quod de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem. Part. 2, tit. 4, cap. 7, § 4.

S. AUGUST. 2. Libidinosa crudelitas vel libido crudelis est, ubi propter luxuriam sterilitatis venena procurantur. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 15.

3. In hoc uno prudentiam imitari debemus serpentis, quia venenum deponit, sed non quia iterum venenum resumit. Serm. 4, *ad Frat. in eremo.*

4. Venenum commixtum dulcedini faciliter sumitur, et qui recipit moritur. *Ibid.*, serm. 31.

5. Sal immoderatius acceptus, venenum est. *De Morib. Manich.*, cap. 8.

6. Si scorpioni venenum malum esset, prius scorpionem perimeret. *Ibid.*

7. Venena quæ per inconvenientiam perniciosa sunt, convenienter adhibita, in salubria medicamenta vertuntur. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 22.

8. Possunt dolores curari doloribus, et veneni venena depelli. *De Nat. et grat.*, cap. 28.

9. Qui dant venenum, addunt mellis aliquantum, ut per id quod dulce est, lateat quod amarum est, et bibatur ad perniciem. Tract. 7. Super *Joan.*

10. Qui blandiuntur, occulte immittunt venenum. Super illud *Apocal.* IX : *Similes serpentibus.* GLOSS. OR[D].

11. Venenum mors quidem est homini, sed tamen vita serpenti. Lib. 3 *Moral.*, cap. 7, super illud *Job* II : *Si bona accepimus*, etc. S. GREGO[RIUS] MAGNUS

12. Non est venenum, quod superet venenum aspidis, et basilisci. Centur. 2, sent. 94. HESICHIU[S]

13. Coluber ad bibendum veniens, ni aqua venenum deponit : ne eum venenum aqua concretum occidat. Epist. 19, *ad Præsidium, de Cereo Paschal.* S. HIERO[N.]

14. Venenum inficit, corrumpit, et perimit. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 19. HUGO A VICTORE

15. Lethalius est venenum peccati, quam venenum serpentis. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 3. S. INNOC.

16. Consuetudo naturam immutat, usque adeo ut venenum cibus esse possit. Tract., *de Abstinent Carthusiens.*, verbo *Tertiam.* JOAN. GE[RS.]

17. Omne venenum frigidum est, idcirco anima, quæ ignea est, fugit venenum, quia frigidum. *Prosec.* RUPERT ABB.

18. Serpentum vero quot genera, tot venena : quot species, tot pernicies, quot colores, tot habentur et dolores. Lib. 3, super *Genes.*, cap. 20.

19. Non solum in sævis invenitur draconibus regnare noxium virus : sed etiam in exiguis apum venena latere corporibus. Homil. 6, *de Otiosis verbis.* S. VALE[R.] EPISCOP[US]

SENTENTIÆ PAGANORUM.

20. Quicunque ad alterius incommodum veneficiis utitur, non tantum ad hominum perniciem, sed et ad pecorum, aut aliorum hujuscemodi calamitatem, sive illa sit lethalis, sive non, capite puniatur. Lib. 11, *de Legibus.* PLATO

Vide etiam tit. *Medicina*, sent. 87, 93 ; *Vinum*, sent. 4, 5.

## VENIA.

OLLECTOR. *Etymologia*. Venia inde dicitur, quod optanti eveniat.

IUGO A S. VICTORE. *Definitio*. Indulgentia, seu venia est remissio reatus alieni ex sui consideratione descendens. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 18.

SENECA. Venia est pœnæ meritæ remissio. Lib. *de Clementia, ad Neronem*, cap. 6.

noscere est, quæ judicas punienda, non punire. *Ibid.*, cap. 7.

SENTENTIÆ PATRUM.

. AMBROS. 1. Quia bonus est Deus, sperare potes tuorum peccatorum indulgentiam : non vult enim vindicare, qui est paratus ignoscere. *De fuga sæculi*, cap. 3.

2. Agnoscit se esse hominem, qui novit ignoscere; et vias Christi sequitur. *De obitu Theodosii Imper.*

3. Solet citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur. Serm. 46, *de Pœnit. Petri Apostoli.*

4. Si dimiseris, bene convenit ut dimittat tibi, si non dimittis, quomodo Deum convenis ut dimittatur tibi? Lib. 5, *de Sacram.*, cap. 4.

5. Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti : cum enim uni sacerdos indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 8, vers. 2.

6. Pulcherrimum affectandæ conversionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur : et uberior est gratia, quam precatio; semper enim plus tribuit, quam rogatur. Lib. 10, super *Luc.*, cap. 33.

ANASTAS. ATRIARC. 7. Si non dimittis injuriam, quæ tibi facta est, non orationem pro te facis, sed maledictionem super te inducis : sic enim dicis : Sic mihi dimitte, sicut et ego dimisi. Habetur apud Bedam., *In Scintillis*, cap. 5.

. ANSELM. 8. Non est differenda acquisitio veniæ, ne diuturnior recessus difficiliorem reditum operetur. *De mensuratione crucis*, verbo *Sublimitas*.

. AUGUST. 9. Malis parce vir bone; quanto melior, tanto esto mitior, quanto fis celsior potestate, tanto humilior fias pietate. Epist. 54, *ad Macedonium*.

10. Omnia peccata videntur veniabiliora, cum is qui reus est, correctionem promittit. *Ibid.*

11. Peccatis proximi facile ignoscit, qui sibi novit ignosci. *De fide et symbolo*, cap. 10.

12. Ea eleemosyna nihil est majus, qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit. In *Enchirid.*, cap. 73.

13. Tardius Deo videtur peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. *Prosec.*

14. Sic Deus festinat absolvere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus eum cruciet compassio miseri, quam ipsum miserum compassio sui. *De spiritu et anima*, cap. 6.

15. Non est innocentiæ parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 16.

16. Quando parco, cantas et laudas; quando castigo, murmuras; quasi quando parco sim Deus tuus, et quando castigo non sim Deus tuus. Super *Psalm.* XLIX, vers. 18.

17. Tanto major laus est ignoscentis, quanto major exaggeratio est peccata confitentis. Super *Psalm.* XCIV, vers. 5.

18. Si peccator peccatum suum cognoscit, illi Deus et ignoscit. Super *Psalm.* XXXI, enarrat. 2, vers. 5.

19. Itane verum est quod dicit Dominus, et vere ita se res habet, ut si frater peccaverit septuagies septies, ignoscas; si autem peccaverit septuagies octies, jam liceat tibi non ignoscere? *Prosec.*

20. Audeo dicere, ut etsi septuagies octies peccaverit ignoscas; et si centies peccaverit, ignosce : et quid dicam toties et toties? omnino quoties peccaverit, ignosce.

21. Si septuagies septies peccata tibi Christus donavit, si huc usque ignovit, et ultra negavit : pone et tu limitem, et ulterius noli ignoscere.

22. Si autem Christus millia peccata peccatorum invenit, et tamen omnia donavit, noli tu subducere misericordiam.

23. Non enim sine causa Dominus septuagies septies dixit : cum omnino nulla culpa sit, quam non debeas ignoscere. *De Verbis Domini*, serm. 15.

24. Dicit Dominus, Dimitte, et dimittetur tibi : sed ego prior dimisi, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te; et quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi. *Ibid.*

25. Ne dicas in lingua, ignosco, et corde differas, novit Deus ubi dicas : vocem tuam homo audivit, conscientiam tuam Deus conspicit. *Prosec.*

26. Melius est enim cum clamas ore et dimittis in corde; quam blandus ore, crudelis in corde. *Ibid.*

27. Multi non erubescunt peccare, et non erubescunt veniam rogare : non erubuerunt de iniquitate, et erubescunt de humilitate. Homil. 40, *ex Quinquaginta Homil.*

28. Blanda allocutio, veniæ est postulatio. *Ibid.*

29. Volo concordare, sed ille, me læsit, ille in me peccavit, et non vult veniam postulare : quid ergo dicturus sum? vade ad illum, et tu pete veniam. *Ibid.*

30. Ipse se seducit, et de morte sua ludit, qui

hoc cogitat : potest mihi extremi temporis indulgentia subvenire. Serm. 1, *fer.* 3, *post Dominicam Palmar.*

31. Si resistis veniam roganti, contemneris et tu cum rogaveris : clausisti contra pulsantem, clausum invenies cum pulsaveris. *Prosec.*

32. Nam si aperueris viscera indulgentiæ roganti te, aperiet et tibi Deus, cum rogaveris eum. Serm. 2, *Dom. Rogat.*

33. Qua fronte, quo affectu, qua devotione a Deo potes veniam postulare, si fratrem dum odis, petis quod tibi dimittat, sicut et tu debita dimittis? *Prosec.*

34. Crede ergo mihi, quod tantum tibi dimittet, quantum et tu dimittis alteri. Serm. 9, *ad Fratres in eremo.*

35. Promisit Deus veniam pœnitenti, sed non promisit usque in crastinum differenti. *Ibid.*, serm. 30.

36. Sibi non parcenti, Deus parcit. Epist. 54.

37. Credendum omnino, nullo modo nobis ignosci ea quæ peccamus, si nos inexorabiles ad ignoscenda peccata fuerimus. *De fide et symbolo*, cap. 10.

38. Cum ignoscis ei qui peccat in te, inde dimittis, sed nihil amittis, imo vero abundantius irrigaberis. Homil. 27, *ex quinquag. Homil.*, cap. 2.

39. Timendum est ne plura putrescant, dum pluribus parcitur. Epist. 89, quæstione 3.

BASILIUS MAGNUS. 40. Vide ne dum spe veniæ peccatorum agmen colligis, peccatum quidem cumules, veniam autem minime consequaris. Apud Divum Joannem Damasc. Lib. 1 *Parall.*, cap. 12.

V. BEDA. 41. Facilis venia huic est danda, qui non peccat ex industria. In suis *Prov.*, verbo *Facilis.*

42. Sic aliis ignosce, ut tu tibi peccanti illos ignoscere cupis. *Ibid.*, verbo *Sic.*

S. BERNARD. 43. Ex quo minor reputatur culpa, eo minuitur et gloria indultoris. *Prosec.*

44. Magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende. Serm. 1, *Epiphan.*

45. Veniam sibi adjudicat, qui munus largitoris attenuat. Serm. 16, super *Cant.*

46. Apud Deum judicem ipsa cognitio culpæ, impetratio est veniæ. Lib. *Medit.*, cap. 11.

47. Magna gloria est, si cui nocere potuisti, parcas : et nobile vindictæ genus est, ignoscere victo. *De inter. domo*, cap. 43.

48. Tunc opus est prælato, ut eo minus illi parcendum putet, quo magis omnes offenderet, si uni parceret. *De Duodecim gradibus humilitatis*, gradu 9.

S. CÆSARIUS ARELAT. 49. Si pauperi porrigis eleemosynam, et in te peccanti non tribuis veniam, nihil tibi prodest. Homil. 21.

CASSIOD. 50. Dei est justitia, parcere supplicanti. Super *Psalm.* LXX, vers. 1.

GRATIAN. 51. Sine humilitate, alicui veniam sperare non licet; nec ubi est taciturnitas confessionis, venia est speranda criminis. In *Decretis*, parte 2, *de Pœnit.*, dist. 1, can. *Quis aliquando.*

S. GREG. MAGNU. 52. Qui sibi nunc in culpa parcit, ei postmodum in pœna non parcitur. Lib. 11 *Moral.*, cap. 17.

53. Sæpe pietas per inordinatam misericordiam errare solet, si forte pepercerit quæ parcenda non sunt. Homil. 19, super *Ezech.*

54. Inordinata pietas, cum temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit. *Ibid.*

S. HIER. 55. Non sit exactor vindictæ, qui petitor est veniæ. In *Regula monachor.*, cap. *de Patientia.*

HUGO CA. 56. Confidentiam habe, et veniam consequeris. Super *Gen.*, cap. 4.

S. JOAN. CHRYSO. 57. Qua venia dignus erit, qui alterius pœna emendatior non sit? Homil. 20, super *Gen.*

58. Non exactor est vindictæ, qui petitor est veniæ. Homil. 38, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. GE. 59. Si non vis aliis parcere, parce tibi. *Epistola ad studentes Collegii Navarræ*, part. 1.

JOAN. SARESI. 60. Nihil movet ad veniam, nisi cum nocens nudam detegit culpam. Lib. 2, *de Nugis curial.*, cap. 27.

S. ISIDO. HISPAL. 60 *bis.* Nullus desperare debet veniam, etiamsi circa finem vitæ ad pœnitemtiam convertatur. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 14, sent. 6.

61. Supplici oranti veniam deprecare : petenti quoque tibi veniam, libenter indulge. Lib. 2, *de Symonym.*, cap. 7.

S. LAUREN. JUSTIN. 62. Fit perquam sæpe, ut venia careant, qui gratiam sibi neglexerunt oblatam. Lib. 1, *de Spirit. interitu*, cap. 4.

S. PETRI DAMIANI. 63. Quæ est vanitas, uni parcere, et omnes in discrimen adducere? polluuntur enim omnes uno peccante. *Opusc.* 57, dissertat. 2, cap. 2.

SALVIANI. 64. Ignosci aliquatenus ignorantiæ potest, contemptus vero veniam non meretur. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

65. Felicius multo est, et laudabilius suis aliquem etiam immerito ignoscere, quam in suos etiam merito vindicare. Epist. 4, *ad Parentes.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CLEOB. LIND. 66. Ignoscas aliis multa, nihil tibi. In *dictis Sapient.* ex Ausonio, dict. 4.

MIMUS PUBL. 67. Bonis nocet quisquis pepercerit malis. In suis *Sent.*, sent. 63.

SENECA. 68. Parcendum est, tibi enim parcis, cum videris alteri parcere. Lib. 1, *de Clement.*, cap. 5.

69. Parcit sapiens, consulit, corrigit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 7.

70. Qui ignoscit fatetur aliquid se, quod fieri debuit, omisisse. *Ibid.*

71. Ignosci amat, qui quod odit ostendit. *De Moribus.*

72. Alteri semper ignoscito, tibiipsi nunquam. *Ibid.*

73. Bonis nocet, qui malis parcit. *Ibid.*

74. Tam omnibus ignoscere, quam nulli, crudelitas est. In suis *Proverb.*, in fine positis.

Vide etiam tit. *Culpa*, sent. 79; *Desparatio*, sent. 16, 17; *Detractio*, sent. 81; *Ecclesia*, sent. 28, 29; *Eleemosyna*, sent. 18; *Judicium* in genere, sent. 26; *Læsio*, sent. 35; *Meditatio*, sent. 64; *Misericordia Dei*, sent. 50; *Occisio*, sent. 19; *Passio Christi*, sent. 46; *Peccatorum remissio*, per totum; *Placare Deum*, sent. 15; *Punitio*, sent. 5, 6, 32; *Recidivatio*, sent. 9, 11; *Reus*, sent. 9; *Vindicta* in genere, sent. 27, 36.

## VERBUM IN GENERE.

ANASTAS. *Etymologia*. Verbum, quod lingua profertur, λόγος dicitur à λέγειν à dicendo. In *libro viæ ducis*, cap. 2, *de Verbo.*

ANTONIN. Verbum dicitur, quasi verum boans, id est, manifestans. Parte 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 15, § 1.

ISIDORUS HISPAL. Verbum dicitur, eo quod verberato aere, sonet. Lib. 1, *Etymolog.*, cap. 8.

ANASTAS. *Definitio*. Verbum vocale est mentis et cogitationis nuntius. In *Libro viæ ducis*, cap. 2 *de Verbo.*

AUGUST. Verbum est uniuscujusque rei signum quod ab audiente possit intelligi, a loquente prolatum. *De Princip. dialect.*, cap. 5.

Verbum est quidquid corde concipitur. *Annot. in Job*, cap. 30.

VINCENT. FERRAR. Verbum proprie, est conceptus mentis. Serm. 5, *Dominicæ* 8 *post Trinitatem.*

BONAV. *Comparatio*. Sicut inauris ornat aurem, et margarita in corona ornat faciem : sic verbum bonum ornat sapientem. Serm. 2, *Hexam.*

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Adulterinus sermo juvenculæ, nodus adolescentium est : verba adolescentis, vincula sunt amoris. Lib. 1, *de Pœnit.*, cap. 13.

ANTONIN. 2. Tanta est humana fragilitas, ut ad sibilum unius verbi dejiciatur. Parte 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 12, § 2.

AUGUST. 3. Sermoni humano verba nova, vel minus usitata, moderate ac decenter aspersa, splendorem addunt. Epist. 49, *ad Deogratias*, quæst. 6.

4. Romani maximus auctor Tullius eloquii, nullum unquam verbum, inquit quod revocare vellet, emisit : quæ quidem laus, quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto. Epist. 7, *ad Marcellin.*

5. Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Lib. 4, *de Doctrina christiana*, cap. 11.

6. Verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. *Prosec.*

7. Verbis uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. In *Enchiridio*, cap. 22.

8. Nullum procedit rei alicujus ex ore corporis verbum, cujus est in corde silentium. *De Continent.*, cap. 1.

9. Susurri verba semper mala. *De salutar. docum.*, cap. 49.

10. Interest quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi mens rea. *De Verb. Apost.*, serm. 28.

11. Verbis nisi verba non discimus. *De Magistro*, cap. 11.

12. Omne verbum sonat : cum enim est in scripto, non verbum, sed verbi signum est. *De princ. dialect.*, cap. 5.

13. Moneo ut semper rerum curam magis quam verborum te habere delectet. *De Quant. animæ*, cap. 6.

14. Qui omnia per verbum condit, humana verba non quærit. Epist. 121, cap. 11.

15. Ineffabili majestati nulla verba congruunt. *Contra Adimant.*, cap. 11.

16. Nemo utitur verbis, nisi aliquid significandi gratia. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 2.

17. Omnia signa verbis comparata, paucissima sunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3.

18. Non mentitur quisquam si aliis verbis dixerit, quid ille voluerit, cujus verba non dicit. Lib. 2, *de Consens. Evang.*, cap. 28.

19. Fortitudo mea in verbis est, non in factis. *Annot. in Job*, cap. 19.

20. Malle debeo veriores, quam disertiores audire sermones. *De Catechiz. rud.*, cap. 9.

21. Modus sermonis sive acrius, sive blandius proferatur, moderandus est. In *Expos. super epist. ad Galat.*, cap. VI.

22. Aliquando sermo deficit, ubi etiam intellectus proficit. Tract. 19, super *Joan.*

23. Magis sermo patitur defectionem, quando intellectus non habet perfectionem. *Ibid.*

24. Quando concipis verbum quod proferas, rem vis dicere : et ipsa rei conceptio in corde tuo, jam verbum est. *Ibid.*, tract. 14.

25. Nihil aliud sunt verba, quam signa : significando enim verba sunt : tolle significationem verbo, strepitus inanis est. *Ibid.*, tract. 45.

26. Placent vobis verba, ego quæro facta. Homil. 28, *ex Quinquaginta Homil.*, cap. 7.

S. BERNARD. 27. Quisquis verbum in ore habet, et in corde non habet; aut dolosus est, aut vanus : quisquis vero in corde et non in ore, aut superbus est, aut timidus. Serm. *ad Milites templi*, cap. 12.

S. BONAV. 28. Sicut inauris ornat aurem, et margarita in corona ornat faciem : sic verbum bonum ornat sapientem. Serm. 2, in *Hexam.*

29. Bonorum ingeniorum insignis indoles est, in verbis verum amare, non verba. Super *Sap.*, cap. 6.

30. Sustineas verbum asperum proximi, ut evadas verbum asperum Christi. Serm. 4, *Dom. 4 Advent.*

31. Otiosa, joculatoria, juratoria, contentiosa, maledica, vel sæcularia verba, nec pura sunt, nec religiosæ conveniunt dignitati. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

CLEMENS. ALEX. 32. Sermo, fructus est cogitationis, et verba omnia a cogitatione et moribus emanant. Lib. 2, *Pædag.*, cap. 5.

33. Qualis sermo, talis vita. Lib. 3, *Stromat.*

DIONYSIUS CARTHUS. 34. Vitanda sunt omnia verba iniqua, detractoria, mendosa, pungitiva, derisoria, vana, currilia, nociva, fraudulenta, otiosa, juramenta, perjuria, falsa testimonia. Super *Epist. I Petri.*, cap. III, art. 6.

FRANCISCUS TITELMAN. 35. Impii, quo facilius noceant, sermones suos lenes, blandos atque molles faciunt amplius quam ullum oleum valeat esse molle aut blandum. In *Elucid. sup. Psalm.* LIV.

36. Tanquam acutissima jacula sunt verba dolosa impiorum, quibus vulnerant et perimunt. *Ibid.*, vers. 24.

GILLEBERT. ANGLUS. 37. Verbum dulce facilius movet, et fovet suavius, mitigat inimicos, et amicos multiplicat. Serm. 31, super *Cant.*, apud divum Bernard.

GLOSS. ORD. 38. Qui sapientium verba audire negligit, vitam suam gubernare non novit. Super illud *Prov.* 1, *Audiens sapiens.*

39. Nullum verbum sine voce auditur, nec vox sine intelligentia verbi valet : vox viam verbo præparat, ut audiatur atque recipiatur. Super illud *Matth.* III : *Ego vox clamantis.*

S. GREGOR. MAGNUS 40. Ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Lib. 7 *Moral.*, cap. 17, num. 15.

41. Apud homines cor ex verbis : apud Deum verba pensantur ex corde. *Ibid.*, lib. 26, cap. 7.

42. Injustis semper gravia sunt verba justorum, et quæ ad ædificationem prolata audiunt, hæc quasi superimpositum pondus ferunt. *Ibid.*, lib. 8, cap. 22.

43. Ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. *Ibid.*, cap. 26.

44. Humanæ aures verba talia judicant, qualia foris sonant : divina vero judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. *Ibid.*, lib. 26, cap. 7, num. 7, super illud *Job* XXV : *Numquid æqua tibi videtur*? etc.

45. Recedant verba quæ vanitatem inflant, et charitatem vulnerant. Lib. 7, in *Registro*, indict. 1, cap. 30, epist. 30, *ad Eulog. episc. Alexandr.*

46. Non verbis quæro prosperari, sed moribus. *Ibid.*

47. Si non vales verba ferre pulveris, quid facturus es ad judicium conditoris? *Ibid.*, lib. 1, ind. 9, cap. 33, epist. 33, *ad Venant.*

48. Verba tua ponderet cogitatio, et linguæ officium animi libra dispenset. Epist. 14, *ad Celantiam.* S. HIER

49. Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus, et ante occasionem sermo placidus. Epist. 1, *ad Demetriad.*

50. Secreta verbula, non carent suspicione. In *Regula Monachar.*, cap. 20.

51. Fictitia verba, instrumenta sunt diaboli. *Ibid.*, cap. 2.

52. Pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia : quomodo libidinosum, qui sua callide celat vitia interdum turpis sermo demonstrat. Lib. 3, super *Ezech.*, cap. VIII, super illud *Matth.* XII : *Ex abundantia cordis os loquitur.*

53. Verba sensum enuntiant, sensus rationis est motus, rationis motum veritas incitat. Lib. 5, *de Trin.* S. HILAR

54. Fallax verbum, etiamsi facunde aut composite dicitur : nihilominus tamen ab auditore, aut noxium, aut otiosum reputatur. *De inst. Novit.*, cap. 17. HUGO A VICTOR

55. Dicitur quis potens in verbis, quia efficax est ad operandum, vel quia prudens in loquendo vel quia modus dicendi est efficax, vel quia promptus ad loquendum. Super *Exod.*, cap. 5. HUGO CA

56. Verba quæ de alta radice superbiæ veniunt, cum quadam altitudine, de ore loquentis procedunt. Super *Job*, cap. 34.

57. Non magis quæras ornatum verborum, quam fructum auditorum. Super *Ecclesiastic.*, cap. 4.

58. Verba instructionis et correctionis, utilia sunt animæ; verba recreationis vel consolationis corpori : hæc tamen indifferentia sunt, nisi fiant eo fine, ut mediante corpore prosint animæ. Super *Matth.*, cap. 12.

59. Omnia verba secularia, quamvis sint composita et ingeniosa (quoniam non habent in se virtutem Dei) mortua sunt. Homil. 46, super *Matth. Oper. imperf.* S. JOANN CHRYSOS

60. Sermo incircumspecte prolatus, integras in-

terdum familias subvertit, et animas audientium perdidit. *Prosec.*

61. Pecuniarum jacturam reparare licet, verbum autem semel elapsum revocare non licet. Homil. 20, *ex divers. in Matth.*

62. Sermo, seu verbum minister est cordis. Serm. *de Levium peccator. maculis.*

JOAN. SARESB. 63. Doctissimi viri sententia est verba accipienda esse ex sensu, ex quo fiunt; non ex sensu, quem faciunt. Epist. 240, *ad Robertum.*

CT. FIRM. 64. Res, non verba quæruntur. Lib. 3, *de Divin. Inst.*, cap. 13.

UDOVICUS BLOSIUS. 65. Verba tua odiosa mordacitate, aculeisque immodestis, et intempestivis careant. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 13.

TR. CELL. 66. Leve est omne verbum, quod neque testimonio solidum, neque auctoritate verum est. Lib. 6, epist. 23, *ad Nicolaum monach.*

PROSPER. 67. Prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia : cum non res pro verbis, sed pro rebus enuntiandis verba sint instituta. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 34.

68. Potentes sunt verbo, qui verbi famulantur imperio : quia ipsius implentur virtute, cui serviunt. Super *Psalm.* CII, vers. 19.

CHARD. A VICTORE. 69. Ubi composita fuerint verba, et cum disciplina prolata, testimonium dant constantiæ mentis, prudentiæ, atque discretionis. Part. 2, super *Cant.*, cap. XIX.

SYDONIUS EPISCOPUS. 70. Maximum pondus in verbis est, cum aut nulla narrantur, aut seria. Lib. 1, epist. 2, *ad Agricolam.*

THEODOR. 71. Occulta verba graviora sunt, quam illæ quæ propalam proferuntur. Super *Psalm.* V, vers. 11 : *Linguis suis dolose agebant.*

. THOMAS AQUINAS. 72. Homo ex verbis suis cognoscitur de qua regione et patria sit. Opusc. 9, *de Decem præceptis*, præcept. 8, verbo *Loquaris.*

. VALER. EPISCOPUS. 73. Verborum intolerabile vulnus est ; difficile autem sanare potest alius doloris causam, quæ semel peccatori infixa, sedem animæ latenter invaserit. Homil. 5, *de Oris insolentia.*

74. Sine remedio est culpa verborum. *Ibid.*

75. Videmus frequenter etiam verborum facta in crimen venire, et nimia facilitate verborum amicitiis odia succedere. *Ibid.*

76. Ubi verbis verba succedunt, incendio fomenta præstantur. *Ibid.*, homil. 12.

IN VITIS PATR. 77. Negotiator est, qui alienis verbis vult gloriari. Lib. 5, libell. 8, num. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 78. Nullum verbum mihi, quod non salva conscientia procederet, excessum est. Lib. 4, *Quæst.* in præfat.

79. Non delectent verba nostra, sed prosint. Epist. 75.

80. Non acerba, sed blanda timeas verba. *De quatuor virt.*

81. Verba rebus, non personis æstimanda sunt. *De moribus.*

82. Non verbum, sed ratio præcedat actus tuos. Sent. 66. SIXTUS PHILOSOPH.

83. Sapiens verbis innotescit paucis. *Ibid.*, sent. 13.

84. Melius est lapidem frustra jactare quam verbum. *Ibid.*, sent. 144.

85. Verba sine sensu sunt opprobria. *Ibid.*

86. Levius est omne vulnus, quam verbum. *Ibid.*, sent. 175.

87. Verba tua pietate semper plena sint. *Ibid.*, sent. 214.

88. Fidelium pauca sint verba, opera autem multa. *Ibid.*, sent. 370.

Vide etiam tit. *Contumelia*, sent. 24 ; *Disputatio*, sent. 10; *Eloquentia*, sent. 22, 32; *Locutio*, sent. 39 ; *Prædicatio*, sent. 50.

## VERBUM DEI.

*Definitio.* Verbum Dei virtus naturæ est, et diuturnitatis substantia. Lib. 2, *Hexæm.*, cap. 3. S. AMBROS.

Verbum Dei est semen ordinatum ad generationem spiritualem causandam. Part. 3, tit. 18, cap. 1. S. ANTONIN.

Verbum Dei est Filius Dei Patris, per quod omnia facta sunt. *De Essentia divinitatis.* S. AUGUST.

Verbum Dei est ipse conceptus Dei, quo seipsum et alia intelligit. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 1, lect. 2. S. THOMAS AQUIN.

*Comparatio.* Sicut cibis et deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescit. Homil. 9, in cap. XVI *Levitici.* ORIGENES.

Sicut imber facit ut semina obruta, et prope modum sepulta vigeant : sic verbum Dei veluti quidam ros est in causa, ut hominum natura resurgat. Super *Cant. Isaiæ*, in illud : *Ros enim*, etc. S. THEODOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Vulnerat Dei verbum, sed non ulcerat. Lib. 3, *Virginibus.* S. AMBROS.

1 *bis.* Vivit verbum Dei, et maxime in animis vivit piorum, nec unquam moritur plenitudo divinitatis. *De fuga sæculi*, cap. 2.

2. Ibi bonum consilium, ubi est Dei verbum. *Prosec.*

3. Hoc verbum medicina est, non pœna : hoc verbum sanat, non perdit : hoc verbum sit in corde tuo, sit et in ore tuo.

4. Hoc verbum sit in occultis, ubi diabolus insidiatur : intret hoc verbum, exeat diabolus : nam

si irrepserit diabolus, Christus recedit. Super *Psalm* XLV, in præfat.

5. Nemo eget judicio sui, qui verbo Dei abundat. Lib. 2, super *Luc.*, cap. III, *Factum est verbum Domini*, etc.

6. Verbum Dei fides nostra est, verbum Dei lux est. Lib. 7, super *Luc.*, cap. XI, in illud : *Nemo lucernam accendit.*

7. Hæc est animæ vitalis substantia, qua alitur et pascitur, et gubernatur : nec quidquam est aliud, quod vivere faciat rationabilem animam, quam eloquium Dei. Super *Psalm.* XVIII, serm. 7, vers. 2.

8. Nihil terrenum, nihil sæculare, nihil corporeum, nihil leve atque mutabile in eloquiis constituendum est cœlestibus. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 12.

9. Quisquis verbo Christi pascitur, pabulum non requirit : nec enim potest sæculi panem capere, qui pane reficitur Salvatoris. Serm. 35, *de Jejunio Domini.*

10. Negligit famem corporis, qui pabula lectionis intendit, nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit. *Prosec.*

11. Ipsa enim est refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de divinis eloquiis cibum accipimus.

12. Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit, et insidias a nobis diabolicæ tentationis excludit. *Ibid.*

13. Dives est verbum Dei. Lib. 9, epist. 72, *ad Irenæum.*

14. Verbum Dei pascitur animæ virtutibus; quia sponsus animæ, Dei verbum est. *De bono mortis*, cap. 5.

15. Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? Super *Psalm.* CXVIII, serm. 13, vers. 8.

S. ANSELM. 16. In Trinitate non dicitur verbum, nisi Filius : quia nec ille cujus est verbum, potest esse verbum suum, nec verbum potest esse cujus est verbum. In *Monologio*, cap. 37.

S. ANTONIUS ABBAS. 17. Non cum labore operatur Deus, sermo autem Dei, opus est ejus, et consilium sermo ipsius est. Serm. *de Vanitate mundi.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 18. O verbum non verberans, sed cor inebrians! o verbum dulce confortans peccatorem! o verbum aqua frigida animæ sitienti! Serm. *Dom. 4, Adventus.*

S. AUGUST. 19. Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur et pascitur. *De salutar. docum.*, cap. 28.

20. Vide ne tædium fastidiumque verbi Dei te necet; et metuendum est, ne anima minus sapiat verbum Dei, et fastidio moriatur. Super *Psalm.* CVI, vers. 8.

21. Omnia divina eloquia salubria sunt bene intelligentibus, periculosa vero his, qui ea volunt ad sui cordis perversitatem detorquere, potius quam suum cor ad eorum rectitudinem corrigere. super *Psalm.* XLVIII, conc. 1.

22. Veritas incommutabilis, quod est verbum Dei, Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia, in se manens innovat omnia. Super *Psalm.* CIX, vers. 4.

23. Custoditio verborum Dei, intelligenda est operatio præceptorum : frustra enim custodiuntur memoria, si non custodiantur et vita; nam quidam verba Dei tenendo agunt ne obliviscantur, nec agunt vivendo ut corrigantur. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 5.

24. Verbum est Christus, et verbum Dei Christus : apud Deum, verbum Christus, et Deus verbum Christus, et Deus et verbum unus Deus, non tantum verbum Christus, quia verbum caro factum est, sed et verbum et caro Christus. Tract. 23, super *Evang. Joan.*, de cap. V.

25. Sermo Dei (qui est ovium sanctarum cibus) si sufficit, salubriter capiatur : si exiguus est, desiderabiliter ruminetur. *Ibid.*, tract. 59, de cap. XIII.

26. O verbum per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil : verbum quod est ante omnia, ante quod nihil : verbum creans omnia, sine quo omnia nihil : verbum regens omnia, sine quo nihil sunt omnia. In *Soliloq. animæ.*, cap. 3.

27. Verbum est forma quædam, forma non informata; sed forma omnium formatorum. *Prosec.*

28. Forma incommutabilis sine lapsu, sine defectu, sine tempore, sine loco, superans omnia, existens in omnibus, et fundamentum quoddam in quo sint, et fastigium sub quo sint. *De verbis Dom.*, serm. 38.

29. Verbum Dei non proficit, aut crescit accedente cognitore : sed integrum si permanseris, integrum si recesseris, integrum cum redieris manens in se, et innovans omnia. *Ibid.*

30. Verbi Dei altitudo exercet studium, non denegat intellectum. *Prosec.*

31. Si omnia clausa essent, nihil esset unde revelarentur obscura : si omnia tecta essent, non esset unde alimentum anima perciperet, et haberet vires quibus posset ad clausa pulsare. *De verbis Apostoli*, serm. 13.

32. Quid vobis plus esse videtur verbum Dei, an corpus Christi? si verum vultis respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam corpus Christi. *Prosec.*

33. Non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit.

34. Qui verbum Dei libenter audit, inaures animæ de patria Paradisi tranmissas se suscepisse non dubitet. Homil. 26, *ex Quinquaginta Homil.*

35. Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur. Serm. 1, *fer* 6, *post Dom. Pass.*

36. Verbum Dei pascit Angelorum tot millia : mente enim pascuntur, mente replentur. Implet Angelos, implet mundum, implet Virginis uterum, nec ibi spatiatur, nec hic angustatur. Serm. 2, *fer.* 3, *Paschæ.*

37. Non est ars efficacior Dei verbo. Lib. 11, *de Civit. Dei,* cap. 21.

38. Nullus arbitretur verbūm Dei, per quod facta sunt omnia, quasi per loca posse definiri, et alicubi visibiliter apparere, nisi per aliquam visibilem creaturam. *Contra Adimant.*, cap. 9.

39. Domini verba vigilant, sed tu dormis. Lib. 3, *contra Julian.*, cap. 19.

40. Jam factus es verbum, sed oportet te refici per verbum : si autem mala fuerit fides tua de verbo, non potes refici per verbum. Tract. 1, super *Joan.*

41. Nunquam Deus sine verbo fuit, quia verbum est manens, non transiens; Deus, non sonus. *Ibid.*, tract. 42.

42. Christus est verbum et homo : quid est verbum et homo? verbum, anima et caro. *Ibid.*, tract. 47.

43. Verbum Dei cibus est : accipe lac ut nutriaris, ut sis validus ad capiendum cibum. *Ibid.*, tract. 1.

44. Verba Domini pauca, sed magna sunt. *Ibid.*, tract. 37.

45. Multi facile habent in fronte signum Christi, et corde non recipiunt verbum Christi. *Ibid.*, tract. 1.

S. BASILIUS SELEUCENS. 46. Animæ alimentum, est pabulum verborum Dei. *Orat.* 16.

V. BEDA. 47. Omnis anima, quæ Verbum Dei mente conceperit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris. Lib. 1, super *Luc.*, cap. 1, in illud : *Abiit in montana,* etc.

S. BERNARD. 48. Verbum Dei est non sonans, sed penetrans : non loquax, sed efficax; non obstrepens auribus, sed affectibus blandiens. Serm. 31, super *Cant.*

49. Cum mens ineffabili verbi illecta est dulcedine, quodammodo se sibi furatur, imo rapitur atque elabitur a seipsa ut verbo fruatur. *Prosec.*

50. Quisquis curiosus es scire quid sit verbo frui, para illi non aurem, sed menten : non hoc docet lingua, sed gratia.

51. Magna fratres, magna et sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur, digna adipisici quod non valet addisci, digna a verbo et de verbo concipere quod suis ipsa verbis explicare non potest. *Ibid.*, serm. 85.

52. Verbum Dei quanto amplius ruminatur in ore, tanto dulcius sapere debet in corde. Serm. 4, *de Cœna Dom.*

53. Verbum Dei debet pronuntiari tripliciter : sapienter, eloquenter, confidenter : sapienter, ut doceat : eloquenter, ut placeat : confidenter, ut moveat. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 1, vers. 13, art. 2. S. BONAV.

54. Verbum Dei custodiendum est sicut thesaurus artificiosus, radiosus, deliciosus, et copiosus. *Ibid.*, cap. 1, vers. 14, art. 2.

55. Divinum verbum frequentius prædicatum, est valde virtuosum, si ei adsistat Verbum increatum, propter nos creatum, sive incarnatum : nam præter Verbum increatum, frustra impenditur verbum creatum prædicatum. Serm. 2, *de SS. Evang.*

56. Verbum Dei inflammat non solum audientem, sed etiam loquentem. *Ibid.*

57. Verbum Dei est cuidam lapidi pretioso simillimum, qui manum se stringenten adurit : quia verbum divinum quos tangit, includit, et calefacit intima cordis. *Ibid.*

58. Verbum Dei non solum intellectum dirigit, affectum incendit, et opus perficit : sed quod consummatum est complet, dum ad supernam gloriam introducit. *Ibid.*

59. Lumen animæ, et cibus æternus, non est aliud nisi verbum Dei, sine quo anima nec videre potest, nec vivere. *Prosec.* S. CÆSARIUS ARELAT.

60. Quia quomodo caro moritur, si non capiat cibum : ita et anima extinguitur, si non accipiat Dei verbum. Homil. 20.

61. Eloquia Domini nesciunt cum aliqua sorde misceri. Super *Psalm.* II, vers. 7 : *Eloquia Domini,* etc. CASSIODOR.

62. Verbum Dei, verbum veritatis, verbum incorruptionis est et stimulus salutis. In *Orat. adhort. ad gentes.* CLEMENS ALEX.

63. Verbum Dei, optimus dux est, cujus est visus perspicacissimus et qui cordis intima pervidet. Lib. 1 *Pædag.*, cap. 3.

64. Verbum Dei multis modis allegorice dicitur, et cibus et caro, et nutrimentum et panis, et sanguis et lac. *Pæd.*, cap. 6.

65. Ut vinum corpus, ita sermo Dei animum roborat. Hab. lib. 3 *Parall.*, cap. 12, operum D. Joan. Damasc. EVAGRIUS.

S. EUCHER. 66. Verbum Dei qui non credit, non intelligit. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

GILLEBERT. ANGLUS. 67. Verbum Dei lucet et ardet. Serm. 24, super *Cant.*, apud D. Bernard.

GLOSS. INT. 68. Aliquando blande loquitur Deus, ut ametur : aliquando terribiliter, ut timeatur. Super *Job*, cap XXXVIII.

69. De verbis Domini humano sensu argumentari, sacrilegium est. Super *Hierem.*, cap. 31.

GLOSS. ORD. 70. Via Domini ad cor dirigitur, cum sermo ejus diligenter auditur. Super *Matth.*, cap 3, in illud : *Viam Domini*, etc.

S. GREGOR. MAGNUS. 71. Tunc verba Dei mens vivacius penetrat, cum ad se admittere sæcularium curarum tumultus recusat. Lib. 23 *Moral.*, cap. 12.

72. Cibus mentis, est sermo Dei. Homil. 15. super *Evang.*

73. Stude quæso, et quotidie Creatoris tui verba meditare : disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, et mens tua ad cœlestia regna majoribus desideriis accendatur. Lib. 4, in *Registro*, indict. 13, cap. 84, epist. 40, *ad Theodor.*

S. GREGOR. NAZ. 74. Quod in corpore cibus, hoc in ainma est verbum Dei. Orat. 16, *ad subditos.*

75. Famem auditione verbi Dominici pati, miserrimum est. Orat. 22.

S. GREGOR. NYSS. 76. Homo cum sit particeps rationis, vero nutritur verbo. Homil. 5, super *Cant.*

S. HIERON. 77. Optima ornamenta sunt aurium verba Dei : ad ea sola paratus esse debet auditus, eaque pretiosissimis lapidibus anteferre. Epist. *ad Demetriad.*

78. Dei verbum vita est, et nos aliter vivendo, quam vita est, verbum Dei facimus obscurum. Epist. 20, *ad Therasiam, de vera circumcis.*

79. Animus sæcularium sollicitudinum plenus illecebris, verbum non potest sustinere divinum, nisi prius ipsas mundi sollicitudines evangelica in se falce succiderit. Epist. 37, *ad Pammach. et Ocean.*

80. Christiani debent verbo Dei plus obedire, quam diabolo. *Ibid.*

81. Sic dulcia sano palato eloquia Domini sunt, ut numquam degustata fastidiant. In *Regula monachar.*, cap. 37.

82. Omnes verbum Dei jubentur audire, ut unusquisque pro suo modulo et sensu intelligat quid Dominus præcipiat. Lib. 2, super *Ezech.*, cap. 6.

83. Pinguissimus sermo divinus est, omnes habet in se delicias : quidquid volueris, ex sermone divino nascitur. Super *Psalm.* CXLVII, vers. 3 : *Et adipe frumenti satiat te.*

84. Sine Dei verbo justitia omnis intuta est. Super *Epist. ad Ephes.*, cap 6, in illud : *Quod est verbum Dei.*

HUGO A VICTORE. 85. Verba Dei cibus dicuntur : quoniam sicut cibus corporalis carnem reficit, ita verbum Dei mentem pascit. Super *Psalm.* CXVIII, cap. 78.

86. Verbum Dei cibus et lumen animæ est. Lumen, quo illuminatur ; cibus, quo reficitur. Lumen, quo clarescit ad cognitionem veritatis ; cibus quo pinguescit et hilarescit ad amorem bonitatis. Lib. 1, *Miscellan.*, codic. 1, tit. 122.

HUGO CAR. 87. Scientia verbi Dei amittitur, dum nimis ad temporalia intenditur. Super *Gen.*, cap. 37.

88. Verbum Dei tribuit ægris medicinam, cæcis lumen, famelicis panem, sitibundis vinum, infrigidatis ignem, impugnatis clypeum, desolatis consolationem. Super *Psalm.* LVII.

89. Frigidissimus est, quem ignis divini eloquii non incendit. Super *Hierem.*, cap. 23.

90. Eloquium Domini masticatum per meditationem, decoctum per amorem, conversum in sanguinem per pœnitentiæ et compunctionis amaritudinem, omnia membra vivificat. Super II *Thess.*, cap. 3.

S. JOANN. CHRYSOST. 91. Divina eloquia similia sunt thesauro et fonti largis perennibusque scaturienti fluentis : magna est hujus thesauri abundantia, et larga fontis hujus ubertas. Homil. 3, sup *Genes.*

92. Sicut medicina languenti corpori, sic verbum Dei prodest animæ ægrotanti. Homil. 8. super *Math. oper. imperf.*

93. Omnia verba divina, quamvis rustica sint et incomposita, viva sunt. *Ibid.*, homil. 46.

94. Omnibus brutis est rationis expertior, qui loquentem Deum audire dedignatur. *Prosec.*

95. Deo placere hominis est : si Deo placere hominis est, qui Deum loquentem audire negligit, quanam ratione id assequetur ? is profecto nihil differt a bellua.

96. Considera quam turpe, quam scelestum sit : cum Christus nos ex hominibus Angelos fieri velit verbo suo, ex hominibus in belluas sponte nostra mutari. Homil. 1, super *Joan.*

97. Fames gravis, fames non audiendi verbum Domini. Homil 25, super *Acta Apost.*

98. Nihil pulchrius, nihil suavius anima, quæ verbo Dei pascitur : omni superior est morbo, omni fame, omni intemperie, et ægritudine. *Ibid.*

99. Quemadmodum non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus, et in stomachum descenderit : sic non proficit ad salutem verbum Dei, nisi cum fuerit intellectui et memoriæ traditum. *Prosec.*

100. Nam sicut cibus nihil prodest, si manducaverimus et iterum evomimus eum de stomacho :

sic nihil nobis prodest verbum Dei, quod audimus, et obliviscimur illico.

101. Cibus qui in stomacho stat, ille confortat : et sermo qui in memoria manet, ille salvat. Homil. 41 super *Matth. oper imper.*

102. Verbum Dei quasi sanguis veritas est, quæ vivificat verbum : omne enim verbum, quod non habet in se veritatem Dei, mortuum est, quemadmodum sine sanguine corpus. *Ibid.*, homil. 46.

. ISIDORUS ISPALENS. 103. Quamvis divina eloquia in lectione arrogantibus sint aperta, in mysterio tamen clausa atque occulta sunt. *Prosec.*

104. Sermo Dei fidelibus lux fit, reprobis autem ac superbis quodammodo tenebrescit : et unde illi illuminantur, inde isti excæcantur. Lib. 3, *de sum. bono*, cap. 2, sent. 3 et 4.

105. Is, qui post susceptum verbum Dei peccat, efficitur ei ipsum verbum Dei vermis, qui ejus semper conscientiam fodiat, et arcana pectoris rodat. Super *Exod.*, cap. XXIII.

S. LEO I. 106. Caro Christi velamen est verbi, quo omnis, qui ipsum integre confitetur, induitur. Epistola 23, *ad Constantinopol.*

MACHAR. ÆGYPT. 107. Verbum Dei, Deus est. Homil. 46.

SEN. S. NILUS. 108. Vinum roborat corpus, animam autem verbum Dei. *Parænes.* 17.

ŒGENES. 109. Si verbum Dei tota fide, tota devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum quodcunque desideras. *Prosec.*

110. Si tribularis, consolatur te : si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudia : si iracundus es, mitigat te : si in doloribus es, sanat te : si paupertate consumeris, adjuvat te.

111. Sic ergo manna verbi Dei, reddit in ore tuo saporem quemcunque volueris. Homilia 16, in cap. XV *Exodi.*

112. Sermo Dei, iniquorum mentes arguit, et correptionum spiculis peccatorum conscientias terebrat. *Ibid.*

113. Anima germinat ex verbo Dei, et cœlesti pluvia rigata germen producit ad messem. Homil. 16, in cap. XXVI *Levitici.*

114. Sicut cibis et deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescit : nutrimenta igitur spiritus sunt, divina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. *Ibid.*, homil. 9, in cap XVI.

.PAULINUS 115. Animæ cultura, Dei verbum est. Epist. 3, *ad Sever.*

S. PETRUS DAMIANUS. 116. Verba Domini quasi ignis sunt, quia frigus expellunt, calorem mentibus ingerunt : mallei etiam sunt, quoniam obstinationis et perviaciæ duritiam molliunt. Opusc. 31, cap. 7.

PHILO JUD. 117. Quid fulgidius Dei sermone aut radiantius? cujus participatione et aliæ res caliginem ac tenebras excutiunt, quæ appetunt lucem animarum. Lib. 2, *legis allegor.*

S. THOMAS AQUINAS. 118. Verbum prout erat in principio apud Deum, vivificat animas : secundum autem quod est caro factum, vivificat corpora. Part. 3, quæst. 62, art. 5, *in princ.*

THOMAS A KEMPIS. 119. Verbum Dei est lumen vitæ, salus mundi, porta cœli, cibus animæ, jucunditas cordis. In *doctrinali Juven.*, cap. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 120. Semina in corporibus humanis divina dispersa sunt : quæ si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt : si malus, non alitur quam humus sterilis ac palustris necat, et deinde creat, purgamenta pro frugibus. Epist. 73.

SIXTUS PHILOSOPH. 121. Anima purificatur Dei verbo per sapientiam. *Sent.* 21.

122. Verbum de Deo, non omni homini committas. *Ibid.*, sent. 340.

123. Sermo verus de Deo, sermo Dei est. *Ibid.*, serm. 346.

124. Verbum de Deo parcius proferto : verbum enim de Deo reticere præstat magis, quam temere proferre. *Ibid.*, sent. 350.

125. Sine Deo sunt hi, pro quibus verbum Dei maledicitur. *Ibid.*

126. Pasce animam tuam verbo Dei. *Ibid.*, sent. 399.

127. Anima ascendens ad Deum, per Dei verbum est. *Ibid.*, sent. 403.

128. Relinquens quæ possides, sequere verbum Dei. *Ibid.*, sent. 255.

Vide etiam tit. *Fames*, sent. 28 ; *Fides*, sent. 81 ; *Meditatio*, sent. 65 ; *Prædicatio*, sent. 33, 248 ; *Securitas*, sent. 52 ; *Semen*, sent. 16.

## VERBUM OTIOSUM.

S. GREGOR. MAGNUS. *Definitio.* Otiosum verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Lib. 7 *Mor.*, cap. 25.

S. HIERON. Otiosum verbum est, quod sine utilitate, et loquentis dicitur, et audientis. Lib. 2, super *Matth.*, cap. 12, em. 10, num. 126.

Otiosum verbum est, si omissis seriis, de rebus frivolis loquamur, aut fabulas narremus. *Ibid.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Grave malum, ut aliquis ore suo condemnetur; etenim si pro otioso verbo reddet unusquisque rationem, quanto magis pro verbo impuritatis et turpitudinis. Lib. 1 *Offic.*, cap. 2.

2. Otiosum verbum est loqui opera hominum ; qui enim verbum Dei loquitur, otiosum verbum non loquitur. *Prosec.*

3. Loqui enim opera hominum : otiosum ver-

bum est, nec solum otiosum, sed etiam periculosum. Super *Psalm.* CXVIII. serm. 22, vers. 4.

4. Non mediocre periculum est, cum habeas tanta eloquia Dei; et Dei opera quæ fecit in *Genesi*, fecit in *Exodo*, fecit in *Levitico*, *Deuteronomio*, *Jesu Nave*, *Judicum* libro, *Regum*, atque *Esdræ* libris, fecit in *Evangelio*, in *Actibus Apostolorum*, illis prætermissis; si loquaris otiosa, quæ sæculi sunt. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 5. Otiosum verbum in scriptura esse dicere, blasphemia ingens est. Homil. 10, in *Hexam.*

V. BEDA. 6. Qui fabulis otiosis aurem libenter aperit, hanc animæ suæ portam mortis efficit. Lib. 2, super *Luc.*, cap. 7, in illud : *Qui viderit mulierem*, etc.

S. BERNARD. 7. Si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium. Epist. 1, *ad Robertum*.

8. Cum scienter et ex deliberatione in verba otiosa lingua laxatur, contra regulam usurpat veritatis; unde ratio reddenda est in futuro judicio, judice ipso terrifice admodum comminante. *De præcepto et dispens.*

9. Qui otiosum verbum non reprimit, ad noxia cito transit. *De inter. domo*, cap. 43.

10. Verbum otiosum, folium aridum est. Lib. *de Passione Domini*, cap. 25.

11. Quidquid loqueris, nisi intendas alicui prodesse, otiosum est. *Ibid.*

S. BONAV. 12. Qui loquitur verba otiosa, est sicut ulmus et aliæ arbores, quæ nullum fructum ferunt, sed folia tantum. Titul. 3 *Diætæ*, cap. 5.

13. Custodi cor tuum ab evagatione, et os tuum ab otiosa locutione. In *Alphab. Religios.*, lect. 3.

14. Non affabilitas opportuna, sed loquacitas otiosa damnatur. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 15. Væ illi Religioso, qui delectat se in verbis otiosis et vanis, et cum his homines perducit ad risum. In suis *Opusc.* in admonit., cap. 20.

S. GREGOR. MAGNUS. 16. Dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus. Lib. 7 *Moral.*, cap. 17.

17. Ab otiosis ad noxia, a levioribus ad graviora verba sæpe venitur. Lib. 3, *Dialogi.*, cap. 15.

18. Sicut perniciosa verba admittere, ita etiam otiosa formidandum est. Lib. 4 *Moral.*, cap. 2.

19. Sæpe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoque stultæ increpationis effrænatur. *Ibid.*, lib. 7, cap. 17.

20. Dum moderari lingua otiosa verba negligit more inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit. *Ibid.*, lib. 10, cap. 9, num. 14.

21. Si apud districtum judicem otiosus sermo reprehenditur, quanto magis et noxius ? *Ibid.*

22. Pensa quantum sit damnabilis, qui a malitia non vacat, si et ille sermo pœnalis est, qui a bonitate utilitatis vacat. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 15, verbo *Si.*

23. Dum frequenter otiosa, nonnunquam vero, etiam quod est gravius, noxia loquimur : os nostrum Omnipotenti Deo tanto longinquum fit, quanto huic mundo propinquum. *Ibid.*

24. Famuli Dei a terrenis actionibus segregati, otiosa loqui nesciunt, et mentem per verba spargere atque inquinare devitant. *Ibid.*

25. Cum ingenti cautione debet loqui, cui non solum malus, sed etiam otiosus sermo vitandus est. Epist. 1, *ad Demetriad.*

S. HIER. 26. Sermo otiosus serpens morum est. In *Regula monachor.*, cap. 39.

HUGO A VICTOR. 27. Otiosa sunt omnia, quæ sunt aut nociva, aut inhonesta, aut inutilia. *De inst. novit.*, cap. 13.

JOAN. TRITH. 28. Quidquid præter necessitatem et utilitatem locutus fueris totum otiosum est. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 8.

29. Verba otiosa, quæ absque utilitatis et necessitatis causa proferuntur, absque peccato non sunt. In cap. 7, *Regul. S. Bened.* grad. 9.

S. ISIDO. HISPAL. 30. Sicut falsitatis crimina, a proficientibus pertimescuntur : ita otiosa verba, a perfectis viris vitantur. Lib. 2, *de Sum. bono.*, cap. 29, sent. 4.

31. Sicut pro otioso verbo ratio exigitur, ita pro sermone injusto pœna exolvitur. *Ibid.*

32. Nullus est homo absque peccato, nec quisquam potest de Dei securus esse judicio, cum etiam et de otiosis verbis reddenda sit ratio. *Ibid.*, lib. 3, cap. 62, sent. 10.

33. Ab otioso sermone linguam compesce : qui enim otiosa verba non reprimit, ad noxia cito transit. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 8.

THOMAS A KEMP. 34. Vere pretiosum et laudabile est, verbum nunquam proferre otiosum. Serm. 8, *ad fratr.*, divis. 4.

35. Bonus sermo suavis est ad audiendum, durus turba amicum, otiosus perdit temporis fructum. In *Hortulo Rosar.*, cap. 5.

36. Otiosus et verbosus, raro compunctus est, raro a delicto purus. *Ibid.*, cap. 16, sect. 2.

S. VAL. EPISCOP. 37. Nemo credat levem esse culpam, quam tantopere cœlestis sententia districtionis impugnat, dicens de otiosis verbis rationem esse reddendam. Homil. 6, *de Otiosis verb.*

38. Otiosa sunt semper infructuosa colloquia ficti rumoris expositi. *Ibid.*

39. Quis putandus est otiosus esse sermo, nisi

ignarus rationis et nuntius falsitatis? cui studii est aut ridenda confingere, aut de incertis, quasi certa sentire? *Ibid.*

40. Otiosa verba sunt, figurata convicia, stulta fatigatione composita, dulcibus (ut aliqui putant) sed multis accincta plagis, ac mortiferis insuper armata suppliciis. *Ibid.*

41. Otiosus sermo satis otioso nutritur auctore. *Ibid.*

42. Otiosæ voces injuriam incitant, et periculum audientibus parant. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Reddere rat.*, sent. 14; *Tempus*, sent. 32; *Turpiloquium*, sent. 5.

VERBI GENERATIO. *Vide* GENERATIO VERBI.

## VERECUNDIA.

S. AUGUST. *Definitio.* Nihil est verecundia, nisi quidam displicentiæ metus. Epist. 52.

PLATO. Verecundia est timor ob ignominiæ expectationem. Syzygia 6, *de Definit.*

S. GREGOR. NYSS. *Differentia.* Est differentia inter pudorem et verecundiam : verecundia est quidem intensus pudor, contra autem pudor, remissa verecundia. Homil. 3, super *Ecclesiasten.*

S. THOMAS AQUINAS. Erubescentia et verecundia inter se differunt. Erubescentia, est timor de turpi fiendo : sed verecundia est timor de turpi facto. 1, 2, quæst. 41, art. 4.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sicut in senibus gravitas, in juvenibus alacritas : ita in adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ. Lib. 1 *Offic.*, cap. 17.

2. Pulcha virtus est verecundiæ, et suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediatur loquendi, ne quid indecorum sermo resonet. *Ibid.*, cap. 18.

3. Prima disciplina, verecundia est, imo etiam in omni usu loquendi. *Ibid.*

4. Maximus actus verecundiæ, silentium est. *Ibib.*

5. Est et in oculis verecundia, ut nec videre viros fœmina, nec videri velit. *Ibid.*

6. Est in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia : habitus enim mentis, in corporis statu cernitur. *Ibid.*

7. Verecundia cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, et locis apta, tamen adolescentes, juvenilesque annos maxime decet. *Ibid.*, cap. 19.

8. Sicut artifex in materia commodiore melius operari solet, sic verecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet. *Ibid.*, cap. 19.

9. Bonus est pudor, quem commendant silentia. In *exhort. ad Virgines.*

10. Magna Sanctis cura est verecundiæ, ut plerumque in ipsis pudor etiam voti sit. Lib. 1, super *Luc.*, cap. 1, in illud : *Concepit Elizabeth*, etc.

S. ANTONIUS DE PADUA. 11. Verecundia dicta est, eo quod vere timeat : qui vero non timet, non erubescit. Serm. *Dom.* 14, *post Trinit.*

S. AUGUST. 12. Quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 10.

V. BEDA. 13. Verecundiam abjiciens, omnes simul virtutes abjecit. In suis *Proverbiis*, verbo *Verecundiam.*

S. BERNARD. 14. Mansuetudo pudoris, humilitas cordis, magnanimitas fidei, gratissima sane gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. *Serm. B. M.*, *de Verbis Apocal.*

15. Quid tam proprium verecundiæ, quam proprias vitare laudes, vitare jactantiam? Serm. 86, super *Cant.*

16. Nescio an quidquam gratius verecundia adverti in moribus hominum queat, quæ est certe omnium ornatus ætatum; sed quod teneræ gratia verecundiæ in teneriori ætate amplius pulchriusque eniteat. *Ibid.*

17. Quid amabilius verecundo adolescente? quam pulchra, et quam splendida gemma morum est verecundia, in vita et vultu adolescentis, quam vera et minime dubia, bonæ nuntia spei, bonæ indolix index! *Ibid.*

18. Verecundia virga disciplinæ est adolescenti, qui pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus actusque leves coercet, comprimitque insolentes. *Ibid.*

19. Verecundia soror est continentiæ : nullum manifestius indicium est columbinæ simplicitatis, et ideo etiam testis innocentiæ. *Ibid.*

20. Verecundia lampas est pudicæ mentis, jugiter lucens ut nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non in illa illico prodat. *Ibid.*

21. Verecundia expugnatrix malorum est, et propugnatrix puritatis innatæ, [illegible] gloriæ conscientiæ et famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, et insigne totius honesti. *Ibid.*

22. Genuinum animi bonum verecundia est, ut qui male agere non verentur, videri tamen verecundentur. *Ibid.*

23. Bona commendatio secuturæ orationis, si præmittas verecundiam. *Ibid.*

GILLEBERT. 24. Optimum plane animæ decoramentum,

ANGLUS. verecundia est. Serm. 25, super *Cant.*, apud D. Bernard.

25. Verecundia quasi aurora quædam omnium actuum colorat principia, et virgineo virtutes reliquas venustat pudore. *Ibid.*

26. Verecundia bona sua non petulanter jactat, sed parce loquitur. *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 27. Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono : erubescere enim malum, sapientiæ est : bonum vero erubescere, fatuitatis. Homil. 10, super *Ezech.*

28. Illud verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum. In *Septem Psalm. Pœnitentiales*, super *Psalm.* I, vers. 10.

29. Verecundus mos torpore indiscretionis inolevit. Lib. 12, in *Registr.*, indict. 7, in suis *Decretis*, verbo *Verecundus.*

S. GREGOR. NAZ. 30. Pulcher flos est verecundia, ac ornamentum magnum capitisque tegumentum egregium. Orat. 27, *ad Virgin.*

S. GREGOR. NYS. 31. Pudor magis, quam timor sæpe erudit ad prava fugienda. Homil. 3, super *Ecclesiasten.*

S. HIERON. 32. Ornet prudentiam verecundia, et cunctas in te virtutes pudor superet. Epist. 14, *ad Celantiam.*

33. Impudentissimum est, ejus te verecundiam non sequi, cujus sequi testeris exemplum. Epist. 47, *de Vitando suspecto contub.*

34. Mulier cum veste deponit et verecundiam. Lib. 1, *adversus Jovian.*

HUGO CARD. 35. Durum est nescire erubescere, quando malum erubescendum est. Super *Hierem.*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 36. Humanus animus posteaquam verecundiæ fines semel transire coactus est, in insolentiam dilabitur. Lib. 2, *de Sacerd.*

S. ISID. HISP. 37. Porta semper verecundiam in vultu, porta pudorem in facie, pudore oculos tuos attollere erubesce. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 5.

RICHARD. A S. VICTORE. 38. Disce prius peccatum odisse et tunc illud incipies veraciter erubescere : si veraciter odis, erubescis. *Prosec.*

39. Ille pudor verus esse cognoscitur, quem vitiorum odium præcedit et comitatur : alioquin si in peccato deprehenderis, et deprehensus pudore confunderis ; non te credo erubescere culpam, sed infamiam.

40. Non enim verecundia talis descendit tam ab ipso peccato, quam de famæ detrimento.

41. Si peccatum perfecte erubesceretur, non tam facile committeretur. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 46.

42. O vere laudabilis est verecundia, ubi et intus conscientia munda, et foris facies verecunda : nam ubi est aliquid, quo mens erubescat, non adeo laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat. *Prosec.*

43. Quia verecundia tanto est laudabilior, quanto conscientia gloriosior, tutior atque securior. Lib. 3. super *Cant.*, cap. 4, in illud : *Sicut fragmen mali punici*, etc.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

44. Sine verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum. Lib. 1, *de Offic.* CICERO.

45. Bonum in adolescente signum est verecundia. Epist. 11. SENECA.

46. Gravissimis viris rubor subitus effunditur : magis quidem in juvenibus apparet, quibus plus caloris est, et tenera frons ; nihilominus veteranos et senes etiam tangit. *Ibid.*

47. Nutriendus est pudor, qui quandiu in animo duraverit, aliquis erit bonæ spei locus. Epist. 25.

48. Verecundia parens est omnis honesti consilii, tutela solemnium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis : omni loco, omni tempore favorabilem præ se ferens vultum. Lib. 4 *Dictor. memorabil.*, cap. 5. VALERIUS MAXIMUS.

Vide etiam tit. *Amicitia* in genere, sent. 395 ; *Confusio*, sent. 4 ; *Honestas*, sent. 9, 21 ; *Impudentia*, sent. 5 ; *Ingenium*, sent. 30 ; *Modestia*, sent. 13, 14 ; *Virginitas*, sent. 121 ; *Virtutum connexio* in specie, verbo *Verecundia*; *Uxor*, sent. 8.

## VERITAS.

*Etymologia.* Veritas dicitur quasi vere ita est. COLLECTOR.

Veritas est idem quod vera entitas. Super *Epist.* I *Joan.*, cap. 5. HUGO CARD.

*Definitio.* Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. In *Dialog. de Verit.*, cap. 12. S. ANSELM.

Veritas est adæquatio rei intellectæ ad intellectum. Part. 4, tit. 5, *de Justit.*, cap. 15. S. ANTONIN.

Veritas est id quod est. *De vera Relig.*, cap. 36. S. AUGUST.

Veritas est forma verorum. *Ibid.*

Veritas est summa similitudo principii, quæ sine ulla dissimilitudine est. *Ibid.*

Quid est veritas, nisi menti conformis entitas? Super *Psalm.* CXVIII, exposit. 2, cap. 10, art. 2, vers. 16. S. BONAV.

Veritas est veri scientia. Lib. 2 *Stromat.* S. CLEMENS ALEX.

Veritas est cum res ita est, ut dicitur. Super *Psalm.* XIV. GLOSS. ORD.

Veritas est ejus quod vere est, firma intellectio. *De vita Moysi.* S. GREGOR. NYS.

Veritas est per quam probabili ratione dictum aliquod, vel factum immutatum profertur. *De fruct. carnis et spiritus*, cap. 13. HUGO A S. VICTORE.

Veritas est substantia, et lumen rationis. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 4. THEOPHYLACTUS.

S. THOMAS AQUINAS. Verum est declarativum, aut manifestativum esse. Part. 1 *Summæ*, quæst. 16, art. 1.

Veritas uniuscujusque rei, est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei. *Ibid.*

CICERO. Veritas est, per quam non mutata ea quæ sunt, ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Lib. 2, *de Invent. Rhetor.*

S. BONAV. *Divisio.* Triplex est veritas, veritas sermonum, veritas rerum, veritas morum. *De Reduct. artium ad Theolog.*

HUGO CARD. Veritas triplex est : oris, cordis, operis. Super *Exod.*, cap. 18.

Triplex est veritas ; veritas vitæ, contra hypocrisim ; veritas doctrinæ, contra hæresim ; veritas justitiæ, contra acceptionem personarum. Super *Psalm.* L.

PETRUS BLESENS. *Comparatio.* Sicut in suavi colloquio, non est suavitas admittenda : sic in duro rusticoque sermone, non est veritas aspernenda. *De charitate*, cap. 52.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Veritas justa est, quando vere concordant mens, lingua, et opera : ut quod sentit quis in corde, hoc profert ore, et perficit opere. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtutibus*, cap. 18.

2. Ad amorem veritatis inducere nos debet, quod Christus est veritas, et quia veritas semper in se amabilis est. *Ibid.*

S. AMBROS. 3. Ubi Religio sanctior, ibi fides veritatis est plenior. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 14, vers. 2.

4. Quidquid verum a quocunque dicitur, a sancto dicitur Spiritu. Super 1 *Cor.* XII.

S. ANTONIUS ABBAS. 5. Adversarii virtutis, veritati semper insidiantur. Epist. 2, *ad Fratres.*

6. Abolita est veritas, et mendacium in terris prævaluit. *Ibid.*, serm. *de Vanitate mundi.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 7. Veritas nunquam relinquenda est propter scandalum. Serm. *Domin.* 5, *post Pascha.*

S. AUGUST. 8. Amant homines veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem. Lib. 10 *Confess.*, cap. 23.

9. Veritatis et sapientiæ pulchritudo nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec umbra intercluditur, nec sensibus corporis subjacet, omnibus proxima est, omnibus sempiterna, nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet cernentes se, commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur, nullus de illa judicat, nullus sine illa judicat bene. Lib. 2, *de Libero arb.*, cap. 14.

10. Omnis, qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum, unde non dubitet, nec ullum verum nisi veritate verum est. *Prosec.*

11. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undequaque dubitare. *De vera Religione*, cap. 39.

12. Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Epist. 9, *ad divum Hieronymum.*

13. Mens veritatis capax non est, nisi vitiis libera. *De Agone christiano*, cap. 13.

14. Hominis finis est perfecte quærere veritatem. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 3.

15. Nihil verum in quo veritas non est : et omne quod verum non est, falsum est. Lib. 2 *Soliloq.*, cap. 15.

16. Qui verus disputator est veritatis, a falsitate discretor est. Lib. 1, *contra Cresconium*, cap. 15.

17. Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati : plane quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere ? Lib. 3, *de Baptismo*, cap. 6.

18. Nemo consuetudinem veritati præponat, quia consuetudinem veritas semper excludit. *Ibid.*, cap. 7.

19. Prævaricatorem legis lux deserit veritatis, qua desertus fit cæcus. *De natura et gratia*, cap. 22.

20. Veritas consuetudini præponenda est : sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri. Lib. *de Baptismo*, cap. 5.

21. Peccatoribus panis veritatis amarus est. Super *Psalm.* V.

22. Veritas et dulcis est, et amara. Quando dulcis est, parcit : quando amara, curat. Epist. 211, *ad Romulum.*

23. Veritas intelligentibus mentibus intus loquitur, sine sono instruit, intelligibili luce perfundit. Tract. 54, super *Evang. Joan.*, de cap. 12.

24. Tutius veritas auditur, quam prædicatur ; quoniam cum auditur, humilitas custoditur : cum autem prædicatur, vix non surrepit cuivis hominum quantulacumque jactantia. *Ibid.*, tract. 57 de cap. XIII.

25. O miseros homines, qui cum esse volunt mali, nolunt esse veritatem, qua damnantur mali : nolunt enim eam esse quod est, cum ipsi debeant nullomodo esse quod sunt, ut ipsa manente mutentur, ne ipsa judicante damnentur. *Ibid.*, tract. 90, de cap. XV.

26. Sit veritas in pugna, ut acquiratur securitas in victoria. *De Verb. Apost.*, serm. 3.

27. Veritatis sola inquisitio, perfectum sapientiæ munus est. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 3.

28. Hominis finis est, perfecte quærere veritatem : quisquis ergo minus instanter, quam oportet, veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. *Ibid.*

29. Via quæ ducit ad veritatem, nulla uti opi-

nor) intelligitur melius, quam diligens inquisitio veritatis. *Ibid.*

30. Veritas est aliquid mente nostra, atque ratione sublimius. Lib. 2, *de Lib. arb.*, cap. 13.

31. Nihil beatius eo, qui fruitur incommutabili et excellentissima veritate. *Ibid.*

32. Quidquid jucundum est in cæteris veris, ipsa veritate utique jucundum est : hæc est libertas nostra, cum ipsi subdimur veritati. *Ibid.*

33. Si aliquid est excellentius veritate, ille potius Deus est : si autem non est, jam ipsa veritas Deus est. *Ibid.*, cap. 15.

34. Ubi inveni veritatem, ibi inveni Deum meum. Lib. 10, cap. 24.

35. Ubique veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. *Ibid.*, cap. 26.

36. In diversitate sententiarum verarum, concordiam parit ipsa veritas. *Ibid.*, lib. 12, cap. 30.

37. Hæretici cum promittunt veritatem, a veritate conantur avertere. Lib. 1, *de Gen., contra Manich.*, cap. 1.

38. A quocunque verum dicitur, illo donante dicitur, qui est ipsa veritas. Epist. 28.

39. Omnibus animis se frui valentibus, veritas communiter præsto est. Epist. 56.

40. Aliquando quidam cordis aures adhibent veritati; rarius inter prospera, crebrius inter adversa. Epist. 82.

41. Mirum in quanta se abrupta præcipitent homines, metuentes retia veritatis. Epist. 105.

42. Verbis contendere, est non curare quomodo error veritate vincatur : porro qui non verbis contendit, id agit verbis, ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat. Lib. 4, *de Doctr. christ.*, cap. 28.

43. Multi sunt duri ad non consentiendum veritati, et acuti ad persequendum. *Annot. in Job*, cap. XXXIX.

44. Quæ a veritate non veniunt, plerumque et nullo impellente seipsa subvertunt. Lib. 7, *de Civit. Dei*, cap. 19.

45. Quod instituit multitudo erroris, abstulit via veritatis. *Ibid.*, lib. 8, cap. 24.

46. Filii diaboli dicuntur homines, qui non credunt veritati. *Contra Adimant.*, cap. 5.

47. Deus est veritas, nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat. *De utilit. cred.*, cap. 15.

48. Felix cor acutum ad veritatem, infelix contra veritatem. Lib. 14, *contra Faust.*, cap. 9.

49. Nec alteri potius quam sibi adversatur, qui resistit apertissimæ veritati. Lib. 5, *de Baptismo, contra Donat.*, cap. 3.

50. Falsitas, quæ nudari et redargui metuit eorum vitiorum nomine, quæ veritas damnat, diligentiam veritatis accusat. L. 1, *contra Crescon.*, cap. 6.

51. In paucis frequenter est veritas, et errare multorum est. *Ibid.*, lib. 4, cap. 53.

52. Erroris præoccupatio impedit veritatis intelligentiam. Lib. 2, *de Nuptiis*, cap. 23.

53. Omnis verax a veritate verax est. Tract. 5. Super *Joan.*

54. Qui servat humilitatem, non labitur a veritate. *Ibid.*, tract. 25.

55. Nihil fortius desiderat anima, quam veritatem. *Ibid.*, tract. 26.

56. Qui odit veritatem, necesse est oderit et a quo veritas nata est. *Ibid.*, tract. 91.

S. BASILIUS MAGNUS.

57. Ne pudeat nos veritatis, ne contegamus veritatem verborum fuco, ac decoro ornatu. *Prosec.*

58. Nuda est veritas, patrono non indigens, ipsa seipsam defendens, ac splendido præconio humilitatem evehens ac ostendens. Conc. 26, *de Mart. Mamante.*

V. BEDA.

59. Qui veritatem pro pecunia negant, Deum, qui veritas est, pecunia vendunt. Lib. 4, super *Marc.*, cap. XIV, in illud : *Promiserunt ei pecuniam*, etc.

S. BERNARD.

60. Honorat veritatem, qui et se et sua omnia in eo statu quo veritas, habet et agnoscit veraciter, et humiliter confitetur. Serm. 3 *Advent.*

61. Veritas sola liberat, sola lavat. Serm. 2, *post Octav. Epiph.*

62. Non amat veritas angulos, non ei diversoria placent, in medio stat. Serm. 6 *Ascens.*

63. Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuntiat. Serm. 2, *de S. Michaele.*

64. Non est quo vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit. Serm. 5 *Omnium SS.*

65. Amara est veritas sine condimento gratiæ. Serm. 74, super *Cant.*

66. In via delinquunt, qui veritatem derelinquunt. *De duodecim gradib. humilit.*

67. Inquirimus veritatem in nobis, in proximis, in sui natura. In nobis, nosmetipsos dijudicando; in proximis, eorum malis compatiendo; in sui natura, mundo corde contemplando. *Ibid.*, verbo *Inquirimus*, cap. 3.

68. Sunt tres gradus veritatis; ad primum, ascendimus per laborem humilitatis, ad secundum, per affectum compassionis, ad tertium, per excessum contemplationis. In primo, veritas reperitur severa, in secundo, pia; in tertio, pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus; ad secundum affectus perducit, quo aliis miseremur; ad tertium puritas rapit, qua ad invisibilia sublevamur. *Ibid.*, cap. 6.

S. BONAV.

69. O beata veritas, video quod sine te sapere, desipere est : te vero nosse, perfectum scire est. In *Soliloq.*, cap. 4.

CASSIODOR.

70. Fastidium non habet dulcedo veritatis. Super *Psalm.* XXXI, vers. 20.

71. Veritatis amor, est odium falsitatis. Super *Psalm.* XLIV, vers. 9.

72. Nescit titubare quod veritas loquitur. Super *Psalm.* CX, vers. 7.

S. CLEMENS PAPA.

73. Certissimum est, quod neque amicitia, neque propinquitas generis, neque regni sublimitas homini debet esse pretiosior veritate. Lib. 1, *de Recognit.*

S. CYRILLUS HIEROSOL.

74. Non Christianus ille est, qui pro veritate mori timet. Epist. *ad Augustin. de miraculis D. Hieronymi.*

S. EPHRÆM.

75. Veritatis studiosus semper et Deo placet, et cunctis hominibus utilis est. *De veritate.*

76. Beatus est, qui absque ulla simulatione semper veritati inservit. *Ibid.*

77. Veritatis pulchritudo deformis redditur, quando super improbitate extenditur. *De morbo linguæ.*

78. Veritatis curam habeamus, fratres, ut veritas nos circumdet, ac protegat. In illud : *Attende tibi*, cap. 10.

EVAGRIUS.

79. Veritatem silere, idem est quod aurum humo condere. Hab. apud D. Joan. Damasc. lib. 1 *Parall.*, cap. 19.

FRANCISCUS TITELM.

80. Nobilis est veritas, falsitatis abnegat vel patrocinium, vel obsequium. In *Elucid.*, super cap. XIII, *Job.*

GLOSS. DEC.

81. Veritas a quocunque dicatur, omnibus est præferenda. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. ORD.

82. Veritas est in cœlis, umbra in terris. Super *Josue*, cap. 13.

GLOSS. INT.

83. Qui fastu mundi superbiunt, præconia veritatis audire non possunt. Super *Judith*, cap. 5.

84. Veritas non ex fabrica, sed ex natura surgit. Super *Job*, cap. XIII.

85. Magnum est malum a luce veritatis deseri. Super *Psalm.* IX.

S. GREGOR. MAGNUS.

86. Sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, cum ardentius pro veritate fatigatur. Lib 9 *Moral.*, cap. 6.

87. Imperita mens veritatis sententias graviter tolerat. *Ibid.*, lib. 10, cap. 3.

88. Veritas fulciri non quærit auxilio falsitatis. *Ibid.*, lib. 11, cap. 13, super illud *Job* XIII : *Numquid Deus indiget mendacio?*

89. Plana veritatis via est, et grave iter mendacii. *Ibid.*, lib. 12, cap. 1, super illud, *Job* XV : *Terrebit eum tribulatio.*

90. Veritatis lumen, quod elatis occupatisque mentibus absconditur, afflictis humiliatisque revelatur. *Ibid.*, lib. 27, cap. 7, num. 11, super illud, *Job* XXVI : *Et præcepit ei, ut cursus adveniat.*

91. Amicus veritatis est rectæ amator actionis. *Ibid.*, cap. 8.

92. Nihil est ad discendum veritate facilius. In *Pastorali*, part. 2, admonit. 12.

93. Ille debet esse veritatis defensor, qui quod recte sentit, loqui nec metuit, nec erubescit. Homil. 10, super *Ezech.*

94. Eis ipsa veritas absconditur, qui ejus verba sequi contemnunt. Homil. 18, super *Evang.*

S. GREGOR. NAZ.

95. Non in verbis, sed in rebus veritas sita est. Lib. 3, *de Theologia.*

96. Nihil veritatem obscurat, quod molestia afficitur. Epist. 17, *ad Eusebium, episc. Cæsariens.*

97. Non in sono verborum magis, quam mente et sententia sita est veritas. Epist. 20, *ad Basilium Magn.*

S. HIERON.

98. Veritas laborare potest, vinci non potest. Lib. 1 *Dialog. adversus Pelagianos.*

99. Veritas amara est, rugosæ frontis ac tristis offenditque correptos : unde comicus; Obsequium amicos, veritas odium parit. *Ibid.*

100. Ita se natura habet, ut amara sit veritas, blanda vitia existimentur. Epist. 58, *ad Onasum.*

101. Veritas quidem claudi et ligari potest, vinci non potest : quæ suorum paucitate contenta est, et multitudine non terretur. In *Regula monachor.*, cap. 20, *de Juramento.*

S. HILARIUS

102. Veritas mendacium confutat, et perimitur falsitas veritate. In *Explanat. super Psalm.* LIII.

103. Magna vis est veritatis, quæ cum per se intelligi possit, per ea tamen ipsa, quæ ei adversantur, elucet : ut in natura immobilis manens, firmitatem naturæ suæ quotidie dum attentatur, acquirat. Lib. 7, *de Trinit.*

HUGO A S. VICTORE.

104. Veritas malis et imperitis amara est. In *Annot. Super Epistolam ad Romanos.*

HUGO CARD.

105. Bonitas respicit esse, justitia agere, veritas loqui. super *Epist. ad Ephes.*, cap.

S. INNOC. III.

106. Error, cui non resistitur, approbatur : et veritas, cum minime defensatur, opprimitur. Hab. in *Decret. Gratiani*, dist. 83, can. *Error.*

S. JOANNES CHRYSOST.

107. Veritas ubique mater est sanctitatis, nusquam offendit, nusquam errat, non deviat, non declinat, rectum cor præparat. Homil. super *Psalm.* CXVIII.

108. Qui non libere veritatem defendit, quam libere defendere oportet, proditor est veritatis. *Prosec.*

109. Non solum ille est proditor veritatis, qui transgrediens veritatem palam mendacium pro veritate loquitur, sed etiam ille qui non libere pronuntiat veritatem, quam libere pronuntiare oportet.

110. Si propter timorem mortis tacere veritatem, impietas est, quomodo non est impietas major propter miserum ventrem, et spem vani honoris tacere veritatem, et sic meliorem facere gratiam panis et honoris, quam gloriam veritatis? Homil. 25, super *Matth. oper. imperf.* super illud : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus,* etc.

111. Si veritas salus et vita est cognoscentium se, magis debet quæri, quam quærere. *Ibid.*, homil. 44.

112. Levior culpa est veritatem non apprehendere, quam contemnere apprehensam. *Ibid.*, homil. 49.

113. Naturaliter veritas nescit mentiri, nec potest aliquando perire. *Ibid.*

114. Nihil veritate clarius, nihilque potentius. Homil. 28, super *Joan.*

115. Veritas latere non vult, nullum timet periculum, nullas insidias tremit, nullam desiderat multitudinis gloriam, nulli hominum est noxia, omnia excedit, et ab innumeris insidiis tuta permanet. *Ibid.*

116. Veritas latere non vult, sed latentia omnia et abscondita in medium prodit.

117. Talis est veritatis natura, ut unde magis oppugnatur, inde magis confirmetur : et quo magis obtegitur, eo clarior evadat. *Ibid.*, homil. 57.

118. Falsum veritas non capit, amaritudinem dulcedo non patitur. Homil. super illud *Joan.* IV : *Veniet hora,* etc.

119. A veritatis auctore nihil quidquam merebitur impetrare, qui veritatis rebellem sese voluerit exhibere. *Ibid.*

120. Veritas Ecclesiæ columna est, et firmamentum. Homil. 11, super I *Timoth.*

121. Veritatis status, etiam multis impugnantibus, suscitatur et crescit. Homil. 4, *de laud. Paul.*

S. JOAN. DAM. 122. Præstantissimum omnium bonorum est veritas; captu difficilis est veritatis sermo. Lib. 1 *Parall.*, cap. 19.

123. Veritatis robur nullam opem requirit : verum quamvis innumeri sint, qui eam extinguere moliantur, adeo tamen non extinguitur, ut etiam per eos ipsos, qui eam vexare conantur, splendidior existat, eosque qui frustra sese tundunt, irrideat. *Ibid.*

124. Nihil fortius veritate, veritas enim nunquam convincetur falsi : quisquis vero cum veritatem dicere queat, eam subticet, a Deo condemnabitur. *Ibid.*

125. In suam perniciem mala fabricatur, qui veritati obsistit. Orat., *de Transfigurat.*

JOAN. SAR. 126. Ardua quidem res est, professio veritatis, et quæ incursantibus errorum tenebris, aut negligentia profitentis frequentissime vitiatur. Lib. 4, *de Nugis curial.*, in prologo.

127. Qui veritatem non vult audire vel loqui, a spiritu veritatis alienus est. *Ibid.*

128. Veritatem libenter audit amicus veritatis : et salus illius desperanda est, cui gratior est fraudulentæ adulationis illecebra, quam veri salubris asperitas. *Ibid.*, epist. 231.

129. Veritas fuco caret, et loqui non novit, nisi facie revelata. *Ibid.*, epist. 248, *ad Robertum.*

130. Investigationem veri multorum est quærere, sed paucorum est invenire. Lib. 2, *de Sum. bono,* cap. 1, sent. 6. S. ISIDORUS HISPAL.

131. Quid profuit te vidisse veritatem, quam nec defensurus esses, nec secuturus? Lib. 2, *Divin. instit.*, cap. 3. LACT. FIRM.

132. O quam difficilis est ignorantibus veritas et quam facilis scientibus! *Ibid.*, cap. 5.

133. Non ab eo veritas exigenda est, qui se nescire fatetur. *Ibid.*, cap. 12.

134. Veritas a vulgo solet variis sermonibus dissipata corrumpi. *Ibid.*, cap. 11.

135. Ubi custodiat homo veritatem, quæ licet ad præsens sit insuavis; tamen cum fructus ejus, atque utilitas apparuerit, non odium pariet (ut ait Poeta) sed gratiam. In *Epitome*, cap. *Superest.*

136. Simplex et nuda veritas, ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur, luculentissima enim est, et satis ornata per se est. Lib. 3, *de Divin. Inst.*, cap. 1.

137. Tanta est potentia veritatis, ut seipsam (quamvis in rebus exiguis) sua claritate defendat. *Ibid.*

138. Veritas est animæ pabulum, incredibili quadam jucunditate perfusum. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

139. Qui veritati studet, ut animas sibi vinciat, præferat vera falsis, æterna brevibus, utilia jucundis. *Ibid.*, lib. 6, cap. 21.

140. Veritatis semitas non declinet, quicunque ad charitatis arcem festinat ascendere : semitæ namque veritatis virtutes sunt. *Prosec.* S. LAURENT. JUSTIN.

141. Nemo ad veritatis perspicuam agnitionem potest attingere, si virtutibus ornatus non fuerit. *De ligno vitæ*, tract. 4, *de Charit.*, cap. 2.

142. Clara est veritas, aspectu delectabilis, amabilis supra modum, nil in se coinquinatum admittens. *De casto Connub.*, cap. 25.

143. Mens christiana fugax mendacii est, discipula veritatis. Serm. 8, *Quadrag.* S. LEO I.

144. Ubi veritas est magistra, nunquam desunt divina solatia. Epist. 36, *ad Martin. presbyt.*

145. Dei cultorem decet adhærere veritati, et PHILO JUD.

verborum conjecturalium fabulositatibus extremum valedicere. *De sacrif. Abel.*

DENT. 146. Nihil est amore veritatis celsius. In *Peristephano, de Hymno S. Romani mart.*, vers. 388.

ANUS. 147. Tacent qui loqui possunt, dum ipsis interdum malis parcunt : nec volunt eis vim apertæ promere veritatis, ne faciant eos ingesta acrius veritate pejores. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

148. Modis omnibus est tenenda veritas, ut quod in re est, hoc et in verbis sit. *Ibid.*, lib. 8.

149. Enuntiari aliter veritas non potest, quam vis ipsa exigit veritatis. Lib. 4, *ad Eccles. cathol.*

NESIUS COPUS. 150. Aut semper, aut plurimum vera dicere, divinum est, aut divino quam proximum. *De Insomniis.*

151. Affinis est Deo veritas. Epist. 505, *ad Fratrem.*

TULL. 152. Nihil verum in his, quæ Deum nesciunt præsidem et magistrum veritatis. *De Cultu feminar.*, cap. 1.

153. Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi. *Adversus Valentinianos*, cap. 3.

HOMAS INAS. 154. Nullo modo melius, quam contradicentibus resistendo, aperitur veritas. *De perfect. vitæ*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

TOTEL. 155. Parvus exitus a veritate fit his, qui exorbitaverunt, si longe progrediantur, decies millies major. Lib. 1, *de Cœlo*, cap. 5, text. 33.

156. Veritas rei est ipsamet res. Lib. 8, *Theolog.*, cap. 6.

157. Sanctum est, honori veritatem præferre. Lib. 1, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 6.

158. Qui verum amat, et in quibus etiam nil refert vera dicit : is multo magis vera dicit, in quibus refert. *Ibid.*, lib. 4, cap. 7.

159. Homines satis ad veritatem nati sunt, et ut plurimum veritatem consequuntur. Lib. 1 *Rhetor.*, cap. 1.

CERO. 160. Nihil est veritatis luce dulcius. Lib. 2, *Academic. quæst.*, num. 31.

ATO. 161. Ubi dux veritas affulserit, fieri nullo modo potest, ut eam vitiorum chorus consequatur. Lib. 6, *de Republ.*

162. Veritas hominibus præest ad omnia bona consequenda : cujus adeo qui felix beatusque est futurus : statim ab initio particeps esse debet, ut in veritate plurimo tempore vitam agat. Lib. 5, *de Legibus.*

163. Tanta est veritatis vis atque efficacia, ut orator qui eam noverit, etiamsi aliud agat, auditorum animos alliciat atque perducat. In *Dialogo Phædri.*

ECA. 164. Magis veritas elucet, quo sæpius ad manum venit. Lib. 3, *de Ira*, cap. 29.

165. Patet omnibus veritas, nondum est occupata : multum ex illa etiam futuris relictum est. Epist. 33.

166. Assuesce et dicere verum, et audire. Epist. 68.

167. Veritatis una vis, una facies est. Epist. 102.

168. Veritatem dilige : nihil tam vernaculum sapientiæ, quam veritas. Sent. 148, et 158. SIXTUS PHILOSOPH.

169. Verbum verum, ut Deum honora. *Ibid.*, sent. 344.

Vide etiam tit. *Amaritudo*, sent. 9; *Amicitia*, in genere, sent. 87; *Cognitio veritatis*, per totum; *Correptio*, sent. 44; *Defensio*, sent. 6; *Discere*, sent. 26; *Eloquentia*, sent. 39; *Error*, sent. 43, 59; *Fides*, sent. 63; *Honor*, sent. 121; *iniquitas*, sent. 22, 23, 83; *Intellectus*, sent. 37; *Invenire*, sent. 36, 37; *Invitus*, sent. 29; *Maledictio*, sent. 8; *Martyrium*, sent. 50; *Mendacium*, sent. 6, 15, 16, 30, 36, 56, 66, 82; *Nescire*, sent. 45; *Opinio*, sent. 25; *Placere*, sent. 23; *Prædicatio*, sent. 21, 22, 24; *Præmium*, sent. 13; *Scandalum*, sent. 1, 11, 14, 15; *Securitas*, sent. 19; *Simplicitas*, sent. 42; *Susurratio*, sent. 10; *Testis*, sent. 76; *Vanitas* sent. 7.

VERITATIS COGNITIO. *Vide* COGNITIO VERITATIS.

## VETATIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Non ideo malum est, quia vetatur lege; sed ideo vetatur lege, quia malum est. Lib. 1, *de Libero Arbitr.*, cap. 3. S. AUGUST.

2. Est vitium primum animæ rationalis, voluntas ea faciendi, quæ vetat summa et intima veritas. *De vera Relig.*, cap. 20.

3. Quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? *Prosc.*

4. In ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri : sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Epist. 144, *ad Anastas.*

5. Appetuntur ardentius, quæ vetantur : dum id quod spiritaliter jubetur, carnalis concupiscentia observare compellitur. Epist. 200, *ad Asellicum.*

6. Ab hominibus nondum spiritalem gratiam percipientibus suavius admittitur quod vetatur. Lib. 1, *de Diversis quæst.*, *ad Simplicianum*, quæst. 1.

7. Generalis prohibitio est, non concupisces : et generalis jussio, diliges. *De Perfect. justitiæ*, cap. 5, ratiocinat. 11.

8. Legis justitia est, jubere quod Deo placet, vetare quod displicet. Lib. 3, *ad Bonifac.*, cap. 7.

S. BERNARD. 9. Nullius prohibitio valet obviare præceptis, nullius jussio præjudicare prohibitis. Epist. 7, *ad Adam monach.*

10. Prælati prohibitio non prætereat terminos professionis : nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. *De præcepto et dispens.*

11. Serva commissum, expecta promissum : cave prohibitum, ne perdas concessum. *De duodecim Grad. humilit.*, grad. 1, verbo *Tu quoque.*

GLOSSA DECR. 12. Præceptio unius contrarii, est alterius prohibitio. In *Decretis Gratiani.*

13. Prohibitio et permissio contraria non sunt : nam Dominus permittit uxorem infidelem dimitti, Apostolus prohibet. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 14. Quod concupiscitur fit dulcius dum vetatur : ex prohibitione enim, ubi charitas deficit, desiderium mali crescit : quo acto dulcius fit quod prohibetur. Super *Epist. ad Roman.*, cap. 7.

15. Nunquam dicitur licere, quod prohibetur. Super illud I *Cor.* VI : *Omnia mihi licent.*

S. GREGOR. MAGNUS. 16. Omnis qui vetita concupiscit, dum præceptorem despicit, superbit. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. 4.

HAYMO. 17. Quod naturaliter accidit, penitus vetari non potest. Serm. 1, *Dom. 4 post Pascha.*

S. HIERON. 18. Peccat quidem ille, qui imperata neglexerit : sed plus peccat, qui vetita non servat. Epist. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 19. Talis est natura fidei, ut quanto magis vetatur, eo magis accendatur. Homil. 36, super *Matth. Oper. imperf.*

20. Cum quod concupiscitur prohibetur, eo redditur validior concupiscentiæ flamma. Serm. 12, super *Epist. ad Rom.*

JOAN. TRITH. 21. Omnibus fugiendum est, quod omnibus probatur interdictum. *De Propriet. monachor.*, cap. 8,

PHILO JUD. 22. Regis est jubere vetareque. *De præmiis.*

SALVIANUS. 23. Cum illa quæ facere a Deo vetamur, admittimus, vetantis jussa calcamus. Lib. 4, *de Gubern. Dei*

24. Potestas magna et potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. *Prosec.*

25. In cujus enim manu est, ut prohibeat : jubet agi, si non prohibet admitti. *Ibid.*, lib. 7.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 26. Quæ lex non jubet, vetat. Lib. 5, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 11.

## VIA.

CASSIODOR. *Etymologia.* Via dicitur, quia per eam unusquisque transeuntium viatur. Super *Psalm.* I, vers. ultimo.

S. ANTON. *Divisio.* Septem sunt viæ difficiles, via montuosa, via spinosa, via lutosa, via tenebrosa, via tumultuosa, via sumptuosa, via tædiosa. Via montuosa, superborum ; via spinosa, avarorum ; via lutosa, luxuriosorum ; via tenebrosa, invidorum ; via tumultuosa, iracundorum ; via sumptuosa, gulosorum , via tædiosa, acediosorum. Part. 1, tit. 5, cap. 3, § 1.

S. BON. Quadruplex est via. Via a qua ; via in qua, via per quam, via ad quam. Via a qua imus, est peccatum ; via in qua imus, sunt virtutes, et bona opera ; via ad quam tendimus, et per quam imus, est Christus. Super *Psalm.* XXXVI.

Duæ sunt viæ : via iniquitatis, via veritatis. Via iniquitatis est in ingressu delectabilis, in progressu gravis, in egressu damnabilis ; via veritatis, est in ingressu gravis, in progressu delectabilis, in egressu remunerabilis. Exposit. 1, super *Psalm.* CXVIII, in illud : *Mirabilia testimonia tua*, etc.

HUGO VICTO. Tres sunt viæ. Via Dei, via hominis, via diaboli. Via Dei, est veritas ; via hominis, est necessitas ; via diaboli, est iniquitas. Super *Psalm.* XCI, cap. 69.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMB. 1. Aliæ sunt viæ, quas debemus sequi : aliæ, quas custodire. Sequi vias Domini, custodire nostras, ne in culpam dirigantur. Lib. 1 *Offic.*, cap. 2.

2. Via nostra, via recta, via angustior, virtus exuberantior, trames pressior, fides sublimior, callis arctior, vigor mentis exundans. *Prosec.*

3. Via nostra, via recta, quia inflexibilia sunt virtutum vestigia. Lib. 1, epist. 6, *ad Irenæum.*

4. Providus doctor Paulus multas ostendit vias, ut qua vult unusquisque quam sibi accommodatam arbitratur incedat. *Prosec.*

5. Bona virginitatis via est, sed sublimis et ardua, validiores requirit.

6. Bona etiam viduitatis via, non tam difficilis ut virginitatis, sed confragosa et aspera, cautiores requirit.

7. Bona etiam matrimonii via, plana et directa, sed longiore circuitu ad castra Sanctorum pervenit, ea plurimos recipit. Lib 10, epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.*

S. ANT. 8. Viam, quam quis sibi assumit in bono, vel in malo in adolescentia sua, perseverans illam tenet. Part. 4, tit. 10, cap. 6, § 2.

S. ANT. DE P. 9. Heu? quanta dementia in via lassari, et viam nolle finire. Serm. *Dom. 6 post Pascha.*

S. A. 10. Si quisquam errore deserens viam, eo tamen per agrum pergat, qui etiam via illa perducit, corrigendus est tamen : et quam sit utilius viam non deserere demonstrandum est, ne con-

suetudine deviandi, etiam in transversum aut perversum ire cogatur. Lib. 1, *de Doctr. christiana*, cap. 36.

11. Pergite viam sublimitatis, pede humilitatis. *De Sancta virginit.*, cap. 52.

12. Viæ Dei duræ sunt timori, leves amori. *De Natura et gratia*, cap. 10.

13. Qui perit de via justitiæ, cum magna miseria per vias iniquitatis errabit. Super *Psalm.* ii.

14. Si se deviasse quis invenerit, redeat ut in via ambulet : si se in via invenerit, ambulet ut perveniat : nemo superbus sit extra viam, nemo piger in via. Super *Psalm.* xxxi. *in præfat.*

15. Viam Christi si vis, vere Christianus es : ipse est enim Christianus, qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius. Noli per aliam viam velle ire, quam per illam qua ipse ivit : dura videtur, sed ipsa est tua via, alia forte delicias habet, sed latronibus plena est. Super *Psalm.* xxxvi, vers. 24.

16. Angusta via est : laboranti angusta est, amanti lata. Super *Psalm.* xxx, conc. 1.

17. Viæ perversæ relinquite malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem. Super *Psalm.* cxviii, conc. 1.

18. Quæ certior via Domini, quam fides ex qua justus vivit ? *Ibid.*, conc. 2.

19. In viis Domini, quas omnes fides una complectitur, qui dixit : Ego sum via, nemo peccatum operatur, sed confitetur. Deviat ergo cum peccat, et ideo peccatum viæ non tribuitur quod a deviante committitur ; sed in via fidei pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur. *Ibid.*, conc. 3.

20. Nullo modo dicenda est via correcta, quandiu est vita perversa. *Ibid.*, conc. 5.

21. In via tua vivifica me ] Quæ via ? non vanitas, sed veritas est. *Ibid.*, conc. 12.

22. Via lata mortifera est, latitudo ejus delectat ad tempus, finis ejus angustus in æternum. Super *Psalm.* xxxix, vers. 6.

23. Si quis te impedierit in via Dei, ut illud quod rectum intendebas titubet, aut labatur a via, aut cadat, aut recedat de via, aut remaneat in via, aut retro revertatur unde venerat : quidquid tibi tale fecerit, supplantavit te, decepit te. Super *Psalm.* cxxxix, vers. 3 : *Supplantare gressus meos.*

24. Omnis semita via est, non omnis via, semita : quare ergo viæ illæ semitæ sunt dictæ, nisi quia angustæ sunt ? via lata impiorum, via angusta justorum. Super *Psalm.* cxli, vers. iii : *Tu cognovisti semitas meas.*

25. Via peccatorum placet tibi, quia lata est : latitudinem ejus vides : finem ejus non vides : ecce ubi finitur, præcipitium est, obi finetur profunditas quædam barathri est. Lætantes, et si patientes in ista via, illo fine merguntur. Super *Psalm.* cxlv.

26. Iter hujus sæculi molestum est, plenum tentationibus, in rebus prosperis ne quis se extollat : in rebus adversis, ne se frangat. Tract. 12, super *Evang. Joan.*, de cap. 3.

27. Via cœli angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. *De Verbis Domini*, serm. 9.

28. Omni studio lata sæculi via vitanda est, quæ ducit ad mortem : at vero omni cordis desiderio via angusta quæ ducit ad vitam adeunda est et appetenda. *Prosec.*

29. Via angusta est via abstinentiæ et castitatis, humilitatis et omnis religionis, quam viam ante nos Christus attrivit, qua via ad suum regnum migravit. *De Triplici habitaculo*, cap. 4.

30. Via cœlestis ambulantes quærit : tria sunt hominum genera quæ odit : remanentem, retro redeuntem, aberrantem : excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. *Prosec.*

31. Qui non proficit, remansit in via : qui forte a meliore proposito declinat ad id quod deterius reliquerat, reversus est retro : qui fidem deserit, a via erravit. *De Cantico novo*, cap. 4.

32. Currite velociter rectam viam, ipsa enim vos perducit ad patriam. *Ibid.*, cap. 10.

33. Securi ambulemus in via, sed insidias timeamus juxta viam ; inimicus non audet insidiari in via, quia Christus est via, sed juxta viam plane non desinit. *Prosec.*

34. Quid formidas, quid metuis si in via ambulas ? tunc time, si deseras viam : nam inimico permittitur ponere juxta viam laqueos, ne securitate exultationis via deseratur, et in insidias incidatur. *De Verb. Dom.*, serm. 54.

35. Melius est in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. *Ibid.*, serm. 55.

36. Melior est claudus in via, quam cursor præter viam. *De Verbis Apostoli*, serm. 15.

37. Ibam per viam sæculi latam, nec deserebas me. Lib. 6 *Conf.*, cap. 6.

38. Via ad Christum non locorum est, sed affectuum. Lib. 1, *de Doctrin. christ.*, cap. 17.

39. Nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum. In *Enchirid.* cap. 17.

40. Si inter eum qui tendit, et illud quo tendit via media est, spes est perveniendi : si autem desit aut ignoretur qua eundum sit, nihil prodest

nosse quo eundum sit. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap, 2.

41. Piger viator venire nolebas ad viam, ad te venit via. *De Epicur.*, cap. 8.

42. Nos semper ambulemus in via, donec eo veniamus, quo ducit via : nusquam in ea remaneamus, donec perducat ubi maneamus. Tract. 63, super *Joan.*

43. Qui præter viam currit, inaniter currit, imo ad laborem currit : tanto plus errat, quanto præter viam currit. Tract. 10, super *Epist. Joan.*

V. BEDA. 44. Felicius est per asperum iter ad regnum, quam per amœnum planumque ad supplicium duci. *Homil. Domin. Palmar.*

45. Errat facillime qui non curat quo rectius pergat. In suis *Proverbiis*, verbo *Errat.*

S. BERNARD. 46. Laboriosior forte via videtur inter ardua collium, et aspera rupium : sed expertis longe securior et desiderabilior invenitur. Serm. in *Transitu S. Malachiæ.*

47. Fructus viarum, salus est viatoris. Serm. 11, super *Qui habitat.*

48. Via non est, lata via : rectitudo quippe ad viam, latitudo ad planitiem magis quam ad viam pertinet. Solitudo invia, lata est via : et ubi nulla est via, totum est via. Serm. *de Nimia fallacia præsentis vitæ.*

49. Viæ Domini, viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ : rectæ sine errore, pulchræ sine sorde, plenæ multitudine, planæ sine difficultate. Serm. *de Verbis libri Sapientiæ.*

50. Timendum est periculum triplex in via : scilicet æquare se alteri, respicere retro, in medio stare, aut residere. *Sermone de tribus Ordin.*

51. Viæ quæ ducunt ad mortem, ratione trifaria dividuntur. Alia ærumnosa, alia laboriosa, alia deliciosa. Ærumnosa est in pauperibus superbis ; laboriosa est in avaris et cupidis ; deliciosa est in divitibus delicatis. In suis *Sentent.*, cap. *Viæ.*

52. Via quæ ducit ad vitam, triplex est. Alia sanguinea, alia purpurea, alia lactea. Sanguinea in Martyribus, purpurea in Confessoribus, lactea in Virginibus. *Ibid.*

CASSIODOR. 53. Per invios labuntur errores, qui viam salutis deserunt, et tortuosis semitis immorantur. Super *Psalm.* CVI, vers. 39.

54. Iniqua via est, quæ nos perducit ad vitia ; recta vero via virtutum est, quæ nobis indulgentiam tribuit et salutem. Super *Psalm.* CXVIII, vers. : *Omnem viam iniquam odio habui.*

S. CLEMENS PAPA. 55. Via Dei, via pacis est. Lib. 2, *Recognit.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 56. Humilium viæ molles, planæ atque directæ sunt : viæ autem superborum plenæ sunt offendiculis, plenæ præruptissimis præcipitiis. Homil. 1, *Epiphan.*

GLOS. 57. Nulla via bona est, nisi quam illuminat Deus. Super illud *Psalm.* CXVIII : *Omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

S. G. MA. 58. In via Dei a timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur : nam sicut in via sæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit : et sicut in via seculi timor debilitatem, ita in via Dei, timor fortitudinem gignit. Lib. 5 *Moral.*, cap. 13.

59. Cum in itinere comes jungitur, via quidem non abstrahitur : sed tamen de societate comitis leviatur labor itineris. *Ibid.*, cap. 5, num. 22.

60. Via Dei pax, via Dei humilitas, via Dei patientia est. *Ibid.*, lib. 15, cap. 25, super illud *Job* XXI : *Qui dixerunt Deo : Recede a nobis.*

61. Viator dicitur, qui præsentem vitam, viam sibi esse, et non patriam attendit, qui in dilectione prætereuntis sæculi cor figere despicit, qui nec remanere in transeuntibus, sed ad æterna pervenire concupiscit. *Ibid.*, cap. 35, num. 27, super illud *Job* XXI : *Interrogate quemlibet de viatoribus.*

62. Via elati, superbia est : via raptoris, avaritia : via lubrici, concupiscentia carnalis. *Ibid.*, lib. 17, cap. 5.

63. Via Domini ad cor dirigitur, cum veritatis sermo humiliter auditur. *Prosec.*

64. Via Domini ad cor dirigitur, cum ad præceptum illius vita præparatur. Homil. 7, super *Evang.* super illud *Joan.* I : *Dirigite viam Domini.*

65. Qui in via ambulat, insidias metuit, hostium timet incursus, prædonum impetus perhorrescit. Super *Septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* XI.

66. Via Dei inchoantibus angusta est, et perfecte jam viventibus lata. Homil. 17, super *Ezech.*, super illud *Matth.* VII : *Intrate per angustam portam.*

67. Tanto debemus cautius ambulare, quanto nos scimus inter Dei inimicos vivere. Lib. 8, in *Registro*, ind. 3, cap. 36, epist. 36.

68. Via bona et recta est, cum ad religiosam vitam convertimur. *Prosec.*

69. Hæc via profecto non solum bona, sed et recta est, quæ ad salutem tendit, et viatorem suum ad perfectionem velociter ducit : bona est, quæ perducat : recta, quæ diverticulum caveat. Lib. 5, in 1 *Reg.*, cap. 11.

S. H. 70. Lubricum iter est, per quod egrederis. Epist. 4, *ad Rustic.*

71. Lata via, et arcta est. Vide quanta inter has vias separatio sit, quantumque discrimen : illa ad mortem, hæc tendit ad vitam : illa celebratur, et teritur a multis, hæc vix invenitur paucis. *Prosec.*

72. Illa enim vitiis per consuetudinem quasi declivior ac mollior, hæc vero insueto calle virtutum tristior atque horridior : ab iis tantum eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, quam utilitas mansionis.

73. Asperam enim et insuavem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo : quæ si in partem alteram transferatur, invenietur semita justitiæ levis. Epist. 14, *ad Celantiam.*

74. Omne quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de angusta via est. *Ibid.*

75. Ad cœlum per aspera, per angusta, per duros anfractus, sita est via, quam viam non tenet, qui tentari non vult. Epist. 6, *ad Amicum.*

76. Si justorum via Christus est, peccatorum via diabolus est. Super *Psalm.* CXLV, vers. penult : *Et vias peccatorum disperdet.*

IUS 77. Nemo dum in via est, id ad quod per viam tendit, obtinet. In *Explanat. Psalm.* CXVIII, super illud : *Beati immaculati in via.*

78. In multis viis standum est, ut bona via reperiatur. *Ibid.*

79. Deo adhærens, in via Dei est; et qui in via peccati est, in via Dei non est. Super *Psalm.* CXVIII, vers. : *Adhæsit pavimento anima mea.*

80. Via ad Deum, est scientia, disciplina, bonitas. Per scientiam itur ad disciplinam; per disciplinam itur ad bonitatem; per bonitatem itur ad beatitudinem. *De Inst. Novit.*, in prologo.

81. Nulla via justitia rectior. *De laude charit.*

82. Egrediamur : brevis est via et facilis, quæ est de Hierusalem in Babylonem : et e contrario (quod est mirabile dictu) grandis et difficilis est via, quæ est de Babylone in Hierusalem : egrediamur, et fugiamus Babylonem. Serm. 38, *de Divers.*

ARD. 83. Peccati via, dura est in consensu, durior in opere, durissima in consuetudine. Dura est in laicis, durior in clericis, durissima in prælatis. Super lib. *Jud.*, cap. 11.

84. Via Domini, per quam ambulant boni, est munda, pulchra, luminosa, recta, plana, stabilis, continua, ardua, arcta. Super *Psalm.* VII.

85. Via diaboli per quam ambulant mali, est lubrica, immunda, tenebrosa, tortuosa, lapidosa, instabilis, lata, spatiosa. *Ibid.*

86. Via peccatoris abominatio est, quia fœtida et immunda et maligna : fœtida Deo, immunda sibi, maligna proximo. Super *Prov.*, cap. 15.

87. Sine discretione omnis via præcipitium habet. *Ibid.*, cap. 16.

88. Via justi quasi cella est pigmentaria, plena speciebus aromaticis, habens balsamum charitatis, oleum pietatis, thus devotionis, et myrrham disciplinæ. *Ibid.*, cap. 15.

89. Antiqua via melior est, et securior. Super *Hierem.*, cap. 6.

90. Possunt duæ ad vitam viæ maxime perducere : quarum altera viatori, altera proximo conducit. Homil. 78, super *Matth. Oper. perf.* S. JOANNES CHRYS.

91. Lata spatiosaque via omni deserto desertior est, et asperior : nam etsi multi per eam proficiscantur, tales quippe sunt, qui rapacitatem amplectuntur. *Ibid.*, homil. 82.

92. Generalis et publica via est Christus, quæ ducit ad vitam : generalis etiam et publica via est diabolus, quæ ducit ad mortem. Homil. 41, super *Matth. Oper. imperf.*

93. Viæ sunt omnes professiones hujus sæculi : ut professio philosophiæ, una est via : professio militiæ, altera est via : mundilis dignitas, altera est via : professio ludorum, altera est via mundi, quæ omnes ducunt ad mortem. *Prosec.*

94. Sicut castitas via est, quæ ducit ad Christum, et misericordia cæteræque virtutes : sic fornicatio via est, quæ ducit ad diabolum, et avaritia cæteraque vitia. *Ibid.*

95. Fieri non potest, ut quispiam a recta via deflectat, nisi animus ipsius Dei oblivione prius laborarit. Lib. 1 *Parall.*, cap. 12. S. JOAN. DAM.

96. Via Crucis, via electorum, via paucorum, via vitæ, via amara, via salutis, via brevis, via directa, via laboris, via persecutionis. Epist. *pro Confortat. tentati.* JOAN. GERS.

97. Humilis sum via, superbos non capio : angusta sum, tumidos non admitto. Lib. 5, *ad Monachos*, serm. 4. JOAN. TRITH.

98. Via veniendi ad veram viam, humilitas est. Epist. 14, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

99. Imperfecta sapientia est, quo tendas scire, et nescire iter, per quod expediat ire. Lib. 1, *de Sum. bono*, cap. 17, sent. 5. S. ISIDORUS HISPALENS.

100. Qui viam regiam, hoc est, Christum deserit : etsi videat veritatem, a longe videt : quia nisi per viam non est quomodo ad eam propinquet. *Ibid.*, sent. 6.

101. Duæ sunt viæ, per quas humanam vitam progredi necesse est : scilicet una, quæ in cœlum ferat, altera quæ ad infernos deprimat. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 3. LACT.

102. Via cœlestis difficilis et clivosa proposita est, spinis horrentibus aspera, saxis extantibus impedita, ut cum summo labore sit cuique gradiendum. *Ibid.*, cap. 4.

103. Talem quisque viam eligat, qualem eligere voluisset, si in mortis articulo constitutus esset. *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 20. S. ...

104. Populosior est via læva, quam dextera : quia ad mundana gaudia et corporalia bona multitudo proclivis est. Serm. 11, *Quadrag.* S. ...

105. Melior est gradus lentior per iter rectum, quam velocitas festina per devium. Serm. 2, *de Jejun. Pentec.*

S. NILUS. 106. Beatus qui angustam ambulat semitam, coronatus enim in cœlum ingredietur. *Parænes.*, 227.

PETRUS BLESENS. 107. Multiplices viæ sunt ad Dominum, sed aliæ aliis tutiores. Serm. 34 *Omn. SS.*

S. PETRUS DAM. 108. Patet via, quæ teritur : sed occultum est, quo pervenitur. *Opusc.* 51, cap. 11.

S. VALER. EPISCOPUS. 109. Superflue te putas ardui itineris, et viæ asperæ semitas tenere, si animæ impediaris errore. Homil. 2, *de Arcta vita.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 110. Volasse, non iter fecisse diceres. Orat. 52, *Philipp.* 10, num. 11.

PLATO. 111. Via ad virtutem ardua, ad vitia plana· Lib. 4, *de Legibus.*

PLINIUS II. 112. Plerumque altis et excelsis adjacent abrupta : tutius per plana, sed humilius et depressius iter. Lib. 9, epist. 26, *ad Lupercum.*

SENECA. 113. Decernatur et quo tendamus, et qua : non sit sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quæ procedimus : at hic tritissima quæque via et celeberrima, maxime decipit. *Prosec.*

114. Nihil ergo magis præstandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua qua eundum, sed qua itur. *De Vita beata*, cap. 1.

## VICTORIA IN GENERE.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nulla sine adversario, corona victoriæ est. Lib. 5, epist. 3, *ad Valentinian. Imper.*

2. Adversarii meritis magis quam virtute vincuntur. Serm. 86, *de Barbaris non timendis.*

3. Hæc est vera et incruenta victoria, ubi sic adversarius vincitur, ut de vincentibus nemo lædatur. *Ibid.*

4. Victoria, nisi honesta sit quæsita, turpis est. Lib. 3 *Offic.*, cap. 14.

S. ANTONIN. 5. Certum est, quod perfectior est victoria virginum, quam viduarum : perfectissimum enim genus victoriæ est, nunquam hosti cessisse. *Prosec.*

6. Corona non debetur pugnæ, sed victoriæ de pugna. Part. 3, tit. 2, cap. 1, § 3.

S. ATHANAS. MAGNUS. 7. Unica ratio vincendi diabolum, est lætitia spiritualis. *De vita Antonii.*

S. AUGUST. 8. Cui oculi mentis patent, non pernicioso studio, vanæ victoriæ caligant atque turbantur. *De Vera relig.*, cap. 19.

9. Grave est, ut quem non vincit homo, vincat libido : aut volutetur vino, qui non vincitur ferro. Epist. 182, *ad Bonifac.*

10. Apud belligeros viros, victus dicitur victor occisus. Epist. 190.

11. Ibi vincuntur inimicæ nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates. *De Agone christiano*, cap. 2.

12. Impossibile est semper vincere; si quis victus fuit, dolere debet ne iterum vincatur : quia qui se dolet victum, reparat se. *De Quæst. Vet. et Novi Testam.*, quæst. 126.

13. Omnis victoria cum etiam malis provenit, divino judicio victos humiliat, vel emendans peccata, vel puniens. Lib. 19, *de Civitate Dei*, cap. 15.

14. Quid prodest bonum certamen, nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriam, nisi ipse Deus *De Gratia et Libero arbitrio*, cap. 7.

15. Non potest quisquam coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare nisi inimicum habuerit. Super *Psalm.* LX, vers. 2.

16. Sit veritas in pugna, ut acquiratur securitas in victoria. *De Verb. Apost.*, serm. 3.

17. Ubi fervet pugna, non desperatur victoria. *Ibid.*, serm. 5.

18. Multo mihi optabilius est inimicum non habere, quam vincere. *Ibid.*, serm. 12.

19. O homo ideo non vicisti, quia de te præsumpsisti. *Ibid.*, serm. 4.

20. Ubi discreta est causa, certa est victoria. Serm. 6, *de Martyrib.*

21. Ubi major pœna, major victoria est. Serm. 45, *ad Fratr. in eremo.*

22. Valde turpe est, ut quem non vincit homo, vincat libido; et obruatur vino, qui non vincitur ferro. Epist. 205.

23. In omnibus fere gentibus vox naturæ ista personuit, ut subjugari victoribus mallent, quibus contigit vinci, quam bellica omnifaria vastatione deleri. Lib. 18, *de Civitate Dei*, cap. 2.

24. Victoria Dea non est, sed Deus solus victoriæ auctor. *Ibid.*, lib. 4, cap. 17.

25. Quæ nondum victoriarum consuetudine roborata sunt, facilius vincuntur, et cedunt : sin autem vincere consueverunt, laboriosa difficultate superantur. *Ibid.*, lib. 21, cap. 16.

26. Mala vota sunt optare habere quem oderis, vel quem timeas; ut possit esse quem vincas. *Ibid.*, lib. 4, cap. 15.

27. Tanta est pernicies animorum, qui cum vincere homines volunt, ab errore convincuntur. *Contra Adimant.*

28. Victus es, si veritate victus es. *De gestis cum Emerito.*

29. Quanto quisque vincit facilius, tanto pugnat minus. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 2.

30. Pugnate ut vincatis, vincite ut coronemini. Tract. 2, super *Epist. Joan.*

31. Habitet in te qui non potest vinci, et securus vinces eum qui vincere solet. *Ibid.*, tract. 4.

ASILIUS ELEUCENS. 32. Satis mihi est ad victoriam fides. Oratione 15.

BEDA. 33. Omnino errat, qui per pacem et otium se assequi triumphum putat. In suis *Prov.*, verbo *Omnino.*

RNARD. 34. Ex cordis affectu, non belli eventu, pensatur vel periculum, vel victoria Christiani. *Serm. ad Milites templi*, cap. 1.

35. Infelix victoria, quæ superans hominem, succumbit vitio : ira enim tibi aut superbia dominante, frustra gloriaris de homine superato. *Ibid.*

36. Non in multitudine exercitus est victoria belli; sed de cœlo fortitudo est. *Ibid.*, cap. 4.

37. Summum victoriæ genus est, divinæ cedere Majestati. Epist. 185, *ad Eustach.*

BONAV. 38. Ante mortem nulla certa est victoria; quia semper restat pugna. Serm. 5, *de uno Confess.*

39. Vituperabilius est vinci a muliere quam a viro : et gloriosius est vincere virum, quam mulierem. Lib. 2, *Sent.*, dist. 21, art. 1, quæst. 3, argum. 3.

SIODOR. 40. Qui victoriam suam sibi applicat, non Domino, captivus redditur, quamvis hostes superasse videatur. Super *Psalm.* XVII, vers. 4.

YPRIAN. 41. Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria. *De Mortalit.*, cap. 4.

42. Nulla major est victoria, quam ea quæ de cupiditate refertur. *Prosec.*

43. Qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero : qui vero libidinem repressit, seipso fortior fuit.

44. Qui inimicum prostravit, externum hostem percussit : qui cupiditatem depressit, hostem domesticum superavit. *De Bono pudicit.*, cap. 5.

45. Qui cupiditates vincit, de peccato triumphat. *Ibid.*

YDIM. ALEX. 46. Vincit sæculum, qui a malo non vincitur. Super *Epist.* I *Joan.*, cap. 5.

SS. INT. 47. Tunc vincit Christianus, cum perire putatur : tunc perdit præsidia, cum se vicisse gratulatur. Super II *ad Cor.*, cap. XII.

SS. ORD. 48. Inanis gloriæ est, velle vincere, ubi præmium non est. Super illud *ad Galat.* V : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.*

GREGOR. AGNUS. 49. Sæpe de ipsa victoria bellum oritur, ut cum immunda cogitatio vincitur, victoris animus elatione pulsetur. Lib. 3 *Moral.*, cap. 17, num. 23.

50. Sine labore certaminis non est palma victoriæ. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 19. verbo *Sine.*

51. Contemptui est obnoxium, omne quod facile superatur. Oratione 1, *ad Nazians.* S. GREGOR. NAZ.

52. Præstat recte vinci, quam periculose ac nefarie vincere. Hab. apud Divum Joannem Damascenum, lib. 2 *Parall.*, cap. 90.

53. Non tantum gloriæ est post victoriam, quantum ignominiæ post ruinam. Epist. 4, *ad Rustic.* S. HIERON.

54. Vincere monitorem suum, pessima victoria est. Epist. 52, *de Vita Malchi.*

55. Non debet miles revocari, aut pati formidinem, ubi sequitur palma victoriæ. Epist. 6, *ad Amicum.*

56. Glorioso certamine opus est, ut corona victoriæ deferatur. Super *Psalm.* CXVIII, vers. : *Defecit in salutare tuum*, etc. S. HILARIUS

57. Adverte a quo vinceris, ut de cætero contra Deum te erigere non præsumas. Super *Job*, cap. II. HUGO CARD.

58. Qui spiritualia bella non senserunt, nec victorias habuerunt, nec possunt loqui victorias, nisi sicut cæci, qui syllogizant de coloribus. Super *Prov.*, cap. 21.

59. Nobile vincendi genus est patientia : vincit qui patitur; si vis vincere, disce pati. Super *Isaiam*, cap. 36.

60. Nihil vilius, quam a carne vinci : nihil gloriosius, quam carnem vincere. Super *Matth.*, cap. 4.

61. Impudentissime tibi arrogas gloriam sine victoria, aut victoriam sine pugna. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 10.

62. Nullam labore vel studio proprio victoriam quis obtinere potest, nisi Domini fuerit auxilio ac protectione suffultus. Lib. 6, *de Cœnob. inst.*, cap. 5. JOAN. CASS.

63. Victoria militis, peremptio est hostis : et peremptio hostis, gloria est imperatoris. Serm. super *Sap.* 3 : *Justorum animæ*, etc. S. JOANNES CHRYSOST.

64. Feliciter vincunt, qui post victoriam vinci non norunt. *Ibid.*

65. Non ubique victoria quærenda est : qui enim lædit, superare læsum videtur, sed perniciosa sibi victoria superat. *Prosec.*

66. Læsus si magno animo perfert injuriam, quanquam victus videatur, coronam tamen splendidam victoriæ adeptus est.

67. Sæpenumero vinci quam vincere præstantius est et optimus profecto iste victoriæ modus est.

68. Sive quis rapiat, sive percutiat, sive invideat : qui suffert et non comminus aggreditur, ille pulcherrimus victor est.

69. Ipsa clarissima atque fulgentissima victoria est quam injuriam inferentem patiendo superasti. Homil. 85, super. *Matth. Oper. perf.*

JOAN. SAR. 70. Ex rerum difficultate crescit meritum fidei : et gloriosior est triumphus, quem assiduitatis laborum, et periculorum susceptio, et jugis patientia præcesserunt. Epist. 97.

JOAN. TRITH. 71. Maxima victoria est, patientia vicisse. In cap. 4, de Regul. S. Bened., verbo *Hinc*.

72. Non potest vincere, qui nescit perseverare. Lib. 1, homil. 1, *ad Monachos*.

73. Si vis conorari, vince : si vincere cupis, necesse est ut fortiter ac perseveranter prælieris. *Ibid.*, homil. 5.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 74. Præstantius est honeste vinci, quam male vincere. Lib. 2, epist. 252, *ad Petrum*.

S. JUSTIN. MART. 75. Pertinax in studio victoriæ scelus duplicat, et abduci deberet a proposito, vincere, ut est in fabula, Cadmeam victoriam studuit. *Epist. ad Zenam*.

LACT. FIRM. 76. Nec victoria locus est, ubi adversarius nullus est. Lib. 6, *de Divinis inst.*, cap. 15.

77. Victoria constare sine certamine non potest. *De opificio Dei*, cap. 20.

S. LAURENT. JUSTIN. 78. Si coronam cupis reportare victoriæ certam, spiritualiter certa : adest in te, qui videat, judicet, et coronet. *De interiori conflictu.*, cap. 8.

79. Humiliare se non renuat, quisquis victoriæ palam expectat. *De Humilit.*, cap. 10.

MIN. FELIX. 80. Vicit, qui quod contendit obtinuit. In suo *Octavio*.

S. PAULINUS 81. Si malo vincas, victor, victus es : qui cum scelere viceris, cupiditate superatus es. Epist. 2, *ad Sever*.

PETR. BLES. 82. Non in pecuniis, nec in multitudine armatorum, nec in virtute pugnantium datur victoria Christi militibus, sed in virtute Domini virtutum. Tract. *de Hierosol. peregrinat*.

PETRUS CELL. 83. Tolle pugnam, tolles et victoriam : tolle victoriam, tolles et coronam : tolle coronam, tolles et gloriam. Lib. 6, Epist. 23, *ad Nicolaum monach*.

S. PETRUS DAMIANUS. 84. In hoc est perfecta victoria, si is cui victoria (Christo donante) tribuitur, a sola Christi pietate vincatur. Lib. 7, Epist. 1, *ad Henric. imperat*.

85. Delicatus est miles, qui ante vult vincere, quam incipiat dimicare : qui vult sine pugna victoriam, aut sine victoria anhelat ad palmam. Serm. 17, *de S. Vital. mart*.

86. Mirabilis et stupenda victoria est, ubi vivit qui occiditur : surgit qui dejicitur : vincit qui superatur. Serm. 32, *de S. Apollinare*.

87. Non est sine pugna victoria, non absque victoria, pertingitur ad coronam. Serm. 74, *de Spirituali certam*.

PHILO JUD. 88. Valida pugna parit victoriam. Lib. *de temulent*.

S. THEOD. 89. Sæpe vincuntur, qui vincunt. Super II, *Reg.*, *quæst.* 10.

90. Deum semper sequitur victoria, et ad eo accedit, quibus Deus se ducem præbet. Lib. 4 *Eccles. histor.*, cap. 29.

THOMAS KEMP. 91. Esto expeditus ad pugnam, si vis habere victoriam : sine labore non tenditur ad requiem, nec sine pugna pervenitur ad victoriam. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 19, sect. 4.

92. Fortissimus triumphus hominis est, vincere quod delectat aggredi, quod terret, sufferre leniter quod graviter dolet. In *Hortulo Rosar.*, cap. 8.

93. Si non potes parva vincere, non poteris graviora superare. *Ibid.*, cap. 15, sect. 2.

S. VAL. EPISCO. 94 Non per jactantiam victoriæ corona componitur. Homil. 11.

95. Voluntarium militem in conflictu pugnæ cito protegit corona victoriæ *Ibid.*, Homil. 15, *de Bono Martyr*.

96. Non deest, in quo possis quotidie vincere, si volueris carnis desideriis repugnare. *Ibid.*

97. Vince prius desideria carnis et non difficile tibi erit vincere tormenta carnificis. *Ibid.*, homil. 16.

98. Toties in die tolles præmium, quoties desideria vinces animorum. *Ibid.*

99. Quot sunt victoriæ, tot sunt coronæ. *Ibid.*

100. Dum consuescimus minora vincere, majora discimus tolerare. *Ibid.*

101. Necesse est ut ad omnem injuriam corpus inclinet, qui ad locum victoriæ pervenire disponit. *Ibid.*, homil. 17.

102. Non deest in quo vincas, si pugnare non desinas. *Ibid.*

103. Injuriæ acquievisse, vicisse est : nam non minimam constat reportare victoriam qui læsus nescit irasci. *Ibid.*

IN V. PAT. 104. Malo vinci cum humilitate, quam vincere cum superbia. Lib. 5, libell. 15, num. 74.

105. Adversarius noster facilius a nihil possidentibus superatur. Lib. 6, libell. 4, num. 23.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO 105 *bis*. Quem superare potes, interdum vince ferendo. Lib. 1. *Distich.*, metr. 74.

CICE. 106. Nihil est victoria dulcius, quia triumphus semper gratissimus est, atque jucundissimus. Oratione 10, in *Verrem*, libro 5, et 6, num. 65.

107. Vinci improbos a bonis, fateor esse præclarum. Oratione 31, *pro Plancio*, num. 88.

108. Facile est vincere non repugnantes. Lib 1 *Tusc. quæst.*

EPICT. 109. Invictus esse potes, si in nullum certamem descendas, quod vincere tui arbitrii non est. In suo *Enchirid.*, cap. 25.

ENECA. 110. Nunquam in rerum honestarum certamine superari, turpe est, dummodo arma non projicias, et victus quoque velis vincere. Libro 5, *de Benefic.*, cap. 2.

111. Armis vicisti, vitiis victus es. Ep. 51.

112 Inhonesta victoria est, suos vincere. *De moribus.*

## VICTORIA SUI.

### SENTENTIÆ PATRUM.

LLECTOR. 1. Victoria victoriarum, victoria sui. *Prosec.*

2. Victoria sui non in astu, sed in virtute sola consistit.

3. In aliis victoriis, quo plus victor exaltatur, eo magis victus humiliatur : sed in victoria sui, qui vincitur, æqualis est in gloria cum victore.

. AMBROS. 4. Qui se vincit, omnia vincit.

5. Prius, homo, tui victor esto, ut possis esse victor alterius : vince inimicos proprios, ut vincere possis alienos. Serm. 25, *de Quadrag.*

ANTONIN. 6. Qui se vincit, contra omnia fortis est : qui enim vincit quod majus est, consequens est quod vincat quod minus est. Parte 4, tit. 3, cap, 7, § 2.

. AUGUST. 7. Non ab homine vinci potest, qui vitia sua vicerit. *De vera relig.*, cap. 46.

8. Multum lugenda est mens humana, si vincitur a corpore suo. *De Agone christiano*, cap. 19.

9. Victor tui animi esse malis in veris, quam cujuslibet contradicentis in falsis. Lib. 3, *de Anima et orig.*, cap. 15.

10. Revera fortius pugnat, qui contra se pugnat. Serm. 3, *de Nat.*

11. Ubi major pœna, major victoria est. Sermone 45, *ad Fratr. in eremo.*

12. Vis vincere inimicum tuum? attende intrinsecus tuos, ne ibi habeas quod vincere debeas. *Ibid.*, serm. 73.

13. Seipsos interius vincant, et de diabolo foris triumphant. Serm. 72, *de Tempore.*

V. BEDA. 14. Bellator fortis, qui se poterit superare. In suis *Prov.*, verbo *Bellator.*

15. Fortior est qui cupiditates suas, quam qui hostes vincit. *Ibid.*, verbo *Fortior.*

S. BONAV. 16. Majus est subjugare seipsum, quam vincere totum mundum : quia multi regiones et urbes subjugare potuerunt, qui tamen suis corporibus servierunt, et vitia carnis non subjugaverunt. *Prosec.*

17. Accipe Alexandri exemplum, qui omnes reges excessit et generositate naturæ, et corporis venustate, et animi virtuositate ; et cum omnium victor esset, a seipso devictus est. Serm. 2, *de S. Nicolao.*

18. Seipsum perfecte domare, est legitime pugnare. *Prosec.*

19. Magnum certamen, mundum contemnere ; majus, diabolo tam forti resistere : sed maximum est, seipsum domando vincere. Unde versus : Crede mihi, est majus virtute domare seipsum. Quam more Samsonis sternere mille viros.

20. Inter omnia charismata sancti Spiritus, quæ Christus servis suis concessit, præcipuum est vincere seipsum. In suis *Opusc.*, *de vera et perfecta lætitia.* S. FRANCISC. ASSISIAS.

21. Majus est se a se superari, quam ea quæ extra se sunt vincere. Super *Prov.*, cap. 16. GLOSS. INT.

22. Tunc maxime oppugnaris, si te oppugnari nescis. Epist. 1, *ad Heliodor.* S. HIERON.

23. Difficile factu est gloriam virtute superare, et ab his diligi, quos præcedas. Epist. 9, *ad Salvinam.*

24. Laudabilius est seipsum vincere, et proprios motus reprimere, quam alium vincere. Super *Luc.*, cap 6. HUGO CARD.

25. Durissima pugna est, propriam vincere carnem. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2. JOAN. TRITH.

26. Nobilissimum triumphi genus est, vincere seipsum. In cap. 7, *Regul. S. Bened.*, grad. 3, verbo *Inter.*

27. Quandiu potes subjici, non credas te vicisse. *De inst. vitæ sacerdot.*, cap. 3.

28. Magnam sibi infert violentiam, quisquis carnis propriæ vicerit voluptatem. Epist. 3, *Ad quasdam moniales.*

29. Sui cohibitio, gloriosa est. *De ira Dei*, cap. 18. LACT. FIRM.

30. Animum vincere, fortissimi viri est. Lib. 1, *de Divin. inst.*, cap. 9.

31. Ille est animo fortis, qui seipsum vincit. *De casto connub.*, cap. 13. S. LAURENT. JUSTIN.

32. Meliorem perfectioremque victoriam invenire non licet, quam qua vincitur seipsum. *De Agricult.* PHILO JUD.

33. Nulla esse potest victoria nobilior, quam sibiipsi imperare. Super *Psalm.* XXXVIII. ROBERTUS BELLARM.

34. Magnum certamen est, seipsum vincere : gloriosus triumphus, cervicem superbiæ flectere. Serm. 7, *ad Novit.*, divis. 2. THOMAS A KEMPIS.

35. Quis habet fortius certamen, quam qui nititur vincere seipsum? Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 2, sect. 3.

36. Qui melius scit pati, iste est victor sui. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3.

37. Multum et diu oportet hominem in seipso certare, antequam discat seipsum plene superare. *Ibid.*, cap. 9, sect. 3.

38. Si temetipsum perfecte viceris, cætera facilius subjugabis : perfecta victoria est, de semetipso triumphare. *Ibid.*, lib. 3, cap. 53, sect. 2. *Prosec.*

39. Qui enim semetipsum subjectum tenet,

ut sensualitas rationi, et ratio in cunctis obediat Deo, hic vere victor est sui, et dominus mundi. *Ibid.*

40. Si vis vincere animæ tuæ nequissimos hostes; fuge, tace, quiesce, ora, jejuna, stude, labora. In *Hortulo Rosar.*, cap. 12, sect. 6.

41. Rara avis perfectio, arduum nimis vincere seipsum. In *Hortulo Rosar.*, cap. 4.

42. Ille vere est Monachus, qui se in omnibus vincit. Lib. 3, num. 87.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

MIMUS PUB. 43. Bis vincit, qui se vincit in victoria. In suis *Sent.*, sent. 55.

PLATO. 44. Unicuique adversus seipsum, tanquam hosti adversus hostem est decertandum. Libro 1, *de legibus*.

45. Maxima optimaque victoria est, seipsum vincere : ut vero a seipso superetur, omnium pessimum turpissimumque est. Lib. 1, *de legib.*

SENECA. 46. Nihil adhuc consecutus es, si multa effugisti, te nondum. Lib. 1, *quæst.* in præfat.

47. Nulla est major victoria, quam vitia domuisse : innumerabiles sunt, qui urbes, qui populos habuere in potestate : paucissimi, qui se. Lib. 3 *quæst.*

48. Fortior est qui cupiditatem vincit, quam qui hostem vincit : quia difficilimum est seipsum vincere. *De Moribus.*

VALERIUS MAXIMUS. 49. Multo seipsum, quam hostem superare, operosius est. Lib. 4 *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

VIDERI. *Vide* APPARERE.

## VIDUITAS.

HUGO CARD. *Etymologia.* Vidua dicitur, quasi bidua, id est divisa a viro. Super *Genes.*, cap. 38.

S. ISIDORUS HISPAL. Vidua vocatur, eo quod cum viro uno fuerit, nec circa consortium alterius viri, post mortem primi conjugis adhæserit. *Prosec.*

Nam quæ alteri post mortem prioris viri nupserit, vidua non dicitur.

Vidua enim dicta est, quod sola sit, nec circa consortium alterius viri conjugalia jura custodiat. Lib. 9, *Etymol.*, cap. 8.

S. THOMAS AQUINAS. Vidua dicitur, quasi a viro idua, id est, divisa. Super I *ad Tim.*, cap. 5, lect. 1.

TERTULL. *Differentia.* Virgo et vidua inter se differunt : poterit virgo felicior haberi, at vidua laboriosior; illa quod bonum semper habuit, ista quod sibi invenit : in illa gratia, in ista virtus coronatur. Lib. 1, *ad uxorem de nuptiis*, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quid tam decorum, quam ut vidua uxor, defuncto conjugi fidem servet? Lib. 2 *Offic.*, cap. 6.

2. Exemplum viduitatis et virginitatis, magisterium est. In *exhort. ad virgines.*

3. Non inferioris virtutis est eo abstinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quam conjugii oblectamenta nescire. *De viduis.*

4. Non simplex viduitatis laus est, nisi virtus etiam viduitatis accedat. *Ibid.*

5. Esto vidua temperans, casta primum a vino, ut casta possis esse ab adulterio : nequaquam te illud tentabit, si vina non tentent. *Ibid.*

6. Ipse in viduis frequens processus ætatis munimen pudoris est. *Ibid.*

7. Viduitas non pro supplicio fugienda est, sed tenenda pro præmio. *Ibid.*

8. Satis pie virum suum luget, quæ servat pudorem, non deserit fidem. *Prosec.*

9. Non amisit virum, quæ exhibet castitatem : non est viduata conjugio, quæ non mutavit nomen mariti. In Orat., *de Fide Resurr.*

10. Bona viduitatis via est, non tam difficilis ut virginitatis, sed confragosa et aspera cautiores exigit. Lib. 10, epist. 82, *ad vercellens. Eccles.*

S. ATHANAS. MAGNUS. 11. Omnis vidua continens, si curam suam collocet in mundanis, ejus rei cura, illi pro marito est, sive possessiones, sive alias substantias sollicitudine sua amplectatur. *De Virginit.*

S. AUGUST. 12. Si vidua in delectatione carnis hæret atque habitat, vivens mortua est. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 3.

13. Ora ut vidua Christi, nondum habens ejus aspectum, cujus precaris auxilium. *Ibid.*, cap. 16.

14. In omnibus spiritualibus deliciis, quibus fruuntur viduæ, sancta earum conversatio cauta debet esse, ne forte cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam. *De Bono viduit.*, cap. 22.

15. Bonum est pudicitia conjugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. *Ibid.*, cap. 5.

16. Multas viduarum revocat a nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor. *Prosec.*

17. Hæ quas pœnitet professionis, nubere volunt : et ideo non nubunt, quia impune non possunt. *De Sancta virginit.*, cap. 34.

18. Viduæ virgines possunt esse, et pudicæ non esse, si contaminata volontate mœchantur. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 8.

19. Non omnes viduæ sunt æquales, nec illæ Deo placent, quæ corpore tantum viduæ videntur esse, non opere. *De vita christiana*, cap. 15.

20. Tria sunt viduarum genera; unum quod perfectissimum est, cœlestique præmio destinatum, quod Deo orationibus, et jejuniis deservit; aliud, quod filiorum curam habet et domus, non tamen tanto præmio dignum, nec tamen peccatis

obnoxium ; tertium est in epulis, et deliciis, quod æternæ morti servatur et pœnæ. De *Vita christian.*, cap. 15.

21. Hæretici Luciferiani viduas, si nupserint, tanquam adulteras damnant : et viduas uri cogunt, quas nubere non permittunt. *De Agone chr.*, cap. 31.

S. BERNARD. 22. Pudet ad negotium honestatis rationem non posse in homine, quod natura possit in volucre. Cernere enim est turturem tempore suæ viduitatis, sanctæ viduitatis opus strenue atque infatigabiliter exequentem. Serm. 59, super *Cant.*

23. Non tibi parvus videatur honor viduitatis, cum cogitas dignitatem, attende et viduitatem : non potes esse regina bona, si bona non fueris vidua. Epist. 289, *ad Reginam Hieros.*

24. Melior est vidua humilis, quam virgo superba; melior vidua cum humilitate, quam virgo cum superbia. Serm. 22, *ad Sororem.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 25. Bonæ viduæ sunt, quæ non sunt deliciosæ, non linguosæ, non curiosæ, non invidiosæ, non superbæ : sed jejuniis, eleemosynis, et orationibus serviunt Deo. Homil. 20.

S. CYPRIAN. 26. Blandas corporis leges non nosse, felicitatis est : notas jam vicisse, virtutis. *De Bono pudicit.*, cap. 2.

FRANCISCUS TITELM. 27. Hoc exigit perfectissima misericordia, ut paupercularum viduarum, non solum subveniatur necessitati et inopiæ, verum etiam occurratur temeritudini et verecundiæ. In *Elucid.*, super cap. XXXI, *Job.*

S. FULGENT. 28. In eo quod ex conjugata facta es vidua, donum Dei auctum tibi magis existima, non ablatum : neque enim te deseruit, qui tibi sequendam viam vitæ melioris ostendit. *Prosec.*

29. Gradibus te voluit Dominus ad meliora conscendere, ut primitus conjugata cum uno viro fideliter viveres, quos postmodum sine difficultate absque viro vidua permaneres.

30. Ad hoc igitur animum tuum divina gratia conjugali castitate nutrivit, ut quæ didiceras illo uno vivente, alterum non quærere, disceres ab omni viro vidua continere : noli ergo negligere gratiam, quæ in te est. Epist. 2, *ad Gallam*, cap. 7.

S. GELASIUS PAPA. 31. Viduarum et orphanorum causas impensius tueri ab omnibus divina manifestat assertio. In *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 87, can. *Licet.*

GRATIANUS. 32. Vere vidua est, quæ post solemne fœdus nuptiarum, morte interveniente a viro suo divisa fuerit. In *Decret.*, part. 1, dist. 34, can. *Presbyteri*, § *Vidua.*

S. GREGOR. MAGNUS. 33. Magna mansuetudo est pietatis, viduarum corda consolari. Lib. 19 *Moral.*, cap. 11, num. 16.

34. Quanto viduæ bene viventes, virorum sunt solatio destitutæ, tanto eis enixius ecclesiastica est impendenda tuitio. Lib. 5, in *Registro*, indict. 14, cap. 137, epist. 37, *ad Anthemium.*

35. Vivens vidua moritur, quando cibo corpus nutrit, animam fame interficit. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. IV, super illud I *Timoth.* V : *Vivens mortua est.*

S. GREGOR. NAZ. 36. Molesta est viduitas, at illi nequaquam molesta, cui est dilectionis mandatum. Orat. 9, *in Funere patris.*

S. HIERON. 37. Vere viduæ sunt, quas et ætas probat et vita. Epist. 9, *ad Salvinam.*

38. Nescit vidua digamiæ indulgentiam. *Ibid.*

39. Adolescentula vidua quæ se non potest continere, vel non vult, maritum potius accipiat, quam diabolum. *Ibid.*

40. Non tam laudanda es, si vidua perseveres, quam execranda, si id Christiana non serves, quod per tanta sæcula gentiles fœminæ custodierunt. Epist. 10, *ad Furiam.*

41. Vidua quæ marito placere desinit, vere vidua est, nihil habens necessarium, nisi perseverantiam. *Ibid.*

42. Vidua vivens mortua est : vivere quidem videtur ignorantibus, et non esse peccato mortua, sed Christo (quem secreta non fallunt) mortua est. *Ibid.*

43. Nulla vidua nuptias contemptura, timeat egestatem. *Ibid.*

44. Nobilitas, et forma, et ætas, et opes, viduam faciunt cunctis appetibilem. Epist. 11, *ad Geruntiam.*

45. Matrimonium vinculum est, et viduitas solutio. *Ibid.*

46. Omni ratione viduæ providendum est, ne castitatis primos excedat limites, quos si excesserit, et verecundiam ruperit matrimonialem', in omnem debacchabitur luxuriam. *Ibid.*

47. Vidua oblatam occasionem arripiat libertatis, ut sui corporis habeat potestatem, nec rursum ancilla fiat hominis : certe multo laboriosius est non frui eo quod habeas, quam desiderare quod amiseris. *Prosec.*

48. Unde et virginitas in eo facilior, quod carnis incentiva non novit : et viduitas in eo sollicitior est, quod præteritas animo recolit voluptates maxime si se virum putet perdidisse, non præmisisse : quorum alterum doloris, alterum gaudii est. *Ibid.*

49. Magni hoc animi signum, et perfectæ virtutis indicium est, renuntiare subito expertæ voluptati, fugere notas carnis illecebras, et calentis adhuc ætatis flammas fidei amore restinguere. Epist. 14, *ad Celantiam.*

50. Videas plerasque viduas antequam nuptas, infelicem conscientiam mentita tantum veste protegere; quas nisi tumor uteri, et infantum proderit vagitus, erecta cervice, et ludentibus pedibus incedunt. Epist. 22, *ad Eustoch.*

51. Eas fuge viduas quas necessitas fecit, non voluntas ; non quod mortem optaverint maritorum; sed quod datam occasionem pudicitiæ non libenter acceperint. *Ibid.*

52. Vidua quæ soluta est vinculo maritali, nihil necesse habet nisi perseverare. Epist. 23, *ad Marcellam.*

53. Sancta Melania amisso marito, et filiis, ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit : Expeditius, inquit, tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Epist. 25, *ad Paulam.*

54. Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, et omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem : nobilis genere, sed multo nobilior sanctitate, potens quondam divitiis, sed nunc Christi paupertate insignior. Epist. 27, *ad Eustoch.*

55. Vidua indicium castitatis est. Epist. 74, *de Vitando suspecto contubernio.*

56. Viduitatis præsidium filius est. *Ibid.*

57. Veræ viduæ sunt, quæ omni suorum auxilio destitutæ, quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, ætasque conficit, quibus Deus spes est, et omne opus oratio. Epist. 11, *ad Gerontiam.*

58. Viduitati virginitas, viduitas matrimonio præferenda est. Lib. 2, *advers. Jovian.*

59. Quanto major est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto majus est præmium. Epist. 2, *ad Pammach.*

60. Viduæ semper virginibus bene copulantur. Epist. 10, *ad Paulam et Eustoch. de Assumpt. B. M.*

61. Illæ veræ viduæ sunt, quæ universis curis exutæ, et ab omnibus sunt desolatæ. Super I *ad Timoth.* cap. v in illud : *Veræ viduæ sunt,* etc.

62. Si quis viduas abjicit, deterior est infideli. *Ibid.*, super illud : *Si quis suorum curam non habet.*

HUGO CARD. 63. Illa vere, vel vera vidua est, quæ mente separata est et proposito a nuptiis, et a copula carnali, et etiam ab amore mundi. Super I *Tim.*, cap. 5.

S. JOANNES CHRYSOST. 64. Viduæ continentes nullam debent habere maculam, neque in verbo, neque in cogitatu, neque in facto, neque in opinione. Homil. 40, super *Matth. Oper. imperf.*

65. Viduæ facile decipiuntur, non habentes consiliatorem virum, et facile de rebus suis aliis præstant, cum sint nullius potestati subjectæ. *Ibid.*, homil. 44.

66. Non parva vis lacrymarum viduæ est, quæ ipsum cœlum possunt aperire. Homil. 69, super *Joan.*

67. Viduarum multitudo, virginum chorus, Ecclesiæ totius quondam ornamentum, evanuit nunc. Homil. 36, super I *Cor.*

68. Veræ viduæ hoc argumentum est, secundis nuptiis non conglutinari, hospitalitas, studium in pauperes, et constantia precum. *Ibid.*

69. Viduæ quondam auri loco misericordiæ officiis, velut mundo quodam ornatu vestiebantur: nostræ vero relictis his, e vitiorum catenis funiculis aureis implexis undique cinguntur. *Ibid.*

70. Pudicitia præclariorem multo facit, viduam (si cui fuerit) quam quæ auro est conspicue ornata. Homil. 6, super I *Thess.*

71. Viduitas non permittit ut sumptuoso ornatu dæmonum ludibrio pateas. *Ibid.*

72. Hoc peculiare est viduarnm munus, nempe in bonis moribus liberos educare. *Ibid.*

73. Quæ sæcularem penitus abjecit vitam, atque in viduitate persistit, vere vidua est. Homil. 13, super I *Timoth.*

74. Veraciter vidua est, quæ liberis destituta, sola persistit, et ex solo Deo pendet, rebusque divinis. *Ibid.*

75. Quanto pauperior est vidua, tanto magis est vidua. Homil. 15, super I *Timoth.*

76. Quemadmodum virginem facit honestam habitus, orationisque perseverantia : sic viduam, solam esse, perseverare in obsecrationibus, et abstinere a deliciis. Homil. 7, super II *Tim.*

77. Si vidua permanens, eumdem apparatum, eamdemque pompam habitura es, quam vivente adhuc viro habuisti, melius est nubere. *Ibid.*

78. Quædam viduæ reversæ sunt retro post satanam, quia viduitatem rite servare nsscierunt. *Ibid.*

79. Vis noscere quæ sit viduitas, et viduitatis insigne? si suscepit hospitio, si sanctorum pedes lavit, si his qui in tribulatione sunt, subministravit, si omne opus bonum secuta est. *Ibid.*

80. Si mortuo viro ingentem opum præferas fastum, viduitatem congrue non fers : sed transfer in cœlum divitias tuas et erit tibi tolerabile viduitatis onus. *Ibid.*

81. O inique ! si viduam læseris, viduarum provisorem ad iracundiam provocabis. Homil. 5, *de Pœnit.*

82. Ne virum plus ames, quam Deum, et viduitatem non senties unquam, quia habes, qui te

magis amat, tutorem immortalem. Homil. 6, super I *ad Thessal.*

S. ISIDORUS HISPAL. 83. Felix virgo, quia intacta; fortior vidua, quia experta : utrique tamen apud Deum merces; major illi, subsequens isti. Lib. 2, *de Offic. Eccles.*, cap. 18.

84. Dicit apostolus, vidua eligatur unius uxor viri : unde consequens est, ut quæ plurimis fuit nexa maritis, careat nomine viduitatis. *Ibid.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 85. Si in viduitate perstas, ne juvenilem in modum te geras. *Prosec.*

86. Quod si ornate atque eleganter induta es, et luctus nomen obtines, hæ duæ res parum inter se consonant : aut igitur alterum relinque, aut pudorem ac verecundiam contumelia ne affice. Lib. 1, epist. 79, *ad Lycænam.*

LACT. FIRM. 87. Deus cujus perpetua clementia est, viduas defendi ac tueri jubet. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 12.

88. Viduis tutela non desit. In *Epitome*, cap. *Dixi.*

89. Caute sanctæ viduæ satagendum est, ne mens ejus implacabilis odii, vel turpis concupiscentiæ squalore sordescat. Lib. 8, epist. 14, *ad Sorores.*

PHILO JUD. 90. Viduarum tutelam habere profitetur Deus, quia hæ maritis orbatæ sunt, ideo propitium numen non aversatur hujus generis patrocinium. Lib. 2, *de Victimis.*

SALVIANUS. 91. Si vidua est quæpiam, nequaquam sibi sufficere ad æternam salutem nomen viduitatis putet : quia parum illud est, etsi non sit deliciosa, non dives nisi fuerit Deo adhærens, nisi orationi dedita, nisi a cunctis mundi illecebris desolata, et per hæc omnia vere vidua. *Prosec.*

92. Nequaquam sibi sufficere æstimet : si delicias sibi ob Deum, et divitias abnegarit, nisi et oratione et labore id promeruerit, ut vere vidua Dei esse videatur. Lib. 2, *ad Ecclesiam catholicam.*

93. Absque dubio viduam divitem esse non vult, quam Deus deliciosam esse non patitur. *Ibid.*

94. Cum Apostolus in deliciis viduæ mortem esse memoraverit, promptum est quod ad vitæ æternæ fructum vult universa distribui, qui non vult ad mortis usum aliqua reservari. *Ibid.*

TERTULL. 95. Nihil viduitati apud Deum subsignatæ necessarium est, quam perseverare. Lib. 1, *ad Uxorem, de Nuptiis*, cap. 4.

S. THOMAS AQUINAS. 96. Vidua vere est illa, quæ non habet alias personas, a quibus sustentetur. Super I *Timoth.*, cap. 5, lect. 1.

Vide etiam tit. *Mulier*, sent. 90; *Nuptiæ*, sent. 60, 61, 62, 64, 65; *Sacerdotis Offic.*, sent. 21; *Victoria in genere*, sent. 4.

## VIGILARE.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Dormiat caro tua, vigilet fides, dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia. In *Exhor. ad Virgin.*

2. Oportet viri sapientis animam die noctuque in exercitio jugi specula prætendere, nunquam somno indulgentem, perpetuis vigiliis intentam Deo.

S. AUGUST. 3. Vigilare Dei, est in defensionem electorum suorum, et in ultionem inimicorum suorum, se manifestum Deum demonstrare. *De Essentia divin.*, verbo *Vigilare.*

4. Vigilat hostis, dormis tu? Super *Psalm.* LXV.

5. Corde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila. *De Verbis Dom.*, serm. 23.

6. Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. *De Verbis Apostoli*, serm. 22.

7. Quanto hostis vigilat ut noceat; tanto Christianus vigilet, ut vincat. Homil. 46, *Ex Quinquaginta homil.*

V. BEDA. 8. Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. In suis *Prov.*, verbo *Vigilat.*

S. BERNARD. 9. Vigilemus super opera nostra, fratres, nec vel omittamus quod præceptum, vel quod prohibitum est committamus. *Prosec.*

10. Vigilemus super verba nostra, ne in eis vel offendere Deum, vel proximum nocere contingat. Serm. *de Triplici custodia.*

11. Anima quæ amat, vigilat, et beata quam Dominus invenerit vigilantem. Serm. 57, super *Cant.*

12. Semper esto vigilans, et cum omni vigilantia viriliter dimica. Serm. 55, *ad Sororem.*

13. Si ad Deum cum omni instantia vigilaveris, felix eris : quia promisit Deus coronam vigilantibus. *Ibid.*

14. Venter vacuus, in oratione vigilare facit, repletus autem somnum infert gravissimum. *Ibid.*, serm. 24.

[illegible] 15. Quanto quisque sollicitior circa se fuerit, tanto plus metuit. Homil. 29.

CASSIOD. 16. Ad Deum vigilatur, quoties in mundi ambitione dormitur. Super *Psalm.* LXII, vers. 1 : *Ad te de luce vigilo.*

S. CYPRIAN. 17. Christianus cum dormit oculis, debet corde vigilare. *De Orat. Dom.*, cap. 13.

18. Si diabolus imparatum invenerit militem Christi, si non sollicitum, ac toto corde vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. *De Exhort. Martyr.*, in præfat.

[illegible] 19. Vigilantia perutilis est, et bonorum omnium conciliatrix. *De recondit. mentis.*

S. GREGOR. 20. Male homo vigilat, quando eum sæcularium

MAGNUS. negotiorum æstus insolenter inquietat. Lib. 23, *Moral.*, cap. 12.

21. Sæpe dum aliqua torpens agit, quæ vigilanter agenda sunt, negligit. *Prosec.*

22. Sæpe dum plus justo vigilanter se in actiones exhibet, ipsa actionis suæ inquietudine rebus subditis nocet. *Ibid.*, lib. 2, cap. 26, num. 35.

23. Qui super rem sibi creditam vigilat, hostis insidias declinat. Lib. 9. In *Registro,* in 4, cap. 8, epist. *ad Bonum abbat. monasterii Lirinens.*

S. HIERON. 24. Grandi tibi opus est vigilantia grandique cura : quanto ditior es, tanto debes esse vigilantior. Epist. 1, *ad Demetriad.*

25. Monachus qui non vigilat, sed dormit, non custodit se. Super *Psalm.* LXXVI, vers. 4.

HUGO CARD. 26. Vigilat Deus, ut discernat merita; vigilat homo, ut custodiat; diabolus vigilat, ut damnet. bonus vigilat, ut sibi prosit, ut aliis prosit; malus, ut aliis noceat. Super *Psalm.* LXII.

IDIOTA. 27. Quod si anima ad Deum vigilat, multo prius vigilat et ipse. Lib. 1, *contemplat. de Amore Dei,* cap. 6.

S. INNOC. III. 28. Quilibet in quolibet loco vigilare tenetur contra dæmones, mundum, et carnem. Super *Psalm.* CI.

29. Sane vigilat Deus per misericordiam et justitiam, ad indulgendum et puniendum. Vigilat angelus per diligentiam et cantelam, ad custodiendum et ad juvandum. Vigilat homo per circumspectionem, per informationem, per prædicationem, per contemplationem, per attentionem, Vigilat zabolus, ad nocendum et seducendum. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 30. Scitis quod hostem habemus perpetuum, et fœderis nescium, unde nobis magna vigilantia opus est, ita ut ejus fraudes vincere et superiores ejus telis constitui possimus. Homil. 60, super *Gen.*

31. Vigilare oportet in omni tempore; opus est vigilantia, dilecti. Nam et miles dormit, non in lecto, sed humi. Piscator non dormiens piscatur, sed stans aliquando peragit noctem. Agricola omnem exhibet vigilantiam, ne domini vinea lædatur; et pastor sub dio stans noctem consummat, gregem custodiens. Homil. 22, *ad Popul. Antioch.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 32. Pervigil ut miles incede, ne quis somnus obrepat, qui te frangat et emolliat, clypeique abjectorem ac perfugam, quod absit, reddat. Lib. 1, epist. 101, *ad Theognost.*

S. LEO I. 33. Contra communes hostes pro salute communi una communis debet esse vigilantia, ne de alicujus membri vulnere, etiam alia possint membra corrumpi. Serm. 5, *de Jejun. decimi mensis.*

34. Semper ad omnia vigilias esse salutares, nullus ignorat : quia revera plus vigilare, plus vivere est. *Prosec.* S. PETRUS CHRYSOL.

35. Nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? quid tam vita plenum, quam forma vigilanti? Serm. 24.

36. Vigilia moderata aciem humanæ mentis exacuit, geminatio repetiti soporis obtundit. *Opusc.* 12, cap. 25. S. PETRUS DAMIANUS.

37. Ille non vigilat, qui semetipsum negligens, de salute sua non cogitat. Part. 2, lib. 1, super *Apocal.*, cap. RICHARD. A S. VICTORE.

38. Vigilat, qui ad aspectum veri luminis oculos apertos habet : vigilat qui servat operando quod credit : vigilat, qui a se corporis et negligentiæ tenebras repellit. *De ultimo advent. Chr.* S. THOMAS AQUINAS.

39. Vigiliæ tam sensum, quam etiam mentem subtiliorem ac puriorem efficiunt. Lib. 3, num. 2. IN VIT. PATR.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

40. Plus vigila semper, nec somno deditus esto. Lib. 1 *Distichor.*, met. 3. CATO POET.

Vide etiam tit. *Dormire*, sententia 21, 22, 23, 24.

## VINDICTA IN GENERE.

*Etymologia.* Vindicta venit a vindico, quasi vim dico. COLLECTOR.

*Definitio.* Vindicatio est per quam vis, et injuria, et omnino omne quod obscurum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur. Lib. 2, *de Invent. Rhetor.* CICERO.

*Divitio.* Triplex est ultio. Quædam ex ira, quædam ex humana infirmitate, quædam ex zelo justitiæ. Super *Ecclesiasten*, cap. 28.

*Differentia.* Vindicta infertur homicidio, per manum; clamore, per os; indignatione, per signum. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 20.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Vindictæ pars est non minima, suspendisse vindictam, ut irruat gravior. Parte 2, *de Statutis fratr.*, cap. 17, narrat. 2. B. ALANUS DE RUPE.

2. Non vult vindicare, qui est paratus ignoscere. *De fuga sæculi*, cap. 3. S. AMBROS.

3. Melius est dissimulare injuriam, quam cum redarguis vindicare. Super *Psalm.* XXXVII.

4. Non habet ultionis studium perfecta virtus. Lib. 7. Super *Luc.*, cap. IX, in illud : *Nolite prohibere eos*, etc. S. ANTONIN.

5. Vindicta locum non habet, nisi ubi præcessit injuria; quæ ad eum pertineat, qui vindictam appetit. Parte 1, titulo 6, cap. 11, § 1.

6. Finis iræ est vindicta. Part. 2, tit. 7, *de Ira*, cap. 6.

7. Non resistamus malo, ne nos vindicta de- S. AUGUST.

lectet, quæ alieno malo animum pascit. Epist., *ad Publicolam.*

8. Cavendum est ne vindicandi cupiditate amittatur ipsa sapientia, quæ pluris est habenda, quam omne quod potest etiam invito inimicus auferre. Epist. 5, *ad Marcellin.*

9. Vindicta ultima juste pascitur, quanto nullus jam restat correctionis locus. *Ibid.*

10. Imple Christiane judex pii patris officium : sic succense iniquitati, ut consulere humanitatis memineris : nec in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem; sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem. *Prosec.*

11. Plerumque necesse est, exerceatur acrius inquisitio, ut manifestato scelere, sit ubi appareat mansuetudo.

12. Non te exasperet vindicandi potestas, cui lenitatem non excussit examinandi necessitas : noli facinore invento quærere percussorem, in quo inveniendo noluisti adhibere tortorem. Epist. 159, *ad Marcellin.*

13. Sicut parata est severitas, peccata quæ invenerit, vindicare : ita non vult charitas, quod vindicet invenire. Epist. 109, *ad Monachos.*

14. Officia vindictæ possunt implere boni bono animo. Lib. 1, quæst. 10.

15. Perfecti cum vindicant, non vindicent acerbitate sævitiæ, sed moderatione justitiæ : ne ipsa relaxatio peccati plus noceat peccatori, quam pœna vindictæ. *Contra Adimantum,* cap. 17.

16. Inaniter se jactat, qui cum et ipse homo sit, cupit se de homine vindicare : et cum superare hominem palam quærit, occulte a diabolo superatur. Super *Psalm.* VII, vers. 4 : *Decidam ab inimicis meis inanis.*

17. Vindicari vis, christiane? nondum vindicatus est Christus : an tu passus es improbum, et ille non passus est? nonne prior pro te passus est, qui non habebat quare pateretur? tu tamen christiane, tolerare didicisti, non vindictam retribuere. Super *Psalm.* XXX, concion. 3.

18. Injurias accipiam, et injuriam perferam; et non me vindicabo? justum est ut vindices te, conceditur quia justum est, vide utrum ne habeas quod in te vindicetur, et vindica. *Prosec.*

19. Sic enim dicis : Itane me non vindicabo? quasi Deus justitiam vindictæ reprimat, et non superbiam vindicantis extinguat. Super *Psalm.* CII, vers. 6.

20. Ulciscendi libido vitiosa est, magisque ad judicem pertinet inter malos hoc discernere, quam bonum hominem sibi expetere. Super *Psalm.* CVIII, exposit. 1, vers. 3.

21. Gloriam quærit, qui desiderat vindicari se. Super *Psalm.* III, vers. 5.

22. Læsus et injuriam passus vindicari vult, de aliena pœna sibi quærit medicamentum, et acquirit grande tormentum. *De verbis Dom.*, serm. 41.

23. Nondum est Christus vindicatus, nondum sunt sancti Martyres vindicati, adhuc expectant patientiam Dei, ut convertantur inimici, et nos quærinus vindicari. Homil. 42, *Ex Quinquaginta Homil.*

24. Omnis homo qui vult de inimico suo vindicari, provocat in se vindictam Dei. *Prosec.*

25. Quando vindicari vis, sine dubio vincere vis : vide ne dum vis hominem vincere, ab ira vincaris. Serm. 73, *ad Fratr. in eremo.*

26. Ira vindictam quærit. Lib. 2 *Conf.*, cap. 6.

27. Ibi grata est indulgentia, ubi justa posset esse vindicta. Epist. 106.

28. Ea quæ non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, non negligenda sunt. Epist. 50.

29. Peccat, qui per immoderationem injuste vult vindicari : non peccat autem, qui modum adhibens, juste vindicari; remotior tamen est a peccato injustæ vindictæ, qui non vult omnino vindicari. Lib. 19, *contra Faust.*, cap. 25.

30. Non expectemus vindicari. Quid est vindicari, nisi alieno malo pasci ? *Prosec.*

31. Scio quotidie venire hominem genua figere, et in ista humilitate dicit; Domine vindica me, occide inimicum meum.

32. Plane ora ut occidat inimicum tuum et salvet fratrem tuum : occidat inimicitias, salvet naturam. Sic ora, ut vindicet te Deus : pereat qui te persequebatur, sed maneat qui tibi reddatur. Homil. 40, *Ex quinquag. Homil.*

33. Quis tantumdem facile contentus est reponere vindictæ, quantum accepit injuriæ? nonne videmus homines leviter læsos moliri cædem, sitire sanguinem, vixque invenire in malis inimici unde satientur? Lib. 19, *Contra Faust.*, cap. 25.

34. Ubi culpa tam aperta atque inexcusabilis S. BERNARD.
esse videtur, vindicem exhibere debes magis, videlicet officii compulsus necessitate, quam vindicandi libidine. Epist. 37, *ad Theobaldum.*

35. Nec præceps sis in sententia, nec vehemens in vindicta. Epist. 42, *ad Henric. Senonens. arch.*

36. Nobile vindictæ genus est, ignoscere victo. *De inter. domo*, cap. 43.

37. Magnæ est gloriæ, si ei de quo potuisti ulcisci, parcas. Serm. 40, *Ad sororem.*

38. Qui vindicari vult vindictam afflictionis S. BONAV.
personæ debet horrere, et contra vindictam dam-

nationis æternæ debet interpellare. Super *Lucam*, cap. 18, in illud : *Cito faciet vindictam.*

39. Qui hominum hodie injuriantibus parcunt, et vindictam non potius expetunt ? Serm. 2, *de SS. Apostolis.*

40. Sæpe vindicare se volenti accidit sicut cani, qui lapidem sibi projectum dentibus rapit, et lapidem lædere quærit, sibi potius dentes lædit. Serm. 2, *de Una virg.*

41. Qui male injurias suas vindicat, dum vindictam quærit, in pejus incidit : quia injurias accipit, quas primis addit. *Ibid.*

CASSIODOR. 42. Ubi est fervida vindicta, non est temperata justitia. Super *Psalm.* VII, vers. 12.

43. Erubescat humana temeritas; Christus pro inimicis oravit, mortem patienter excepit, et nos injurias nostras ulcisci volumus. Super *Psalm.* LXXXV.

GLOSS. ORD. 44. Benefacere, jucundum et placitum Deo est ; ulcisci vero, Deo ingratum est. Super *Gen.*, cap. 19.

45. Non est ulciscendum de his, qui inferunt injuriam : sed expectanda divina sententia, quæ maxime consolatur injuriam passos. Super *Exod.*, cap. 12.

46. Ad sumendam justam de inimicis ultionem, sæpe doli sunt probati. Super lib. *Judic.*, cap. 4.

GLOSS. INT. 47. Qui se vindicat, occulte a diabolo superatur. Super *Psalm.* VII.

GLOSS. ORD. 48. Qui in præsenti desiderat ulcisci, fatuus est : qui autem pro Domino ulcisci contemnit, sapiens est. Super illud *Prov.* XII : *Fatuus indicat iram suam.*

GLOSS. INT. 49. Cesset vindicta, exhibeatur patientia, ut patientiam nostros doceamus, non vindictam. *Prosec.*

50. Omnes qui exercuerint vindictam, ipsa vindicta erit eis causa perditionis. Super *Matth.*, cap. 26.

GLOSS. ORD. 51. Perfecta virtus non habet studium ultionis, nec ulla est iracundia, ubi est charitatis plenitudo. Super *Luc.*, cap. 9.

52. Vis ulcisci te honeste? beneficium illi exhibe : tum acerbiori eum supplicio affecisti. Super illud *Rom.* XII : *Carbones ignis*, etc.

GRATIANUS 53. Vindicta inferenda est non amore ipsius vindictæ, sed zelo justitiæ : non ut odium exerceatur, sed ut pravitas corrigatur. In *Decret.*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Mali*, § *Ex his.*

S. GREGOR. MAGN. 54. Plus semper ira in vindicta exigit, quam injuria accepit. Lib. 28, *Moral.*, cap. 9, num. 17.

55. Læsus in præsenti se ulcisci non desiderat, qui etiam tolerans parci optat : sed tamen juste vindicari omnia extremo judicio non ignorat. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 10.

56. Vindicta culpabilem feriat, non innocentem. Lib. 9, in *Regist.*, indict. 4, cap. 63, epist. 63, *ad Virgilium episc. Arelat.*

S. HIERON. 57. Non sit exactor vindictæ, qui petitor est veniæ. In *Regula*, cap. 21, *de Patientia.*

58. Qui in præsenti suas vult ulcisci injurias, hic corona patientiæ in futuro carebit. Lib. 2, super *Prov.*, cap. XX, super illud : *Hæreditas ad quam festinatur*, etc.

59. Nihil stultius est, quam ut velit se (qui non potest) vindicare, et Deo suam non reservat injuriam : et ita de contumelia vindictam apud Deum perdet, et de patientia mercedem. Super I *ad Cor.*, cap. 3.

HUGO A S. VICTORE. 60. Qui vindicat se quantum in se est, judicem sua privat potestate. In *Annot. super Epist. ad Romanos*, in illud : *Mihi vindictam.*

HUGO CARD. 61. Mali quanto diutius sine ultione relinquuntur, tanto graviora committunt. Super *Job*, cap. XXXV.

62. Rem injustam ante suos oculos proponit, qui ut ultionem quærat, memor est injuriarum. Super *Psalm.* C.

63. Justus læsus non desiderat se ulcisci, sed vindictam Deo reservat. Super *Prov.*, cap. 29.

64. Qui irrogatam sibi injuriam vult vindicare, usurpat sibi quod non est suum. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

65. Nemo debet sibi usurpare ultionem, sed debet Domino reservare, cujus solius est vindictam sumere sine culpa. Super *Ecclesiastic.*, cap. 28.

66. Triplex est ultio. Quædam ex ira, quædam ex humana infirmitate, quædam ex zelo justitiæ. *Ibid.*

67. Homo si non potest se vindicare, tristis est : si potest, turbulentus fit. Super *Isaiam*, cap. XLII.

68. Nos non ulciscamur pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris, hæc ipsa supplicia minora esse credamus. Super *Hierem.*, cap. 30.

69. Qui vult vindictam expetere de injuriis sibi illatis, talis dicit se Deum, quia solius est Dei vindicari. Super *Ezech.*, cap. XXVIII.

70. Nihil tantum movet hominem ad furorem, ut vindicta : sicut zelus quando vult punire injuriam factam sponsæ suæ. *Ibid.*, cap. XXXVI.

71. Sæculares potestates sunt in terra quasi vicarii Domini, quæ vere ejus puniunt et vindicant reos et bonos defendunt. *Prosec.*

72. Illis ergo licitum est injurias vindicare, ad pacem bonorum, et terrorem malorum : non livore vindictæ, sed amore justitiæ.

73. Cæteris autem omnibus vindictam accipere prohibetur, et maxime læsis, qui non amore justitiæ, sed odio vel livore, injurias suas vindicare solent : omnium ergo vindictam vult sibi Dominus, vel suo vicario reservari. Super *Matth.*, cap. 5.

74. Si tu non repercusseris, ab homine quidem victus videris, diabolum autem vicisti. *Ibid.*, cap. 5.

JOANNES CHRYSOST.

75. Nihil omnium Deus ita odit et aversatur, ut hominem ultionis avidum, et animo suo perpetuas servantem inimicitias. Homil. 27, super *Gen.*

76. Nihil est tutius, quam parcere inimico, contra nihil periculosius, quam velle ulcisci, ac vindictam sumere. Homil. 2, *de David et Saule.*

77. Si usque ad ipsius vitæ periculum insidiantem ulcisci fas non est, multo minus licet eum, qui vulgariter læsit, vindicare. *Ibid.*, homil. 3.

78. Sera ultio fœneratam meretur pœnam. Serm. *de Helia.*

79. Si vindicare vis, tace : et opportunam ei plagam infliges. Homil. 47, super *Joan.*

80. Noli ulcisci : non ulciscendo enim, ulcisci poteris : ulciscendo vero, non ulcisceris. *Ibid.*, homil. 50.

81. Non qui ulciscitur, sed qui nihil respondet, admirationi est apud sapientes : neque enim, crimini dandum est, si qui læditur, silet ; sed contra si ulciscitur. *Ibid.*, homil. 82.

82. Ulcisci, pusillanimitatis opus est; non ulcisci magnanimitatis. Homil. 41, super *Acta Apost.*

83. Si teipsum non fueris ultus, Deus erit qui te juvando ulciscetur. Serm. 22, super *Epist. ad Rom.*

84. Vindicta nihil turpius, nihil ignobilius, nihil stultius, nihil crudelius, tametsi generosæ mentis indicium multi hoc esse velint. *Ibid.*, serm. 27.

85. Si vis ulcisci, isto modo ulciscere, malefactis repende bona, ut et ipsum malefactorem debitorem tuum constituas, et victoriam feras admirabilem. Serm. 16, super *Epist. ad Ephes.*

86. Illa est major Philosophia, non solum mala malis non ulcisci, sed bonis. Homil. 10, super I *Thess.*

87. Si facile esset in divites vindictam procedere, videres ex eis repleri carceres universos. Homil. 2, super *Epist., ad Hebr.*

88. Magnum est tormentum homini percusso, quotidie qualiter inimicum ulciscatur considerantii. Homil. 50, *ad Popul. Antioch.*

89. Quid hoc furore gravius, semper esse tristem et inflatum, et semper ardere vindicta ? *Ibid.*

90. Vindictæ cupiditas misericordiam Dei aufert ab homine, et concessam jam gratiam infringit ac revocat. Homil. *Quod nemo læditur*, etc.

91. Valeant pecuniæ, valeat gloria, valeat nominis claritas : omnibus his mihi membrum meum pretiosius est. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

92. Si te vindicaveris, tunc ego non vindico, sed teipsum vindico. Homil. 25, super *Epist. ad Hebr.*

93. Si ultus fueris, tunc non es ultus, sed teipsum es ultus. *Ibid.*

S. ISIDOR. PEL.

94. Ulciscendi imbecillitas, plagæ accessio est : tu ergo injuriæ vindictam comprime. Lib. 1, epist. 191, *ad Calliopium.*

LACT. FIRM.

95. Surgimus ad vindictam, non quia læsi sumus, sed ut disciplina servetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. *De Ira Dei*, cap. 17.

S. NILUS.

96. Ne dicas, Ulciscar hostem, justum enim judicem habemus in cœlo. *Parænes.* 189.

S. PETRUS DAMIAN.

97. Juxta modum culpæ, temperanda semper est mensura vindictæ. Lib. 1, epist. 12, *ad Alexandr. Pap.*

98. Si Dei minister est, qui mala facientes in iram vindicat : diaboli minister est, qui criminosos suaviter palpat. *Prosec.*

99. Sicut Deo præbet obsequium, qui perversos ulciscitur : sic minister est adversarii, qui perpetrantibus iniqua blanditur. Opusc. 57 *Dissertat.*, cap. 2.

S. REMIGIUS

100. Multi putant non esse peccatum, si quis accepta injuria se ulciscitur, et vindictam iterum sumit ; sed si ita esset, nequaquam Apostolus aliter præcepisset. Super *Epist. ad Roman.*, cap. 12, can. 17.

TERTULL.

101. Vindicta penes errorem, solatium videtur doloris : penes autem veritatem, redarguitur malignitatis. *De patient.*, cap. 10.

102. Ultio fructus est iræ. Lib., *advers. Marcion.*, cap. 26.

S. THEODOR.

103. Hæc sane ultio misericordiæ plena est, quæ laborat, ut impietatem cessare faciat. Super *Oseam.*

104. Non fieri potest nolente Deo, ut de quopiam ultio capiatur. Super *Amos*, cap. 3.

105. Ne metiaris vindictam peccato, sed benignitate justitiam tempera. Super *Psalm.* VI, vers. 1.

THEOPHYL.

106. Vis te ulcisci de hoste ? beneficium ei exhibe, cum acerbiore eum supplicio affecisti. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 12.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 107. Non est vindex ipse mansuetus, sed potius clemens, et ad veniam propensior dandam. Lib. 4 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.

108. Ira propter caliditatem celeritatemque naturæ, audita quidem ratione, non præcepto autem audito, ad ipsam properat ultionem. *Ibid.*, lib. 7, cap. 6.

MIMUS PUB. 109. In vindicando criminosa est celeritas. In suis *Sentent.*, sent. 200.

PLATO. 110. Nullo modo rectum fasve est, vindictam sumere ab eo, qui prior malo nos affecerit, nos illi vicissim malum inferendo. In dialogo *Critonis*.

PLINIUS II. 111. Non tam jucundum est vindicari, quam decipi miserum. Lib. 6, epist. 22, *ad Tyronem*.

SENECA. 112. Nullus affectus vindicandi cupidior est, quam ira : et ob idipsum ad vindicandum inhabilis, prærapida et amens. Lib. 1, *de Ira*, cap. 12.

113. Ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio. *Ibid.*, lib. 2, cap. 32.

114. Sæpe satius fuit dissimulare, quam ulcisci. *Ibid.*, cap. 33.

115. Sæpe adeo injuriam vindicare non expedit, ut ne fateri quidem expediat. *Ibid.*

116. Ultio doloris confessio est. *Ibid.*, lib. 3.

117. Multos absolvemus, si cœperimus ante judicare, quam vindicare. *Ibid.*, cap. 29.

118. Difficilius est moderari, ubi dolori debetur ultio, quam ubi exempla. Lib. 1, *de Clement. ad Neron.*, cap. 20.

119. Si magnanimus fueris, cum inimicum in potestate tua videris; vindictam putabis, vindicare potuisse, et non fecisse. *De quatuor virtut.*

120. Scito honestum et magnum genus vindictæ esse, ignoscere. *Ibid.*

SIXTUS PHILOSOPH. 121. Vindictam exercens, scito quia et judiceris a Deo. Sent. 173.

Vide etiam tit. *Convicium*, sent. 18; *Correctio*, sent. 65; *Correptio*, sent. 47; *Dilatio*, sent. 73; *Injuria*, sent. 17, 44, 90, 91, 147.

## VINDICTA DEI.

CLEMENS. ALEX. *Definitio*. Ultio Dei est retributio mali, quod emittitur ad utilitatem ejus quod ulciscitur. Lib. *Pædag.*, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non commovetur Dominus ad ulciscendum, nisi peccator mensuram excedat. Lib. 1, *de Abraham*, cap. 6.

2. Sicut justitia Dei magna, ita etiam severa vindicta est. Lib. 3, *de Interpell.* cap. 8.

3. Nemo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia divina desperet; novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. Lib. 2, super *Luc.*, cap. 1 in illud : *Et Zacharias pater ejus impletus est*, etc.

S. ANTON ABBAS 4. Benignitas et patientia Dei super his, quæ geruntur malis, longanimiter differt, et nequaquam ulciscitur. *Prosec.*

5. Non quasi eo quod nequeat statim inferre vindictam, suam indignationem temperat; sed quasi pius Pater clementer nobis condolens, suam misericordiam prætendit, ut vel sero compuncti ad pœnitentiam convertamur. Serm. *de Vanitate mundi.*

S. AUGU 6. Deus vindicat justus, quæ fieri non cogit præscius : omnia enim, quorum ipse auctor est, præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse auctor est : quorum autem non est malus auctor, justus est ultor. Lib. 3, *de Libero Arbitr.*, cap. 4.

7. Qui spreverunt voluntatem Dei invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem. *Ad Artic. sibi falso impositos*, respons. 16.

8. Cum punit Deus peccatores, non malum suum eis infert : sed malis eorum eos dimittit. Super *Psalm.* v, vers. 9.

9. Parce per clementiam, ne ulciscaris per justitiam. In *Manual.*, cap. 33.

10. Ubi Dei futuræ vindictæ sollicitudo versatur, illic aut non peccatur, aut tardius delinquitur. Serm. 2, *Dom. 4 Quadrag.*

11. In futurum judicium servatur ad manifestationem, atque acerrimum sensum miseriæ, quidquid nunc occultissime vindicatur. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 15.

12. Deus non solum in nos benignissimus in præstando, sed etiam justissimus in vindicando. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

13. Malefacta non juste vindicarentur, nisi fierent voluntate. *Ibid.*, lib. 1, cap. 1.

14. Vindicas quod in se homines perpetrant : quia etiam cum in te peccant, impie faciunt in animas suas. Lib. 8 *Conf.*, cap. 8.

15. Habet potestas Dei et severitatem vindicandi, et clementiam liberandi. *De Morib. Eccles.*, cap. 7.

16. Multa mala hic videntur ignosci, et nullis suppliciis vindicari, sed eorum pœnæ reservantur in posterum. In *Enchiridio*, cap. 66.

17. Ita Deus juste vindicat, ut etiam exaudiat veniam deprecantes. *Annot.*, in *Job*, cap. 37.

18. Peccata quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, brevissimo tempore perpetrantur. Lib. 21, *de Civit. Dei*, cap. 11.

19. Quidquid divinitus ante ultimum judicium vindicatur, sive per improbos, sive per justos, sive per nescientes, sive per scientes, sive occulte, sive palam, non ad interitum hominum, sed ad medi-

cinam valere credendum est. *Contra Epist. Manich.*, cap. 1.

20. Justa est Dei vindicta. *Contra Adimant.*, cap. 26.

BEDA. 21. Ante Dei vultum, nihil pravi constat inultum. In suis *Prov.*, verbo *Ante*.

RNARD. 22. Si Deus tecum non est per gratiam, adest per vindictam. Lib. *Medit.*, cap. 6.

SIODOR. 23. Dominus cum hic vindicat, in futuro parcit : quoniam clementia ipsius in idipsum duas non exigit ultiones. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 1.

24. Odit Dei disciplinam, qui non vult Dominum in se vindicare quod peccat. Super *Psalm.* XLIX. vers. 18 : *Odisti disciplinam.*

25. Vindicta Dei, etsi afflictionem tribuit corporum, salutem tamen efficit animarum. Super *Psalm.* LXXVIII, vers. 14.

NYSIUS THUS. 26. Tanto districtior est Dei vindicta, quanto longanimior atque clementior fuit expectatio sua. Super *Apocalyps.*, cap. 2, art. 3.

UCHER. 27. Vindicat Deus aliquanta, ut intelligatur humanarum rerum agere curam : non vindicat omnia, ut agnoscatur terribile cunctis adhuc futurum esse judicium. Lib. 1, *de quæst. Veter. Testam., de libr. Regum.*

USEBIUS SENUS. 28. Novit Deus remunerare merita, novit et punire delicta. Homil. 5, *ad Monach.*

ANCIS. SISIAS. 29. Punit peccata in hac vita Deus, ut condonet in futura. In suis *Opusc.*, *Apophthegm.* 56.

30. Signum est amplioris gratiæ, Deum nihil in servo suo impune relinquere in hoc mundo. In suis *Opusc.*, colloquio 28.

NCISCUS TELM. 31. Justum est ut tanto Deum sentiant severiorem ultorem, quanto quique prius benignum et misericordem Dominum contempserunt. In *Elucid.*, super *Psalm.* XVII, vers. 29, sect. 1.

32. Habet hoc ultio divinæ justitiæ, ut eos qui proximis suis machinantur mala, damnationis æternæ indissolubilibus nexibus involvat. In *Elucid.*, super *Psalm.* XXXIV, vers. 9, sect. 1.

33. Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii Dei indicium est. In *Annot.*, super *Psalm.* LIX, sect. 1.

LGENT. 34. Iniquitatis peccatoris Deus ultor est, cujus auctor non est. Lib. *ad Monimum*, cap. 19.

SS. ORD. 35. A divina ultione comprehensus non subsistet. Super *Job*, cap. VIII.

36. Quanto serior vindicta Dei, tanto justior. Super *Hierem.*, cap. 32.

SS. INT. 37. Vindicta punit, qui dormire videbatur. Super *Thren.*, cap. I.

38. Nihil Deus inultum relinquit. Super *Joel*, cap. 11.

SS. ORD. 39. Deus eorum peccata, in quos desævit, non iratus ulciscitur, sed corripit ut emendet. Super illud *Zachar.* I : *Iratus est Dominus.*

40. Tanto apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inulte peccamus. *Prosec.* S. GREGOR. MAGNUS.

41. Disciplina subditos divino judicio tanto liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sua vindicta non deserit. Lib. 26 *Moral.*, cap. 19, num. 22.

42. Si Deus justo ordine injustum aliquid fieri juste permisit, inultum tamen abire non sinit injustum, quod juste fieri permisit. *Ibid.*, lib. 16, cap. 23, num. 26.

43. Divina severitas eo acrius iniquum punit, quo diutius pertulit. *Ibid.*, lib. 25, cap. 3.

44. Primum genus dementiæ est, nolle quempiam a malis suis juste quiescere, et Deum injustitia sua velle ultione cessare. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 41, epist. 41, *ad Dominic. episc. Carthag.*

45. Pensa quid divina severitas factura est de perverso opere, si quosdam in judicio suo reprobat de sermone. *Ibid.*, lib. 1, indict. 9, cap. 33, epist. 33, *ad Venantium cancellarium.*

46. Signum miserentis Dei est quando quis culpa perpetrata, mox divina ultione punitur. Habet. apud D. Antonin., part. 4, tit. 3, cap. 7, § 9.

47. Omnis ultio Dei, visitatio est : quasi ægrotantis, quasi habentis vulnera, quasi medicas porrigentis manus. Lib. 3, super *Ezech.*, cap. IX. S. HIERON.

48. Quanto serior vindicta peccantium, tanto justior est. Lib. 6, super *Hierem.*, cap. 32, super illud : *Ut reddas unicuique*, etc.

49. Districtus judex, facinus quod per pœnitentiam non corrigitur, inultum esse nequaquam patitur. Lib. 1, super *Lament. Hierem.*, cap. 1, super illud *Prov.* V : *Funiculus peccatorum*, etc.

50. Non agnita pietas, majus judicium parat, ut vindictam sentiat, qui misericordiam sentire contempsit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XI, in illud : *Secundum duritiam tuam.*

51. Ad effugiendam manum Dei, nulla suffragatur astutia. Super I *ad Cor.*, cap. III.

52. Tria sunt, quibus Deus vindictam exercet in hostes : Lavacri salutaris remedium, pœnitentiæ condignæ exercitium, districtionis extremæ judicium. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 118. HUGO A S. VICTORE.

53. Deus dedecus peccati non sinit esse sine decore vindictæ. Super *Deut.*, cap. XXXIII. HUGO CARD.

54. Quando Dominus sumit de malis vindictam, tum videtur revocare ad memoriam peccata eorum : quando vero parcit, tunc videtur oblivisci. Super I *Reg.* XV.

55. Qui modo percutit virga, postea percutiet gladio. Super *Psalm* VI.

56. Non sinere peccatoribus ex sententia agere,

sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Super *Psalm.* VII.

57. Vindicta Dei arcus est : quia sicut arcus quanto magis tenditur vel intensatur, tanto gravius percutit, sic ultio Dei. Super *Psalm.* LIX.

58. Vindicat Deus secundum quantitatem, et secundum numerum peccatorum. Super *Ezech.*, cap. VII.

59. Grave est de culpa vindictam agere, gravius est sententiam dare, gravissimum est pœnam irrevocabiliter infligere. Super *Matth.*, cap. V.

S. JOANNES CHRYSOST. 60. Dei mos est, ut quamvis minetur se puniturum, si tamen conversionis exhibentur specimina, possunt revocari ejus sententiæ. Homil. 37, super *Gen.*

61. Invitus Deus in reos vindicat, etiam se ejus indulgentiam miserentis contemnant. Homil. 7, *ex Divers. in Matth.*

62. Si vis Dei minas sistere, in tua potestate est : melior evade, et ad verba usque minæ desævient; si autem contemnis ejus minas, quod absit, rem ipsam experieris. Homil. 3, *ad Philemon.*

63. Si te vindicaveris, tunc ego non vindico, sed teipsum vindico. Homil. 25, super *Epist. ad Hebr.*

64. Nequaquam Deus delinquenti parcit; quoniam peccatorem aut flagello temporali ad purgationem ferit, aut judicio æterno puniendum relinquit. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 1, sent. 5.

LACT. FIRM. 65. Idcirco non ad præsens noxium quemque Deus punit, ut habeat homo resipiscendi facultatem. *De Ira Dei*, cap. 21.

S. LEO I. 66. Dilatio vindictæ dat locum pœnitentiæ : nec tamen dici potest nullam ibi esse ultionem, ubi nulla conversio est : quia mens dura et ingrata jam sibi ipsa supplicium est, et in conscientia sua patitur quidquid Dei bonitate differtur. Serm. 5 *Epiphan.*

S. PETRUS DAMIANUS. 67. Salvo nempe illo terribilli in mundi fine judicio, nunc etiam omnipotens Deus non modo crudelia facta, sed et superba, sive sacrilega (prout dignum est) ulciscitur verba. *Opusc.* 34, cap. 3.

SALVIANUS. 68. Malos Deus punit invitus. Lib. 1, *de Gubern. Dei.*

69. Castigat Deus, quos castigandos putat : patitur, quos putat esse patiendos. *Ibid.*, lib. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 70. Ad Deum ipsum comes adjuncta est ultio, quæ divinæ legis prævaricatores vindicat. *De mundo.*

CATO POET. 71. Semper Deus injustas ulciscitur iras. Lib. 4 *distichor.*, metr. 69.

VALERIAN. 72. Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Lib. 1 *dict. memorabil.*, cap. 2. MAXIMUS

73. Ultionis quemadmodum acres, ita justi aculei sunt. *Ibid.*, lib. 9, cap. 10.

Vide etiam tit. *Dilatio*, sent. 73; *Flagellum Dei*, per totum ; *Iniquitas*, sent. 62 : *Justitia Dei*, sent. 16; *Misericordia Dei*, sent. 100 : *Murmur*, sent. 28 ; *Patientia Dei*, sent. 11, 12, 28, 32, 49, 50, 53, 54 ; *Peccatum* in genere, sent. 233 ; *Peccatorum remissio*, sent. 54 ; *Pœna*, sent. 75 ; *Præsentia Dei*, sent. 22, 56 ; *Punitio*, sent. 21, 24, 26, 29, 59, 60, 61, 62, 64, 65 ; *Venia*, sent. 43 ; *Virtutes theologicæ*, sent. 70.

## VINUM.

*Comparatio*. Sicut ignis probat ferrum durum, ita et vini incendio etiam superborum hominum cor liquescit. *De Elia et jejun.*, cap. 12. S. AMBR.

Quemadmodum aqua contraria est igni, sic immodestia vini rationem extinguit. Conc. 14, *contra Ebriosos*. S. BASIL. MAGNUS

Quemadmodum musto dolia rumpuntur, et omne quod in imo jacet in summam partem vis caloris ejectat : sic vino exæstuante quidquid in imo jacet abditum, effertur et prodit in medium. Epist. 83. SENEC.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Innumeris vina nocuerunt, nulli parcimonia. Lib. 1, *de Cain et Abel*, cap. 5. S. AMBR.

2. Manebat antequam vinum inveniretur, omnibus inconcussa libertas. *De Elia et jejunio*, cap. 5.

3. Vinum jam non bibitur, sed aperto gurgite infunditur : poculum non libatur, sed exinanitur. *Ibid.*, cap. 8.

4. Vina prætendis, venena suffundis : omne enim quidquid nocet, venenum est, tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat; etiam major vis vini, quam veneni est. *Prosec.*

5. Non emim veneno vinum, sed venenum vino excluditur : veneno caro vulneratur, vino mens. *De Elia et jejunio*, cap. 14.

6. Grave est ut volutetur vino, qui non vincitur ferro. Epist. 182, *ad Bonifac.* S. AUGUST.

7. Vir ebriosus cum se putat bibere vinum, bibitur a vino. *De salutar. docum.*, cap. 37.

8. Vinum nobis Deus ad lætitiam cordis, non ad ebrietatem donavit. *Ibid.*

9. A multis vini non temperatur usus, sed potius appetitur excessus : habitus corporis et vitæ periculum et opinionis ac famæ gravissimum acquiritur damnum. *De Sobrietate*, cap. 1.

10. Fomentis corporalibus provisum est vini munus, abutentibus penitus interdicitur, et sobrietatis disciplina custodienda sancitur. *Ibid.*

11. Vinum est in multis vitæ mortalium necessarium, debilem stomachum reficit, vires deficientes reparat, algentem frigore calefacit, vulneribus infusum medetur. *Ibid.*

12. Vinum antidotis, diversisque medicaminibus adjunctum salutem operatur, tristitiam removet, languores omnes animi delet, lætitiam infundit, convivas honesta miscere colloquia facit. *Ibid.*

13. Vinum medicamentum plus justo sumptum venenum esse cognoscitur. *Ibid.*

14. Jucunditati non ebrietati creata est vini natura, per cujus moderationem sitis extinguatur, non tamen ut usque ad ebrietatem bibatur. *Ibid.*

15. Dolor amissi funeris sine vini quavis nimietate temperari non potest. *Ibid.*

16. Tu o homo incolumis quotidie vino cogente desideras vomere, et tanto repleris, quanto possent plurimi cum jucunditate lætari et sobrie saturari. *Ibid.*

17. Nascitur ex potandi vini infelicitate inter provocatos et provocantes ignominiosa certatio: et vincenti est turpitudo deterior. *Ibid.*

18. Ex nimietate vini, multorum membra cibos recusant, et vino dedita, præcoqua debilitate et cruda senectute marcescunt, et adhuc ætate virides tremula vibratione quassantur : inde pulmones ustione vini putrescunt. *Ibid.*

19. Cui surrepserit per aviditatem nimietatis vini, nullum potest habere tacendi pudorem, ex qua temulentia membrorum consequitur infirmitatem : *Ibid.*

20. Per vinum castitas submersa est, et plurimæ a corruptoribus turbæ deceptæ sunt. *Ibid.*

21. Multæ virginum pellente vino thori genitalis oblitæ, pudicitiam suam adulteris tradiderunt, et cum mœchis de morte pactæ sunt maritorum. *Ibid.*

22. Quam plures impellente vino præcipites indecentibus se conventibus polluerunt ; et de genitoribus aut genitricibus, de filiis aut filiabus, de fratribus aut sororibus, de generis aut nuribus, per nefandos concubitus sibi filios genuerunt ? *Ibid.*

23. Per vinolentiam plurimi plurimæque a sancto pioque proposito exciderunt, sui obliti amissis honoribus ignobiles remanserunt, et sedibus patriis profugi, vitam non ubi sumpserunt finierunt. *Ibid.*

24. Per vinum fortes ab infirmis elisi sunt, et in mortem quam plures ictu muliebri prostrati : et invicti exercitus vino dominante extincti sunt, et servitutis jugo subacti. *Ibid.*

25. Innumerabiles jugum dominationis diu recusantes, vinolentia in alienum redegit arbitrium. *Ibid.*

26. Consuetudine vini quam plures in insaniam sunt conversi, ac mentis durante insania ab humana conversatione sejuncti, ferino sunt plerumque dente consumpti. *Ibid.*

27. Quam plures vini immoderatus excessus ex divitibus pauperes reddidit et egenos. *Ibid.*

28. Infiniti numero, impellente, injusta impiaque homicidia commiserunt. *Ibid.*

29. Quam plurimæ urbes diu obsessæ nec captæ, custodibus somno vinoque sepultis, ab hostibus patefactæ sunt, et incendiis concrematæ. *Ibid.*

30. Vinum bonum est, non malum, et hoc æquitatis judicio, non ebrietatis beneficiis. *De Arbore scientiæ boni et mali.*

31. Vinum multum potatum, est ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem et faciens vulnera. Serm. 1, *Dom.* 17 *post Trinit.*

32. Vinum in jucunditatem creatum est, non in ebrietatem. *Ibid.*

33. Exultatio animæ et corporis, vinum moderate potatum, et sanitas corporis et animæ. *Ibid.*

34. Vinum et juventus duplex incendium. Serm. 64, *ad Fratr. in eremo.*

35. Homo vino repletus, diversis in luxuriis se proruit, et in stercore vitiorum se volutat. *Ibid.*, serm. 67.

S. BASILIUS MAGNUS.

36. Vinum Dei munus est, ad infirmitatis robur ac sustentationem sapientibus concessum : nunc vero instrumentum incontinentiæ intemperantibus est factum. Homil. 14, *contra ebriosos.*

37. Vini fervor corpori infusus, incendium fit ignitorum inimici jaculorum : rationem enim ac menten vinum deprimit, voluptates et animi cæteros affectus malos, velut apum examen excitat. *Ibid.*

38. Modus utendi vino optimus, est corporis necessitas. Homil. 1, *de jejunio.*

S. BERNARD.

39. Satius est modico vino uti propter infirmitatem, quam multa aqua ingurgitari per aviditatem. In *Apolog. ad Guilliem. Abbat.*, verbo *Unde.*

40. Qui in diversitate et abundantia vini sobrius est, ille est terrenus Deus. Epist. *de cura et regim. rei familiaris.*

41. Sentis vinum ? fuge consortium : sentis vinum? quære somnum antequam colloquium. *Ibid.*

42. Male decet in juvene, vina cognoscere. *Ibid.*

43. Vinum in jucunditatem creatum est, non in ebrietatem. Serm. 25. *ad Sororem.*

44. Vinum sine mensura superat mentem. *Ibid.*

45. Per vinum luxuria crescit, per vinum luxuria excitatur, per vinum nutritur.

BOETIUS. 46. Vinum non modice sumptum rationem conturbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, ignorantiam inducit. *De discipl. Scholar.*, cap. 2, et hab. apud Bedam, in *Axiomat. philosoph.*, verbo *Rationem.*

47. Vinum modice sumptum, acuit ingenium. *Ibid.*

S. BONAV. 48. Qui vinum diligit, nunquam in virtutum possessione ditabitur. In *speculo discipl.*, part. 1, cap. 32.

49. Aquam cum vino apponere, Deo placet, proximum ædificat, religiosum honestat, animæ, simul et corpori est salubre. *Ibid.*

CLEMENS ALEX. 50. Non ferventi ætati (quod est omnium humidorum calidissimum) vinum infundere convenit : ne ignem in ignem derivet, ex quo agrestes immanesque appetitiones, ardentesque cupiditates et mores ignei accenduntur. Lib. 2, *pædag.*, cap. 2.

51. Lubrica res est, quæ est in vino libertas. *Ibid.*

52. Oportet in vino petulantiam non secus fugere, quam cicutam : ambo enim ad mortem attrahunt. *Ibid.*

53. Vinum molle ridere jubet, et saltare lubenter. *Ibid.*

S. EPHRÆM. 54. Semper tibi a vino time, quandoquidem vinum nunquam parcit corpori, ignemque malæ concupiscentiæ continuo in ipso accendit. *De Virginit.*

55. Fuge vinum quasi venenum, ne ebrietate vincaris, et virtutibus nuderis. *De Agone spirit.*

S. EUSEBIUS EMISS. 56. Qui vinolentia delectatur, ebrietatis (quæ mater est vitiorum) captivus efficitur. Homil. 11. *de Pascha.*

S. FULGENT. 57. Vinum et saltatio duplex est incendium voluptatis. Serm. 7, *de Herode.*

GLOSS. ORD. 58. Immoderatus haustu vini, et exterioris et interioris visus ingerit cæcitatem. Super *Prov.* cap. 23.

59. Vinum sobrie potatum vitam æquitatis non tollit, sed sobrietatem et cætera virtutum ornamenta adducit. Super *Ecclesiastic.*, cap. 31.

S. GREGOR. NYSS. 60. Vinum quando immoderate sumptum excedit usum, est fomes intemperantiæ, pernicies juventutis, probrum senectutis, dedecus mulierum, insaniæ pharmacum, insolentiæ viaticum, animæ venenum, mentis interitus, virtutis alienatio, inflammatio voluptatis. Homil. 3, super *Eccles.*

S. HIERON. 61. Non Ætnei ignes, non Vulcania tellus, non Vesevus et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatæ. Epist. 10, *ad Furiam.*

62. Quid virtutis habet vinum non bibere, et ira atque odio inebriari? Epist. 14, *ad Celantiam.*

63. Si quid in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Epist. 22, *ad Eustoch.*

64. Vinum adversus adolescentiam, prima arma sunt dæmonum : non sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. *Prosec.*

65. Facile aliis caremus vitiis, hic hostis nobis inclusus est : quocumque pergimus, nobis cumportamus inimicum. *Ibid.*

66. Vinum et adolescentia, duplex incendium voluptatis est : quid oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? *Ibid.*

67. Plures sunt, qui cum vino sint sobrii, ciborum largitate sunt ebrii. *Ibid.*

68. Vinolentia scurrarum est, et comessatorum. Epist. 41, *ad Ocean.*

69. Venter mero æstuans, cito despumat in libidines. *Ibid.*

70. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. *Ibid.*

71. Vinum caloris fomentum, et libidinis incitamentum est. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

72. Ignem portat in gremio, qui assiduo utitur vino. *In Regula monachar.*, cap. 36.

73. Vinum eum qui biberit, mentis suæ impotem facit. Lib. 1, super cap. 4, super illud : *Et non saturabuntur.*

74. Servitus quædam est, et extrema conditio, vino sensus hominis occupari; et non suum esse, sed vini. Super *Epist. ad Tit.*, cap. II, in illud : *Non multo vino servientes.*

75. Vinum et ebrietas, incendium est. Et hab. in *Decretis Gratiani*, part. 1, dist. 35, can. *Vinolentum.*

76. Vinum inebriat, sanguinem operatur, cor lætificat, ingenium acuit, parvulos enecat. Lib. 4, *de Propriet. rer.*, cap. 19. HUGO A VICTOR

77. Exiguum vinum acuit ingenium, lætificat mentem, et roborat corpus. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXI. HUGO CA

78. Gutturis et labiorum tenûs est fruitio vini, et ultra non progreditur. Homil. 1, super *Gen.* S. JOAN CHRYSO

79. Nihil mali est, vinum ad mensuram. *Ibid.*, homil. 10.

80. Unde podagræ, unde capitis dolores, unde corruptorum humorum abundantia, unde innumeri alii morbi? nonne a largiore vini ingurgitatione quam oportet? *Ibid.*

81. Nullum est tam præsens tristitiæ remedium,

quam vini usus, modo utilitatem ejus non perdat intemperantia. *Ibid.*, homil. 29.

82. Non est planta vitis, neque vinum malum, sed illius abusus : quia non propter vinum, sed propter perversam voluntatem nefaria scelera fiunt. *Ibid.*

83. Quando videris abusum vini, non vino totum tribuas, sed corruptæ voluntati, sua sponte ad malum ruenti. *Ibid.*

84. Voluptates vini evanescunt, sitis autem inexplibilis, in præcipitium ebrietatis eos qui illi serviunt deducit. *Ibid.*

85. Ebrius quando multum vini ingurgitat, nullum sentit a vino damnum, postea autem sentit quantum sit damnum. *Ibid.*, homil. 64.

86. Abusio vini et incontinentia eorum, qui vino abutuntur, ebrietatem generant. Homil. 58. Super *Matth. Oper. perf.*

87. Vinum Dei, ebrietas opus diaboli est. *Ibid.*

88. Vinum, quia calidum est, naturalemque necessitatem intendit, ebrios ad eum modum sitire facit. Serm. 13, super *Epist. ad Rom.*

89. Vini usus immodicus in amentiam dejicit : et si non ebrietatem inducat, animæ tamen robur exolvit, omnemque illius virtutem ac substantiam debilitat, et prorsus enervat. Homil. 10, super I *Timoth.*

90. Vinum datum est, ut corporis imbecillitatem corroboret, non ut animi sanitatem exterminet. Homil. 1, *ad Pop. Antioch.*

91. Vinum est datum, ut delectemur, non ut dehonestemur : ut rideamus, non ut rideamur : ut valeamus, non ut ægrotemus. *Ibid.*, homil. 71.

N. GERS. 92. Vinum compellit eos quos inebriat, vivere more simiarum, porcorum, vel leonum. Serm. Dom. 1 *Advent.*

JOAN. RITU. 93. Vinum intellectum obruit, ut quid, quove ordine faciendum sit omnino nesciatur. In cap. 4 *Regul. S. Bened.*, verbo *Summa.*

94. Qui multo utuntur vino, libidini deserviunt, non devotioni : qui enim libidinem vincere desiderat, summo studio ab immoderato vino se custodiat. *Ibid.*

ISIDORUS SPALENS. 95. Vino multo gravatur mens : vinum virus est prævalens animo, vino luxuria excitatur, vino fomes libidinis enutritur. *Prosec.*

96. Venis vino repletis in membris pullulat, vini pocula instrumenta luxuriæ sunt.

97. Igni enim adjecto fomite incendium magis crescit, injecta materia plus augetur flamma. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 4.

JUSTIN. MART. 98. Vinum Dei opus est, et corporis adjumenti, et præsidii causa natum est, non autem destructionis. Epist. *ad Zenam.*

99. Qui vinum sorbentes ritu eorum, qui in febre æstu jactantur, bibunt, mox intemperantia enecabuntur. *Ibid.*

100. Vinum roborat corpus, animam autem verbum Dei. Parænes. 17. S. NILUS.

101. Vinum bibe valde modicum, quantum enim offendit, tantum etiam corroborat bibentes. *Ibid.*, Parænes. 60.

102. Vinum, ebrietas non est, sed ebrietatem non cognovi, nisi per vinum. Serm. 116. S. PETRUS CHRYSOL.

103. Nimium merum torrentis modo inundans animam, nunc oppressam usque imum ignorantiæ fundum demergit. *De Plant. Noe.* PHILO JUD.

104. Qui haurit vinum immoderatius, impos sui factus oberrabit facile. Lib. *Plant. de Noe.*

105. Insaniæ desipientiæque causa est vinum immoderate sumptum. *Ibid.*

106. Merum infusum malas affectiones temperat, bonas benigniores ac clementiores efficit. *Ibid.*

107. Luxuriam facit et nutrit vini perceptio nimia, non natura. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 22. S. PROSPER.

108. Nihil contra abstinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute percipiunt : nec hoc eis aufert voluntas, sed permittit infirmitas. *Prosec.*

109. Quæ si defuerit, a vino est abstinendum ne vini perceptio, quæ infirmum sustentat, sanum corpus incendat. *Ibid.*, cap. 22.

110. Vinum bibere, non malum est : sed intemperanter bibere, perniciosum est. Super *Joel*, cap. 1. S. THEODOR.

111. Vis lætari? fuge vini repletionem, impleque cupias Spiritu sancto, non vino. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. v, in illud : *Implemini Spiritu sancto.* THEOPHYLACTUS.

112. Vinum calefacit, et movet luxuriam. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. v, lect. 7. S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

113. Vinum, quod prædulce est, nomine quidem vinum est, re autem et opere non est. Lib. 4 *Meteor.*, cap. 9. ARISTOTEL.

114. Nullus vinum amat, qui vino non lætatur. Lib. 1, *Rhetoric.*, cap. 11.

115. Vinum hominem continuo se ipso lætiorem atque hilariorem reddit. Lib. 1, *de Legibus.* PLATO.

116. Nec servus, nec serva vinum gustet : nec ipsi quidem magistratus, illo quo magistratum gerent anno, neque judices, cum munus suum exercent, vinum ullo modo gustent. *Ibid.*, lib 2.

117. Vinum incendit. Lib. 2, *de Ira*, cap. 19. SENECA.

118. Solutior est post vinum licentia. *Ibid.* Lib. 3, cap. 37.

119. Multis tormentum est, vino carere. Epist. 71.

120. Ubi possidet animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Epist. 83.

VALERIUS MAXIMUS. 121. Vini usus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur. Lib. 2. *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

122. Quæcunque fœmina vini usum immoderate appetit, virtutibus omnibus januam claudit, et delictis aperit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 3.

ZENO CITIENSIS PHILOS. 123. Lupinum aqua perfusum, dulcescit : homo licet natura tristior, vino hilarescit. In suis *Sententiis*, sent. 4.

VIOLATIO MULIERIS. *Vide* MULIERIS VIOLATIO.

VIOLENTIA. *Vide* INVITUS.

## VIR.

CASSIODOR. *Etymologia.* Vir vocatur a viribus, qui nescit tolerando deficere, aut in prosperis aliqua se elatione jactare : sed animo stabili defixus, et cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus. Super *Psalm.* I, vers. 1 : *Beatus vir*, etc.

HUGO CARD. Dicitur vir quatuor modis, unde versus. Annis, conjugio, sexu, virtute vir esto. Super lib. *Judic.*, cap. XIII.

Vir dicitur a virore fidei, a vigore spei, a virilitate charitatis. Super *Epist. Jacobi*, cap. 1.

LACT. FIRM. Vir nominatus est, quia in eo major vis est, quam in fœmina, hinc virtus nomen accepit. *De Opificio Dei*, cap. 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nihil spectat vir justus, nisi quod constans et honestum est. Lib. 3 *Offic.*, cap. 1.

2. Vir justus et dictis et rebus probatur : nam etsi exercitatus sit in sermonibus, et desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit. Lib. 2 *Offic.*, cap. 2.

3. Quid præcelsius illo viro, qui auro moveri nesciat, contemptum habeat pecuniarum, et velut ex arce quadam despiciat hominum cupiditates? *Ibid.*, cap. 14.

S. AUGUST. 4. Nolite vosipsos contemnere, viri : Filius Dei virum suscepit. *De Agone christiano*, cap. 11.

5. Viri sublimis culpa, grave peccatum est. In *Quæst. Veteris et Novi Testam.*, quæst. 16.

6. Perfectorum virorum consortio fruere. *De salut. doc.*, cap. 44.

7. Magis debent viri illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt. Lib. 2, *de Adulterinis conjug.*, cap. 8.

8. Caput mulieris vir; ubi se agnoscunt duces, uxores autem comites esse debere : et ideo cavendum est viro illuc ire vivendo, qua timet ne uxor sequatur imitando. *Ibid.*

9. Periniquum est, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet. *Ibid.*

10. Vir a fœmina exigis castitatem : præbe illi exemplum, non verbum. *Prosec.*

11. Tu es caput, qua is, vide : hac enim debes ire, qua illi non sit periculosum sequi; imo tu ipse qua vis eam sequi, illuc debes ambulare.

12. Ab imbecilliori sexu exigis fortitudinem : carnis concupiscentiam ambo habetis : qui fortior est, prior vincat; et tamen, quod dolendum est, multi viri a fœminis vincuntur.

13. Servant fœminæ castitatem, quam viri servare nolunt; et in eo quod non servant, se viros videri volunt, quasi propterea sit fortior sexus, ut eum facilius subjuget inimicus.

14. Lucta est, prælium est, pugna est, vir fortior fœmina, vir caput fœminæ : fœmina pugnat et vincit, tu hosti succumbis : stat corpus, et caput jacet. *De Verb. Dom.*, serm. 46.

15. Ad hoc delapsa est humana perversitas, ut vir habeatur a libidine victus, et vir non habeatur victor libidinis : Triumphantes exultant, et non sunt viri : jacent prostrati, et viri sunt. Serm. 1, *Dom. 4 Quadr.*

16. Vir debet fœminam regere, nec eam permittere dominari in virum : quod ubi contingit, perversa et misera domus est. Lib. 2, *de Gen., contra Manich.*, cap. 11.

17. Ordinatissime caput mulieris est vir, cum caput viri est Christus. *Ibid.*, cap. 12.

18. Absens sit vir, præsens sit vir, non peccet mulier : quia nunquam est absens, cui debet ut non peccet. *De decem Chordis*, cap. 9.

19. Nihil pejus domo, ubi fœmina habet imperium super virum. Tract. 2, super *Joan.*

20. Annis, conjugio, sexu, virtute vir esto. Super *Psalm.* CXXXIX. S. BONAV

21. Virum fidelem invenire, hoc opus, hic labor est : magnum quiddam est vir fidelis, omnique divite ditior. *Prosec.* S. CYRILL HIEROSO

22. Fidelis enim viri est, universus mundus divitiarum, qui possit contemnere ipsas et conculcare.

23. Fidelis vir (quod est maxime paradoxon) in paupertate dives est. *Cateches.* 5.

24. Viros Dei, non divitiarum, non gloriæ, non potentiæ, non sapientiæ, sæcularis cupidos esse decet. Super *Josue*, cap. VIII. GLOSS. O

25. Viri sunt, qui perfectis gestibus per viam Dei non fluxe et enerviter : sed viriliter currunt. Lib. 16 *Moral.*, cap. 23, num. 26. S. GREG MAGNU

26. Scriptura sacra viros vocare consuevit, qui nimirum vias Domini fortibus, et non dissolutis gressibus sequuntur. *Ibid.*, lib. 28, cap. 4.

27. Cum vir a virtute nominatur, utrum vir sit,

noscitur, si ex ostensa virtute quisque consideretur. Lib. 1. in III *Regum*, cap. I.

28. Etsi vir a virtute dicatur, in fortitudine tamen sua non habet statum roboris, sed lapsum infirmitatis. *Ibid.*, lib. 2, cap. I, super illud: *Quia non in fortitudine sua*, etc.

29. Illi vere viri sunt, qui pro æterna vita, quam appetunt, agere fortia decreverunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. III, super illud : *Viri quoque*, etc.

30. Vir fortis robore est, qui virtutem quam monstrat in opere bono, habet a Spiritu sancto. *Ibid.*, lib. 6, cap. VI, super illud : *Fortis robore*, etc.

31. Viri præconio fruitur, qui fide firmus, et operatione fortis est. *Ibid.*, super illud : *Cras mittam ad te virum*.

32. In virum alium mutatur, qui illud quod non fuit se videt esse : et illud quod fuerat, non esse. *Ibid.*, cap. 5, super illud : *Et mutaberis in virum alium*.

33. Quisquis perfecte terrena despicit, vir est ex fortitudine. Lib. 1, in I *Reg.*, cap. 1.

GREGOR. NAZ. 34. Si vir es secundum Christum, sensus habeas exercitatos, tibique lumen splendeat cognitionis, et loquere sapientiam, quæ profertur inter perfectos. Orat. 20, *de Modestia*.

HIERON. 35. Caput mulieris est vir : nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quam ex capitis dignitate. Epist. 14, *ad Celantiam*.

36. Vir nomen virtutis est. Super Daniel., cap. XI, super illud : *Adhuc me loquente*, etc.

JOANNES CHRYSOST. 37. Beatus vir qui non cogitavit, non fecit, non docuit mala ; non stetit, non perseveravit in delicto : sed per pœnitentiam ad meliora conversus est. Super *Psalm.* I, vers. 1.

38. Virilis sexus cautior, et durior est muliebri. Cautior, quia omnia, quæ videt, discutit ratione : durior, quia nec de malo facile inclinatur ad bonum, nec de bono facile revocatur ad malum. Homil. 44, super *Matth. Oper. imperf.*

39. Nihil inutilius viro, qui amore caret. Homil. 27, super II *Cor.*

40. Viri excellentia quadruplex est. Prima, quod caput sit mulieris ; secunda, quod gloria ejus sit mulier ; tertia, quod mulier ex ipso sit ; quarta, quod illa propter ipsum sit creata. Homil. 26, super I *Cor.*, in illud, cap. IX, vers. 9 : *Non est creatus vir*, etc.

41. Virum non a vestimentis, nec ab ipso corpore, sed ab anima laudare decet et admirari. Homil. 19, *ad Pop. Antioch.*

ISIDORUS PELUSIOTA. 42. Optimi ac maxime reguli viri sunt, qui virtutibus florent. Lib. 2, epist. 147 *ad Eutonium*.

PHILO JUD. 43. Compertum est ad familias, civitates, regiones, nationes, atque etiam tractus terrarum longe lateque patentes, ex unius viri probitate nonnunquam magna pervenisse commodo et felicitates amplissimas. *De migrat. Abrahami.*

44. Viris nihil magis pudori esse oportet, quam si muliebre aliquid in se habere videantur. Lib. 7, *de Gubern. Dei.* SALVIANUS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

45. Viro indecens videtur ea scire, quæ intra ædes fiunt : in cæteris vero omnibus parere mulier viro contendat. Lib. 2 *Œconomic.*, cap. 1. ARISTOTEL.

46. Non ita turpe viro est, quidquam eorum quæ domi sunt facere, sicut mulieri, quæ foris perquirere. *Ibid.*

47. Quisquis est vir optimus, difficillime esse alios improbos suspicatur. Lib. 1, epist. *ad Quint. fratr.*, epist. 1. CICERO.

48. Nemo vir magnus, sine aliquo afflatu divino unquam fuit. Lib. 2, *de Natura Deorum*, num. 166.

49. An ille liber vir tibi videtur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, vetat, jubet quod videtur ? qui nihil recusare audet ? Si poscit, dandum est : si vocat, veniendum est. Ego vero non istum modo servum, sed nequissimum servum, etiamsi in amplissima familia natus sit, appellandum puto. *De Paradox.*, cap. 5.

50. Quid est aut nequius, aut turpius effœminato viro ? Lib. 3 *Tuscul. quæst.*

51. Vir bonus, Dei simulacrum est. In *Sentent.*, sent. 1. DIOGENES.

52. In hoc unum omni studio tibi incumbendum est, ne malus, sed potius vir bonus videaris. *De Scientia.* PLATO.

53. Viri boni tunc utiles sunt, si rebus agendis recte præsint. *De Virtute.*

54. Veluti gregi custodes atque pastores, ita viros mulieribus præfici consentaneum est. Lib. 5, *de Republ.*

55. Ille vir erit, qui periculis undique imminentibus, armis et catenis circum frementibus, non alliserit virtutem, nec absconderit. *De Tranquillit. animi*, cap. 3. SENECA.

Vide etiam tit. *Ebrietas*, sent. 22 ; *Familiaritas*, sent. 104 ; *Fortitudo*, sent. 57 ; *Invidia*, sent. 11 ; *Libido*, sent. 19 ; *Magnus*, sent. 5, 42 ; *Nobilitas*, sent. 55 ; *Passio* in genere, sent. 15 ; *Pax*, sent. 13 ; *Religiosus*, sent. 152 ; *Temperantia*, sent. 17 ; *Victoria* in genere, sent. 39 ; *Virginita*, sent. 186 ; *Uxor*, sent. 2, 60, 102, 103.

## VIRORUM ILLUSTRIUM ENCOMIA.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Sanctus Vincentius, magnus vir et prædicator, lux ordinis Prædicatorum, universi gloria, B. ALANUS DE RUPE.

purpura quasi in cilicio jacebat, cinere conspersus et corde compunctus : aula regalis erat ei tanquam eremi vastissima solitudo. Lib. 2 *de Compunct. cordis.*

JOAN. GERS. 56. Sicut laus Mariæ est laus Christi filii sui : ita laus Joseph, in præconium redundat utriusque, Jesu et Mariæ. Serm. *de Nativitate B. Mariæ.*

JOAN. TRITH. 57. Vir Benedictus gratia et nomine inter monachos dux eorum, lucerna supra candelabrum, moribus suis et dictis totum illuminavit orbem. Lib. 1, *de Regim. claustr.*

58. Rupertus Tutiensis erat homo undecunque doctissimus, ingenio subtilis, scientia clarus, eloquio dulcis, et ornato lepore decorus. *Prosec.*

59. Qui nescios docuit, errantes correxit, confudit hæreticos, superbos prostravit.

60. Detestabatur superbiam, avaritiam calcavit, luxuriam vicit, iram domuit, odium fugavit, invidiam expulit, gulam prostravit.

61. Charitas Dei in eo ardebat, fides floruit, spes erecta vigebat, prudentia sancta claruit, temperantia discreta triumphavit.

62. Erat corde humilis, eloquio dulcis, affectu pius, opere strenuus, disciplina zelosus, corpore castus, animo quietus, oratione continuus, studio fervidus, prudentia cautus, devotione præcipuus, zelo discretus. Orat. 8, in *Conventu abbat. habita.*

S. IRENÆUS. 63. Hæreticis religiosior Plato ostenditur, qui eumdem Deum et justum et bonum confessus est. Lib. 3, advers. hæres. cap. 45, in prin.

S. ISIDORUS HISPAL. 64. Apud Græcos Origenes in scripturarum labore tam Græcos quam Latinos operum suorum numero superavit. Lib. 6, *Etymol.*, cap. 6.

65. Hieronymus sex millia liborum Origenis se legisse fatetur. *Ibid.*

66. Augustinus tanta scripsit, ut diebus ac noctibus non solum scribere ejus quisquam, sed nec legere quidem possit. *Ibid.*

67. Fulgentius Afer, Ecclesiæ Ruspensis episcopus, in confessione fidei clarus, in scripturis divinis copiosissime eruditus, in loquendo dulcis, in dicendo ac disserendo subtilis. *De Scriptor. Eccles.*, cap. 24.

68. Gregorius Papa Romanæ Sedis apostolicæ præsul, compunctione timoris Dei plenus, et humilitate summus : tantoque per gratiam Spiritus sancti scientiæ lumine præditus, ut non modo illi præsentium temporum quisquam doctorum, sed ne in præteritis quidem par unquam fuerit. *Ibid.*, cap. 27.

69. Leander ex monacho Hispalensis Ecclesiæ constitutus episcopus, vir suavis eloquio, ingenio præstantissimus, vita quoque tantum atque doctrina clarissimus : ut etiam fide ejus atque industria populi gentis Gothorum ab Ariana insania ad fidem catholicam reverterentur. *Ibid.*, cap. 28.

70. Sedulius poeta fuit evangelicus, orator facundus, scriptor catholicus. Serm. 12, *de Assumptione Beatæ Mariæ.* S. ODILO ABB. CLU

71. Recessit Thomas : non decessit; abiit, non obiit : mors enim, per quam mirificavit Dominus sanctum suum; non est mors, sed dormitio, portus mortis et porta vitæ. Epist. 27, *ad Canonic. de morte S. Thomæ Cantuariens.* PETRUS BLESENS

72. A primitivis adolescentiæ moribus cœpit Thomas, morum maturitate senescere, atque carnalis insolentiæ motus, vigiliis, jejuniis, disciplinis, cilicio et jugis continentiæ baltheo cohibere. *Prosec.*

73. Erat in populo Dei ductor et doctor, vitæ speculum, pœnitentiæ forma, et sanctitatis exemplum.

74. Sic infuderat ei Deus sapientiæ spiritum abundanter : ut esset inter doctos doctior, inter sapientes sapientior, inter optimos melior, inter humiles socius, inter maximos major.

75. Erat præco verbi divini, tuba Evangelii, amicus sponsi, columba cleri, oculus cæci, pes claudi, sal terræ, patriæ lumen, minister Altissimi, vicarius Christi, Christus Domini.

76. Tota conversatio ejus erat schola honestatis, morum ædificatio, et structura salutis.

77. Erat in judicio rectus, in dispensatione industrius, in præcipiendo discretus, in loquendo modestus, in consilio circumspectus.

78. Erat parcissimus in cibo recipiendo, in donando largissimus, in ira pacificus, in carne Angelus.

79. Erat inter injurias masuetus, timidus in prosperis, securissimus in adversis, in eleemosynis effusus, in misericordiis totus.

80. Erat religiosorum gloria, deliciæ plebis, timor principum, Deus Pharaonis. *Ibid.*

81. Beatus Augustinus primo fuit excelsus philosophus inter magnos nominatus, liberalium artium sagacissimus indagator. *Ibid.*, serm. 32, *de S. August.*

82. In tribus commendatur Job : in simplicitate, in rectitudine, in timore. Erat simplex per innocentiam, rectus ad justitiam, timidus ad cautelam; semplex ad sepsum, rectus ad proximum, timens Deum. *Ibid.*, super *Job*, cap. I.

83. Merito rectus erat Job, quem non inflabat elatio, quem non deprimebat iniquitas, quem adversitas non frangebat. *Ibid.*

84. Job fortissimus athleta Dei enituit, in S. PROSPER.

exemplum omni patientiæ productus, ut agonistico certamine principem totius militiæ diabolum superaret, fultus auxilio Dei. *De promiss.*, part. 1, cap. 22.

85. Sanctus Augustinus episcopus fuit acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis litteraturæ peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei nostræ catholicus, in quæstionibus solvendis acutus, in revincendis hæreticis circumspectus, in explicandis Scripturis canonicis cautus. Lib. 3, *de Vita contempl.*, cap. 31.

TERTULL. 86. Quis gentilium sapientior Catone? quis justior Scipione? quis sublimior Pompeio? quis felicior Scylla? quis copiosior Crasso? quis eloquentior Tullio? *Apolog., advers. Gentes*, cap. 1.

S. THOMAS A VILLANOVA. 87. Beatus Hieronymus sapientiæ et eloquentiæ fuit miraculum, in linguis græca, latina, hebraica, et in sacris litteris peritissimus, consilio et prudentia disertissimus, sanctitate conspicuus, vita et moribus probatissimus. Conc. 4, *de Assumpt. B. M.*

88. Quam gloriosus apparuit ille Propheta regius, quam spectabilis et admirandus : qui sic pugnavit ut nunquam orasse : sic oravit, ut nunquam pugnasse videatur. *Ibid.*

89. Sanctus Nicolaus erat orphanis pater, patronus viduis, pauperibus et egenis asylum, malis terrori, bonis amori, populo venerationi, principibus honori. Conc. *de S. Nicolao.*

VINCENT. LIRINENS. 90. In Origene plura adeo præclara, adeo singularia, adeo mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem, quivis ille facile judicaret : nam si vita facit auctoritatem, magna illi industria, pudicitia, patientia, tolerantia fuit. *Prosec.*

91. Si genus vel eruditio, quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio?

92. Deinde pro Christo non solum patre, sed omni facultate privatus, tantum inter sanctæ paupertatis profecit angustias, ut pro nomine Dominicæ confessionis sæpius affligeretur.

93. Neque vero hæc in illo sola erant, sed tanta etiam vis ingenii tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes pene multum longeque superaret.

94. Tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, pene fortasse nulla humanæ philosophiæ, quæ non penitus assequeretur : cujus scientiæ cum græca cederent, hebræa quoque elaborata sint.

95. Eloquentiam vero quid memorem? cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut ex ore ipsius non tam verba quam mella quædam fluxisse videantur. In *Commonitorio*, cap. 23.

96. Sicut Origenes apud Græcos, ita Tertullianus apud Latinos, omnium facile princeps judicandus est. *Prosec.*

97. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atque in humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam, et cunctas philosophorum sectas, auctores, assertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum veritatem, mira quadam mentis capacitate complexus est.

98. Ingenio tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit.

99. Jam orationis suæ laudes quis exequi valeat? cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt : quot sensus, tot victoriæ. *Ibid.*, cap. 24

100. Basilius pastor acceptabilis Ecclesiæ populi, regalis sacerdotii consors, circumamictus veritate Christi, ovium aries, divinæ fidei magister inclytus, qui vivens et post obitum magnis coruscavit miraculis. Lib. 1, in fin. *Prologi vitæ S. Basilii.* IN VITIS PATR.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

101. Sapientissimus philosophorum, princeps et magister est Plato. *De Consolat.* CICERO.

102. Nihil illo viro scilicet Cicerone, gravius nihil suavius, nihil eloquentia sua dignius. Lib. 1, *Controvers.* SENECA.

## VIRGINITAS.

*Etymologia.* Virginitas dicitur quasi virilitas. Virgo dicitur quasi virago : virago dicitur a viro, vir autem a virtute. Part. 3, tit. 2, cap. 1, § 1. [illegible] S. ANTONIN.

*Definitio.* Virginitas est continentia, qua integritas carnis ipsi Creatori animæ et carnis vovetur, consecratur, et servatur. *De sancta Virginit.*, cap. 3. [illegible]

Virginitas quid aliud est, quam futuræ vitæ gloriosa meditatio? *De bono pudicitiæ*, cap. 3. [illegible]

Virginitas est perpetua animi, et corporis integritas. *De descript. terminor.*, cap. *Temperantiæ*. JOAN. GERS.

Virginis definitio est sanctam esse corpore et spiritu, quia nihil prodest carnem habere virginem, si mente quis nupserit. Epist. 1, *adversus Helvidium*. [illegible]

Virginitas est quædam specialis virtus, qua aliquis se immunem ab experimento venereæ voluptatis conservat, et se perpetuo conservare proponit. 2, 2, quæst. 152, art. 3. [illegible]

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non ideo laudabilis virginitas, quia in Martyribus reperitur, sed quia ipsa Martyres faciat. Lib. 1, *de Virgin.*

2. Virgo est quæ Deo nubit; meretrix quæ Deos facit. *Ibid.*

3. Beatæ virgines, quas non illecebra sollicitat corporum, non colluvio præcipitat voluptatum. *Ibid.*

4. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Lib. 2, *de Virginib.*

5. Tolerabilius est mentem virginem, quam carnem habere : utrumque bonum, si liceat; si non liceat, saltem non homini castæ, sed Deo simus. *Ibid.*

6. Aperite aures, virgines Dei, virgo prostitui potest, adulterari non potest. *Prosec.*

7. Ubicunque virgo est, Dei templum est : nec lupanaria infamant virginitatem, sed virginitas etiam loci abhorret infamiam. *Ibid.*

8. In virginibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem. Lib. 3, *de Virgin.*

9. Virgo si amat, animo peccat : si amatur, et facto. *Ibid.*

10. Virginem prius gravitas sua nuntiet, pudore obvio, gradu sobrio, vultu modesto, et prænuntia integritatis anteeant signa virtutis. *Prosec.*

11. Non satis probabilis virgo est, quæ requiritur, cum videtur. *Ibid.*

12. Virgo, quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis voce querula, gressu lubrica, facilis auditu, vilis aspectu. *Ibid*

13. Integritas corporis expetenda vobis est, quam ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. *Prosec.*

14. Sola est enim virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest : res magis voti, quam præcepti est. In *exhort. ad Virgin.*

15. Præ cæteris in virgine præcellere debet studium sobrietatis : sobrietatem dico, non solum vini abstinentiam, sed et corporalis lasciviæ, qua gravius quam vino inebriamur. *Ibid.*

16. Custodi virgo vias tuas, ut non delinquas in lingua tua : etiam bona loqui, plerumque crimen est virgini. *Ibid.*

17. Virginitas adolescentiam decet, juventutem ornat, amplificat senectutem. *Prosec.*

18. Omnique ævo habet justitiæ suæ canos, maturitatem gravitatis, velamen pudoris; qui devotionem non impediat, religionem augeat. *De Viduis.*

19. Magna piæ virginitatis libertas, quæ septa agminibus persecutorum, inter maxima pericula integritatis et vitæ nequaquam inclinata est. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplician.*

20. Non est virginitas, quæ pretio emitur, non virtutis studio possidetur. Lib. 5, epist. 31, *ad Valentinian. imperatorem.*

21. Bonus hortus est virginitas, quæ plurimos bonis ferat fructus odoris. *Prosec.*

22. Hortus clausus, quia undique vallata est muro castitatis : fons signatus, eo quod virginitas sit fons et origo pudicitiæ. Lib. 19, epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.*

23. Virgo Domini suis est nexa fulcris ad sui probationem, nec alienis dotibus eget, ut se virginem probet : nec abditorum occultorumque inspectio, sed obvia omnibus modestia adstipulatur integritati : non enim placet Deo, quam non suorum gravitas morum probat. Lib. 8, epist. 64, *ad Syagrium Veronensem episcop.*

24. Illa virginitas hostia vera Christi est, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculaverit. Super 1 *Cor.* VII, in illud : *Ut sit sancta et corpore et spiritu.*

S. ANTONI 25. Virgo sit virginis et auditus, et visus, et gustus, et tactus, et odoratus, motusque omnis. Part. 3, tit. 2, cap. 2, § 7.

S. ATHA[N.] MAGNUS 26. Omnis virgo continens, si curam suam collocet in mundanis, ejus rei cura, illi pro marito est, sive possessiones, sive alias substantias sollicitudine sua amplectantur. *De Virginit.*

27. Magna encomia virginis sunt. O virginitas opulentia indeficiens! o virginitas corona immarcessibilis! o virginitas, templum Dei, et domicilium sancti Spiritus! *Prosec.*

28. O virginitas margarita speciosa, vulgo inconspicua, et quæ nonnisi a paucis invenitur! *De Virginitate.*

S. AUGUS[T.] 29. Generosius est in carne imitari vitam Angelorum, quam ex carne adhuc numerum augere mortalium. *Prosec.*

30. Hæc est uberior fœcundiorque felicitas, non ventre gravescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere : non visceribus terram, sed cœlum orationibus parturire. Epist. 179, *ad Probam.*

31. Virginitas utroque bono præcelsior est, quia et naturam vincit et pugnam : naturam, corporis integritate : pugnam, pace castimoniæ, quæ pro solo amore pudicitiæ in pace est. *De Ecclesiasticis dogmatibus.*, cap. 65.

32. Magnum magnique honoris meritum apud Deum fidelis et pia virginitas habet, quia isto jam tempore continendi ab amplexu, cum ex omnibus gentibus ad implendum Sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido non sibi vendicat, quod jam

sufficiendæ prolis necessitudo non postulat. Lib. 9, *de Genesi ad litt.*, cap. 7.

33. Sexagesimus fructus, virginum est. Lib. 1, *Quæstionum Evang.*, quæst. 9, super illud *Matth.* XIII : *Aliud septuagesimum.*

34. Tota justitia hæc est, virginitas, sacerdotium, et martyrium. Lib. 1, *de Mirab. sacræ Scripturæ*, cap. 3.

35. Virginalis integritas et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. *De sancta Virginit.*, cap. 13.

36. Melior est in scriptura Dei, veritas Dei, quam in cujusquam mente et carne virginitas hominis. *Ibid.*, cap. 18.

37. Non ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur. *Ibid.*, cap. 8.

38. Spiritalis est etiam virginitas corporis, quam vovet et servat continentia pietatis. *Ibid.*

39. Simulare non debet virgo humilitatem, sed exhibere. *Ibid.*, cap. 43.

40. Virgines possunt esse, et pudicæ non esse, si contaminata voluntate mœchantur. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 8.

41. Pudicitia est res animi, virginitas corporis : denique illa integra in animo permanente, potest ista de corpore violenter auferri : et cum ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciviæ voluntate corrumpi. *Ibid.*

42. Melior est virgo humilis quam maritata humilis : sed melior maritata humilis, quam virgo superba. Super *Psalm.* LXXV, vers. 11.

43. Quid prodest integra caro mente corrupta? melius est humile conjugium, quam superba virginitas. Super *Psalm.* XCIX, exposit., vers. 1.

44. Paucorum est virginitas in carne, omnium debet esse in corde. Virginitas carnis, corpus intactum est : virginitas cordis, fides incorrupta. Super *Psalm.* CXLVII, exposit., vers. 2.

45. Virginitas mentis est integra fides, solida spes, sincera charitas. Tract. 13, super *Evang. Joan.*, de cap. 3.

46. Sicut membrum corporis violatur in quodam loco, sic seductio linguæ violat virginitatem cordis. *Prosec.*

47. In mente non corrumpitur, qui non vult sine causa tenere corporis virginitatem. *Ibid.*

48. Virginitas in corpore, paucarum fœminarum est. *Ibid.*

49. Dominica virgo debet agnoscere quibus præceptis conveniat insistere, vel a quantis vitiis debeat abstinere se, si vultet in sæculo posita cum Deo, et cum eodem post hujus vitæ resolutionem in claritate cœlesti regnare. *De sobriet.*, cap. 2.

50. Dominica virgo primitus publicos debet vitare conspectus, et platearum frequentiam declinare, atque in domo posita lanificio insistere, vel lectioni divinæ. *Ibid.*

51. Dominica virgo nec ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis aut lætis, sed pronis ad terram cum vultu procedat, ne in serviles indurata amores (etsi ipsa non pereat) aliis causa perditionis existat. *Ibid.*

52. Dominica virgo ab omni inverecundo sermone vel risu se debet penitus abstinere, et cum silentio et disciplina omnem vitam suam ornare. *Ibid.*

53. Dominica virgo aut sermone garrula, aut loquacitate verbosa, vel curiositate superflua, casta non potest judicari, imo prostituta, ad luxuriam alios magis accendit. *Ibid.*

54. Dominica virgo nulli se virorum cujuslibet ætatis sine gravissimarum mulierum præsentia singulari habitaculo vel colloquio credat : et cum sola in tabernaculo consistit, clausis super se januis sedeat; nullique virorum pulsanti facile januam suam pandat, ne forte in suspicionem turpissimam, aut in pudoris sui naufragium cadat. *Ibid.*

55. Dominica virgo in locis, in quibus viri cubant, non debet accedere, ne ipsa se velut scortum credatur suis corruptoribus præbuisse. *Ibid.*

56. Dominica virgo male docentis miserabilisque vitæ fœminæ, aut aliquando sinistra opinione vexatæ, consortium colloquiumque declinet. *Ibid.*

57. Dominica virgo ob extinguendas libidinis, vel omnis lasciviæ flammas, jejuniis et abstinentiæ debet operam dare, orationibus die noctuque insistere, si cupit, et laqueos et insidias diaboli insidiantis evadere, et ad promissa virginitatis præmia pervenire. *Ibid.*

58. Dominica virgo ab omnibus illecebris gulæ abstinens esse debet, et parco victu vel potu debet esse contenta, et honesta taciturnitate semper ornata. *Ibid.*

59. Dominica virgo ne quid pravum, aut scurrile, aut simulate loquatur, et omne mendacium ex ore suo penitus eradicet. *Ibid.*

60. Dominica virgo conviviis, quibus viri miscentur, interesse declinet, ne concupiscentiæ peccatum secum inter pocula loquentibus viris importet. *Ibid.*

61. Dominica virgo motibus, flexibusque saltantium, omniumque virilium ludicrorum, quantum potest; vultum suum avertat, ne cujuslibet eorum repentino amoris telo percussa graviter incipiat interire. *Ibid.*

62. Dominica virgo non tantum ne super-

bia litiget caveat, sed etiam a superbientibus et litigantibus, quantum potest, procul abscedat. *Ibid.*

63. Dominica virgo nec sermonis jactantia, nec divitiis, nec generis nobilitate se debet extollere : sed in humilitate et paupertate spiritus Christo accepto debet quandiu vixerit permanere. *Ibid.*

64. Dominica virgo, quæ secundum proprias vires nulli malum porrigit, non potest ancilla Dei vel dici vel credi. *Ibid.*

65. Dominica virgo, quæ pudoris sui custodiam gerere nititur, nec incessu notabili, nec nutu aut dicto molli, nec otiositate verbi nec corpore, nec mente debet omnino peccare. *Ibid.*

66. Nulli virginitas servituti succumbit, quæ illum diligit qui humano generi attulit libertatem. Serm. 6, *de Nativitate.*

V. BEDA. 67. Carnis virginitas quam sit cœlica virtus : non prodest cuiquam sine mentis virginitate. In suis *Proverbis*, verbo *Carnis.*

S.BERNARD. 68. Optimus et optabilis valde virginitatis ornatus, qui, et Angelis potest esse invidiosus. *Prosec.*

69. Ornatus ille nullius facile aut cedit injuriis, aut patet insidiis : adversus hujusmodi nil furis calliditas, nil furentis crudelitas potest; nec a tineis roditur, nec vetustate corrumpitur, nec consumitur usu; in morte vivit, nimirum anima res est, non corporis, et ob hoc simul cum anima de corpore abit, non obit cum corpore. Epist. 113, *ad Sophiam virg.*

70. Virgines corpore et non mente, non sunt prudentes, sed fatuæ. Serm. 21, *ad Sororem.*

71. Duplicatum est bonum virginitatis, quia in hoc mundo sollicitudine caret sæculi, et in futuro præmium castitatis recipiet. *Ibid.*

72. Nihil valet virginitas carnis, ubi non est integritas mentis. *Ibid.*

73. Nihil prodest virginitas carnis, ubi habitat iracundia mentis. *Ibid.*

S.CÆSARIUS ARELAT. 74. Cavete ne a vobis virginitatis bonum pereat, cui facere nihil potestis ut redeat. *Prosec.*

75. Non enim habent quid faciant, ut virgines esse non possint. *Epistola ad quosdam.*

CASSIODOR. 76. Quid proderit cuique corpus intactum servare si contingat integritatem fidei non habere? Super *Psalm.* XLV, vers. 16.

S. CYPRIAN. 77. Quo sublimior virginum gloria est, eo major cura est. *De disciplina et habitu virgin.*, cap. 2.

78. Virginitas flos est ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, illustrior portio gregis Christi. *Ibid.*

79. Virgo non esse tantum, sed et intelligi debet et credi, ut nemo cum virginem videt, dubitet an virgo sit. *Ibid.*, cap. 3.

80. Virginitas neutri sexus est, virginitas est perseverans, virginitas est voluptatum triumphus. *De Bono pudicit.*, cap. 3.

81. Virginitas felix quod est extra partus dolorem : felicior autem, quod est extra funerum filiorum calamitatem. *Ibid.*

82. Virginitas quid aliud est, quam soluta libertas? maritum non habet dominum, et ab affectionibus omnibus libera est. *Ibid.*

83. Conjugio melior est continentia, et virginitas excellentior. *De Nativitate Christi*, cap. 5.

84. Virginitas cupidinem domat, mentem rectificat, concupiscentiam subigit, desideria ardoris extinguit, artus debilitat, corpus ancillat. *De singularit. cleric.*, cap. 22.

85. Divina quædam res est virginitas, et tanquam in virtutibus existit. Lib. *contra Manich.* DIDYM. ALEX.

86. Turpissima illius est facies, cujus violata est virginitas. *Ad Monachos*, parænes. 1. S. EPHR.

87. Quanto quis pleniorem habet virginitatem, tanto plenius et perfectius ejusdem virginitatis possidet nomen : in illa quippe nihil minus habet ad vitam, in hac autem amplius aliquid acquirit ad gloriam. Epist. 3, *ad Probam*, cap. 6. S.FULGE.

88. Corporalis virginitas, etiam Deo dicata, si virginitatem non servaverit cordis, nihil proderit in corpore custodia, si spiritalis castitas fuerit in mente corrupta. *Ibid.*, cap. 6.

89. Læsa virginitas condonari solet, sed redonari non valet. Serm. 40, super *Cant.* GILLEBE. ANGLUS

90. Virginitas soror est Angelorum. In *Decret. Gratiani.* GLOSSA DECR.

91. Virginibus stultis nihil profert castitas carnis, quibus defuit lumen internæ puritatis. Super *Exod.*, cap. 28. GLOSS. OR.

92. Qui abrenuntiato conjugio virginitatem Domino consecrant, mores oportet virginitate condignos ostendant. *Prosec.*

93. Altior professio virtutis, altiorem debet tenere viam vivendi. Super III *Reg.*, cap. VI.

94. In Ecclesia primum locum virginitas tenet, secundum continentia, tertium conjugalis vita, ultimum conversio peccatorum. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. IV. S. GREGO. MAGNUS.

95. Aurea virginitas non est, si foris est, et intus non est. *Ibid.*, lib. 6, cap. 1.

96. Candida vita est mentis incorruptio, et flos virginitatis. Homil. 6, super *Ezech.*, super illud *Luc.* XVII : *Ager est hic mundus.*

97. Nihil magnum quid esset virginitas, si non pulchro pulchrius foret. Orat. 28. S. GREGOR. NAZ.

98. Oculus scortans, nequaquam virginitatem custodit. *Ibid.*

99. Virgo sis oculis, virgo sis auribus atque. In *carm. ad Virgin.*, et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 27.

HIERON. 100. In animo virginali, rore cœlesti et jejuniorum rigore, calor puellaris extinguitur; et in humano corpore, Angelorum impetratur conversatio. Epist. 8, *ad Demetriad.*

101. Contra naturam, imo ultra naturam est, non exercere quod nata sis, interficere in te radicem tuam, et sola virginitatis poma decerpere : nescire thorum, omnem virorum horrere contactum, et in corpore vivere sine corpore. *Ibid.*

102. Virgo nesciat præterita, fugiat præsentia, futura desideret. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

103. Audacter loquar : cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam : valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam. Epist. 22, *ad Eustoch.*

104. Perit mente virginitas. *Ibid.*

105. Piget dicere; quot quotidie virgines ruant quantas de suo gremio mater perdat Ecclesia, super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum suum : quot petras excavet, et habitet coluber in foraminibus earum. *Ibid.*

106. Sæpe quando festivæ et lepidæ volunt virgines videri, ubi se mero ingurgitaverint, ebrietati sacrilegium copulant. *Ibid.*

107. Eva in paradiso virgo fuit, tua igitur (virgo) regio, paradisus est : serva quod nata es, et dic, revertere anima in requiem tuam. *Ibid.*

108. Vas aureum et argenteum, non tam charum Deo est, quam templum corporis virginalis. *Ibid.*

109. Grandis labor, sed grande præmium, esse quod martyres, esse quod Apostoli, esse quod Christus est virgo : teipsam considerans, noli in alterius ruina, sed in tuo opere gloriari. *Ibid.*

110. Memento quia in medio laqueorum ambulas, et multæ veteranæ virgines castitatis indubitatæ, in ipso mortis limine coronam perdidere. *Ibid.*

111. Ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum. *Adversus Jovian.*

112. Illa virginitas hostia Christi est, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit. *Ibid.*

113. Difficilis res est virginitas; et ideo rara, quia difficilis. *Ibid.*

114. Virginitatem in cœlum fero, non quia habeam, sed quia magis mirer, quod non habeo. Epist. 2, *ad Pammach.*

115. Prima est virginitas a prima nativitate, secunda virginitas a secunda nativitate. *Ibid.*

116. Virgo a viro, non vir a virgine generatur. *Ibid.*

117. Ornetur morum sanctitate virginitas, et perfectum gradum vitæ perfectio subsequatur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

118. In carne Angelicam vitam acquirere, majus est meritum, quam habere : esse Angelum, felicitatis est : esse vero virginem, virtutis. Profecto in carne prætercarnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Epist. 10, *ad Paulam et Eustoch. de Assumpt. B. M.*

119. Habetis, virgines, sponsum virginem, virginitatis et castitatis amatorem, qui matrem virginem ideo elegit, ut ipsa omnibus esset exemplum castitatis. *Ibid.*

120. Sit in te gravitas, honestas admirabilis, et stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, et veræ pudicitiæ habitus. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

121. Quo virginis verecundior est sexus, animus debet esse modestior. *Ibid.*

122. Cave ne cui concupiscendi occasionem tribuas, quia sponsus tuus Deus zelans est : criminosior est adultera Christi, quam mariti. *Ibid.*

123. Maxime inter lilia virginitatis satiatur et delectatur sponsus Christus, et aspectu pulchritudinis, et odore suavitatis, et tactu lenitatis. Super *Cant.*, cap. 2. HUGO CARD.

124. Virginitatis jugum nemini impone, periculosa enim res est, quamque servare difficile sit, cum coactu ac necessitate fit. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 27. S. IGNATIUS MART.

125. Quanta virginitatis dignitas, quam sublimis et magna ejus possessio ! Homil. 18, super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

126. Ingens est virginitatis dignitas, non solum abstinere a nuptiis, verum etiam benignum esse et fratrum amantem, et pronum ad commiserationem. Serm. 1, *de Verb. Apost. : Habentes eumdem spirit.*

127. Virgo quæ rerum sæcularium curam habet, neque virgo, neque honesta est. Homil. 19, super I *Cor.*

128. Anima incorrupta, virgo est; etiamsi virum habeat, virgo est virginitate vera atque mirabili. Homil. 38, super *Epist. ad Hebr.*

129. Virginitas corporis, animæ virginitatis pedis-equa est. *Ibid.*

130. Nihil tam indignum est virgini, quam

bia litiget caveat, sed etiam a superbientibus et litigantibus, quantum potest, procul abscedat. *Ibid.*

63. Dominica virgo nec sermonis jactantia, nec divitiis, nec generis nobilitate se debet extollere : sed in humilitate et paupertate spiritus Christo accepto debet quandiu vixerit permanere. *Ibid.*

64. Dominica virgo, quæ secundum proprias vires nulli malum porrigit, non potest ancilla Dei vel dici vel credi. *Ibid.*

65. Dominica virgo, quæ pudoris sui custodiam gerere nititur, nec incessu notabili, nec nutu aut dicto molli, nec otiositate verbi nec corpore, nec mente debet omnino peccare. *Ibid.*

66. Nulli virginitas servituti succumbit, quæ illum diligit qui humano generi attulit libertatem. Serm. 6, *de Nativitate.*

V. BEDA. 67. Carnis virginitas quam sit cœlica virtus : non prodest cuiquam sine mentis virginitate. In suis *Proverbis*, verbo *Carnis.*

S. BERNARD. 68. Optimus et optabilis valde virginitatis ornatus, qui, et Angelis potest esse invidiosus. *Prosec.*

69. Ornatus ille nullius facile aut cedit injuriis, aut patet insidiis : adversus hujusmodi nil furis calliditas, nil furentis crudelitas potest; nec a tineis roditur, nec vetustate corrumpitur, nec consumitur usu; in morte vivit, nimirum animares est, non corporis, et ob hoc simul cum anima de corpore abit, non obit cum corpore. Epist. 113, *ad Sophiam virg.*

70. Virgines corpore et non mente, non sunt prudentes, sed fatuæ. Serm. 21, *ad Sororem.*

71. Duplicatum est bonum virginitatis, quia in hoc mundo sollicitudine caret sæculi, et in futuro præmium castitatis recipiet. *Ibid.*

72. Nihil valet virginitas carnis, ubi non est integritas mentis. *Ibid.*

73. Nihil prodest virginitas carnis, ubi habitat iracundia mentis. *Ibid.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 74. Cavete ne a vobis virginitatis bonum pereat, cui facere nihil potestis ut redeat. *Prosec.*

75. Non enim habent quid faciant, ut virgines esse non possint. *Epistola ad quosdam.*

CASSIODOR. 76. Quid proderit cuique corpus intactum servare si contingat integritatem fidei non habere? Super *Psalm.* XLV, vers. 16.

S. CYPRIAN. 77. Quo sublimior virginum gloria est, eo major cura est. *De disciplina et habitu virgin.*, cap. 2.

78. Virginitas flos est ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, illustrior portio gregis Christi. *Ibid.*

79. Virgo non esse tantum, sed et intelligi debet et credi, ut nemo cum virginem videt, dubitet an virgo sit. *Ibid.*, cap. 3.

80. Virginitas neutri sexus est, virginitas est perseverans, virginitas est voluptatum triumphus. *De Bono pudicit.*, cap. 3.

81. Virginitas felix quod est extra partus dolorem : felicior autem, quod est extra funerum filiorum calamitatem. *Ibid.*

82. Virginitas quid aliud est, quam soluta libertas? maritum non habet dominum, et ab affectionibus omnibus libera est. *Ibid.*

83. Conjugio melior est continentia, et virginitas excellentior. *De Nativitate Christi*, cap. 5.

84. Virginitas cupidinem domat, mentem rectificat, concupiscentiam subigit, desideria ardoris extinguit, artus debilitat, corpus ancillat. *De singularit. cleric.*, cap. 22.

85. Divina quædam res est virginitas, et tanquam in virtutibus existit. Lib. *contra Manich.* DIDYM. ALEX.

86. Turpissima illius est facies, cujus violata est virginitas. *Ad Monachos*, parænes. 1. S. EPHRÆ[M]

87. Quanto quis pleniorem habet virginitatem, tanto plenius et perfectius ejusdem virginitatis possidet nomen : in illa quippe nihil minus habet ad vitam, in hac autem amplius aliquid acquirit ad gloriam. Epist. 3, *ad Probam*, cap. 6. S. FULGE[NT.]

88. Corporalis virginitas, etiam Deo dicata, si virginitatem non servaverit cordis, nihil proderit in corpore custodia, si spiritalis castitas fuerit in mente corrupta. *Ibid.*, cap. 6.

89. Læsa virginitas condonari solet, sed redonari non valet. Serm. 40, super *Cant.* GILLEBER[T.] ANGLUS

90. Virginitas soror est Angelorum. In *Decret. Gratiani.* GLOSSA DECR.

91. Virginibus stultis nihil profert castitas carnis, quibus defuit lumen internæ puritatis. Super *Exod.*, cap. 28. GLOSS. OR[D.]

92. Qui abrenuntiato conjugio virginitatem Domino consecrant, mores oportet virginitate condignos ostendant. *Prosec.*

93. Altior professio virtutis, altiorem debet tenere viam vivendi. Super III *Reg.*, cap. VI.

94. In Ecclesia primum locum virginitas tenet, secundum continentia, tertium conjugalis vita, ultimum conversio peccatorum. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. IV. S. GREGOR. MAGNUS.

95. Aurea virginitas non est, si foris est, et intus non est. *Ibid.*, lib. 6, cap. 1.

96. Candida vita est mentis incorruptio, et flos virginitatis. Homil. 6, super *Ezech.*, super illud *Luc.* XVII : *Ager est hic mundus.*

97. Nihil magnum quid esset virginitas, si non pulchro pulchrius foret. Orat. 28. S. GREGOR. NAZ.

98. Oculus scortans, nequaquam virginitatem custodit. *Ibid.*

99. Virgo sis oculis, virgo sis auribus atque. In *carm. ad Virgin.*, et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 27.

HIERON. 100. In animo virginali, rore cœlesti et jejuniorum rigore, calor puellaris extinguitur; et in humano corpore, Angelorum impetratur conversatio. Epist. 8, *ad Demetriad.*

101. Contra naturam, imo ultra naturam est, non exercere quod nata sis, interficere in te radicem tuam, et sola virginitatis poma decerpere : nescire thorum, omnem virorum horrere contactum, et in corpore vivere sine corpore. *Ibid.*

102. Virgo nesciat præterita, fugiat præsentia, futura desideret. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

103. Audacter loquar : cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam : valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam. Epist. 22, *ad Eustoch.*

104. Perit mente virginitas. *Ibid.*

105. Piget dicere; quot quotidie virgines ruant quantas de suo gremio mater perdat Ecclesia, super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum suum : quot petras excavet, et habitet coluber in foraminibus earum. *Ibid.*

106. Sæpe quando festivæ et lepidæ volunt virgines videri, ubi se mero ingurgitaverint, ebrietati sacrilegium copulant. *Ibid.*

107. Eva in paradiso virgo fuit, tua igitur (virgo) regio, paradisus est : serva quod nata es, et dic, revertere anima in requiem tuam. *Ibid.*

108. Vas aureum et argenteum, non tam charum Deo est, quam templum corporis virginalis. *Ibid.*

109. Grandis labor, sed grande præmium, esse quod martyres, esse quod Apostoli, esse quod Christus est virgo : teipsam considerans, noli in alterius ruina, sed in tuo opere gloriari. *Ibid.*

110. Memento quia in medio laqueorum ambulas, et multæ veteranæ virgines castitatis indubitatæ, in ipso mortis limine coronam perdidere. *Ibid.*

111. Ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum. *Adversus Jovian.*

112. Illa virginitas hostia Christi est, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit. *Ibid.*

113. Difficilis res est virginitas; et ideo rara, quia difficilis. *Ibid.*

114. Virginitatem in cœlum fero, non quia habeam, sed quia magis mirer, quod non habeo. Epist. 2, *ad Pammach.*

115. Prima est virginitas a prima nativitate, secunda virginitas a secunda nativitate. *Ibid.*

116. Virgo a viro, non vir a virgine generatur. *Ibid.*

117. Ornetur morum sanctitate virginitas, et perfectum gradum vitæ perfectio subsequatur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

118. In carne Angelicam vitam acquirere, majus est meritum, quam habere : esse Angelum, felicitatis est : esse vero virginem, virtutis. Profecto in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Epist. 10, *ad Paulam et Eustoch. de Assumpt. B. M.*

119. Habetis, virgines, sponsum virginem, virginitatis et castitatis amatorem, qui matrem virginem ideo elegit, ut ipsa omnibus esset exemplum castitatis. *Ibid.*

120. Sit in te gravitas, honestas admirabilis, et stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, et veræ pudicitiæ habitus. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

121. Quo virginis verecundior est sexus, animus debet esse modestior. *Ibid.*

122. Cave ne cui concupiscendi occasionem tribuas, quia sponsus tuus Deus zelans est : criminosior est adultera Christi, quam mariti. *Ibid.*

123. Maxime inter lilia virginitatis satiatur et delectatur sponsus Christus, et aspectu pulchritudinis, et odore suavitatis, et tactu lenitatis. Super *Cant.*, cap. 2. HUGO CARD.

124. Virginitatis jugum nemini impone, periculosa enim res est, quamque servare difficile sit, cum coactu ac necessitate fit. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 27. S. IGNATIUS MART.

125. Quanta virginitatis dignitas, quam sublimis et magna ejus possessio ! Homil. 18, super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

126. Ingens est virginitatis dignitas, non solum abstinere a nuptiis, verum etiam benignum esse et fratrum amantem, et pronum ad commiserationem. Serm. 1, *de Verb. Apost. : Habentes eumdem spirit.*

127. Virgo quæ rerum sæcularium curam habet, neque virgo, neque honesta est. Homil. 19, super 1 *Cor.*

128. Anima incorrupta, virgo est; etiamsi virum habeat, virgo est virginitate vera atque mirabili. Homil. 38, super *Epist. ad Hebr.*

129. Virginitas corporis, animæ virginitatis pedis-equa est. *Ibid.*

130. Nihil tam indignum est virgini, quam

opibus studere, ac negotiorum multitudine obvolvi. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 27.

S. JOANNES DAM.

131. Virginitas Angelorum munus est, ac peculiaris omnis incorporeæ naturæ nota. Lib. 4, *de Fide Orthod.*, cap. 25.

132. Bonum est matrimonium iis, quibus continentia deest : at melior virginitas, quæ animæ fœcunditatem auget. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL.

133. Geminum est bonum virginitatis; quia et in hoc mundo sollicitudinem sæculi admittit, et in futuro æternum castitatis præmium percipit. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 40, sent. 3.

S. ISIDORUS PELUSIOTA.

134. Virgo carne non mente, nullum præmium habet in repromissione. *Prosec.*

135. Nihil prodest incorruptio carnis, ubi non est integritas mentis.

136. Nihil valet virginem esse corpore eum, qui pollutus est mente. *Ibid.*, sent. 7.

137. Bonum est matrimonium, at melior virginitas : pulchra est luna, at sol præclarior. Lib. 2, *ad Timoth. lector.*

PETRUS BLESENS.

138. Eas sponsalitio amore sibi libentissime fœderat Deus, quas sæculum non fœdavit. *Prosec.*

139. Amator et zelator est virginitatis, qui nasci de virgine præelegit. Epist. 36, *ad Christianam sanctimonial.*

140. Gloria virginum est in fimbriis, et se usque in oram vestimenti, unguentum benedictionis infundit. *Ibid.*, epist. 55, *ad Adelitiam monial.*

S. PETRUS DAMIANUS.

141. Ubi sunt illæ, quæ dicunt : ego sum virgo, ego sum virgo? verbosæ, contentiosæ, suspectuosæ, superfluosæ, veste compositæ, moribus dissipatæ. *Prosec.*

142. Ego sum virgo, nescio enim virum, ignoro conjugium sit. O virgo! quam felix esses, quod habes in carne, servares in mente, custodires in actione.

143. Quid enim prodest solius carnis integritatem servare, et malignorum spirituum stupris mentis interiora corrumpere?

144. Quid juvat virginem esse, et exigentibus actionum meritis, nequaquam ad virginale præmium pervenire?

145. Virgo carne non animo, virginitatis præmio non potitur.

146. Aliud quippe est tentationum fortiter illecebris contraire, aliud eisdem blande irrepentibus, etsi non corpore, mente tamen enerviter cedere.

147. Fit plerumque Deo gratior ardens amore vita post culpam, quam securitate torpens virginis innocentia.

148. Illa virginitas perfecta est, quæ reliquis virtutibus cingitur, quæ vera mentis humilitate conditur : quæ non solum illibatam se servat in carne, sed etiam pudicam se custodit in mente. Serm. 46, *de Nativit. B. M. V.*

TERTULL.

149. Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est. *De Virginibus velandis*, cap. 3.

150. Virginis concupiscentia non latendi, non est pudica, quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur. *Ibid.*, cap. 14.

151. Vera et tota et pura virginitas, nihil magis timet, quam semetipsam. *Prosec.*

152. Etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet : confugit ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, quo bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones. *Ibid.*, cap. 15.

153. Nihil est virgini charius humilitate, nihil acceptius modestia, nihil perosius gloria, et studio hominibus placendi. *Ibid.*, cap. 16.

154. Oro te, virgo, vela caput tuum, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. *Ibid.*

THEOPHYLACTUS.

155. Paucorum est veræ virginitatis virtus. Super *Matth.*, cap. XIX, in illud : *Sunt Eunuchi*, etc.

THOMAS A KEMPIS.

156. Virgo Christi, si vis cœlesti sponso digne placere, stude flores virgineos, et munda lilia intus habere, et omnes sensus tuos foris a deceptionibus custodire. Serm. 27, *ad Novit.*, divis. 6.

IN VIT. PATR.

157. Virginitas est primæ virtutis indicium Deo proximum, similis Angelis, parens vitæ, amica sanctitatis, via securitatis, domina gaudii, dux virtutis, fomentum et corona fidei, adminiculum, et subsidium charitatis. Lib. 1, *In vita S. Eugeniæ*, cap. 23.

Vide etiam tit. *Anima*, sent. 10; *Aspectus*, sent. 131, 132; *Conjugium*, sent. 26, 29, 30; *Judicium* in genere, sent. 23, 24; *Maria*, sent. 54, 195, 196, 198; *Motus*, sent. 44, 45; *Nativitas Christi*, sent. 75, 87, 88; *Nobilitas*, sent. 60; *Nuptiæ*, sent. 73; *Placere*, sent. 27; *Resurrectio a peccato*, sent. 135; *Via*, sent. 5; *Victoria* in genere, sent. 27; *Virtutum connexio* in specie, verbo *Virginitas*; *Votum*, sent. 58.

## VIRTUS IN GENERE.

BOETIUS.

*Etymologia.* Ex eo virtus vocatur, quod suis viribus nitens non superetur adversis. Lib. 4, *de consolat. philos.*, prosa 7.

S. BONAV.

Virtus dicitur quasi vis intus : et hæc vis consistit in aggressione arduorum, in tolerantia adversorum, et in abstinentia placitorum. Lib. 5. In *Compendio Theolog. veritatis.*

IODOR. Virtus a viriditate dicta est, quæ nescit aliquo laborare marcescere. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 8.

TOTEL. Virtus est hominis habitus, a quo bonus efficitur homo. L. 2, *Etich. ad Nicomach.*, cap. 6.

Virtus est habitus electivus, in mediocritate consistens. *Ibid.*

Virtus est vis quædam productiva, aut conservativa rerum bonarum. Lib. 1 *Rhetor.*, cap. 9.

ERO. Appellata est a viro virtus : viri autem proprium maxime est fortitudo, cujus munera sunt maxime duo, scilicet mortis dolorisque contemptio. Lib. 2 *Tusc. quæst.*

CHISM. ANUS. *Definitio.* Virtus est qualitas animæ, per quam bene vivitur, et qua nemo potest abuti.

GUST. Virtus est, quæ bonum facit habentem, et opus ejus reddit bonum. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 15.

Virtus est ars bene recteque vivendi. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 21.

Definitio brevis et vera virtutis, ordo est amoris. *Ibid.*, lib. 15, cap. 22.

NAV. Virtus est ordinatus secundum veritatis judicium mentis affectus. Lib. 2, *de Profess. religios.*, cap. 21.

YSIUS HUS. Virtus est summa et vera nobilitas hominis, per quam suo Creatori assimilatur, complacet, et unitur. *De Profectu spirit.*, in proœmio.

GERS. Virtus in genere, est bona inclinatio creaturæ rationalis ad operationes naturæ suæ congruas laudabiliter exercendum. Part. 4, In *Descript. terminor.*

Virtus rationalis seu naturaliter insita, est bona inclinatio creaturæ rationalis, non acquisita, sed innata ad operationes naturæ suæ congruas laudabiliter exercendum. *Ibid.*

Virtus intellectualis acquisita, sumpta generaliter, est habitus cognitivus verus, inclinans animam ad operationes suas (ut intellectiva est) exercendum. *Ibid.*

Virtus moralis in genere, est habitus acquisitus laudabilis, juvans et elevans animam ad operationes suas intellectuales vel effectivas, elicitas vel imperatas laudabiliter exercendum. *Ibid.*

Virtus theologica est habitus a Deo solo infusus, elevans liberum arbitrium, id est, facultatem rationis, aut bonitatis, aut utriusque, ad Deum immediate objectaliter, et laudabiliter attingendum. *Ibid.*

. FIRM. Virtutem esse stoici aiunt, quæ sola efficiat vitam beatam : nihil potest verius dici. *De divin. Inst.*, lib. 3, *de Falsa sapient.*, cap. 27.

Virtus est perferendorum malorum fortis, ac invicta patientia. *Ibid.*, cap. 29.

URENT. Virtus est qualitas mentis bene dispositæ, qua bene vivitur, sine qua nullus laudabiliter conversatur. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 4, *de Charitat.*, cap. 2.

Quid est virtus, nisi vapor et emanatio virtutis Dei? Lib. 2, epist. 9, *ad Robertum Abbat.* PETR. CELL.

Virtus est bona qualitas, seu habitus mentis, qua recte vivitur, et qua nullus male utitur, et quam Deus in nobis sine nobis operatur. 1, 2, quæst. 55, art. 4. S. THOMAS AQUINAS.

Virtus est qualitas, quæ facit bonum habentem, et opus ejus bonum reddit. *Ibid.*, quæst. 55, art. 3, in argum. Et quæst. 71, art. 1, in argum.

Virtus directé est dispositio quædam alicujus convenienter se habentis secundum modum suæ naturæ. *Ibid.*

Virtus est ordo amoris. 2, 2, quæst. 23, art. 4.

Virtus est animi habitus, naturæ modo rationi consentaneus. Lib. 2, *de Invent. Rhetor.* CICERO.

Virtus est affectio animi constans, conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est. Lib. 4 *Tusc. quæst.*

Virtus est habitus optimus mortalis animalis, per seipsum laudatus, habitus secundum quem id quod habet, bonum dicitur. *De Definit.* PLATO.

*Divisio.* In duas partes virtus dividitur, in contemplationem veri et in actionem. Contemplationem institutio tradit. Actionem, admonitio. Epist. 94. SENECA.

*Differentia.* Omne vitium, est animæ ægritudo : virtus vero, sanitatis rationem obtinet. Homil. 9, *Hexamer.* S. BASILIUS MAGNUS.

*Productio.* Quatuor sunt matres virtutum : fides origine, charitas educatione, prudentia regimine, humilitas conservatione. Lib. 5, *Compendii Theolog. veritat.*, cap. 8. S. BONAV.

Perspicuum est ex divitiis non existere virtutem, sed ex virtute divitias, et alia omnia bona hominibus, et privatim et publice proficisci. In *Apolog.* PLATO.

Omnium bonorum vis et origo, in ipsa virtute est. Epist. 54.

*Comparatio.* Sicut falsis denariis nihil emitur boni, sic nec falsis virtutibus regnum cœlorum comparatur. In *Paradiso animæ*, part. 1, *de Virt.*, in prologo. S. ALBERTUS MAGNUS.

Sicut vitia teguntur dolis, ita illustrantur libertate virtutes. Serm. 31. S. [illegible]

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Qui virtuti derogat, ei derogat cujus est virtus. Lib. 3, *de Virginibus.* S. AMBROS.

2. Quo propior virtuti fueris, eo fortior eris. Lib. 7, epist. 34, *ad Syricum.*

3. Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem et stabilitatem. Lib. 2, *de Jacob*, cap. 6.

4. Tolerabilius est amare virtutes, etsi implere

non possis, quam odisse virtutes, quibus nocere non possis. Super *Psalm.* XXXVII.

5. Malitiæ diabolus præsidet, virtutibus Christus. *Ibid.*

6. Virtus certaminibus approbatur. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 10, vers. 3.

7. Sanctis una competit virtus, sed ejus quæ fuerit uberior, uberius est præmium. Lib. 5, Super *Luc.*, cap. VI, in illud : *Beati pauperes*, etc.

8. Nulla sine labore virtus, quia labor processus virtutis est. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 2.

9. Qui deficit sibi, ut virtuti adhæreat, amittit quod suum est, accipit quod æternum est. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 11, vers. 1.

S. ANSELM.

10. Virtus virtuti accumulata prodest. *De Similitud.*, cap. 154.

S. ANTONIN.

11. Virtutes proditæ non manebunt. Part. 2, tit. 4, cap. 7, § 4.

12. Nulla virtus vera potest esse simul cum luxuria, sed simul omnes corruunt. Part. 2, tit. 5, cap. 1, § 11.

S. ANTONIUS ABBAS.

13. Adversarii virtutis veritati semper insidiantur. Epist. 2, *ad Fratres.*

S. AUGUST.

14. Virtute privari, atque in vitium deficere, damnabile est. Lib. 9, *de Trinit.*, cap. 10.

15. Multi ex virtutibus in infernum, per elationem corruerunt. *De spiritu et anima*, cap. 56.

16. Tanto rectius majore supplicio dignum judicaveris animum, quanto magis vitiosus odit instrumenta virtutum. *De Patientia*, cap. 5.

17. Non est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est. Lib. 5, *de Civit. Dei*, cap. 12.

18. Paucorum virtus ad gloriam et honorem vera via est. *Ibid.*

19. Noveris non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Lib. 4, *contra Jalian.*, cap. 3.

20. Virtus etiam in homine sine dubitatione divina est. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 8.

21. Omnis virtus potest aliquid agere, nec cum non agit aliquid, virtus non est. *De Immort. animæ*, cap. 3.

22. In animi bonis non invenis quidquam, quod magis sibi ex omni parte consentiat, quam virtutem. *Ibid.*

23. Virtus cæteras affectiones animi superat. *Ibid.*

24. Omnis virtus quanto melior atque sublimior, tanto firmior invictiorque est. Lib. 1, *de Lib. Arb.*, cap. 10.

25. Nullus vitiosus animus, virtute armatum animum superat. *Ibid.*

26. Corpus qualecunque sit, animum virtute præditum non vincit. *Ibid.*

27. Tam facile est simulare, quam difficile habere virtutem. *De Moribus Eccles.*, cap. 1.

28. Nemo dubitaverit, quin virtus animam faciat optimam. *Ibid.*, cap. 15.

29. Quanto magis est charitas in homine, tanto magis est virtute præditus : quanto autem minus, tanto minus inest ei virtus, et quanto minus inest virtus, tanto magis est vitium. Epist. 20, *ad Hieronym.*

30. Hic sunt virtutes in actu, in cœlo in effectu: hic in opere, ibi in mercede ; hic in officio, ibi in fine. Epist. 52.

31. Virtus est interioris hominis pulchritudo. Epist. 222.

32. Virtus dea non est, sed donum Dei. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 20.

33. Virtutes habenti, magna virtus est contemnere gloriam. *Ibid.*, lib. 5, cap. 19.

34. Non est vera virtus, quando gloriæ servit humanæ. *Ibid.*

35. Vita deformis est, ubi virtus servit dominæ voluptati, quamvis nullo modo hæc dicenda sit virtus. *Ibid.*, lib. 19, cap. 4.

36. Non omnis vita, sed sapiens vita virtus est : qualiscunque enim vita sine ulla virtute potest esse : virtus vero sine ulla vita non potest esse. *Ibid.*, cap. 3.

37. Veræ virtutes nisi in eis, quibus vera inest pietas, esse non possunt. *Ibid.*, cap. 4.

38. Virtutes cum ad seipsas referuntur; nec propter aliud expetuntur, tunc superbæ sunt ; et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt. *Ibid.*, cap. 25.

39. Præmium virtutis erit Deus, qui virtutem dedit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 30.

40. Si sitis, bibe virtutem. *De Epicur.*, cap. 8.

S. BASILIUS MAGNUS.

41. Virtutis exercitatio, pretiosa possessio est habenti, et jucundissimum spectaculum his, qui in ipsam incidunt. Epist. 42, *ad Maxim. Philos.*

V. BEDA.

42. Alterius virtutis ope, virtus indiget omnis. In suis *Prov.*, verbo *Alterius.*

43. Vitiis dediti non possunt virtutibus ditari. *Ibd.*, verbo *Vitiis.*

44. Verecundiam abjiciens, omnes simul virtutes abjecit. *Ibid.*, verbo *Verecundiam.*

S. BERNARD.

45. Perfecta virtus non est sine cognitione veritatis, nec veritas sine amore virtutis. Serm. 1, super *Salve Regina.*

46. Virtutes medium tenent ; si vel utra, vel infra quam oportuerit fiat, a virtute disceditur. Serm. *de Donis Spiritus sancti*, cap. 5.

47. Sicut stellæ in nocte lucent, in die latent : sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis. Serm. 27, super *Cant.*

48. Quam rara virtus est, alienæ non invidere virtuti ! *Ibid.*, serm. 49.

49. Virtus exercitata clarior est, eoque probatior, quo officiosior. *Ibid.*, serm. 85.

50. Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, approbatur in victoria. Epist. 125, *ad Episcopos Aquitaniæ.*

51. Vera virtus finem nescit, tempore non clauditur, retinet quisque virtute quod amisit in tempore. Epist. 253, *ad Abbat. Garin.*

52. Virtus vult doceri cum humilitate, quæri cum labore, haberi cum amore. *De vita solit.*

53. Virtus filia est rationis, sed magis gratiæ. *Ibid.*

54. Vis virtutes augere? prodere noli. *De Inter. domo*, cap. 48.

55. Sicut glacies calore dissolvitur, ita virtus ore laudantis. *Ibid.*

TIUS. 56. Imperante florenteque nequitia, virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, et in locum facinorum supplicia luit. Lib. 4, *de Consolat. philosoph.*, prosa 1.

ONAV. 57. Quælibet virtus flos est animæ; flos est humilitas, flos est patientia, flos est lilii castitas. Serm. 4, infra *Octav. Nativit.*

58. Thesauri virtutum in arca cordis claudendi sunt sera humilitatis. Serm. 2, *fer.* 2, *post Pascha.*

59. Nulla est virtus, quæ ex appositione sui contrarii non minor reddatur, sicut ex appositione sui similis roboratur. Serm. 8, *de SS. Apost.*

60. Virtus est armatura tam fortis, quod omnia vincit, et nunquam vincitur vel superatur. Tit. 5 *Diætæ*, cap. 1.

61. Laudabilis est virtus, quia magnæ est dignitatis, Christum enim doctorem habuit : quia magnæ sublimitatis, altissimis enim est defixa radicibus : quia magnæ jucunditatis, quia magnæ retributionis, quia magnæ utilitatis, quia magnæ securitatis. Lib. 5, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 9.

BRUNO. 62. Cibus animæ virtutes sunt. Sup. *Psalm.* LXXX.

63. Virtus quæ habet infirmitatem contrariam, cum qua legitime certet, ut postea coronetur, perfecta est. Super II *Cor.* XII.

SIODOR. 64. Sancti ditantur virtutibus, non dominantur. Super *Psalm.* LXXXVIII, vers. 7.

65. Mors criminum, vita virtutum. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 3.

YRILLUS ALEX. 66. Aspera est ac difficilis ad virtutem via, nec multis pervia : iis vero tantummodo plana et facilis, qui per eam contento cursu pergunt, neque quidquam metuentes cum laboribus luctantur. Homil. 19, *de Festis Paschal.*

S. DIADOCH. 67. Via virtutis, iis qui veritatem amare incipiunt, aspera et molesta apparet, iis vero qui medium ejus transire possunt, tota lenis et expedita ostenditur. *De perfect. spirit.*, cap. 93.

DIONYSIUS CARTHUS. 68. Non potest bene judicare de operibus virtutis, qui habitum virtutis non habet, actus namque virtutis ex virtute procedit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, art. 5.

69. Virtus laudata augetur in bonis. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. 4, art. 4.

70. Vestimenta animæ virtutes sunt, quibus mens decoratur, et contra frigora vitiorum, atque ardores concupiscentiarum ac tentationum munitur. Super *Apocalyps.*, cap. 3, art. 4.

S. EPHRÆM. 71. Ab excolenda virtute non te deterreat labor, absque labore enim virtus comparari non potest. *De Recta vivendi ratione*, cap. 23.

72. Virtus regali purpuræ similis est, cui nihil alienum attexi potest. *De Humilit. comparanda*, cap. 59.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 73. Quantum a vitiis recesseris, tantum virtutibus propinquabis. Homil. 3 *Epiphan.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 74. Longe damnosius et periculosius est abuti, quam carere virtutibus : nec major est virtus, bona quærere, quam parta tueri. In suis *Opusc.*, oraculo 14.

GILLEBERT. ANGLUS. 75. Virtutes ipsæ suapte natura intus in animo locatæ sunt. Serm. 22, super *Cant.*

GLOSS. DECR. 76. Anima sine virtutibus corruit. In *Decret. Gratiani.*

77. Virtus est medium vitiorum : sed in omnibus medium servare, ultra hominem est; ideoque summe virtuosus nemo dicendus est. In suis *Decret. Gratiani.*

GLOSS. ORD. 78. Decet ut qui majoris est gradus, pluribus virtutum actibus mirandus fulgeat. Super *Exod.*, cap. 28.

79. Altior professio virtutis, altiorem debet tenere viam vivendi. Super III *Reg.*, cap. 716.

80. Proprium est hominum virtute carentium, ut illius adeptionem molestam et arduam credant, ut propemodum a nemine possit haberi. Super *Job*, cap. XV.

GLOSS. INT. 81. Virtutibus non ditatur, cujus mentem non inhabitat Deus. *Ibid.*, cap. 15.

82. Per adversa, virtutum merita patefiunt. *Ibid.*, cap. 33.

GLOSS. ORD. 83. Ad summam virtutum non potentia venitur, sed humilitate. Super *Luc.*, cap. XXII.

S. GREGOR. MAGNUS. 84. Necesse est ut perfectus vir quisque prius virtutibus mentem exerceat, ut hanc postmodum in horreum quietis condat. Lib. 6 *Moral.*, cap. 17.

85. Magnum est animi turbati solatium, ut pulsatus vitiis, cum se quasi nudari virtutibus conspicit, ad solam misericordiæ spem recurrat, et eo

se nudari non sinat, quo se a virtutibus humiliter nudum putat. *Ibid.*, lib. 2, cap. 27.

86. Quisquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet, cum vitiis ex aliqua parte subjacet : nec si ex alia vitiis subditur, non hoc est solidum, ubi stare putatur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 1.

87. Virtus cum indiscrete tenetur, amittitur : cum discrete intermittitur, plus tenetur. *Ibid.*, lib. 28, cap. 6.

88. Sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur : ita vita nostra in virtutibus, virtutes vero in intima intentione, subsistunt. *Ibid.*, num. 13, super illud *Job* XXXVIII : *Super quo bases illius*, etc.

89. Pravi quo plus se quasi in virtutibus erigunt, eo in gloriæ inanis foveam profundius cadunt. *Ibid.*

90. Ipsa virtus ante Dei oculos virtus non est, dum abscondit quod displicet, prodit quod placet. *Ibid.*, lib. 34, cap. 13.

91. Quibusdam sæpe magnitudo virtutis occasio perditionis fuit, ut cum de confidentia virium inordinate securitate securi sunt, inopinate per negligentiam morerentur. Part. 2 *Pastor.*, cap. 1.

92. Virtus dum vitiis renititur, quadam delectatione ejus sibimetipsi animus blanditur. *Ibid.*

93. Fiducia suæ pulchritudinis animus attollitur, cum de virtutum meritis læta apud se securitate gloriatur. *Ibid.*

94. Unusquisque tanto melius ad culmen virtutum pervenit, quanto per negligentiarum circuitus non divertitur. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. II.

S. GREGOR. NAZ. 95. Virtus pretium non curat, sed solum ad id quod honestum est respicit, quo permaneat virtus. Orat. 26.

96. Noli parva lance virtutem ponderare. Et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 19.

S. GREGOR. NYSS. 97. Domino caret virtus, et est voluntaria, et ab omni necessitate libera. Homil. 5, super *Cant.*

HAYMO. 98. Frequenter virtus quæ sine observatione agitur, in vitium convertitur. Serm. *Dom.* 20, *post Pent.*

S. HIERON. 99. Virtus semper invidiæ patet. Epist. 8, *ad Demetriad.*

100. Philosophorum sententia est ; moderatas esse virtutes : excedentes autem modum atque mensuram, inter vitia deputari. *Ibid.*

101. Non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta, sic Deum delectant, ut anima ornata virtutibus. Epist. 14, *ad Celantiam.*

102. Aliud est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem : aliud est umbram sequi, aliud veritatem. *Ibid.*

103. Celata virtus, et conscientiæ fota secreto Deum solum judicem respicit. Epist. 30, *ad Oceanum.*

104. Multi virtutis umbram, veritatem ejus sequuntur pauci. Epist. 1, *ad Demetriad.*

105. Nunquam virtus documentis eruditur mollioribus, cum perierint maximarum exempla virtutum. Epist. 6, *ad Amicum.*

106. Ad summitatem virtutum non potentia, sed, humilitate venitur. Lib. 3, super *Matth.*, cap. XX, cap. 2, num 203, super illud : *Quicunque voluerit*, etc.

107. Sine Christo omnis virtus in vitio est. Lib. 2, super *Epist. ad Galat.*, cap. III, super illud : *Justus ex fide vivit.*

HUGO A VICTO[RE] 108. Minus periculosum est virtutem perdere, quam de virtute superbire. *Prosec.*

109. Qui virtutem perdit, saltem detrimentum suum agnoscit : qui autem de virtute superbit, damnum tolerat et ignorat. Super *Thren.*, in illud II : *Vide Domine*, etc.

110. Nulla virtus vera, nisi quæ formatur agnitione æternæ veritatis. *De quæst. circa Epist. ad Rom.*, quæst. 324.

HUGO C[ARD.] 111. Virtutum deserit consortium, qui speciem eligit, non veritatem. Super *Gen.*, cap. 13.

112. Ille fructus congregat, qui licet in virtutibus crescat tamen in omnibus humilitatem servat. Super *Levit.*, cap 19.

113. Virtus est fructus Dei, ut arboris animæ sive rationis, ut subjecti : hominis, ut possidentis. Super *Epistolam ad Galat.*, cap. 5.

JOAN. C[ASS.] 114. Nulla virtus potest immobiliter ab homine possideri, sed ut parata jugiter teneatur : necesse est eam semper illa qua acquisita est sedulitate atque industria, et (quod magis verum est) juvantis gratiæ beneficio custodiri. Collat. 6 *Abbat. Theodori*, cap. 16.

115. Humana nihil est virtus, si eam virtus divina non juverit. Collat. 12, *Abbat. Chæremonis*, cap. 15.

116. Impossibile est unum eumdemque hominem simul universis fulgere virtutibus. Collat. 14 *Abbat. Nesterotis*, cap. 6.

117. Virtutes non occultatione vitiorum, sed expugnatione pariuntur. Collat. 18 *Abbat. Piammonis*, cap. 8..

118. Nemo divinam virtutem potest tribuere in munificentia, nisi qui habuerit in natura. Lib. 7, *de Incarnat.*, cap. 20.

S. JOAN[.] CHRYSO[ST.] 119. Virtus licet infestetur, et innumera gravia sustineat, ea occasione illustrior fit, et clarior. Homil. 21, super *Gen.*

120. Tanta res est virtus, tam immortalis, tam invicta, tam nihil cedens hujus vitæ inæqualita-

tibus; ut super malitiæ retia volitans, quasi e sublimi specula quadam sic omnia humana despiciens, nihil quod aliis molestum est, sentiat. *Ibid.*, homil. 23.

121. Virtus est per seipsam admirabilis, quod si quis illam in medio prohibentium colat, multo admirabiliorem se ostendit. *Ibid.*

122. Contra virtutem insanit malitia, cui non solum nihil nocet, sed et infestando fortiorem reddit. *Ibid.*

123. Tantum virtutis est robur, ut cum impugnatur, fiat potentior. *Ibid.*

124. Tam fortis invictaque res est virtus, ut dum patitur, affligentes vincat. *Ibid.*

125. Impossibile est, ut qui angustam et arctam virtutis viam ambulat, ab omnibus laudetur et admirationi sit. *Ibid.*

126. Miseri sunt, qui propter humanam laudem, virtutem negligunt : est enim illa excellens malitia virtuti adversari. *Ibid.*

127. Tanta, tamque valida res est virtus, tamque imbecillis malitia, ut illa quidem licet patiatur, vincat : hæc vero etsi quid faciat, nihil proficit, quam quod suam prodit infirmitatem. *Ibid.*

128. Tanta res est virtus : nam ubicunque illa apparuerit, omnibus dominatur et prævalet. *Ibid.* homil. 62.

129. Quemadmodum margarita etiamsi in cœno obruatur, nihilominus nativam pulchritudinem retinet : sic virtus, quocumque eam projiceris, suam vim exerit ; sive in servitute, sive in carcere, sive in afflictione, sive in prosperitate. *Ibid.*, homil. 63.

130. Qui virtute præditus est, dum in meliorem vitam transit, accipit laborum suorum præmia. *Prosec.*

131. Qui virtute caret, dum moritur, initia et præambula suppliciorum jam accipiens, malis nunquam finiendis involvitur. *Ibid.*, homil. 66.

132. Virtus thesaurus est, qui nunquam valet consumi : thesaurus non hominum dolis, nec latronum insidiis imminui valens, sed perpetuo manens. *Ibid.*

133. Nihil virtuti par, nihil virtute potentius : quid enim illi prodesse poterit purpura, qui virtutem sua desidia perdit ? *Ibid.*

134. Nihil ita sublimiorem atque altiorem mentem hominis reddit, sicut justitiæ atque virtutis possessio. Homil. 39, super *Matth. oper. perf.*

135. Omnes virtutes spirituales, res sunt angelicæ. Homil. 42, super *Matth. oper imperf.*

136. Virtus contraria est vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, impudicis inimica castitas, corruptis integritas pœna, luxuriosis adversa frugalitas, crudelibus dura misericordia, impiis pietas non ferenda. Homil. 15, *ex Divers.*

137. Qui virtuti studet, et Deum timet, is sapientissimus est, virtus enim, fons, mater, et radixsapientiæ est : qui vero hac vera caret sapienta, stultissimus est. Homil. 40 super *Joan.*

138. Sicut ubi fragrantia est, ibi non habet locum graveolentia : ita ubi sanctum est unguentum virtutum, ibi suffocatur dæmon, animam recreat et odorem effundit. Homil. 35, super *Acta Apost.*

139. Virtus nihil aliud, quam solidam voluptatem et dulcem securitatem habet. Homil. 53, super I, *Cor.*

140. Vir dejecti animi, adhærere diu virtuti non potest, quia efffugere vitia non valet. *Ibid.*, homil. 38.

141. Nihil virtute purius, nihil malitia impurius : nam illa sole fulgidior est, hæc vero luto fœtidior. Homil. 28, super II *Cor.*

142. Diabolus quando virtute nudum reperit quempiam, mox faciem polluit et obscurat. Serm. 13 super *Epist. ad Ephes.*

143. Non est molesta virtus, nec difficilis acquisitu. *Ibid.*

144. Nihil virtute suavius. Homil. 12 super *Epist. ad Coloss.*

145. Quemadmodum unguentum odoriferum fragantiam suam in seipso non detinet occlusam, sed protinus illam emittit, et aerem odore penetrans, vicinorum quoque sensus occupat ita generosi et præclari viri virtutem suam in seipsis clausam non habent, sed fama sua multos juvant et odorant. Homil. 2, super I. *Thessal.*

146. Nihil virtute suavius, nihil dulcius, nihil jucundius. Homil. 4, super *Epist. ad Tit.*

147. Facillima profecto virtus est : non hic viribus corporis, non opibus, non pecuniis, non potentia, non amicitia, non alia quavis re opus est, solum velle sufficit. Homil. 1 super *Epist. ad Philem.*

148. Tunc diabolus sævior efficitur, tunc magis efferatur, cum viderit virtutis onera composita, et magnos acervos virtutum, tunc gravius inferre naufragium studet. Homil. 1, *ad Popul. Antiochen.*

149. Talis res virtus est, ut nequam etiam homines et admirentur ipsam et laudent. Homil. 49, super *Matth. oper. perf.*

150. Virtus ubique lucet, et inexpugnabilis est, et nihil eam impedire potest. Serm. 12, super *Epist. ad Philipp.*

151. Sola virtus nobiscum migrare consuevit, virtus sola ad æternam vitam pertransit. Homil. 2, super *Epist.* I *ad Tim.*

S. JOAN. DAM. 152. Fieri nequit, ut qui virtuti dat operam, non multos hostes habeat. Hab. apud D. Joan., Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 87.

153. Neque apud pisces vox, neque apud stultos virtus quærenda est. Lib. 1, *Parall.*, cap. 24.

154. Virtus in rebus minime exercitata, rebus adversis facile deletur. *Ibid.*

JOAN.GERS. 155. Virtus dum incipit, levissimo flatu convellitur : inveterata autem, sua stabilitate nixa consistit. *De Dist. verar. visionum a falsis*, verbo *Itaque*.

156. Virtus consistit, alia in actu, alia in effectu. Virtus in actu, virtus est; virtus in effectu, virtus virtutis est. Serm. *De verb. Dom.*

157. Virtus quantalibet proferatur in actu, aut nulla, nisi etiam de cordis emittatur affectu. *Ibid.*

158. Quanto virtus est altior, tanto ad ampliora se extendit. *De puella equitante in armis*, divis. 2, proposit. 2.

159. Inquirimus quid sit virtus, non ut sciamus, sed ut boni efficiamur. Tract. 7, super *Magnificat*, notula 2.

JOAN. TRITH. 160. Qui virtutes colit, ille liberrimus est. In cap. 2, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Caput.*

161. Virtus non displicet, nisi perversis. Orat. 2, in *Conventu Abbat. habita.*

S. ISIDORUS HISPAL. 162. Ad virtutum tendentes culmen, non a summis inchoant; sed a modicis, ut sensim ad latoria pertingant. Lib. 2, *de summo bono*, cap. 86, sent. 2.

163. Sicut paulatim homo a minimis vitiis, in maxima proruit : ita a modicis virtutibus gradatim ad ea quæ sunt excelsa conscendit : qui autem inordinate virtutes comprehendere nititur, cito periclitatur. *Ibid.*, sent. 3.

164. Prius extirpanda sunt vitia in homine, deinde inferendæ virtutes. *Ibid.*, sent. 6.

165. Vis virtutes tuas augeri ? noli prodere : occulta virtutes pro elatione, absconde pro arrogantia. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 2.

166. Virtus est animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum pietas, cultus divinitatis, honor hominis, æternæ beatitudinis meritum. Super *Genes.*, cap. 3.

S.ISID.PEL. 167. Non minoris, quam virtutes ipsæ, laudis est : cum ex virtute aliquid geras, minime tamen te gessisse arbitrari. Lib. 3, epist. 373, *ad Hermian.*

168. Qui virtutes magnas reddere cupit, ne eas magnas esse existimet, ac tum magnæ erunt. *Ibid.*

LACT. FIRM. 169. Via virtutis angusta est, quoniam paucioribus datur : et ardua, quoniam ad bonum (quod summum et sublime est) nisi cum summa difficultate et labore non potest perveniri. Lib. 6, *de Divin. Intit.*, cap. 7.

170. Virtus per mala et probatur, et constat; vitia per voluptatem. *De Ira Dei*, cap. 20.

171. Virtutibus amaritudo mixta est. Lib 1, *de Divin. inst.*, cap. 1.

172. Virtus colenda est, non imago virtutis; et colenda est non sacrificio aliquo, aut thure, aut precatione solemni, sed voluntate sola atque proposito. *Ibid.*, cap. 20.

173. Qui virtutes colunt ut umbram, imagines virtutum consectantur, et ea ipsa quæ vera sunt, tenere non possunt. *Ibid.*

174. Nihil virtute pulchrius inveniri potest. *Ibid*,. lib. 3 cap. 2.

175. Non potest fieri, ut sit miser, qui virtute est prædit us. *Ibid.*, cap. 12.

176. Virtutis præmium, beata vita est, si virtus beatam vitam facit. *Ibid.*

177. Nullus ex virtute fructus est, ubi virtus mortalis est et caduca. *Ibid.*, cap. 27.

178. Virtus nisi agitetur, nisi assidua vexatione roboretur, non potest esse perfecta. *Ibid.*, cap. 29.

179. Virtus nulla est, si adversarius desit. *Ibid.*

180. Virtus perfecta non est, nisi exerceatur adversis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 7.

181. Nemo dives est, nisi qui virtutibus plenus est. *Ibid.*, lib. 5, cap. 23.

182. Virtutis expers, vitio peccatoque subjectus est : et fragilitatis oblitus, animo insolenter elato, tumet. *Ibid.*, lib. 5, cap. 23.

183. Virtus incertis casibus non potest esse subjecta. *Ibid.*, lib. 6, cap. 6.

184. Nemo virtuti favet, nisi qui sequi potest : sequi autem non facile est omnibus : ii possunt, quos paupertas et rerum indigentia exercuit, et capaces virtutis effecit. *Prosec.*

185. Si virtus est tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem, qui semper in bonis fuerunt, et mala non sunt experti. *Ibid.*, lib. 7, cap. 1.

186. Virtutis via non capit magna onera portantes. *Ibid.*

187. Virtus nunquam nisi morte finitur : quia cum finita est virtus, merces ejus sequitur. *Ibid.*, cap. 10.

188. Sicut victoria constare sine certamine non potest, sic nec virtus quidem ipsa sine hoste. *De Opificio Dei*, cap. 20.

189. Virtute si quis insignitus non fuerit, veritatis lumini cum apparebit (rubore suffusus) discedet inglorius. *De casto Connub.*, cap. 25. S.LAUREN. JUSTIN.

190. Præmittenda est virtus, quæ caret confusione. *Ibid.*

191. Arduum virtutis est iter, et sublime perfectionis ipsius fastigium : facile in eo languet

animus, et resilit ab eo, nisi virtutis irrigetur dulcedine. *Ibid.*

192. Etsi foras interdum iniquorum sermonibus virtus improbetur, cogitationibus tamen semper intus attollitur. *De Triumphali Christi agone*, cap. 8.

192 *bis*. Virtutes divitiæ imprædabiles sunt, omni inquirendæ tempore, ubique extollendæ colendæque. *Prosec.*

193. Quo pergit cultor possessorque virtutis, odoris miri ex se spargit fragrantiam, inter barbaros, apud exteras nationes securus est. *Ibid.*, cap. 12.

LEO I.

194. Tunc in nobis bene virtutum semina nutriuntur, quando ab agro cordis nostri omne germen externum evellitur. Serm. 1 *Quadrag.*

NILUS.

195. Si vis virtuti citra laborem studere, cogita laborem temporaneum esse, mercedem vero æternam. *Parænes.* 165.

196. Virtutem cole, non ut decipias, sed ut juves videntes. *Ibid.*, parænes. 181.

GENES.

197. Virtus non habens aliquid contrarium, non clarescit, nec splendidior et examinatior fit. *Prosec.*

198. Non probata, nec examinata virtus, nec virtus est. Homil. 14, in cap. 23.

199. Virtus nonnisi exercitiis, et labore conquiritur : nec tantum in prosperis, quantum in adversis probatur. *Ibid.*, homil. 27, in cap. 33.

.CELL.

200. Virtutum prædicatio, Dei est glorificatio. Lib. 2, Epist. 10, *ad Abbatissam quamdam.*

201. Jacet virtus sine palæstra. Ubi deest lucta, virtus videtur quasi discincta. Mollis et tenera est, cum in lectulo prosperitatis extenuatur. Sumit suum habitum, imo seipsam, cum obviaverit quod evincendum est. Exerta concurrit, ubi de victoria palmam reperit. Provocata melior, lacessita recentior, subito deprehensa et moderatior et cautior efficitur. Non turbatur repentino incursu, non frangitur hostium coacervato exercitu. Non senescit debilitate, sed consenescit maturitate *Ibid.*, lib. 2, epist. 9, *ad Robert. abbat.*

202. Virtus adversarium infestatione lacessita flore vernat et fructu. *Ibid.*, lib. 5, epist. 4.

203. Virtus in occultis suis pretiosior, emendicatis recusat offuscari nitoribus. *Prosec.*

204. Pudet eam alienis onerari magis, quam honorari splendoribus.

205. Nuda formosior est, aperta decentior, intuita coruscis luminibus pulchrior, repetita, iterum iterumque appetibilior.

206. Tactum molliorem aspernatur, blandimentis lenocinantium exasperatur.

207. Repudiat simulatorem, hypocritam anathematizat, nescit mercenarium.

208. Luce lustrata, potius ipsam illustrat, quam ab ipsa illustretur. *De Panibus*, cap. 16.

209. Virtus bravium est agonizantium, triumphantium palma, sceptrum repugnantium, corona Sanctorum, deitatis instrumentum. *Prosec.*

210. Hæc nunquam senescit, sed augmento temporis proficiens adolescit. *Ibid.*

S. PETRUS CHRYSOL.

211. Thesaurum qui non abscondit, prodit : virtutes proditæ non manebunt. *Prosec.*

212. Virtutes sicut proditores suos deserunt, sic suos instant custodire custodes. Serm. 7.

213. Omnia quæ de usu veniunt, non fatigant : virtus, exercitio perseverat. *Ibid.*, serm. 28.

S. PETRUS DAMIANUS.

214. Virtus in pace acquiritur, in persecutione probatur, approbatur in gloria. Serm. 40, *de Assumpt. B. M. V.*

215. Periit pudor, honestas evanuit, Religio cecidit, et velut fracto agmine, omnium sanctarum virtutum turba procul abscessit. *Opusc.*, 12, cap. 1.

PHILO JUD.

216. Unaquæque virtus princeps et regina est. Lib. *Legis allegor.*

217. Virtuti convenit pax, voluptas, gaudium, in quibus sunt veræ deliciæ. *Ibid.*

218. Est virtus ars totius vitæ omnes actiones in se continens. *Ibid.*

219. Virtuti parere decet. Lib. *de Cherubin.*

220. Quod ex virtute percipimus, felicitas est, ut non frustra eam possideamus. Lib. *De eo quod deterius potiori insidiari soleat.*

221. Qui virtutem sectatur, deliciis huic convenientibus fruitur. *Ibid.*

222. Virtus est alimentum amantium. *Ibid.*

223. Sicut oriens sol totum cœlum radiis illustrat, eodem modo etiam virtutes habent suos radios, cujus mentem penetrando totam eam reddunt lucidissimam. *De Plant. Noe.*

224. Etiam pessimus quisque virtutem verbis honorat, et extollit in speciem, sed monita ejus nemo nisi probus recipit. *De Abraham.*

225. Virtus res est mitis, benigna, socialis, omnibus modis parata generosis animis prodesse. *De congressu quærendæ eruditionis gratia.*

226. Sicut in nuce idem est finis et principium; in quantum semen initium, in quantum fructus finis : sic et in virtutibus, unaquæque et finis est et principium, principium, quia non aliunde, quam ex seipsa oritur : finis, quia vita tendit ad eam naturaliter. *Prosec.*

227. Nucis extremum putamen est amarum, ligneus cortex interior est austerus et solidus; quo fit ut fructus non sit in promptu clausus utroque munimine; hac figura docetur anima

exercens se in virtutis studio, esse opus laboribus.

228. Labor autem durus et difficilis, unde felicitas provenit, quapropter perdurandum est : nam qui fugit laborem, fugit felicitatem : e diverso qui fortiter patienterque difficultates tolerat, ad beatitudinem properat.

229. Nan fieri non potest, ut homo delicatus et effeminatus animo, corpore quoque labefactato quotidianis voluptatibus, virtuti domicilium præbeat. Lib. 3, *de Vita Mosis.*

230. Bonum utileque est ad virtutem transfugere, deserta malitia, velut insidiosa domina. *De Charitate.*

231. Virtus, vera bonorum virorum patria est. *De Nobilit.*

232. Vitium suapte natura late patet, ideo vulgo notissimum : virtus autem ita rara est, ut vix paucis contingat. *De Abraham.*

233. Sicut sol exortus caliginosum aerem replet luce : sic etiam virtus exorta in anima, caliginem ejus illustrat, et multum tenebrarum discutit. Lib. 1, *Legis Allegor.*

234. Civitas sapientum propria virtus ipsa est. *Ibid.*, lib. 2.

235. Virtutis exul, statim abscondit se a Deo. *Ibid.*

236. Uuicuique nostrum lex esto, quidquid virtuti placet : nam si omnia quæcunque monet virtus, audire voluerimus, felices erimus. *Ibid.*

237. Virtus non late inter mortales diffunditur. *De Fortitud.*

238. Miseri, qui se alienant a virtutis epulo : cum liceat deliciari et hilariter degere in sanctitate ac justitia. Lib. *de Victimis.*

239. Virtus libenter prodest publice omnibus. Lib. *Quod omnis probus liber fit.*

240. Omnium confessione constat bonum esse parere virtuti, atque etiam utile : sicut contra non parere, turpe simul ac inutile. Lib. *de Tumulent.*

241. Virtus onerosa est vitioso. Lib. 2, *de Vita contempla.*, cap. 5.

242. Sicut virtus animam sibi veraciter inhærentem, si fuerit vera, justificat, ita simulata condemnat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1.

243. Si virtus habitat in animo vitioso, superbia humilitatis cedit imperio : quia non potest mens regnum babere virtutum, nisi prius jugum excusserit vitiorum. *Prosec.*

244. Tunc vitia fideliter expectorata discedunt, si virtutibus cedant : alioquin vel subsidunt ad tempus ejecta, vel redeunt, nisi virtutes in locis vitiorum, quæ fuerint depulsa, successerint. *Ibid.*, cap. 3.

245. Virtutum munia, otiosa esse non possunt. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 35.

246. Omnis virtus res est divina incorporea prorsus atque mundissima. Quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaculat. Cujus participatione formantur informia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur prava, reconciliantur aversa. Hanc non habet, nisi Deus, et cui is dederit Deus. Quæ in animo habitat, sed animum corpusque sanctificat. Ad quam nullus accedit invitus, quam nullus amittit, nisi propria voluntate deceptus. Lib. 3, *de Vita comtemplativa,* cap. 16.

S. SYNES EPISCOPI

247. Nequitiæ generi omni adversari nihil aliud est, quam esse generi omni virtutis affinem. Epist. 94, *ad Fratrem.*

TERTUL.

248. Virtus duritia extruitur, mollitia vero destruitur. *Ad Martyres,* cap. 3.

THALASS.

249. Ut carnales virtutes humanam, ita et spirituales Dei gloriam contrahunt. *Hecatontad.* 1, sent. 10.

S. THEOD.

250. Nemo confidat de virtute majorum, cum illorum virtutum non æmuletur. Lib. 5, super *Hierem.*, cap. 22.

S. THOM AQUINA

251. Tunc plena est vita, quando est virtuosa. *Opusc.* 9, *de Decem præcept.*, præcept. 4, verbo *Honorat.*

THOMA A KEMPI

252. Sine labore et certamine, virtus non acquiritur, nec sine cautione custoditur. In *Hortulo Rosar.*, cap. 2, sect. 2.

S. VALERI EPISCOPI

253. Nulla deliciosis militibus virtutum patet janua. Homil. 2, *de Arcta vita.*

254. Virtus magna in minoribus semper experimentum capit. Homil. 16, *de Bono Martyr.*

IN VITI PATR.

255. Sicut thesaurus manifestatus minuitur, ita et virtus publicata deperit. Lib. 3, de num. 114.

256. Hominum virtus non in natura consistit (hæc enim variabilis est) sed in proposito pietatis, et in Dei adjutorio. Lib. 10, cap. 144.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOT

257. Virtus perfectio quædam est. Lib. 7, *Phys.*, cap. 3, tex. 18.

258, Quod virtute comparatur, divinissimum esse videtur. *Ibid.*, cap. 9.

258. *bis.* Qui nullo sunt principio labefactati, idonei sunt ad consequendam virtutem. *Ibid.*

259. Non natura, neque præter naturam virtutes in nobis efficiuntur : sed idonei quidem ad ipsas suscipiendas sumus natura. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

260. Virtutes non accipimus, nisi operati prius: quemadmodum et in artibus, justa enim agentes justi et modesta modesti, fortiaque fortes efficimur. *Ibid.*

261. Non ut sciamus quidnam sit virtus, sed ut efficiamur boni, consideremus, nam nulla ipsius esset utilitas. *Ibid.*

262. Qui bene virtutibus utitur, bonus erit : qui vero male, malus. *Ibid.*

263. Virtus mediocritas est quædam, cum sit ipsius medii conjectatrix. *Ibib.*, cap. 6.

264. Virtus medium ipsum et invenit et expetit : quapropter ipsa virtus, mediocritas est. *Ibid.*

265. Virtutis studiosus homo, recte singula judicat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 4.

266. Id quod per virtutem efficitur, afficit voluptate; aut fit cum indolentia sane, minime vero affert dolorem. *Ibid.*, lib. 4, cap. 1.

267. Optimus est, non qui ad seipsum, sed qui ad alium utitur ipsa virtute, hoc enim est opus difficile. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

268. Non de virtute scire sat est, sed enitendum est ipsam habere ac uti. *Ibid.*, lib. 10, cap. 9.

269. Virtutis studiosus vir, et paupertate, et morbo, et aliis fortunæ adversitatibus laudabiliter utitur. Lib. 7 *Polit.*, cap. 13.

270. In anima est virtus, et virtus in unoquoque cujus est virtus idem facit. Lib. 1, *Magnor. Moral.*, cap. 4.

271. Nihil virtute melius. *Ibid.*, cap. 19.

272. Virtutem perfectam esse dicimus, neque virtus virtuti adversabitur. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3.

273. Virtus optimus habitus est, quocirca operatio a virtute præstantissimum bonum est. Lib. 2, *Ethic. ad Eudomium.*

274. Perspicuum est, et virtutis effectiva : quoniam ad virtutem, et quæ a virtute fiunt, laudabilia esse. Lib. 1 *Rhetor.*, cap. 9.

275. Nullam virtutem moralem insitam nobis esse a natura perspicuum est. Lib. 2, *de Moribus*, cap. 1.

ERO. 276. Est ad virtutem multus ascensus, ut is gloria maxime excellat, qui virtute plurimum præstat. Orat. 31, *pro Plancio*, num. 60.

277. Habet hoc virtus, ut viros fortes species ejus et pulchritudo etiam in hoste posita delectet. Orat. 37, *in Pisonem.*

278. Omnia falsa sunt, incerta, caduca : virtus autem una est altissimis defixa radicibus, quæ nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri. Grat. 56, *Philipp.* 4, num. 13.

279. Omnia consilia atque facta ad virtutem referamus. *Ibid.*

280. Nihil est (mihi crede) virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Lib. 9, epist. 14 *ad Dolabellam.*

281. In ipsa virtute optimum, quidquid rarissimum est. Lib. 2, *de Finibus*, num. 81.

282. Nihil præter virtutem in bonis ducendum est. *Ibid.*, lib. 3.

283. Magna vis est in virtutibus : eas excita, si forte dormiunt, et jam tibi aderunt. Lib. 3 *Tusc. quæst.*, num. 36.

284. Nescis (insane) nescis, quantas vires virtus habeat : nomen tantum virtutis usurpas, quid ipsa, valeat, ignoras. *De Paradox.*, cap. 3.

285. Virtutis laus omnis in actione consistit. Lib. 1 *Offic.*

286. Nihil virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum. *De Amicitia.*

287. Virtute ipsa non tam multi præditi esse, quam videri volunt. *Ibid.*

288. Quis dubitet quod in virtute divitiæ sint, quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti, pluris quam virtus æstimanda est. *De Paradox.*, cap. 6.

289. Quam est æstimanda virtus, quæ nec eripi nec surripi potest, neque suffragio, neque incendio amittitur, nec tempestatum, nec temporum perturbatione mutatur! *Prosec.*

290. Qua præditi qui sunt, soli sunt divites : soli enim possident res et fructuosas et sempiternas. *Ibid.*

291. Omnibus virtutibus instructos et ornatos, tum viros bonos dicimus. Lib. 5 *Tusc. quæst.*

292. Existiment homines virtutem studio PLATO.
et opera comparari posse. In *dialogo Protagoræ.*

293. Animus, qui suum propriumque ordinem et ornatum habet, scilicet virtutem, melior est illo, qui ordinis et ornatus virtutum expers est. *De Rhetor.*

294. Virtutis præceptores tam rari sunt, ut nusquam compareant : si vero minime inveniuntur virtutis præceptores, neque profecto discipuli. *de Virtute.*

295. Virtus neque natura, neque disciplinæ institutis ullis, atque doctrinæ extitit, sed divinæ cujusdam sortis numine absque humanæ mentis providentia atque industria iis accidit, quibus accidit. *Ibid.*

296. Si qua in re quapiam elaboretis, cum virtute semper elaboretis; illudque adeo sit vobis ratum fixumque, cætera omnia virtutis studio auspicioque destituta, turpia esse et mala. *Prosec.*

297. Neque enim divitiæ sine virtute afferunt pulchritudinem possidenti : neque corporis vel pulchritudo vel robur, si in malo et ignavo homine habitarint, virtute destituto, illum decent, sed plane turpiori nævo hæc indecora apparent. In *dialogo Menexeno.*

298. Virtus sola extra omnem servitutis noxam

est libera plane et servire nescia. Lib. 10, *de Republ.*

299. Virtute cæteros antecellere, eximia laus est. Lib. 5, *de Legibus.*

300. Corporis virtus animi virtuti subjiciatur. Epist. 8, *ad Dionem.*

SENECA. 301. Sæpe honorata virtus est; etiam ubi eam impellit exitus : nec infelix virtus amittit gloriæ tumulum, nec gloriam virtutis intercipit fortuita felicitas. Lib. 6, *Declamat.*, controv. 7.

302. Marcet sine adversario virtus, tunc apparet quanta sit, quantum valeat polleatque, cum quid possit, patientia ostendit. *De Divina provid.*, cap. 2.

303. Avida est periculi virtus; et quo tendat, non quid passura sit, cogitat : quoniam et quod passura est, gloriæ pars est. *Ibid.*, cap. 4.

304. Ardua prima via est virtutis. *Ibid.*, cap. 5.

305. Sola sublimis et excelsa virtus est. Lib. 1, *de Ira*, cap. 16.

306. Arduum in virtutes, et asperum iter est. *Ibid.*, lib. 2, cap. 13.

307. Omnium virtutum tutela facilior est, vitia magno coluntur. *Ibid.*

308. Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit. Lib. 1, *de Clementia ad Neron.*, cap. 12.

309. Nulla virtus virtuti contraria est. Lib. 2, *de Clementia ad Neron.*, cap. 3.

310. Altum quiddam est virtus, excelsum, regale, invictum, infatigabile. *De beata vita*, cap. 7.

311. Interrogas quid petam ex virtute? ipsam, nihil enim est melius, ipsa pretium sui est. *Ibid.*, cap. 9.

312. Quisquis ad virtutem accessit, dedit generosæ indolis spem. *Ibid.*, cap. 13.

313. Agedum, virtus antecedat, tutum erit omne vestigium. *Ibid.*

314. In virtute non est verendum, ne quid nimium sit : quia in ipsa est modus. *Ibid.*

315. Virtus libera est, inviolabilis, immota, inconcussa : sic contra casus indurata, ut nec inclinari quidem, ne dum vinci possit. *De constant. sapient.*, cap. 5.

316. Cum semel animum virtus induravit, undique invulnerabilem præstat. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 13.

317. Nulla præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat : non eligit domum nec sensum, nudo homine contenta est. Lib. 3, *de Benefic.*, cap. 18.

318. Non recipit sordidum virtus amatorem, soluto ad illam sinu veniendum est. Lib. 4, *de Benef.*, cap. 24.

319. Quemadmodum facilis virtutum tutela est, ita initium ad illas eundi arduum. Epist. 50.

320. Virtus nullo honestamento eget, ipsa et magnum sui decus est. Epist. 66.

321. Omnibus virtutibus una virtus subest, quæ animum rectum præstat. *Prosec.*

322. Virtus in omnibus par est, virtutem materia non mutat : nec pejorem facit dura et difficilis, nec meliorem hilaris et læta. *Ibid.*

323. Quemadmodum minora lumina claritas solis obscurat : sic dolores, molestias, injurias, virtus magnitudine sua elidit atque opprimit : et quocumque affulsit, ibi quidquid sine illa apparet, extinguitur : nec magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderint, quam in mari nimbus. *Ibid.*

324. Æque laudabilis est virtus in corpore valido ac libero posita, quam in morbido ac vincto. *Ibid.*

325. Virtus non est aliud, quam recta ratio. *Ibid.*

326. Nihil est virtute præstantius, nihil pulchrius : et bonum est, et optabile quidquid ex hujus geritur imperio. Epist. 67.

327. Omnis virtus, et opus omne virtutis incorruptum manet. Epist. 74.

328. Nulla virtus latet, et si videtur latuisse, non est ipsius damnum ; veniet qui conditam dies publicet. Epist. 79.

329. Virtutum omnium pretium in ipsis est : recte facti, fecisse merces est. Epist. 81.

330. Virtus extollit hominem et super cara mortalibus collocat; nec ea quæ bona vocantur cupit nimis, nec ea quæ mala, expavescit. Epist. 87.

331. Nec Philosophia sine virtute est nec sine Philosophia virtus est. Philosophia studium virtutis est, sed per ipsam virtutem : nec virtus esse sine studio sui potest? nec virtutis studium sine ipsa. Epist. 89.

332. Non dat naturam virtutem ; ars est, bonum fieri. Epist. 90.

333. Virtus non contingit animo, nisi instituto et edocto, et ad summum assidua exercitatione perducto. *Prosec.*

334. Ad virtutem quidem, sed sine virtute nascimur, et in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est. Epist. 90.

335. Prima hominis pars, est ipsa virtus. Epist. 92.

336. Miser esse, qui virtutem habet, non potest *Ibid.*

337. Si potest virtus efficere; ne miser aliquis sit, facilius efficiet, ut beatissimus sit. *Ibid.*

338. Virtutem et exercet et ostendit recta ratio. Epist. 94.

339. Omnis virtutis actio, bonum est. Epist. 102.

340. Virtus per se nihil agit, sed cum homine. Epist. 113

341. Qui virtutem suam publicari vult : non virtuti laborat, sed vanæ gloriæ. *Ibid.*

342. Nemo non amore ejus arderet, si nobis illam videre contingeret. Epist. 115.

343. Non est quod ullam existimes esse sine labore virtutem, sed quædam virtutes stimulis, quædam frænis egent. *De Beata vita*, cap. 25.

344. Virtus malam vitam non admittit. *Ibid.*, cap. 7.

345. Sis occultator virtutum, sicut alii vitiorum. *De quatuor virtut.*

346. Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. In suis *Proverbiis*, in fine positis.

VALERIUS MAXIMUS. 347. Faciliorem virtutis ad luxuriam, quam luxuriæ ad virtutem transitum esse videtur. Lib. 2 *Dictor. memorabil.*, cap. 1,

348. Enerves animos odisse virtus solet. *Ibid.*, cap. 2.

349. Quid prodest foris esse virtutibus strenuum, si domi male vivatur? *Ibid.*, cap. 3.

350. Capi virtus nescit, patientia dedecus ignorat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 2.

351. Sola virtus nascitur magis, quam fingitur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.

352. Nihil est excepta virtute, quod mortali animo immortale quæri possit. *Ibid.*, cap. 6.

Vide etiam tit. *Amicitia Dei*, sent. 77; *Bonum*, sent. 10, 11 ; *Certamen*, sent. 53; *Charitas proximi*, sent. 65; *Colere Deum*, sent. 1; *Conflictus*, sent. 6; *Corona*, sent. 85, 89; *Discere*, sent. 2 ; *Divitiæ*, sent. 53; *Exercitium*, sent. 5 ; *Fervor*, sent. 31 ; *Fortitudo*, sent. 19; *Fortuna* , sent. 59, 60 ; *Gloria bona*, sent. 65 ; *Gloria vana*, sent. 26 ; *Honestas*, sent. 40 , 41, 42; *Jactantia*, sent. 25; *Innocentia*, sent. 62; *Judicium* in genere, sent. 136; *Labor*, sent. 34; *Latere*, sent. 32; *Laus* in genere, sent. 89 ; *Lex*, sent. 60 ; *Malitia*, sent. 91; *Medium*, sent. 9, 10, 24, 25, 29 ; *Meritum*, sent. 46; *Miraculum*, sent. 23; *Miseria*, sent. 66; *Modus*, sent. 44; *Necessitas*, sent. 21, 22 ; *Negligentia* sent. 23; *Nobilitas*, sent. 21, 22, 27, 28 ; *Occupatio*, sent. 47 ; *Peccatum* in genere, sent. 192; *Perire*, sent. 47; *Perseverantia*, sent. 46; *Possessio*, sent. 55; *Prædestinatio*, sent. 21; *Probatio*, sent. 34; *Profectus*, sent. 16, 59, 82, 103, 140 ; *Raritas*, sent. 13; *Rectitudo*, sent. 8 ; *Sacerdos*, sent. 35; *Sapientia* in genere, sent. 154; *Tribulatio*, sent. 106, 176; *Via*, sent. 114; *Vitium*, sent. 1, 87, 113, 132, 140, 148; *Voluptas*, sent. 185; *Usus*, sent. 50; *Vulnus*, sent. 55.

## VIRTUTES CARDINALES.

*Etymologia*. Cardinales appellantur, quia sicut ostium vertitur in cardine et regitur : ita his regitur et vertitur vita hominis. *De Quatuor virt. card.* S. BONAV.

*Definitio*. Temperantia est amor integrum se præbens ei quod amatur; fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur : justitia amor soli amato serviens : prudentia, amor ea quibus adjuvatur, ab eis a quibus impeditur, sagaciter seligens. *De Morib. Eccles.*, cap. 15. S. AUGUST.

Quid est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas allicit? Quid est prudentia, nisi amor, quem error non seducit? Quid est fortitudo, nisi amor, qui nulli adversitati succumbit? Quid est justitia, nisi amor, qui quod suum est unicuique distribuit? *de Charitate*, cap. 11. PETRUS BLESENS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Temperantia sine prudentia, modum scire non potest : nec opportunitatem noscere, et secundum mensuram reddere, sine justitia : nec sine fortitudine ut quod velit possit implere. Lib. 1 *Offic.*, cap. 27. S. AMBROS.

2. Quia ubi prudentia, ibi et malitia ; ubi fortitudo, ibi iracundia : ubi temperantia, ibi intemperantia plerumque est : necessaria est justitia : ubi autem justitia, ibi concordia virtutum est cæterarum. *De Paradiso*, cap. 3.

3. Justitia sola est, quæ virtutes omnes complectitur, et commendat : prudentia enim sine justitia nocet : fortitudo quoque, nisi eam justitia temperet, intolerabilis insolentia est : temperantia nullius vis est, nisi sit justa. Lib. 2, *de Abraham.*, cap. 10.

4. Currus est anima, boni equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. *Prosec.*

5. Si velocior est prudentia, tardior justitia, admonet flagello proprio segniorem.

6. Si temperantia est mansuetior, fortitudo durior novit copulare discordes, ne forte currum suum dissipent. *De Isaac et Anima*, cap. 8.

7. Scimus virtutes esse quatuor cardinales, temperantiam, justitiam, prudentiam, fortitudinem. *Prosec.*

8. Temperantia cordis habet animique munditiam, justitia misericordiam, pacem prudentia, mansuetudinem fortitudo. Lib. 5, super *Luc.*, cap. VI, in illud : *Beati pauperes*, etc.

9. Sunt quatuor virtutes cardinales, quæ fuerunt in Christo, et sunt in omnibus Sanctis ejus : scilicet, prudentia, justitia, fortitudo, et tempe- S. ANTONIN

rantia : quæ in Christo fuerunt ut exemplares, et purgati animi : in Sanctis, ut purgatoriæ, vel politicæ. Part. 1, tit. 15, cap. 5, § 3.

10. Secundum genus virtutum dicitur morale, ut prudentia, justitia, fortitudo, temperantia : quæ virtutes dicuntur et morales et principales, et cardinales. Part. 4, tit. 1, cap. 1, § 6.

11. Hic est status valde perfectorum in via, ut scilicet prudentia sola divina intueatur; temperantia terrenas cupiditates nesciat; fortitudo passiones ignoret; justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur. *Ibid.*, cap. 1, § 8.

12. Quatuor sunt arma, quibus protegimur et pugnamus; scilicet prudentia contra stultitiam, justitia contra injustitiam, fortitudo contra inconstantiam, temperantia, contra intemperantiam. *Ibid.*, cap. 3, § 1.

S. ANTONIUS DE PADUA. 13. Animæ contulit Deus quatuor virtutes principales, quæ sunt prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia. Serm. 2, *Dom.* 1 *Quadrag.*

S. AUGUST. 14. In hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est : id eligere prudentiæ est : nullis inde averti molestiis, fortitudo est : nullis illecebris, temperantia est : nulla superbia, justitia est. Epist. 52, *ad Macedonium.*

15. Velit homo prudens esse, velit fortis, velit temperans, velit justus : atque ut hæc veraciter possit, potentiam plane optet, atque appetat ut potens sit in seipso, et miro modo adversus seipsum pro ipso. Lib. 13, *de Trinit.*, cap. 13.

16. Contemplatio prudentiæ, sanctificatio temperantiæ, impassibilitas fortitudinis, ordinatio justitiæ in æterna vita succedit. Lib. 6, *Musicæ*, cap. 16.

17. Illa est vera scientia, quæ novit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, justitiæ sanctitatem. Lib. 1 *contra Academ.*, cap. 7.

18. Justitia est in subveniendis miseris, prudentia in præcavendis insidiis, fortitudo in perferendis molestiis, temperantia in coercendis delectationibus pravis. Lib. 11, *de Trin.*, cap. 9.

19. Cum prudenter, modeste, fortiter, et juste amor et odium instituuntur, in virtutes exurgunt. prudentiam scilicet et temperantiam, fortitudinem atque justitiam, quæ quasi origines et cardines sunt omnium virtutum. *De spiritu et anima*, cap. 4.

20. Habet anima virtutes quibus instruitur, et armatur contra vitia : a prudentia namque scit quid debeat facere : temperantiam habet contra prospera, fortitudinem contra adversa : justitiam qua scit quid cuique debeat reddere. *Prosec.*

21. Prudentia est scire quid possit, fortitudo facere quod possit, temperantia non præsumere quod non possit, justitia non velle plus quam possit.

22. Prudentia est in eligendis, temperantia in utendis, fortitudo in tolerandis, justitia in distribuendis. *De spiritu et anima*, cap. 20.

23. Quatuor intimæ sunt virtutes, quibus in hac vita spiritaliter vivitur, prudentia, temperantia, fortitudo, et justitia. *Prosec.*

24. Prima est cognitio rerum appetendarum et fugiendarum; secunda, refrænatio cupiditatis ab his, quæ temporaliter delectant : tertia, firmitas animi adversus ea quæ temporaliter molesta sunt : quarta, quæ per cæteras omnes diffunditur, dilectio Dei et proximi. *De* LXXXIII *Quæst.*, quæst. 62.

25. Virtutes agendæ vitæ nostræ quatuor describuntur; prudentia, qua dignoscimus inter bonum et malum : justitia qua sua cuique tribuimus : temperantia qua libidines refrænamus : fortitudo, qua omnia molesta toleramus. Super *Psalm.* LXXXIII, vers. 7 : *Ibunt de virtute in virtutem.*

26. O beatus qui prudens est, et felix, et vere felix, qui prudens invenitur ; nam si cuncta quæ habet amittit, clamat : Omnia mea mecum sunt : quæ sunt : justitia, temperantia, fortitudo, et prudentia. Serm. 4, *ad fratres in Eremo.*

27. Laudata modestia, et accepta justitia, et admirabilis fortitudo, et grata prudentia, magis familiaria animæ sunt, quam corporis sanitas. Homil. 9, in *Hexam.* S. BASILIUS MAGNUS

28. Manum misisti ad fortia? opus est fortitudine : speculator factus es? opus est prudentia : sapientibus et insipientibus debitor es? opus est justitia : prædicare debes? opus est temperantia. Epist. 26, *ad Guidonem Lausennensem episcopum.* S. BERNARD.

29. De radice ad cacumen festinanti liber patet ingressus ad illas quatuor virtutes principales, quæ in adolescentibus inchoantur, in juvenibus augentur, in senibus perficiuntur. *Prosec.*

30. Prudentia agnitione veri delectat, justitia dilectionem Dei et proximi servat, fortitudo metum mortis contemnit, temperantia affectionem carnis temperat. *De Ordine vitæ.*

31. Quatuor virtutes cardinales, quasi quatuor annorum lucem animæ invehunt proficienti : quibus nihil est in vita utilius hominibus. *Prosec.*

32. Hæ sunt aliarum virtutum moderatrices, sine quibus cæteræ, nec honeste haberi, nec perseveranter possunt servari.

33. Temperantia facit, ne sit ipsarum virtutum immoderata progressio; prudentia, ne sit earum indistincta confusio ; justitia, ne sit virtutum usus immoderatus; fortitudo, ut perseveranter earum teneatur affectus. Homil. *Dom. infra Oct. Epiphan. sibi adscripta.*

34. Munit fortitudo, temperantia moderatur,

providet et instruit prudentia, ducit et perducit justitia. Lib. 9, *Florum* cap. 10.

S. BONAV.

35. Temperantia modificat, prudentia rectificat, justitia ordinat, fortitudo stabilit. *Prosec.*

36. Oportet quod temperantia sit prudens, justitia fortis, prudentia sobria, fortitudo justa. Serm. 6, in *Hexam.*

37. Temperantiæ est non insultare, sed cum moderamine pati : fortitudinis est non discedere, sed mala proximi constanter tolerare; justitiæ est non consentire, sed cum robore resistere : prudentiæ est non dissimulare, sed sollicite ut mala desinant providere. Expos. 1, super *Psalm.* CXVIII, in illud : *Justus es, Domine,* etc.

38. Animæ ornamentum est prudentia, in eligendo vera; justitia in operando bona; temperantia, in moderando suavia; fortitudo, in sustinendo mala. Serm 23, *Dom.* 23 *post Pent.*

39. Tres sunt actus, qui necessario concurrunt ad virtutem; scilicet scire, velle, et impermutabiliter operari. Scire autem quid sit agendum, est ipsius prudentiæ; velle bonum, est ipsius justitiæ; impermutabiliter vero operari, est temperantiæ et fortitudinis, temperantiæ in prosperis, fortitudinis in adversis. Super lib. 3, *Sentent.*, dist. 33 art. 1, quæst. 4.

40. In his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. *De quatuor Virt. card.*

41. Dum his quatuor virtutibus cor confoditur, ab omni desideriorum æstu temperatur. *Ibid.*

42. Per virtutes cardinales rectificatur anima in suis virtutibus. *Prosec.*

43. Prudentia rectificat vim rationalem, fortitudo sive magnanimitas irascibilem, temperantia concupiscibilem, justitia omnes vires. *Ibid.*

44. Quatuor sunt virtutes cardinales : justitia, prudentia, temperantia, fortitudo. Justitia habet locum in rebus certis, prudentia in dubiis, temperantia in prosperis, fortitudo in adversis. Tit. 5, *Diætæ*, cap. 1.

45. Quatuor virtutes cardinales, scilicet, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, tanquam quatuor gemmæ pretiosæ, in aureo serto gratiæ sunt incastratæ. *Ibid.*, cap. 8.

46. Prudentiæ succedit contemplatio, fortitudini firma adhæsio, temperantiæ dilectionis mensura; justitiæ succedit ordinatio. *De septem donis Spiritus sancti* in genere, cap. 3.

47. Per virtutes cardinales anima rectificatur in suis viribus : nam prudentia rectificat rationalem, fortitudo irascibilem, temperantia concupiscibilem, justitia vero rectificat omnes vires. Lib. 5, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 33.

48. Prudentiæ est scire quod possit, temperantiæ est non præsumere quod non possit, justitiæ est velle in omnibus quod æquum sit, fortitudinis est velle plus quam possit. *Ibid.*

49. Justitia splendes, fortitudine rutilas, prudentia fulges, temperantia candes. *De septem Itineribus æternit.*, itin. 4, dist. 7.

S. BRUNO.

50. Quatuor sunt virtutes, quibus totus regitur mundus, ita sibi conjunctæ; ut sine se esse non valeant : qui unam habet, omnes habet : cui una quælibet deest, nullam habet. Quarum prima prudentia, secunda justitia, tertia fortitudo, quarta temperantia vocatur. *De Ornament. Eccles.*, cap. 4, *de Quat. virt.*

CASSIODOR.

51. Quatuor virtutibus animi dignitas comparatur : id est, prudentia, justitia, fortitudine, et temperantia; quem calculum Pythagorici tanta laude prosecuti sunt, ut eum sacrum esse faterentur. Super *Psalm.* IV.

S. [illegible]

52. Sunt quatuor virtutes cardinales, scilicet Prudentia, justitia, temperantia, et fortitudo; per quas tota vita humana est gubernata, et in isto mundo custodita. In *Speculo Eccles.*, cap. 15.

EVAGRIUS.

53. Munus in hoc consistit prudentiæ, ut eam animi partem, in qua iracundia existit, ad internum prælium conferendum incitet; temperantiæ, ut rationem ad exactam perpetuamque vigilantiam impellat; justitiæ, ut partem eam, in qua libido sita est, tum ad virtutem, tum ad Deum dirigat; fortitudinis denique, ut quinque sensus gubernet atque cohibeat; ne per eos vel internus homo, vel externus spurcitiem ullam contrahat. *De Octo vitios. cogit.*

GLOSS. ORD.

54. Quisquis prudentia, fortitudine, et temperantia utitur, vere est justus. *Prosec.*

55. Post prudentiam, fortitudinem, et temperantiam, justitia sequitur. Super VI *Reg.* III.

GLOSS. [illegible]

56. Quatuor sunt principales virtutes, quibus omnis virtutum structura eminet. *Ibid.*, cap. 7.

GLOSS ORD.

57. Viri justi vitam quadriga virtutum ad cœlestia provehat, quæ sunt prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Super I *Paralip.*, cap. 23.

58. Hæ quatuor virtutes, scilicet, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, ædificant quidquid vitia destruunt. Super illud *Zachar.* I : *Hæc sunt cornua*, etc.

S. GREG. MAGN.

59. Solidum mentis nostræ ædificium, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinent *Prosec.*

60. In his quatuor virtutibus, tota boni operis structura consurgit.

61. Dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur.

62. Dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit, conscientia turbatur ac obscuratur.

63. Mens principaliter his quatuor virtutibus,

ad summæ rectitudinis culmen erigitur. Lib. 2 *Moral.*, cap. 27.

63 *bis*. Donum Spiritus sancti in sibi subjecta mente, ante alia prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam format. *Ibid.*, num. 36.

64. Prudentia nequaquam vera est, quæ justa, temperans, et fortis non est.

65. Fortitudo integra minime est, quæ prudens, temperans, et justa non est.

66. Temperantia perfecta minime est, quæ fortis, justa, et prudens non est.

67. Justitia nequaquam vera est, quæ prudens, fortis, et temperans non est. *Ibid.*, lib. 22, cap. 1.

68. Patribus sanctis prudentia adfuit in cognitione rerum; justitia, qua cognita disponere recta cuperent; fortitudo, qua exequi quæ vellent, bona potuissent; temperantia, per quam discrete cuncta perficerent. Lib. 1, in I *Reg.*, cap. I, super illud : *Filius Hieroboam*, etc.

HAYMO. 69. Quatuor principales virtutes, prudentiam scilicet, temperantiam, fortitudinem, atque justitiam, quibus nihil est utilius in vita hominis, habeamus. Serm. *Dom.* 8 *post Pent.*

S. HIERON. 70. Vis scire quales Dominus quærat ornatus? Habeto prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudinem; nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius. Epist. 2, *ad Nepotian.*

71. Quatuor virtutes ita sibi invicem sunt nexæ, et mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. *Prosec.*

72. Has omnes sic habetis singuli, ut tamen emineatis in singulis : prudentia in viro, in vidua justitia, in virgine fortitudo, in nupta temperantia prædicatur. Epist. 26, *ad Pammach.*

73. Quomodo quatuor, quibus pugnamus et tegimur, sunt scuta virtutum ; prudentia, justitia, temperantia, fortitudo : ita e contrario quatuor vitia sunt, stultitia, iniquitas, luxuria, formido, quibus ab hoste percutimur. Super *Nahum*, cap. III, super illud : *Væ civitas sanguinum.*

74. Quatuor virtutes cardinales dicuntur, quia per prudentiam obedimus, per justitiam viriliter agimus, per temperantiam serpentem calcamus, per fortitudinem gratiam Dei meremur. Super *Marc.*, cap 1, cant. 6, num. 11, super illud : *Credite Evangelio.*

HUGO A S. VICTORE. 75. Domus mentis, quæ quatuor angulis, scilicet prudentia, temperantia, fortitudine et justitia constituitur, quandoque vento tentationis, seu turbine verborum quassata turbatur. *Prosec.*

76. Sæpe enim per ignaviam prudentia, per delectationem temperantia, fortitudo per timorem, justitia per amorem franguntur. Lib. 2, *de claustro animæ*, cap. 20.

77. Virtutes istæ quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, atque justitia, quasi origines atque cardines sunt omnium. Libro 2, *de Anima*, cap. 2.

78. Qualiter istæ tres virtutes, scilicet spes, fides, charitas, distinguendæ tenendæque sint, prudentia docet et informat, justitia ornat et consummat, fortitudo retinet et roborat, temperantia moderatur et discernit. *De Fructibus carnis et spiritus*, cap. 1.

HUGO CARD. 79. Justus per prudentiam graditur ad futura, per justitiam ad præterita, per fortitudinem ad adversa, per temperantiam ad prospera. Super *Ezech.*, cap. 10.

80. Nemo sæculi tempestatem evadet, nisi qui pascitur pane vitæ, et qui in nocte tribulationis, quatuor virtutum cardinalium, quasi quatuor anchorarum, innititur auxilio, coruscante æternitatis die portum salutis ingreditur. Super *Acta Apostolorum*, cap. XXVII.

S. INNOC. III. 81. Principales quatuor sunt virtutes, quæ mentem viri sancti circumdant : videlicet, justitia, prudentia, temperantia et fortitudo. *Prosec.*

82. Habet enim ab interiori parte justitiam, a posteriori prudentiam, temperantiam a dextris, fortitudinem a sinistris.

83. Congruunt bene loca virtutibus : nam quæ sunt ante, sunt certa : quæ vero retro, dubia sunt : quæ a dextris prospera : quæ a sinistris, adversa.

84. In certis autem est exercenda justitia, in dubiis est adhibenda prudentia, in prosperis opus est temperantia, in adversis est necessaria fortitudo.

85. Cum ergo iniquitas premit justitiam, oppressio instat ante : cum fatuitas premit prudentiam, oppressio instat retro : cum superfluitas premit temperantiam, oppressio instat a dextris : cum pusillanimitas premit fortitudinem, oppressio instat a sinistris. Super *Psalm.* XXXI, vers. 8 : *Erue me a circumdantibus me*, etc.

S. ISIDORI HISPALEN. 86. Quatuor paradisi flumina, quatuor sunt principales virtutes, scilicet prudentia, fortitudo, justitia, temperantia. Prudentia est rerum divinarum humanarumque, prout homini datum est, scientia : per quam intelligitur quid cavendum sit, et quid faciendum; fortitudo est animi patientia, et longanimitas et perseverantia in bonis operibus, et victoria contra vitiorum genera : justitia est animi nobilitas, unicuique rei propriam tribuens dignitatem; temperantia est vitæ modus, ne quid nimis homo vel amet, vel odio habeat : sed omnes hujus vitæ varietates considerata temperet diligentia. Super *Gen.*, cap. 3.

SIDORUS .USIOTA.

87. Virtus in prudentia, justitia, fortitudine, ac temperantia sita est : quisquis igitur hanc complexus fuerit, et pulcherrimus et conspicuus est. Lib. 1, epist. 86, *ad Ophelium.*

AURENT. USTIN.

88. His quatuor virtutibus ornari debent certantes in subjectionis stadio, si ad culmen perfectionis satagunt pervenire. *De ligno vitæ,* in proœmio.

PETRUS .ESENS.

89. Quatuor sunt principales virtutes, quæ sunt diademata animæ : justitia, prudentia, temperantia, fortitudo. Serm. *de Annuntiatione.*

90. Quatuor sunt virtutes, quas cardinales dicimus : Justitia, quæ reddit unicuique quod suum, id est Deo, sibi, et proximo ; prudentia, quæ est in præcavendis peccatis et molestiis; temperantia, in prosperis ; fortitudo, in adversis. *Ibid.*, serm. 36, *de Dedicatione.*

91. Temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra adversitates, justitia contra inæqualitates. *Ibid., de Charit.*, cap. 11.

R. CELL.

92. Dominus rotam animæ in quatuor equis principalium virtutum, id est, prudentia, justitia, fortitudine, temperantia, ad suam dirigit voluntatem. *De Conscient.*, cap. 4.

ILO JUD.

93. Principales virtutes sunt numero quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Prudentia, quid agendum determinans ; fortitudo, quid sustinendum ; temperantia, quid eligendum ; justitia, quid cuique tribuendum. Lib. 1, *Leg. allegor.*

PROSPER.

94. Si temperantia facit temperantem, prudentia prudentem, justitia justum, fortitudo fortem : eo qui temperanter, juste, et prudenter agit, ac fortiter, nescio quid possit esse perfectius. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 18.

95. Nosse et tenere debemus, quod istæ quatuor virtutes dona sint Dei ; et quod nullus eas habet, habuit, aut habebit, nisi cui Deus, qui est omnium virtutum proprietas et origo, contulerit. *Prosec.*

96. Quoniam quicunque, quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes, ex fide vixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, justi ac fortes fieri utique potuerunt. *Ibid.*

97. Temperantia, fortitudine, atque justitia informatur ipse appetitus ut actio fiat : prudentia vero rationem, quæ est acies mentis, illuminat, ut et ratio appetitum gubernet, et rationi appetitus obtemperet. *Ibid.*, cap. 27.

. THOMAS AQUINAS.

98. Quatuor sunt virtutes purgati animi, scilicet prudentia, quod sola divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur : quæ virtutes beatorum sunt, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. 1, 2, quæst. 61, art. 5.

99. Discretio pertinet ad prudentiam, rectitudo ad justitiam, moderantia ad temperantiam, firmitas animi ad fortitudinem. *Ibid.*, quæst. 65, art. 1.

100. Quatuor sunt virtutum species : prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Prima ad agnitionem perducit, secunda dilectionem Dei et proximi servat, tertia vincit adversa mortemque contemnit, quarta voluntatem reprimit, et temperat omnia. *De vitiis et virt.*

101. Quatuor sunt virtutes cardinales, prudentia, fortitudo, temperantia, justitia. Quatuor sunt, quæ prudentia nos docet : scilicet præterita recordari, disponere præsentia, futura prævidere, et dubia suspendere. In quatuor fortitudo nos instruit : scilicet prosperos in superbiam non erigi, adversos ad ima non detrudi, injuriæ non sumere vindictam, et jucundam non deducere vitam. In quatuor temperantia nos admonet : scilicet circumcidere superflua, restringere desideria, ab illicitis abstinere, et blandimenta rejicere. In quatuor justitia nos edocet : scilicet honeste vivere, alterum non lædere, sobrie judicium discurrere, et unicuique jus suum tribuere. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS.

102. Teneat anima fidelis justitiam, nulli inferendo injuriam; teneat fortitudinem, pie sustinendo aliorum malitiam : teneat temperantiam, refrænando carnis petulantiam : teneat prudentiam, cavendo erroris fallaciam. Serm. 30, *ad Novit.*, divis. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO.

103. Si a prudentia fortitudo ; temperantia, et justitia sejungantur, ne umbratilis quidem erit virtus, hujusmodi virtus, at vere servilis, et nihil sani, nihil veri habeat. In *dialog. Phædonis.*

104. Civitatem illam, quæ recte fuerit legibus moribusque optimis constituta, et sapientem et fortem, et temperantem et justam esse, perspicuum est. Lib. 4, *de Republ.*

SENECA.

105. Stilpon capta patria, amissis liberis, amissa uxore, interroganti Demetrio, num quid perdidisset ? Omnia, inquit, bona mea mecum sunt ; justitia, virtus, temperantia, prudentia : quod bonum eripi non potest. Epist. 9.

106. Non potest gaudere, nisi sapiens, nisi fortis, nisi justus, nisi temperans. Epist. 59.

107. Prudentiam magri æstimemus, fortitudinem complectamur, temperantiam amemus, justitiam nobis applicemus. Epist. 95.

108. Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o quam pulchram faciem, quam sanctam, quam fulgentem videremus ; hinc justitia, illinc

fortitudine, hinc temperantia, prudentiaque lucentibus! Epist. 115.

109. Quatuor virtutum species multorum sapientum sententiis diffinitæ sunt, quibus animus humanus componi ad honestatem vitæ possit: Harum prima est prudentia, secunda magnanimitas, tertia continentia, quarta justitia. *De Quatuor virt.*

Vide etiam tit. *Christus*, sent. 47, 48; *Psalm.*, sent. 33; *Religio* seu *Congreg.*, sent. 89; *Vita æterna*, sent. 140.

## VIRTUTES TRES THEOLOGICÆ.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Unus est Christus nobis spes, fides, charitas: spes in resurrectione, fides in lavacro, charitas in sacramento. Lib. 3, *de Virginib.*

2. Tres sunt quasi vades Ecclesiæ, spes, fides, charitas: cum spes præcesserit, fides fundata fuerit, ordinatur charitas, Ecclesia copulatur. *Ibid.*

S. ANTONIN. 3. Virtutes theologicæ sunt fides, spes, et charitas, quæ ordinant hominem ad felicitatem æternam. *Prosec.*

4. Fides respicit Deum ut summam et infallibilem veritatem, spes respicit Deum, ut omnipotentem, charitas respicit Deum, ut summum bonum. Part. 1, tit. 1, cap. 3, § 2.

5. In fide, spe, atque charitate, perfectorum corda perseverant, sine quibus ad cœlestem patriam non potest perveniri. Part. 4, tit. 1, *de Virtut.*, cap. 3, § 3.

6. Tria sunt arma potiora, quibus protegimur et pugnamus: scilicet scutum fidei, galea spei, et gladius charitatis. *Ibid.*, cap. 3, § 1.

S. AUGUST. 7. Non potest aliquis diligere quod esse non credit: porro si et credit et diligit, bene agendo efficit, ut etiam speret. Lib. 1, *de Doctrina christ.*, cap. 37.

8. Fides credit, spes et charitas orant: sed sine fide esse non possunt, ac per hoc et fides orat. In *Enchirid.*, cap. 7.

9. Sine amore fides nihil prodest, et spes sine amore esse non potest: proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide. *Ibid.*, cap. 10.

10. Qui recte amat, procul dubio recte credit et sperat: qui vero non amat, inaniter credit, etiamsi sunt vera quæ credit: inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere quæ speret, nisi et hoc credat ac speret, quod sibi petenti donari possit ut amet. *Ibid.*, cap. 117.

11. Fides est prima quæ subjugat animam Deo, deinde præcepta vivendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, et nutritur charitas: et lucere incipit, quod antea tantummodo credebatur. *De Agone christiano*, cap. 13.

12. Trinitatem in præsenti fides sequitur, spes in cœlum usque comitatur, charitas perenniter amplexatur. *De Spiritu et Anima*, cap. 39.

13. Sine tribus istis, scilicet fide, spe et charitate, anima nulla sanatur, ut possit Deum suum videre, id est intelligere. Lib. 1 *Soliloq.*, cap. 1

14. Pia fides sine spe, et sine charitate esse non vult. Epist. 85, *ad Consentium.*

15. Homo fidelis debet credere quod non videt, ut visionem et speret et amet. *Ibid.*

16. In ipsa fide et spe et charitate continuato desiderio semper est orandum. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 9.

17. Homo fide, spe, et charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 39.

18. Manent, inquit Apostolus, fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas: quia cum quisque ad æterna pervenerit, duobus istis decedentibus, charitas auctior ei certior permanebit. *Ibid.*

19. Fide, spe, charitate colendus est Deus. In *Enchirid.*, cap. 3.

20. Nec amor sine spe est, nec sine amore spes, neque utrumque sine fide. *Ibid.*, cap. 8.

21. Ubi sunt illa tria, propter quæ in animo ædificanda, omnium divinorum librorum machinamenta consurgunt, fides, spes, charitas, nisi in animo credente quod nondum videt: et sperante atque amante quod credit? Lib. 8, *de Trin.*, cap. 4.

22. Oportet animo inesse ista tria, fidem, spem, et charitatem; ut et credat vera esse ad quæ vocatur, et speret se posse assequi, et omnino ea diligat. In lib. 21 *Sentent.*, sent. 8.

23. Pasce quæso animam tuam spiritalibus cibis, id est, fide, spe, et charitate. *De Salutar. docum.*, cap. 28.

24. Quidquid narras, ita narra, ut ille cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet. *De catechiz. rudib.*, cap. 4.

25. Teneamus fidem rectam, spem certam, charitatem perfectam: fides credit, charitas operatur, spes roborat. *De salutar. docum.*, cap. 52.

26. Doctrina sana est, qua ædificatur fides recta, spes firma, charitas pura. *De perfect. justitiæ*, cap. 8, ratiocin. 17.

27. Nullum aliud canticum nos docet Deus, nisi fidei, spei, et charitatis. Super *Psalm.* XCI.

28. Ubi dilectio est, ibi necessario fides et spes est. Tract. 83, super *Evang. Joan.*, de cap. XV.

29. Fidei succedit spes, spei beatitudo, chari-

tati autem non transmutatio, sed sola restat perfectio. Serm. 1 *Quinquag*.

30. Christum fide firma teneamus, et expectemus certa spe, et charitate ardenti desideremus. Lib. 2, *de Lib. arb.*, cap. 20.

31. Deus docet credentem, consolatur sperantem, diligentem exhortatur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 19.

32. Fides, et spes, et charitas ad Deum perducunt orantem, hoc est credentem, sperantem, diligentem. Epist. 121, cap. 13.

33. Tria sunt, quibus et scientia omnis et prophetia militat, fines, spes, charitas. Lib. 1, *de Doctrina christ.*, cap. 37.

34. Verus Dei cultus fide inchoatur, spe tenetur, charitate perficitur. In *Enchirid.*, cap. 5.

35. Fidem, spem, et charitatem in corde nostro conspicimus. Lib. 4, *de Anima et orig.*, cap. 20.

36. Facit homines carnalis timor et cupiditas servos, sed evangelica fides, spes et charitas liberos. Lib. 3, *ad Bonifac.*, cap. 4.

37. Virginitas mentis est integra fides, solida spes, sincera charitas. Tract. 13, super *Joan.*

38. Da mihi solidam fidem, spem congruam, charitatem continuam. Lib. *Medit.*, cap. 1.

39. In quantum Deo nostro fide, spe, et charitate connectimur, filii Dei sumus. Homil. 50, *Ex quinquag. Homil.*, cap. 3.

NARD. 40. Dicit fides : Parata sunt magna et incogitabilia a Deo fidelibus suis. Dicit spes : Mihi illa servantur : sed charitas ait, curro velociter ad illa. Serm. 19, super *Qui habitat.*

41. Fides illuminat rationem, spes erigit memoriam, charitas vero purgat voluntatem. Serm. 1 *Parvulor. serm.*

42. Fides, spes, charitas, pura sunt bona, quæ quia male non possunt vel haberi, vel teneri ; bene non possunt vel prohiberi, vel non teneri. Epist. 7, *ad Adam Monach.*

43. Summæ virtutes sunt, spes, fides charitas. *De ordine vitæ.*

44. Potest esse ut fides et spes, sint sine charitate : ut autem charitas fidem et spem in se non contineat, non potest esse. *De natura et dignit. amoris*, cap. 6.

BONAV. 45. Pulchra multum est Ecclesia plena fide, pulchrior spe, pulcherrima charitate. Serm. 6, in *Rogat.*

46. Animæ Christianæ pulchritudo, est fides in credendo veraciter, spes in expectando firmiter, charitas in diligendo ferventer. Serm. 3 *Dom.* 28 *post Pent.*

47. Fides Deum quærit et scrutatur, spes Deum sapit et detentione asseruratur, charitas Deum tenet et amplexatur. *De septem donis Spiritus sancti* in genere, cap. 3.

48. Fidelis famulatus sive cultus, per fidem, spem, et charitatem ; istis enim colitur Deus. *De septem donis Spiritus sancti in specie, de Dono pietatis*, cap. 3.

49. Virtutes tres Theologicæ non sunt in nobis per acquisitionem : sed per infusionem. Lib. 5 *Compend. Theolog. verit.*, cap. 8,

50. Fides dirigit in summe verum, credendo et assentiendo ; spes in summe arduum, innitendo et expectando, charitas in summe bonum, desiderando et amando. *Prosec.*

51. Fides facit Deo assentire, spes in Deo confidere, charitas Deum diligere.

52. Fides est in rationali, spes in irascibili, charitas in concupiscibili.

53. Fides est circa verum, spes circa arduum, charitas circa bonum.

54. Fides in præsenti Deum sequitur, spes in cœlum comitatur, charitas perenniter complexatur.

55. Per fidem cognoscitur Deus ut veritas, per spem habetur ut æternitas, per charitatem diligitur ut bonitas. *Ibid.*, cap. 18.

56. Illud quod promittit Deus, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur. Lib. 7, *Comp. Theolog. verit.*, cap. 31.

57. Fide polles, spe nites, charitate luces. *De septem. Itin. æternit.*, itin. 4, dist. 7.

58. Fides, spes, et charitas, infusioni gratiæ, seu spiritali regenerationi inseparabiliter sunt annexæ. Super I *Petri*, cap. 1, art. 1.

59. Unusquisque fidelis tenetur esse in fide, spe, et charitate tam firmus, ut proponat a se mortale peccatum avertere ; et contra fidem, spem, charitatemve nihil agere. *Ibid.*, art. 2. DIONYSIUS CARTHUS.

60. Principium et finis fidelium, est fides, spes, et charitas. *De timore Dei* S. EPHRÆM.

61. Fides cum spe et charitate, vitia persequitur. Super *Genes.*, cap. 14. GLOSS. INT.

62. Quantum quisque credit, tantum sperat : et quantum sperat, tantum amat. Super *Deuter.*, cap. 19.

63. Necessaria est certa discendi solertia, ut quisque dignoscat quid credere, quid sperare, vel quid diligere debeat. Super III *Reg.*, cap. VI.

64. Sine bona operatione fides, spes, et charitas, veræ esse non valent. *Ibid.*

65. Tria commendantur timentibus Deum, credere, sperare, diligere : quia fide, spe, et charitate vere colitur Deus, et ad contemplationem pervenitur. Super *Ecclesiastic.*, cap. 3, in illud : *Qui timetis Dominum.* GLOSS. ORD.

66. Per fidem et custodiam legis patentia salu-

briter exercetur, charitas viriliter ardescit, et spes sublimiter ad æterna rapitur. Super III *Reg.*, cap. 6.

S. GREGOR. MAGNUS. 67. In corde nonnunquam per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur spes, per quæstiones pulsatur fides. Lib. 2 *Moral.*, cap. 27.

68. Bona summa sunt, fides, spes, et charitas : quæ cum veraciter habentur, in malum inflecti non possunt. *Ibid.*, lib. 27, cap. 27.

69. Ad perfectionem septem dona sancti Spiritus non perveniunt, nisi in fide, spe, et charitate fuerit omne quod agunt. *Ibid.*, lib. 1, cap. 13, num. 28.

70. Ab eo procul dubio vindictam de culpæ reatu Deus non expetit, quem sub ejus venia spes, fides, et charitas abscondit. *Ibid.*, lib. 10, cap. 5, num. 9.

71. Major spe et fide charitas dicitur, quia postquam ad auctoris speciem pervenitur, spes et fides transit, sed charitas permanet. *Prosec.*

72. Nunc quantum credimus, tantum amamus, et quantum amamus, tantum de spe præsumimus.

73. Unusquisque qui in hoc vitæ spiritualis exercitio versatur, tantum credit, quantum sperat et amat et tantum operatur, quantum credit, amat et sperat. Homil. 22, super *Ezech.*

74. Tres sunt virtutes sine quibus is qui operari aliquid jam potest, salvari non potest : videlicet fides, spes, et charitas. *Ibid.*, homil. 16, super illud : *Porro thalami portæ tres.*

S. HIERON. 75. Scimus Ecclesiam spe, fide, charitate inaccessibilem, et inexpugnabilem esse. Lib. 1 *adversus Jovian.*

76. Respiret spes, fides erigatur, charitas accendatur. In *Regula monachor.*, cap. 37.

77. Tres virtutes sunt, fides spes, charitas. Fide servamus, quod incepimus ; spe erigimur ; charitate consummamur. In Præfat., super *Marc.*

78. Spes et charitas, et fides perfectum faciunt Christianum. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 6.

HUGO A S. VICTORE. 79. Qui recte timet supplicia, fide fugit vitia, spe tendit ad merita, charitate currit ad præmia. Super *Abdiam*, in illud *Ezech.* XLVII : *Hæc est terra*, etc.

80. Quisquis fidem, spem, et charitatem habet, Deo placet quidquid operatur, aut exercet. *De Allegor.*, super *Exod.*, lib. 3, cap. 12.

81. Non sit fides ficta, spes cassa, charitas infructuosa. Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 25.

82. Quia sperando amamus, quod jam fide tenemus, spei charitas succedit, et sic fides (quæ per dilectionem operatur) recte procedit. *De fructib. carnis et spiritus*, cap. 1.

83. Fides bona ostendit, spes arripit, charitas defendit : per fidem incipiunt nobis esse, per spem nostra esse, per charitatem nobiscum esse. Fides dirigit, spes trahit, charitas perducit. Lib. 1, *Miscellan.*, codic. 1, tit. 19.

84. Opera nostra fieri debent in fide, spe, et charitate. Super *Gen.*, cap. 48. HUGO CA[RD.]

85. Funiculus triplex est, fides, spes, charitas, qui difficile rumpitur. Super *Ecclesiasten*, cap. 4.

86. Munera Deo accepta sunt, fides, spes, et charitas. Super *Isai.*, cap. 66.

87. Fides credit, spes accipit, charitas jungit. Homil. 2, super *Symbol. Apost.* S. JOAN[N.] CHRYSOS[T.]

88. In carnis resurrectione fides, in vita æterna spes, in sancta Ecclesia charitas. *Ibid.*

89. Summæ virtutes sunt, fides, spes et charitas : nam a quibus habentur, utique veraciter habentur. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 36, sent. 7. S. ISIDO[R.] HISPALE[NSIS]

90. Tria sunt, quæ in religionis cultu ad colendum Deum in hominibus perquiruntur. Scilicet, Fides, spes, charitas. In fide, quid credendum in spe, quid sperandum ; in charitate, quid amandum. Lib. 8 *Etymolog.*, cap. 2.

91. Fides vera, spes certa, et charitas sincera, sine humilitate nequeunt custodiri. *De Humilit.*, cap. 12. S.LAURE[NT.]

92. Instet fides sperare quod credit, instet charitas propitiare quod diligit : utrumque amantis, utrumque credentis est. Serm. 7 *Quadrag.* S. LEO

93. Sine fide, spe, et charitate, nec quod vitiosum est prorsus evacuatur, nec quod bonum est feliciter omnino succedit. Centur. 2, *de virt. et vitio*, cap. 68. S. MAXIM[US] MART.

94. Prima salutis initia, et ipsa fundamenta fides est : profectus vero et augmenta ædificii, spes est : perfectio autem et culmen totius operis, charitas est. Lib. 4, in cap 4, *Epist. ad Rom.*, super illud : *Qui contra spem*, etc. ORIGEN[ES]

95. Nec fides virtus est, nisi per dilectionem operetur, nec spes virtus est nisi quod speratur, ametur. *De charit.*, cap. 2. PETRUS BLESEN[SIS]

96. Fide justus calescit, spe excrescit, charitate supercrescit. *De Panibus*, cap. 27. PETR. CE[LL.]

97. Tres sunt principales animæ virtutes : fides scilicet, spes et charitas : in his tribus virtutibus, duce Christo, omnis diabolica tentatio vincitur. Lib. 6, Epist. 5, *ad Monach. Cluniascens.* S. PETR[US] DAMIANI

98. Crux semper viret in spe, floret in fide, fructificat in charitate. Serm. 18, *de Invent. S. Crucis.*

99. Omnis fidei ratio spe dilectioneque concluditur : etenim diligendo quisque promissum quod credit fidem commodat, donec potiatur omnino quod sperat. *De Promiss.*, part. 1, in Prologo. S. PROSP[ER]

RUPERT. ABB. 100. Nihil profecto tam forte contra diabolum est, nihil in omni armatura virtutum tam valens, tam efficax contra pugnas libidinum, quam charitas, per quam fides operatur, per quam spes roboratur. Lib. 4, super *Zachar.*, cap. x.

THOMAS AQUINAS. 101. Bonum nostrum principaliter est in fide, spe, et charitate. Super *Epist. ad Coloss.*, cap. 1, lect. 2.

102. Inter omnes theologicas virtutes, charitas quæ propinquius Deum respicit quam cæteræ, excellentisima est. 1, 2 quæst. 66, art. 6.

103. Virtutes theologicæ, eo quod earum objectum sit Deus, excellentiores sunt virtutibus moralibus vel intellectualibus. 2, 2, quæst. 23, art. 6.

104. Virtutes theologicæ, quia sunt circa ultimum finem, sunt causæ omnium aliarum virtutum. *Ibid.*, quæst. 161, art. 4.

105. Tres sunt virtutes theologicæ, fides, spes, et charitas. Quatuor sunt, quæ ex fide proveniunt; scilicet vitæ rectitudo, animæ pabulum, Dei cultus et paradisi præmium. Quatuor sunt, quæ ex spe procedunt: scilicet lætitia cordis, animæ sobrietas, revelatio laboris, et vitæ longinquitas. Quatuor sunt, quæ ex charitate oriuntur : scilicet reverentia erga Deum, et proximum diligere, relevare oppressum, et errantem corrigere. *De vitiis et virtut.*

S. ZENO EPISCOPUS ET MART. 106. Tribus in rebus christiani fundamenta consistunt, in fide, in spe, et in charitate : quæ ita invicem sibi videntur esse connexa, ut sint alii alia necessaria. Serm. *de Spe.*

107. Spes enim præcedat, cui laborat fides ; fides si non sit, quomodo spes ipsa nascetur ? quibus si deneges charitatem, utræque inutiles erunt : quia neque fides sine charitate, neque spes poterit operari sine fide.

108. Itaque christianus tribus his in rebus, si cupit esse perfectus, debet esse constructus ; si quid enim ex his ei defuerit, perfectionem sui operis non habebit. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Contemplatio*, sent. 57, 58 ; *Deus*, sent. 20 ; *Laus Dei*, sent. 79 ; *Vigilare*, sent. 5 ; *Virtutes cardinales*, sent. 78.

## VIRTUTUM CONNEXIO IN GENERE.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Connexæ sibi sunt, concatenatæque virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur. Lib. 4, super *Luc.*, cap. vi, in illud : *Beati pauperes.*

S. AUGUST. 2. Qui unam virtutem habuerit, habere omnes necesse est : et omnes deesse cui una defuerit. *Prosec.*

3. Prudentia nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse : nam si aliquid horum fuerit, prudentia non erit.

4. Porro si prudentia tunc erit, si et fortis et justa et temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet cæteras.

5. Sic et fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta.

6. Sic temperantia necesse est, ut prudens, fortis et justa sit.

7. Sic justitia non est, nisi sit prudens, fortis et temperans.

8. Ita ubi est una vera aliqua earum, et aliæ similiter sunt : ubi autem aliæ desunt, vera una illa non est, etiamsi aliquo modo esse videatur. Epist. 29, *ad. D. Hieronym.*

9. Virtutes, quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur, nullo modo tamen separantur ab invicem. Lib. 6, *de Trinit.*, cap. 4.

10. Sine scientia nec virtutes ipsæ, quibus recte vivitur possunt haberi, per quas hæc vita misera sic gubernetur, ut ad illam, quæ vere beata est perveniatur æternam. *Ibid.*, lib. 12, cap. 14.

11. Absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus : absit autem ut sit justus vere, nisi vivat ex fide. Lib. 4, *contra Julianum*, cap. 3.

12. Virtus quo una ingressa fuerit, quoniam secum cæteras ducit, profecto vitia cedent omnia quæcunque inerant. Epist. 29.

13. Sicut cibi nihil prosunt absque sale, ita omnes virtutes absque charitate. Super *Psalm.* LII. V. BEDA.

14. Scientia etiam obest, si virtus defuerit. Tractatu *de diligendo Deo*, verbo *Vultis.*

15. Sine causa laborat, qui virtutes sine humilitate congregat. *De ordine vitæ.*

16. Profunda oblivione virtutes illæ sepeliuntur, quas perseverantia non insignivit. Serm. *de virt. obed.*

17. Charitas merito est regina virtutum : quia virtutis nomen amittit, quæ charitati non famulatur. Super *Psalm.*, XLIV. S. BONAV.

18. Fides est radix omnium virtutum ; quæ si evellatur, cæteræ virtutes arescunt. Serm. 1, *Dom.* 24 *post Pent.*

19. Thesauri virtutum in arca cordis claudendi sunt sera humilitatis. Serm. 2 *fer.* *post Pascha.*

20. Connexio est in virtutibus. Super lib. *Sent.*, dist. 29, art. 3, quæst. 1.

21. Virtus tenet medium vitiorum, ita ut si modice a discretionis tramite deviaverit, jam virtus non sit. Lib. 2, *de profect. Relig.*, cap. 50.

22. Magnitudini scientiæ respondere debet magnitudo virtutis. Lib. 5, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 7.

23. Sicut unum membrum indiget alio, sic et in virtutibus. *Ibid.*, cap. 8.

24. Sicut in cithara si defuerit una chorda, non erit harmonia perfecta : ita nec in anima erit spiritualis melodia, nisi adsint omnes virtutes. *Ibid.*

S. BRUNO. 25. Humilitas virtutes alias condit et acceptabiles Deo efficit : cum sine ea aliæ virtutes habitæ inutiles essent, et Deo inacceptabiles : nec etiam virtutes vocantur, sed virtutum simulationes. Super *Psalm.* LVIX, in præfat.

S. CÆSARIUS ARELAT. 26. Una virtus sine altera, tibi prodesse non potest. Homil. 21.

S. DIADOCH. 27. Sicut quocunque membro hominis, vel minutissimo, adempto, totum corpus informe efficitur : sic qui vel unam virtutem neglexerit, universum continentiæ decorum dissolvit ac delet. *Prosec.*

28. Quid enim profuerit virginitatem corporis servare, si anima a dæmone inobedientiæ præside adulteratur ?

29. Aut quomodo coronabitur, qui se a gulæ vitio et omni corporis cupiditate continuerit, superbiam tamen et studium gloriæ declinare non studuerit ? *De Perfect. spirit.*, cap. 42.

S. DOROTH. 30. Bitumen humilitas est : omnis enim virtus absque humilitate non reputatur virtus. *Doct.* 14.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 31. Nullus homo est penitus in toto mundo, qui unam ex virtutibus possit habere, nisi prius sibi moriatur. *Prosec.*

32. Qui unam habet et alias non offendit, omnes habet : sed qui unam offendit nullam habet, et omnes offendit. In suis *Opusc. de virtutibus.*

S. GREGOR. MAGNUS. 33. Unaquæque virtus tanto minor est, quanto desunt cæteræ. Lib. 22 *Moral.*, cap. 1.

34. Una virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta. *Ibid.*

35. Valde singula quælibet destituitur, si non una virtus virtuti alii suffragetur. *Ibid.*, lib. 1, cap. 16.

36. Una virtus sine alia, vel nulla est omnino, vel minima, nisi vicissim sua conjunctione fulciatur. *Ibid.*, lib. 21, cap. 3.

37. Neque unaquæque virtus est, si mixta aliis virtutibus non est. *Ibid.*, lib. 1, cap. 20, super illud *Job* I : *Ne forte peccaverint filii mei*, etc.

38. Quanta sit concordiæ virtus ostenditur, cum sine illa virtutes reliquæ, virtutes non esse monstrantur. Homil. 8, super *Ezech.*, in illud *Cant.* VI : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.*

39. Prudentia, temperantia, fortitudo, atque justitia tanto perfectæ sunt singulæ, quanto vicissim sibimet sunt conjunctæ. Lib. 22 *Moral.*, cap. 1.

40. Nec clarescere potest aliquis fulgore virtutis, qui non arserit in officina charitatis. *Ibid.*, lib. 18, cap. 14.

41. Non virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem ad virtutes pertingitur. Homil. 19, super *Ezech.*

42. Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. Homil. 7, super *Evang.*

43. Sine virtute concordiæ, virtutes reliquæ, virtutes non esse monstrantur. Homil. 8, super *Ezech.*

44. Omnes virtutes in conspectu Dei, vicaria ope se sublevant : nec virtutes veræ sunt, si a se invicem aliqua diversitate discordant. *Prosec.*

45. Una virtus sine altera, aut omnino nulla est, aut minima. In *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* III, verso 3.

46. Pudicitia sine comitibus suis, continentia et parcitate, fidem sui facere non potest. Epist. 10, *ad Furiam.* S. HIERON.

47. Qui unam habuerit, omnes videtur habere virtutes participatione, non proprietate. Lib. 1, *dialog. advers. Pelag.*

48. Virtutes hærent sibi, et inter se ita nexæ sunt, ut qui una caruerit, omnibus careat. *Ad Fabiolam.*

49. Quid prodest pudicitia, si cæteras virtutes non habuerit? Lib. 2, super *Hierem.*, cap. VII, super illud I *Cor.* VII : *Ut sit sancta corpore*, etc.

50. Omnes chordæ vestræ vocales sint ; non potest esse cithara, si una chorda defuerit. *Prosec.*

51. Quid tibi prodest, si sis castus, si sis largus in eleemosyna, et invidiosus sis?

52. Quid tibi prodest, si sex chordas integras habueris, et unam ruptam : si una chorda defuerit, perfectus citharæ sonus esse non poterit. Super *Psalm.* XCVII, vers. 7 : *Psallite in cithara.*

53. Frustra habemus virtutes, si non ipsæ virtutes humilitate coronentur. Super *Psalm.* CXXXIII, vers. 1.

54. Ille fructus congregat, qui licet in virtutibus crescat, tamen in omnibus humilitatem servat. Super *Levit.*, cap. XIX. HUGO CARD.

55. Sicut in arca thesaurus servatur, ita per pœnitentiam virtutes custodiuntur. Super *Josue*, cap. XII.

56. Patientia est firmamentum omnium virtutum : nam vidua est virtus quam non patientia firmat. *Ibid.*, cap. XXI.

57. Ad integritatem mentis et corporis conservandam, abstinentia ciborum sola non sufficit, nisi fuerint cæteræ quoque virtutes animæ conjugatæ. Lib. 5, *de Cœnob. Inst.*, cap. 10. JOAN. CASS.

58. Cunctarum virtutum una connexione natura est, licet in multas dividi species et vocabula videantur : nullam perfecte possidere probabitur,

quisquis cli-us in earum parte dignoscitur. *Ibid.*, cap. 11.

59. Nullo modo poterit in anima virtutum structura consurgere, nisi prius jacta fuerint veræ humilitatis in corde fundamenta. *Ibid.*, lib. 12, cap. 32.

JOANNES RYSOST. 60. Sive jejunium, sive orationem, sive eleemosynam, sive continentiam, sive quid aliud boni congregaveris, absque humilitate defluunt, et omnino pereunt. Homil. 6, *ex Divers. in Matth.*

61. Virtus non est, nisi conjunctam habeat humilitatem. Homil. 35, super *Gen.*

N. GERS. 62. Utinam qui virtutes congregat, vel ædificat, saperet et intelligeret, quoniam omnes cum humilitate connexæ sunt, omnes fundatæ, omnes agglutinatæ; qua sublata, fugiunt omnes, nocent et oberunt, velut cedente fundamento, cujus domus omnis inclinata recumbit. Serm. *de Humilit.* in *Cœna Dom.*, consid. 3.

JOAN. RITH. 63. Sic virtus virtuti conjungitur, ut ubi una desit, altera esse non possit. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Hinc.*

64. Si vera desit humilitas, nihil erit aliud virtutum cæterarum congregatio, quam ruina quædam constructæ sine fundamento in sabulo domus. Lib. 1, homil. 19.

ISIDORUS PALENS. 65. Virtutes dum discretionem non servant, in vitia transeunt : nam justitia dum suum modum excedit, crudelitatis sævitiam gignit. *Prosec.*

66. Nimia pietas, dissolutionem disciplinæ parturit : zeli studium, dum plus est, quam oportet, in iracundiæ vitium transit : multa mansuetudo, torporis segnitiem gignit. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 34, sent. 4.

FIRM. 67. Cum justitia sit omnium virtutum mater, si aliæ singulæ tollantur, ipsa subvertitur. Lib. 3, *de Divin. Inst.*, cap. 22.

LAURENT. JUSTIN. 68. Fides vera, spes certa, et charitas sincera, sine humilitate nequeunt custodiri. *De Humilit.*, cap. 12.

LEO I. 69. Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa cœteræ (etsi sint) prodesse non possint. Serm. 5, *de Collectis.*

70. Nudæ sunt omnes sine charitate virtutes : nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit. Serm. 10 *Quadrag.*

TR. BLES. 71. Ipsæ virtutes, nisi patientiæ habeant fundamentum, nomen virtutis et officium perdiderunt. Epist. 31, *ad Abbat. de Fontanis.*

72. Omnes virtutes in charitate requiescunt, et sine charitate nihil est virtus : quia ipsa unicuique virtuti exhibet, ut sit virtus. *Ibid.*, *de Charit.*, cap. 11.

73. Scientia illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti. Serm. 167. S. PETRUS CHRYSOL.

74. Virtutes si separatæ fuerint, dilabuntur. *Ibid.*, serm. 145.

75. Singula quæque vere virtus non est, si mixta aliis virtutibus non sit. *Opusc.* 9, cap. 1. S. PETRUS DAMIANUS.

76. Solent etiam pietatem comitari virtutes cæteræ, a qua non magis divelli possunt; quam umbra a corpore quod in sole versatur. *De Charitate.* PHILO JUD.

77. Omnibus una comes virtūtibus associatur, PRUDENT. POETA.
Auxiliumque suum fortis patientia miscet.
Virtus, nam vidua est, quam non patientia firmat. In *Psychomachia, de pugna patientiæ et iræ.*

78. Ut unaquæque virtus in sua actione justæ æquitatis mensuram teneat, rectæ discretionis metas minime excedat. Part. 1, tit. 1, *de Statu inter. hom.*, cap. 25. RICHARD. A S. VICTORE.

79. Virtutes morales perfectas necesse est ad invicem connexas esse, ut altera esse sine altera non valeat. 1, 2, quæst. 65, art. 1. S. THOMAS AQUINAS.

80. Religio, pietas, observantia, veritas, gratia, vindicatio, amicitia, liberalitas, justitiæ virtutes annexæ sunt. 2, 2, quæst. 80, art. 1.

81. Virtutes tanquam gradus et scholæ sunt inter se cohærentes, atque aliæ ab allis suffultæ, quæ animum in cœlum subvehunt. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 11. IN VIT. PAT.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

82. Justitia in sese virtutes continet omnes. Lib. 5, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1. ARISTOTEL.

83. Cum prudentia, quæ est una, simul insunt universæ virtutes. *Ibid.*, lib. 6, cap. 13.

84. Ne quidem aliæ sine prudentia virtutes sunt neque prudentia absque residuis virtutibus perfecta, verum invicem sese coadjuvant, comitantes prudentiam. Lib. 2 *Magnor. Moral.*, cap. 3.

85. Sine prudentia ne intelligi quidem ulla virtus, ne dum esse potest. Lib. 2 *Tusc. quæst.* CICERO.

86. Si unam virtutem confessus fueris te non habere, nullam necesse est te esse habiturum. *Ibid.*

## VIRTUTUM CONNEXIO IN SPECIE.

SENTENTIÆ PATRUM.

ABSTINENTIA ET CASTITAS.

1. Tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. Part. 2 *Pastoral.*, cap. 3. S. GREGOR. MAGNUS.

2. Pudicitia, nisi per abstinentiam tuta esse non potest. Epist. 22, *ad Eustoch.* S. HIERON.

3. Castitas sine comitibus suis, jejunio videlicet et temperantia, cito lassescit. Homil. 1, super *Psalm.* L. S. JOANNES CHRYSOST.

S. ISIDORUS HISPALENS. 4. Quidam continentes sicut panem cum pondere edunt, ita et aqua cum mensura sumunt; asserentes ad castimoniam carnis, etiam aquæ abstinentiam convenire. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 43, sent. ult.

5. Libidinis ignes, ciborum comites increscunt: corpus autem quod abstinentia frangit, tentatio non exurit. *Ibid.*, cap. 42, sent. 7.

S. LEO I. 6. Non sunt casta jejunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, sed arte fallaciæ. Serm. 4, *de Epiph.*

ABSTINENTIA ET CHARITAS.

S. BERNARD. 7. Quomodo claritas (ut aiunt) lunæ, non nisi a sole est : sic absque charitate, continentiæ meritum, nullum est. Serm. 27, super *Cant.*

S. PROSPER. 8. Cum sine abstinentia quemlibet hominem Catholicum charitas sola perficit : omnis abstinentia aut perdat sine adjunctione charitatis, aut pereat. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 24.

ACTIO ET CONTEMPLATIO.

S. AMBROS. 9. Sancti in cœlum quodammodo conscendunt, cum eos amor divinus ad cœlestia contemplanda elevat : cadunt in terram, cum eos amor proximorum ad ima retrahit. Super *Apocal.*, cap. 8, in illud : *Et cecidit de cœlo stella ardens*, etc.

S. AUGUST. 10. Non sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi : nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 19.

S. BERNARD. 11. Sicut activa vita est sepulcrum sæcularis vitæ : ita contemplativa vita, est monumentum activæ vitæ. Serm. 53, *ad Soror.*

BOETIUS. 12. Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato, et ipsa requies sit plena sapientia, studiis et bonis cogitationibus. *De discipl. scholari.* Et habetur apud Bedam, in *Axiomat. Philos.*, verbo *Non semper*.

S. BONAV. 13. Ubi vita activa terminatur, et perficitur : ibi vita contemplativa ordinate inchoatur, et gradatim sursum tendit et proficit. *De septem itinerib.* itin. 3, dist. 4, art. 4.

CASSIODOR. 14. Vita contemplativa, et activa duo sunt tanquam gemini oculi pulcherrime sociata, qui reddunt illuminatissimum Christianum. Super *Psalm.* XII, vers. ult.

FRANCISC. TITELMAN. 15. Prælati nec penitus inhærere debent terrenis plusquam necesse est, neque ita etiam solis velle inhærere cœlestibus, ut cura negligatur subditorum : sed medio modo quasi inter utrumque habitare ; ut neque omnino occupentur terrenis distractionibus, neque semper inhæreant contemplationis solitudini. Sect. 1, in *Annot. super Psalm.* XCVII, vers. 14 : *Si dormiatis inter medios cleros*, etc.

S. GREG. MAGNUS. 16. In contemplatione principium, quod Deus est, quæritur : in operatione autem sub gravi necessitatum fasce laboratur. *Prosec.*

17. Rachel pulchra, sed sterilis : Lia autem lippa est, sed fœcunda. Quia nimirum mens cum contemplando otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat : cum vero ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt, sed amplius parit. Lib. 6 *Moral.*, cap. 18.

18. Mens nec sic pro amore Dei quietem diligat, ut curam proximi utilitatemque postponat : nec sic pro amore proximi occupationi inserviat, ut quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris extinguat. *Ibid.*, lib. 6, cap. 17, sect. 25.

19. Duæ vitæ, activa videlicet et contemplativa, cum conservantur in mente, quasi duo oculi habentur in facie. *Ibid.*, sect. 26.

20. Magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ vitæ potiora : activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem gaudia melius ex fine convalescunt. *Ibid.*, lib. 6, cap. 18, super illud *Job* V : *Quod auditum mente*, etc.

21. Fideles contemplationis studio proximorum curam non negligant, nec cura proximorum immoderatius obligati, contemplationis studia derelinquant. *Ibid.*, lib. 28, cap. 6, sect. 14.

22. Activa in necessitate, contemplativa in voluntate est : illa in servitute, ista in libertate. Homil. 3, super *Ezech.* super illud *Luc.* X : *Martha satagebat*, etc.

23. Sicut est bonus ordo vivendi, ut ab activa in contemplativam tendatur : ita plerumque a contemplativa animus ad activam reflectitur : ut per hoc quod contemplativa mentem accenderit, perfectius activa teneatur. *Ibid.*, homil. 14.

24. Amor Dei ad contemplativam, amor vero proximi pertinet ad activam. *Ibid.*, homil. 18.

HUGO A S. VICTORE. 25. In activa vita, finis est in labore : in contemplativa vero, nec defectus in bonis, nec terminus in delectatione. Lib. 2, *de Claustr. animæ*, cap. 20.

26. Si ascendere nosti per devotionem mentis, scias et descendere per exercitium boni operis; si nescis descendere, nescis conscendere. Super *Psalm.* CXVIII, cap. 72.

27. Duæ sunt vitæ, activa et contemplativa, activa est in labore, contemplativa in requie : activa in publico, contemplativa in deserto : activa in necessitate proximi, contemplativa in visione Dei. *De Allegor.* in *Marc.*, lib. 3, cap. 3.

HUGO CAR. 28. Non est perfectus prædicator, qui vel propter contemplationis studium, operanda negligit, vel propter operationis instantiam, contemplanda postponit. Super *Genes.*, cap. XIX.

29. Vis ea, in qua inest ratio, partim in con-

templatione, partim in actione versatur. *Prosec.*

JOANNES MASCEN. 30. In contemplatione ea versatur, quæ quemadmodum sese res habent, considerat : in actione autem ea sita est, quæ rectam rebus agendis rationem præscribit.

31. Illa pars, quæ contemplatione gaudet, mentem occupat : ea autem, quæ in actione posita est, rationem. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 27.

JOAN. TRITH. 32. Deficiente Martha, non potest subsistere Maria : Maria de gratia Marthæ vivit, porro Martha de societate Mariæ confidit. In cap. 2, *Regul. S. Bened.*

DOVICUS LOSIUS. 33. Legitimi contemplatores supernaturalisque quietis cultores, ita sanctum otium sectantur, ut tamen bona opera atque exercitia non deserant. In *Speculo spirit.*, cap. 11.

R. CELL. 34. Martha calida utatur, Maria candida : hæc enim actioni, illa contemplationi aptatur : hæc orat, illa laborat : sedet ista, sudat illa : hæc quiescit, illa currit : exit ista, illa intrat : ista inchoat, illa consummat. Lib. 2, epist. 10, *ad Abbatissam quamdam.*

ILO JUD. 35. Sine in actione sola contemplatio scientibus ad nihil est utilis. *De congressu quærendæ erudit. gratia.*

VITIS PATR. 36. Necessaria est Martha Mariæ, propter Martham enim et Maria laudatur. Lib. 3, num. 55.

ENECA. 37. In duas partes virtus dividitur : in contemplationem veri et actionem : contemplationem institutio tradit, actionem admonitio. Epist. 94.

38. Agere et contemplationi vacare, utrumque mihi est : quoniam ne contemplatio quidem sine actione est. *De Beata vita*, cap. 32.

39. Tria genera sunt vitæ, unum voluptati vacat, alterum contemplationi, alterum actioni. *Prosec.*

40. Nec ille, qui voluptatem probat, sine contemplatione est : nec ille, qui contemplationi inservit, sine voluptate est : nec ille cujus vita actioni destinata est, sine contemplatione est.

41. Alterum sine altero non est, nec ille sine actione contemplatur, nec hic sine contemplatione agit. *Ibid.*, cap. 32.

Vide plura tit. *Contemplatio et Actio*, lib. 3.

AMOR ET FIDES.

UGUST. 42. In illa requie, ubi opera servilia jubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei : tunc enim fiunt cum requie opera, cum fides per dilectionem operatur. Lib. 2, super *Exod.*, quæst. 172.

43. Si a fide quisque ceciderit, a charitate etiam necesse est cadat ; non enim potest diligere quod esse non credit. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 137.

44. Sine amore fides nihil prodest. In *Enchir.*, cap. 8.

45. Sine charitate fides potest quidem esse, sed non et prodesse. Lib. 15, *de Trinit.*, cap. 13.

46. Sine dilectione, fides inanis est : cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis. Serm. 1, *Tempore vigiliæ Pent.*

47. Si fides sine dilectione sit, sine opere erit. Super *Psalm.* XXXI, in præfat.

48. Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum : habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. *De prædestinat. sanctor.*, cap. 5.

49. Scivit Dominus qui sunt ejus : horum fides, quæ per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, et deleta quæ intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. *De corrept. et grat.*, cap. 7.

50. Anima fidei, ipsa dilectio est : quid fides, quæ non operatur ex dilectione, nisi cadaver exanime ? Serm. 24, super *Cant.* S. BERNARD.

51. Quomodo rectus est, cujus fides mortua, cujus opus mors, cujus nulla dilectio, amaritudo multa? *Ibid.*

52. Mors fidei, est separatio charitatis : fidem tuam dilectio animet, probet actio. *Ibid.*

53. Sine amore charitatis, quamvis quisque recte credat, ad beatitudinem pervenire non potest. Serm. 5, *de Charit. ad sororem.*

54. Qui Deum amat et legitime credit, idem opera fidei sancte perficit : qui vero tantum credit et non amat, idem neque fidem ipsam, quam habet, videtur habere. *Prosec.* S. [illegible]

55. Levi enim mente credit, in quo pondus gloriæ charitatis non operatur : fides ergo in actione per charitatem posita, magnitudo virtutum est. *De Perfect. spirit.*, cap. 21.

56. Ut quisquam Deum diligat, qui in Deum non credit, fieri nullatenus potest : quia potest unusquisque credere aliquid esse, quod non diligit : diligere vero nemo potest, quod esse non credit. *De Incarnat.*, cap. 26.

57. Fides robusta est, quæ se in dilectione Dei ac proximi exercet. Homil. 16, super *Ezech.* S. GREGOR. MAGNUS.

58. Cum dilectio procul abfuerit, fides pariter abscedit. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.* S. HIERON.

59. Fides et charitas, initium vitæ et finis est : principium vitæ, fides : finis ejusdem, charitas ; S. IGNATIUS MARTYR.

hæc autem duo, quoties in unum coeunt, Dei hominem perficiunt. Epist. 14, *ad Ephesios.*

JOAN. TRITH. 60. Cum dilectione, fides est Christiani; sine dilectione, fides est diaboli. Lib. 1, homil. 3, *ad Monach.*

61. Quanto quisque plus diligit, tanto in fide amplius proficit. *Ibid.*

S. LEO I. 62. Charitas robur fidei, fides fortitudo est charitatis : et tunc verum nomen, ac verus est fructus ambarum, cum insolubilis utriusque manet connexio. *Prosec.*

63. Ubi enim non simul fuerint, simul desunt : quia invicem sibi et juvamen et lumen sunt : nunc sine fide non diligitur, et sine dilectione non creditur. Serm. 7 *Quadrag.*

S. PETRUS CHRYSOL. 64. Non habet charitatem Christi, qui Christo non fideliter credit. Serm. 119.

AMOR ET SPES.

S. AUGUST. 65. Spes sine amore esse non potest, proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes. In *Enchirid.*, cap. 8.

66. Quantumcunque amor sit perfectus in via, est sibi virtus spei conjuncta. Super Lib. 3, *Sent.*, dist. 26, art. 1, quæst. 1.

S. BONAV. 67. Quanto quis magis amat, tanto magis sperat. *Ibid.*, pag. dist. 34, art. 2, quæst. 2.

GLOSS. ORD. 68. Amor et spes sanctorum, bene conjunguntur; amant enim quæ sperant, et sperant quæ amant. Super *Ezech.*, cap. 1.

S. JOAN. CLIM. 69. Spei defectus, exterminatio est charitatis : simul atque illuxit fides, charitas apparuit. Grad. 30.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 70. Spes amorque æternorum, velut geminis alis ad cœlestia homines sublevant. Lib. 1, epist. 20, *ad Gilbert.*

AMOR ET TIMOR.

S. ANSELM. 71. Per timorem, venitur ad amorem : timendus est Deus ut Dominus, amandus ut pater. In *Meditat.*

S. ANTONIN. 72. Cum timor Dei fundetur, et radicetur in charitate : crescente charitate augetur timor; mens, quæ plus est illuminata et inflammata, plus timet. Part. 1, tit. 6, cap. 10, § 4.

S. AUGUST. 73. Ama Dei bonitatem, time severitatem : amando enim times, ne amatum et amantem graviter offendas. *De sancta Virgin.*, cap. 38.

74. Timor castus non recedit a charitate : si non amas, time, ne pereas : si amas, time, ne displiceas. *Ibid.*

75. Pietas timore inchoatur, charitate perficitur. *De vera Relig.*, cap. 17.

76. Cupiditatis minuendæ initium est, Deum timere, qui solus timeri sine amore non potest. *Quæst.*, quæst. 36.

77. Multum movet Dei amor et timor : timor Dei, quia justus est; amor, quia misericors. Super *Psalm.* LXX.

78. Absit ut timore pereat amor, ubi castus est timor. Super *Psalm.* CXVIII.

79. Amor inflammat, timor humiliat : humiliat et bonus timor, accendit et bonus amor. Super *Psalm.* LXXIX, vers. 17.

80. Sicut omnia justa opera bono timore, et bono amore fiunt : sic malo amore, et malo timore omnia peccata committuntur. *Ibid.*

81. Ad omne recte factum, amor et timor ducit : ut facias bene, Deum amas et times Deum : ut autem facias male, amas mundum, et times mundum. *Ibid.*

82. Non intrat charitas incomitata, habet secum suum timorem, quem introducit, sed illum castum permanentem. Serm. 18, *de Verb. Apost.*

S. BERNA[RD.] 83. Servilis est timor, quandiu ab amore non manumittitur. Serm. 83, super *Cant.*

84. Præcedit timor, ut sequatur justificatio : timore vocamur, amore justificamur. Epist. 107, *ad Thomam præposit.*

85. Nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis. Epist. 258.

86. Timor Domini sanctus, et sanctus amor : his perfecte affecta anima veluti quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, et ait : Tenui eum nec dimittam. Lib. 5, *de Consider.*

S. BONA[V.] 87. Non solum oportet Deum diligere, sed et ipsum amando timere. Serm. *de Angelis.*

88. Quanto quis magis amat, tanto minus timet. Super lib. 3, *Sent.*, dist. 34, art. 2, quæst. 2.

CASSIOD[OR.] 89. Qui Deum bene timet, et amat : qui bene amat, et timet. Super *Psalm.* XXXII, vers. 18.

90. Ille timor Deo probatur acceptus, qui cum amore maximo, et pia præsumptione conjungitur. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 6.

91. Timeat ergo unusquisque, ne peccet : amet ut supplicet. *Ibid.*

92. Qui ab humano timore longo discretus est, sic formidat, ut diligat : sic quærit ut nunquam desinat amare quem metuit. Super *Psalm.* CXVIII, vers : *In timore tuo*, etc.

S. CYPR[IAN.] 93. Deum toto corde diligere, est amare in illo quod Pater est, timere, quod Deus est. *De orat. Domin.*, cap 7.

S. DIADO[CH.] 94. Nemo potest in sensu cordis Deum amare, nisi prius toto corde eum timeat. *De Perfect. spirit.*, cap. 16.

95. Metus Dei cum mediocri charitate, eorum est qui adhuc purgantur : perfecta vero charitas

eorum, qui jam purgati sunt, non amplius habet timorem, sed ardorem. *Ibid.*

EBERT. GLUS. 96. Causis distant timor et amor, obsequio vero et affectu libero sunt cognati. Serm. 19, super *Cant.*

REGOR. GNUS. 97. Ex initio timoris, ad vinculum perducimur magnæ charitatis. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. 5.

LARIUS 98. Timor Domini omnis in amore est, motumque ejus dilectio perfecta consummat. In *Exposit.*, *Psalm.* CXXVII.

O A S. TORE. 99. Timor Domini charitatem adducit : quia dum docet timere periculum, facit amare præsidium. Lib. *de Arca Noe*, cap. 1.

O CARD. 100. Timor et amor sunt duo calcaria, quibus equus Domini, idest justus, a lateribus pungitur, ut velocius currat. Super *Ecclesiasten*, cap. 22.

101. Timor sine chariiate, parum aut nihil valet. Super *Isaiam.*

OANNES YSOST. 102. Donec homo timet Deum, non eum diligit : cum autem diligere cœperit, jam non eum tantummodo timet, sed etiam amplius diligit : timere, servorum est; diligere autem, filiorum : timor sub necessitate est, dilectio in libertate. Homil. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

OAN. RITH 103. Cum audis, quod Dominus tuus dulcis est, attende quid diligas : cum audis, quod rectus, attende quid timeas : ut amore et timore Dei excitatus, legem ejus custodias. Super *Prologum Regulæ sancti Benedicti*, cap. 2, text. 1.

T. FIRM. 104. Deo ab homine duplex honos, idest, amor cum timore debetur. In *Epitome divin. Inst.*, cap. *Nam.*

ROSPER. 105. Nulla res sic nos ab omni peccato servat immunes, sicut timor supplicii et amor Dei. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 10.

VIANUS. 106. Semper in amore cautela est : nemo enim melius diligit, quam qui maxime veretur. Epist. 4, *ad Parentes.*

OPHYL. 107. Neque charitas timoris expers deficiat, neque timor a dilectione sejunctus injucundus sit, et ingratus. Super *Epist.* II, *ad Cor.*, cap. VI.

NIUS II. 108. Frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit. In *Panegyrico de Trajano Augusto.*

NECA. 109. Deum time prius, et ama, ut ameris a Deo. *De Quatuor virt.*

### CASTITAS ET ABSTINENTIA. *Vide* Abstinentia et Castitas.

#### CASTITAS ET CHARITAS.

RNARD. 110. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo : subtrahe oleum, lampas non lucet : tolle charitatem, castitas non placet. Epist. 42, *ad Henric. Senonens. archiep.*

111. Quantalibet venustate sui castitas eminere appareat, tamen nec pretium habet, nec meritum. *Ibid.*

S. EPHRÆM. 112. Castitatem corporis tui, una cum charitate custodi : nam charitas mater virtutum est, castitas autem lucerna ac firmamentum. *Ad Monachos*, parænes. 46.

GILLEBERT. ANGLUS. 113. Castitas ipsa si non fuerit charitate condita, quid tibi suavis odoris refundet? Serm. 2, super *Cant.*, inter opera D. Bernardi.

GLOSS. ORD. 114. Nihil est castitas carnis, si non adsit mentis suavitas in amore proximi. Super *Job*, cap. 5.

S. GREGOR. MAGNUS. 115. Antiquus inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet. Homil. 8, super *Ezechiel.*, in illud *Cant.* VI : *Ut castrorum acies ordinata.*

JOAN. CASS. 116. Charitas et castitas tanta sibi societate fœderantur, ut una absque altera nequeat possideri. Collat. 12, *Abbat. Chæremon.*, cap. 1, *de Castit.*

#### CASTITAS ET HUMILITAS.

S. AMBROS. 117. Decet quanto castior virgo, tanto humilior sit. Lib. 2, super *Luc.*, cap. I, in illud : *Exurgens autem Maria*, etc.

V. BEDA. 118. Custos castitatis, est virtus humilitatis. In suis *Prov.*, verbo *Custos.*

S. BONAV. 119. Castitas et humilitas sunt pedissequæ sapientiæ. Serm. 2, in *Hexam.*

S. GREGOR. MAGN. 120. Sic mentem necesse est per munditiam erigi, ut tamen sollicite debeat in humilitate substerni. Lib. 3 *Moral.*, cap. 17, num. 23.

121. Castitas in ejus corde vera non est, cui humilitas deest. Lib. 22 *Moral.*, cap. 1.

122. Per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. *Ibid.*, lib. 26, cap. 13, num. 12.

JOAN. CASS. 123. Castitas apprehendi non potest, nisi prius humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata. Lib. 6, *de Spiritu fornicat.*, cap. 18.

THOMAS A KEMPIS. 124. Humilis et castus vincit dæmones, et terret impudicos. In *Hortulo Rosar.*, cap. 9, sect. 3.

Vide etiam titul. *Virginitas et Humilitas* hic infra.

#### CASTITAS ET OPERATIO.

S. GREGOR. MAGN. 125. Redemptori nostrum unum sine altero placere nequaquam potest : si is qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet : nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate. Homil. 13, super *Evang.*

S. HIERON. 126. Absque cæteris operibus, virginitas sola non salvat. Lib. 1, *adversus Jovinian.*

#### CASTITAS ET SCIENTIA.

JOAN. 127. Impossibile est scientiam spiritalem, sine

integritatis castimonia possideri. Lib. 6, *de Spirit. fornicat.*, cap. 18.

CASTITAS ET TIMOR.

S. JOANNES CHRYSOST. 128. Ubi timor Dei est, ibi et castitas est : ubi autem non est timor Dei, ibi neque castitas est. Homil. 1, *Oper. imperf. super Matth.*

CHARITAS ET CASTITAS. *Vide* Castitas et Charitas, *supra.*

CHARITAS ET ELEEMOSYNA. *Vide* Eleemosyna et Charitas, *infra.*

CHARITAS ET FORTITUDO.

RUPERTUS. 129. Vera fortitudo nunquam sine charitate est: et tunc vere in spiritu fortitudinis res agitur, cum fortissime charitatis societate ipsa fortitudo vallatur. Lib. 6, *de Spirit. sancto*, cap. 6.

S. AUGUST. 130. Ubi charitas, ibi pax : et ubi humilitas, ibi charitas. In præfat. super *Epist. Joan.*

CHARITAS ET HUMILITAS.

S. BERNARD. 131. Ubi fervet charitas, non desit humilitas. *De Passione*, cap. 31.

S. CÆSARIUS ARELAT. 132. Nunquam vera humilitas sine charitate, aut fuit aut esse potuit aliquando. *Prosec.*

133. Quia sicut ignis sine calore vel splendore, omnimodo non est : ita charitas sine humilitate esse non potest. Homil. 36.

DIONYSIUS CARTHUS. 134. In charitate non crescit, nec proficit, nisi qui in vera humilitate crescit. *De profess. Monast.*, art. 1.

S. ISIDORUS HISPALENS. 135. Sine humilitate, et sine charitate virtus quælibet ut vitium deputatur. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 38.

LUDOVICUS BLOSIUS. 136. Humilitati charitas semper conjuncta est, et charitati humilitas : neque fieri potest, ut quis charitatem habeat, si humilis non sit. In *Speculo spirit.*, cap. 8.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 137. Unde abest, charitas, abest et humilitas : et unde abest humilitas, abest et charitas. Lib. 4, epist. 17, *ad S. Bernard.*

138. In nullo hæ virtutes (scilicet humilitas et charitas) ab invicem dividuntur, et ambarum est tam indiscreta connexio; ut qui in una earum construitur, simul utraque potiatur. *Prosec.*

S. PROSPER. 139. Sicut enim pars charitatis est, humilitas : ita pars humilitatis est, charitas. Epist. *ad Demetriad.*

THOMAS A KEMPIS. 140. Via ad charitatem est, descendere per humilitatem : nam qui elate de se sentit, longe a charitate recedit. *De Discipl. claustr.*, cap. 11, sect. 1.

S. VALER. 141. Humilitas, charitatis est juncta consortio. Homil. 14, *de Bono humilit.*

CHARITAS ET JEJUNIUM. *Vide* Jejunium et Charitas, *infra.*

CHARITAS ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Charitas, *infra.*

CHARITAS ET MISERICORDIA. *Vide* Misericordia et Charitas, *infra.*

CHARITAS ET OBEDIENTIA. *Vide* Obedientia et Charitas, *infra.*

CHARITAS ET OPERATIO.

142. Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio. Tract. 75, *in Joan.* S. AUGU

143. Opus suum probet unusquisque, utrum de vena charitatis emanet. Tract. 6, in *Epist. Joan.*, cap. 9.

144. Tunc est vere opus bonum, cum charitate jaculatur agentis intentio, et tanquam ad locum suum rediens, rursus in charitate requiescit. *De Cathechiz. rudib.*, cap. 11.

145. Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur. De Gratia Christi, cap. 26, ante fin.

146. Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Super *Psalm.* LXVII, vers. 36.

147. Sine charitate nullum opus perfectum est : ipsa enim est virtus de qua dicitur; Qui habet unam, habet omnes : et qui non habet illam, quod habet auferetur ab eo. *De Passione*, cap. 42. S.BERNA

148. Opera facta extra charitatem, nunquam reviviscunt : cum fuerint sine radice. Serm. 4, *Dom.* 17, *post. Pent.* S. BONA

149. Sicut panis cum omni cibo sumitur ; charitas cum omni opere debet esse. *Prosec.*

150. Sicut mensa inops est sine pane, ita opus inops est sine charitate. Super *Psalm.* XL.

151. Diligere te Deum, proba operibus : non enim est vera dilectio, quæ negligit operari. Super *Prov.*, cap. IV. HUGO CA

152. Omne opus, cujus radix charitate non figitur, cito dissipatur. Orat. 1, in *Conventu Abbat. habita.* JOAN. TRITH

153. Opera eo fiunt superno judici gratiora, quo ardentiori fuerint facta charitate. *De Discipl. monast. conversat.* S.LAURE JUSTIN

154. Quandiu quis a charitate non deviat, non erit infructuosum quod egerit : quia meritum non amittit, quidquid ex charitate fit. Part. 2, super *Cant.*, cap. XVIII. RICHARD S. VICTO

155. Sine charitate opus externum nihil prodest : quidquid autem ex charitate agitur, quantumcunque etiam parvum sit et despectum, totum fructuosum efficitur. Lib. 1, *de Imit. Christi*, cap. 15, sect. 2. THOMAS KEMPIS

CHARITAS ET SCIENTIA. *Vide* Scientia et Charitas, *infra.*

CHARITAS ET VERITAS.

.AURENT. USTIN. 156. Veritatis semitas non declinet, quicunque ad charitatis arcem festinat ascendere. *Prosec.*

157. Si vicissim inserviunt veritas et charitas : neque sine charitate veritas, neque absque veritate charitas valet subsistere. *De Ligno vitæ*, tract. *de Charit.*, cap. 2.

CHARITAS ET ZELUS. *Vide* Zelus et Charitas, *infra.*

DILECTIO ET VIRGINITAS. *Vide* Virginitas et Dilectio, *infra* : et Castitas et Charitas, *supra.*

DISCIPLINA ET HUMILITAS. *Vide* Humilitas et Disciplina, *infra.*

DISCRETIO ET HUMILITAS. *Vide* Humilitas et Discretio, *infra.*

DISCRETIO ET JEJUNIUM. *Vide* Jejunium et Discretio, *infra.*

DISCRETIO ET INTENTIO. *Vide* Intentio et Discretio, *infra.*

DISCRETIO ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Discretio, *infra.*

DISCRETIO ET MAGNANIMITAS.

:GOCARD. 158. Discretio sine magnanimitate, iners est : magnanimitas sine discretione, præceps est. Super *Genes.*, cap. XXII.

DISCRETIO ET MISERICORDIA. *Vide* Obedientia et Discretio, *infra.*

DISCRETIO ET OBEDIENTIA. *Vide* Obedientia et Discretio, *infra.*

DISCRETIO ET OPERATIO. *Vide* Operatio et Discretio, *infra.*

DISCRETIO ET ZELUS. *Vide* Zelus et Discretio, *infra.*

DOCTRINA ET FIDES.

JOANNES IRYSOST. 159. Ille credendo docet, qui facit quod docet : qui autem non facit bonum quod docet, non credit bono : qui non credit bono, non docet in fide : qui autem cum fide non docet, infelix est servus ; quia alios quidem docet, se vero negligit. Homil. 51, super *Matth. Oper. imperf.*, in illud : *Beatus ille servus*, etc.

DOCTRINA ET OBEDIENTIA.

GREGOR. AGNUS. 160. Ille recte loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda. Homil. 10, super *Ezech.*

LEO I. 161. Inflat scientia, nisi ædificet obedientia. Serm. *de Machab.*

162. Ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Epist. 87, *ad Episc. African.*,

DOCTRINA ET PATIENTIA.

163. Per impatientiæ vitium, ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur : doctrina enim viri, per patientiam noscitur. *Prosec.* GREGOR. MAGNUS.

164. Tanto quisque minus ostenditur doctus quanto convincitur minus patiens ; neque enim potest veraciter bona docendo impendere, si vivendo nesciat æquanimiter aliena mala tolerare. Homil. 35, super *Evang.*

DOCTRINA ET SAPIENTIA.

165. Cum rectis dogmatibus sapientiam conjungere oportet ; quod si ambæ permisceantur et copulentur, tum perfecta et suprema gloria elucet. Lib. 3, epist. 403, *ad Cassian.* S. ISIDORUS PELUSIOTA.

DOCTRINA ET VITA.

166. Ante vita quam doctrina quærenda est : vita enim bona et sine doctrina habet gratiam, doctrina sine vita integritatem non habet. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 1. S. AMBROS.

167. Sicut qui justus solum foris videtur, intus vero est fœtidus ; sic est doctrina sine vitæ innocentia. *Ibid.*

168. Doctrina non potest mercedem habere, ubi gratia non habet vitæ innocentiam. *Ibid.*

169. Vita verbum exigit, et requirit : sermo autem sine vita, non est sermo Dei. Lib. 5, super *Luc.*, cap. VI, in illud : *Beati pauperes*, etc.

170. Nihil tam periculosum, quam si professioni gesta repugnent. Super I *Timoth.*, cap. V, in illud : *Quædam deerraverunt post Satanam.*

171. Multi intellectum quem acceperunt alios docendo super Christum ædificant, sed per mala opera destruunt in se quod ædificaverunt. Super *Apocal.*, cap. XXI, in illud : *Habens fundamenta duodecim*, etc.

172. Viva est loquela cum loquuntur et opera : S. ANTONIUS DE PADUA. cessent, obsecro, verba, loquantur opera : verbis sumus pleni, sed operibus vacui. Serm. 2. *Pent.*

173. Quid refert si græce loquantur, et animo S. ATHANAS. barbari simus? quid prodest, si concinnus est sermo, et mores sint inconcinni ? Homil. *de Semente.*

174. Habet ut obedienter audiatur (quantacunque granditate dictionis) majus pondus vita dicentis. Lib. 4, *de Doctrina christ.*, cap. 27. S. AUGUST.

175. Doctor eligat bonam vitam, ut etiam bonam non negligat famam. *Ibid.*, cap. 28.

176. Doctrinæ verba, paucis prosunt sine factis. V. BEDA. In suis *Proverbiis*, verbo *Doctrinæ.*

177. Bene loqui et male vivere, nihil est aliud, nisi seipsum damnare. *Ibid.*, verbo *Bene.*

178. Cadens apertos oculos habet, qui recte quidem loqui scit, sed recte vivere contemnit. *Ibid.*, verbo *Cadens.*

179. Sine doctrina, vita est quasi mortis imago, *Ibid.*, verbo *Sine.*

180. Non sit fructuosus suus sermo doctori, nisi ipse prior faciat bona quæ docet. Lib. 2, super *Esdram*, cap. XII, in illud : *Retribuetur ei,* etc.

181. Sermo doctoris in potestate sit cum ea quæ docet operatur : nam qui actis ipse sua dicta destruit, contemnitur. Lib. 2, super *Luc.*, cap. IV, in illud XII : *In potestate erat sermo ipsius.*

S. BERNARD. 182. Tantum lucere, vanum est : tantum ardere, parum : ardere autem et lucere, perfectum est. Serm. *de Nativitate B. Joan. Bapt.*

183. Digna res est, ponere in lumine lumen absconditum : ne sibi soli vivat, qui et alios ad vitam trahere possit. Epist. 155, *ad Innocent. Pap.*

S. BONAV. 184. Prior debet esse vita bona, quam doctrina authentica. Super *Luc.*, cap. VII, in illud : *Sed quid existis videre ?* etc.

185. Doctrina verborum sine exemplis operum, est sicut cæmentum sine calce, aridum et invalidum. *Prosec.*

186. Tenacius inhæret doctrina operum, quam verborum. *De sex alis Seraphin.*, cap. 6.

187. Docendum est verbo, et erudiendum exemplo vitæ : docere enim solo verbo est vanum, erudire solo exemplo est parum, sed utroque modo est perfectum. Serm. *Dom.* 1 *post Pascha.*

188. Necessarius ordo est, ut homo prius faciat, quod postea doceat : ut prius bene vivat, quam audeat prædicare. Serm. 3, *de SS. Apostolis.*

189. Bona vita nunquam est otiosa. Super *Luc.*, cap. XV, in illud : *Erat filius ejus senior in agro.*

190. Spiritualis quisque prædicator studet summopere contra maleficos rumores adversantium, et defendere loquendo quod vivit, et ornare vivendo quod dicit. Lib. 4 *Pharetr.*, cap. 15.

CASSIODOR. 191. Ipsa est suavissima virtus harmoniæ, quando vox cognoscitur operibus consonare. Super *Psalm.* C, vers. 2.

S. CYPRIAN. 192. Auditores doctrinæ dicta facere contemnunt, cum prædicatoris opera a prædicationis verbis discrepare conspiciunt.

192. Nunquam fit efficax prædicantis auctoritas, nisi eam affectu operis cordi affixerit audientis. *De Duodecim Abusion.*, cap. 1.

194. Bene atque utiliter prædicatur, si id quod ore promitur, factis impleatur. *De zelo et livore*, cap. 4.

195. Nihil prodest verbis proferre virtutem, factis destruere veritatem. *De Mortalit.*, cap. 8.

196. Christus in verbis fuit doctor, et consummator in factis : docens quid fieret, et faciens quodcunque docuisset. *De Lapsis*, cap. 3.

S. EPHR. 197. Vere sapiens est, qui quod verbo docet, etiam opere præstat. *Ad Monachos.*, parænes. 1.

S. EUSEB. CÆSAR. 198. Valet facere sine prædicare, sed non prædicare sine facere : multo plus meretur qui facit et prædicat, quam qui facit et tacet. Epist. *ad Damasum Pap. de morte D. Hieronymi*, quæst. 61.

199. Si bonum solus facio, mihi soli prosum : sed si prædicans facio, et mihi et aliis prosum. *Ibid.*

200. Subtilium verborum prædicator tantum, et non operum, est quædam levis aurium inflatio et veritatis fumus, cito sine fructu pertransiens. *Ibid.*

201. Qui scit et solum facit, et alios non docet, tenebitur Domino reddere rationem. *Ibid.*

S. FRAN. ASSISI. 202. Servus Dei sic debet vita et exemplo in seipso ardere et fulgere ; ut luce exempli et lingua sanctæ conversationis omnes impios reprehendat. Colloq. 39.

203. Tantum habet homo scientiæ, quantum operatur : et tantum est religiosus bonus orator, quantum ipse operatur. *Ibid.*, oracul. 7.

S. FULG. 204. Nec lectio desit operibus bonis, nec bona opera desint studio lectionis. Epist. 6, *ad Theodor.*, cap. 9.

GLOSS. 205. Vere docet, qui facit quod docet, aliter condemnat seipsum. Super *Matth.*, cap. V, in illud : *Sic luceat lux vestra,* etc.

206. Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent auditoribus, nec fama sine opere proficit; sine quibus forma veri sacerdotis non commendatur. *Ibid.*, cap. IV, in illud : *Et abiit opinio,* etc.

S. GREG. NAZ. 207. Cum a vitiis caro restringitur, cum mens virtutibus exercetur, restat ut loquendo quisque doceat alios vitam, quam moribus servat. Lib. 6 *Moral.*, cap. 16, num. 23.

208. Ille bene loquendi facundiam accipit, qui sinus cordis ad perfecte vivendi studia extendit : nec conscientia loquentem præpedit, cum vita linguam antecedit. Lib. 6 *Moral.*, cap. XVI, num. 24, in illud *Job* V : *Et scies quoniam multi,* etc.

209. Ille uberes fructus prædicationis colligit, qui semina bonæ operationis præmittit. *Ibid.*

210. Loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur : sermones Dei post se prædicator projicit, cum hoc quod dicit, facere contemnit, et cum respuit opere, quod prædicat voce. *Ibid.*, lib. 19, cap. 5.

S. GREG. MAGNUS. 211. Prædicator, qui a suis vocibus moribus discrepat, jejunus serit quod alius manducabit : quia suo semine non pascitur, quando a verbi sui rectitudine prava actione vacuatur. *Ibid.*, lib. 21, cap. 8.

212. Doctor Ecclesiæ si aliter docet, quam vivat, ipso jejuno alius quod seminatum est comedit : et sæpe quod gignit verbo, occidit exemplo. *Prosec.*

213. Doctoris progenies eradicatur, quando is, qui per verbum nascitur, per exemplum necatur : quia quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit. *Ibid.*

214. Quisquis juxta hoc quod loquitur non vivit : quos verbo genuit, a stabilitate rectitudinis opere evellit. *Ibid.*

215. Cum imperio vere docetur, quod prius agitur quam dicatur : doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. *Ibid.*, lib. 23, cap. 7, num. 13.

216. Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat. Part. 2, *Pastoral.*, cap. 3.

217. Boni prædicatores antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt operibus clament. *Ibid.*, part. 3, cap. 6.

218. Boni prædicatores prius propria crimina fletibus curent : et tunc quæ aliorum sunt punienda denuntient. *Ibid.*

219. Ad regnum æternæ beatitudinis pervenire non valet, qui non vult opere implere quod docet : cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Homil. 12, super *Evang.*

220. Qui in occulto bene vivit, sed alieno profectui minime proficit, carbo est : qui vero in imitatione sanctitatis positus, lumen ex se rectitudinis multis demonstrat, lampas est ; quia et sibi ardet, et aliis lucet. Homil. 5, super *Ezech.*, in illud : *Quasi aspectus lampadarum.*

221. Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet : unde necesse est, ut qui verbum Dei loquitur, prius studeat scire qualiter vivat, ut postea ex vita colligat, quæ et qualiter dicat : ad prædicandum plus conscientia sancti amoris ædificat, quam exercitatio sermonis. *Ibid.*, homil. 10.

222. Qui vitam suam interius pensat, et exemplo suo foris admonendo alios ædificat, quasi in corde linguæ calamum tingit : in eo quod manu verbi proximis exterius scribit. *Ibid.*.

223. Quanto sanctior est vita doctoris, tanto sit humilior sensus audientis. *Ibid.*, homil. 18, in illud : *Et pavimentum in fronte portarum*, etc.

224. Quod lingua loquitur, attestetur conscientia. Lib. 1, in *Registro*, indict. 9, cap. 2, epist. 2, *ad Justin. Prætor.*

225. Studendum est, ut vestræ voces actibus adjuventur. *Ibid.*, lib. 9, indict. 4, cap. 45.

226. Pastor Ecclesiæ, qui vitæ sanctitatem habet, et divinæ prædicationis virtutem non habet, sacerdos quidem est, sed non divinus. *Prosec*

227. Si verbi autem facundiam retinet sine vitæ sanctitate, et si divinus esse cernitur, sacerdotii honore nequaquam decoratur, quia quod sublimiter prædicat, terrena actione conculcat. Lib. 3, in I *Reg.*, cap. 4.

228. Inutilis est actio sine sermone, et sermo sine actione. Orat. 20, in *Funere sancti Basilii.*

229. Oportet ut hi, qui verba credentibus nuntiant, operibus etiam vitæ clamare non desistant. Super *Apocal.*, cap. 10. HAYMO.

230. Ornamentum vitæ, doctrina : firmamentum verbi, opus : ille recte tractat, qui exemplis sua dicta confirmat. Super II, *ad Tim.*, cap. II, in illud : *Recte tractantem*, etc. S. HIERON.

231. Talem te exhibe, ne contemni possis : vita enim auctoritatem tribuit verbo. Super *Epist. ad Tit.*, cap. II, in illud : *Nemo te contemnat.*

232. Tunc doctrina doctorum suavitas est, cum doctrina pariter et vita consentiunt. *In Regula monachor.*, cap. 6, *de Correct. et doctrina.*

233. Caput artis est docere quod facis : prius faciamus, et sic doceamus, ne doctrinæ auctoritas cassis operibus destruatur. *Ibid.*

234. Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facias ? Epist. 2, *ad Nepotian.*

235. Perdit auctoritatem docendi, cujus sermo opere destruitur. Epist. 51, *ad Oceanum.*

236. Qui Ecclesiæ futurus est princeps, habeat eloquentiam cum vitæ integritate sociatam, ne opera absque sermone sint tacita, et dicta factis deficientibus erubescant. Super *Epist. ad Tit.*, cap. I, in illud : *Sunt multi et non subditi*, etc.

237. Tunc doctrinæ est sanitas, cum doctoris doctrina pariter et vita consentiunt. *Ibid.*, cap II, super illud : *Quæ decent sanam doctrinam*, etc.

238. Nihil prodest aliquem exercitatum esse in dicendo, et ad loquendum trivisse linguam : nisi plus exemplo docuerit, quam verbo. *Prosec.*

239. Qui impudicus est, quamvis disertus sit, si ad castitatem audientes cohortetur, sermo ejus infirmus est, et auctoritatem non habet cohortandi. Econtrario, quamvis sit rusticanus et tardus ad loquendum, si castus fuerit, exemplo suo homines potest ad vitæ similitudinem impellere. *Ibid.*

240. Non qualem quis verbis referat, sed qualem se rebus efficiat, spectemus : regnum cœlorum sola verborum officia non obtinent. Super *Matth.*, canon. VI in illud : *Attendite a pseudoprophetis.* S. HILARIUS.

241. Tam vita quam doctrina clarere debet doctor ecclesiasticus : nam doctrina sine vita, arro- HUGO A S. VICTORE.

gantem; vita sine doctrina, inutilem facit. Serm. 57, *de Diversis*.

242. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ut quod docet verbo, demonstret exemplo. *Ibid.*

243. Vera est illa doctrina, quæ vivendi sequitur formam. *Ibid.*

244. Nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque prædicat, explere opere negligat: tunc prædicatio utiliter profertur, quando efficaciter opere adimpletur. *Ibid.*

245. Quod lingua non explicat, vita bona commendat. Lib. 5, in 4 *Cœlest. Hierarch.*

HUGO CARD.

246. Tota vita et opera prædicatoris debet sapientia, sive doctrina circumdari: ut quod docet, faciat, et quod facit, doceat. Super *Ecclesiastic.*, cap. 21.

247. Prælatus Ecclesiam pascere debet pane doctrinæ et sustentare exemplo bonæ vitæ. Super *Josue*, cap. 21.

248. Sicut vitium est, prius infundere, quam infundi: ita vitium est, semper infundi, et nunquam infundere. Super *Genes.*, cap. 46.

249. Doctrina nunquam accepta erit, nisi vita doctoris prius accepta fuerit. Super *Sapient.*, cap. 7.

250. Doctrina sine vita, est lucerna sine oleo: doctrina lucida, et vita tenebrosa, res est monstruosa. Super *Luc.*, cap. 8.

251. Bona vita prolocutrix est prædicatoris. Super *Joan.*, cap. 12.

252. Sunt doctorum quidam, qui lucent et ardent; quidam, qui ardent et non lucent; quidam, qui lucent et non ardent; quidam, qui nec lucent, nec ardent. Super *Apocal.*, cap. 10.

253. Doctrina, quæ in perfecta charitate, vel operibus bonis non est consummata, cito destruetur. Super *Sapient.*, cap. 4.

S. JOANNES CHRYSOST.

254. In judicio sedens, si bene vixeris et bene docueris, omnium judex es: si autem bene docueris et male vixeris, tui solius condemnator es. *Prosec.*

255. Bene vivendo et bene docendo, populum instruis quomodo debeat vivere: bene autem docendo et male vivendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. Homil. 43, super *Matth. Oper. imperf.*

256. Qui docet, verborum suorum fit ipse exemplum: ut magis opere doceat, quam sermone. *Ibid.*, homil. 9.

257. Qui docet et facit quod docet, vere ille docet; qui autem non facit quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat. *Prosec.*

258. Melius est facere et non docere, quam docere et non facere: quoniam qui facit, etsi tacuerit, aliquos corrigit, suo exemplo: qui autem docet et non facit, nominem corrigit sed multos scandalizat. *Ibid.*, homil. 10.

259. Omnis doctor hypocrita est, qui non prius facit bona, et postea docet. *Ibid.*, homil. 17.

260. Nulla bonorum dogmatum ad salutem utilitas, si vita vitiorum sordibus scateat, et inquinetur. Homil. 3, super *Joan.*

261. Nihil prodest vita bona cum prava doctrina: et nihil prodest sana doctrina, cum vita corrupta. *Ibid.*, homil. 65.

262. Qui facit quod docet, et qui quod imperat complet, maximus in cœlestibus sententia Domini declaratur. Sed qui quod docet negligit, et qui quod audit, contemnit, salutis reus existit. Homil. 7, *ex Divers. in Matth.*

263. Nihil Doctore frigidius, qui verbis duntaxat et non operibus philosophatur: non enim hoc doctoris est, sed histrionis et hypocritæ. Homil. 1, super *Acta Apostol.*

264. Majus hoc damnum est, quando bene quis docet verbis, et operibus doctrinam impugnat; hoc multorum in Ecclesia malorum causa est. *Ibid.*, homil. 30.

265. Docere et non facere, non solum lucri nihil, sed etiam damni plurimum confert. Lib. 1, *de Compunct. cordis.*

266. Perfectus ille est, qui cum fide vitam habet rectam. Homil. 9, super *Epist. ad Hebr.*

267. Si doctor verbis quidem doceat ac philosophetur, operibus contraria fecerit, nondum doctor erit. Serm. 12, *ad Philipp.*

268. Doce me per vitam, hæc est optima doctrina: non enim disciplinæ, tam a verbis, quam a factis animæ solent intromitti. *Prosec.*

269. Majus enim damnum, cum aliquis bene verbis docens, per opera doctrinam impugnat: hoc fuit multorum in Ecclesiis malorum causa, hoc Ecclesias subvertit. Homil. 38, *ad Popul. Antiochen.*

270. Adjicit doctrinæ auctoritatem, bona vita Doctoris. Homil. *de Erudit. disciplinæ.*

JOAN. TRITH.

271. Quidnam est scientia sine vita, nisi pannus menstruatæ? In cap. 2, *Regul. S. Bened.*, verbo *Hinc.*

272. Si vis alios docere, ut bene vivant, stude teipsum prius exercere, ut bene præcedas. *Prosec.*

273. Nam doctrina sine exemplis, aut exempla sine doctrina, quæ utilitas utrisque? quantum sibi prodest bene vivendo, tantum subditis nocet tacendo.

274. Doctrina autem cum exemplaritate, et exempla cum doctrina optime conveniunt. *Ibid.*

275. Quid proderit tibi verbo docere, si linguæ

vita repugnet? vita bona tibi, doctrina subjecto. *Ibid.*

276. Doctrina sine moribus, doctorem perimit: vita sine doctrina, inutilem facit. *De Instit. vitæ sacerdot.*, cap. 1.

277. Caret efficacia sermo in corde auditoris, quem vituperat conversatio prædicantis. *De Ruina monast. ord.*, cap. 10.

278. Non sufficit tibi verborum tantum locutio, nisi sermonem bonum melior vita commendet: nam doctrina sine moribus, occidit doctorem; vita sine sermone, negligit gregem. Epist. 4, *ad Nicolaum presbyt. Mernicensem.*

279. Qui facit quod docet, bonos verbo, instruit, exemplo roborat, sapientia decorat : et quos verbo corrigere non valet, plerumque exemplo emendat. In *Prologo Regulæ S. Bened.*, cap. 1.

ISIDORUS HISPAL.

280. Doctoris vitio etiam ipsa vera doctrina vilescit, quia dum non vivit sicut docet, ipsam quam prædicat veritatem contemptibilem facit. Lib. 8, *de Sum. bono*, cap. 37, sent. 1.

281. Tam doctrina, quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor : nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. *Ibid.*, cap. 36, sent. 1.

282. Verbum præcedant opera : quæ ore promis, opere adimple : quæ ore doces, exemplis ostende : non enim est satis laudare quod dicis, nisi dictis facta conjunxeris. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 14.

283. Arcus perversus est lingua magistrorum docentium bene, et viventium male : et ideo quasi ex perverso arcu sagittam emittunt, dum suam pravam vitam propriæ linguæ ictu confodiunt. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 37, sent. 2.

284. Qui bene docet, et male vivit, tanquam æs aut cymbalum, sonum facit aliis, ipse tamen sibi manet insensualis. *Prosec.*

285. Qui bene docet, et male vivit : quia docet bene viventibus proficit; quia vero male vivit, seipsum occidit.

286. Qui bene docet, et male vivit, æquatur cereo qui bonam quidem aliis lucem præstat, severo in malis suis consumere videtur atque extinguere.

287. Qui bene docet, et male vivit; videtur bonum malo conjungere, lucem tenebris commiscere, veritatem mendacio mutare. *Ibid.*, cap. 37, sent. 4.

288. Sacerdotis prædicatio, operibus confirmanda est; ita ut quod docet verbo, instruat exemplo. *Prosec.*

289. Vera est illa doctrina quam vivendi sequitur forma : nam nihil turpius est, quam si bonum quod quisque sermone prædicat, explere opere negligit.

290. Tunc enim utiliter prædicatio profertur, quando efficaciter vita adimpletur.

291. Unusquisque prædicator et bonæ actionis et bonæ prædicationis habere debet studium nam alterum sine altero non facit perfectum, sed præcedit justum benefacere, ut sequentes bene possit docere. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 36, sent. 2.

292. Omnis utilis doctor ita se præstare debet, atque insistere doctrinæ; ut quanto claret verbo, tanto clarescat et merito. *Ibid.*

293. Qui divina prædicant, et ex ejusdem prædicationis dignitate vivere minus curant; sunt habentes verbum Dei in ore, sed non in opere; multa bene docentes, nihil autem operantes. *Ibid.*, cap. 37, sent. 3.

S. ISIDORUS PELUSIOTA.

294. Pulchre loqui, cymbalo simile est : at probe loqui, Angelis innatum est. Lib. 1, epist. 163, *ad Cyrum.*

295. Vita sine sermone magis prodesse solet, quam sermo sine vita : nam illa etiam tacens prodest, hic autem etiam clamans molestiam affert : sed si sermo et vita in unum occurrant, omnis philosophiæ simulacrum efficiunt. *Ibid.*, lib. 2, epist. 275, *ad Hieracem.*

S. JUSTIN. MART.

296. Quod quis alium docet, id prius ipse faciat, ne a proximo ignoretur contrarium contra se facere. Epist. *ad Zenam.*

LACT. FIRM.

297. Oratorum scientia est quomodo loqui deceat : sed sapientis doctrina est, quomodo vivere oporteat. Lib. 3, *de Divin. inst.*, cap. 13.

298. Debet doctor perfectus, et docere quæ docet præcipiendo, et confirmare faciendo. *Ibid.*, lib. 4, cap. 24.

299. Qui docet, faciat quæ docet, et sit quasi prævius, manumque porrigat secuturo. *Ibid.*

S. LEO I.

300. Quam sincerus sit catholici dogmatis prædicator, ipsius vitæ professione clarescit. Epist. 89, *ad Martian. August.*

S. NILUS.

301. Verbo virtutem doceto, opere autem, eamdem declara. Parænes. 11.

PETRUS BLESENS.

302. Sint verba tua subjectis ad fructum, sint opera ad exemplum. Epist. 157, *ad Vibarnum suum.*

S. PETRUS DAMIANUS.

303. Quisquis ad fortiter agendum, proximorum mentes prædicatione instigat, debet utique vitam concordare cum lingua, ne dum aliis proponit excelsa, ipse contentus imis, prematur inertia. Serm. 3, *de sancto Anastas.*

304. Docere, nec facere, summum periculum est. *Ibid.*, serm. 43, *de S. Victore.*

305. Perfecto prædicatori duo sunt permaxime necessaria, videlicet, ut sententiis doctrinæ spiritualis exuberet, et religiosæ vitæ splendore coruscet. *Prosec.*

306. Quod si quispiam ad utrumque non sufficit; videlicet, ut et vita clarus, et doctrinæ facultate sit profluus, melior est vita procul dubio, quam doctrina : dulcior quippe est fructus operis, quam folia nuda verborum. Lib. 8. Epist. *ad Viros illustres*, etc., epist. 1, *ad Cinthium præfect.*

307. Plus valet vitæ claritas ad exemplum, quam eloquentia vel urbanitas accurata sermonum; quos non erudis verbo vivæ conversationis, infirmas exemplo. *Ibid.*

308. Qui prædicatoris officio fungitur, doctrinæ spiritualis imbribus pluat, et religiosæ vitæ radiis splendeat. *Ibid.*

PHILO JUD. 309. Nulla est sermonis utilitas, si ab hoc discrepent opera. Lib. 3, *de Vita Moysis.*

S. PROSPER. 310. Non facile est, persuadere esse possibile quod docet lingua, si a lingua vita dissentiat. Lib, 1, *de Vita contemplat.*, cap. 17.

S. REMIGIUS 311. Tunc prædicator ministerium suum honorificat, quando secundum illud quod prædicat, vivere studet. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, can. 13.

THOMAS A KEMPIS. 312. Hæc duo simul juncta, maxime in religiosis et abdicatis personis Deo placent, et coram hominibus lucent : bona vita scilicet, et sancta doctrina. Serm. 12, *at Novit.*, divis. 6.

313. Quam multi ore tenus prædicant, sed vita longe dissentiunt ! Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 32, sect. 4.

IN VITIS PATR. 314. Oportet eum, qui est fidelis et bonus, ea quidem animo sentire, quæ dat Deus : loqui autem quæ sentit, facere vero quæ loquitur. Si enim cum veritate verborum non concurrat vitæ cognitio, panis est sine sale. Lib. 8, cap. 95.

315. Cum prius operatus fueris rem de qua loqueris, tunc ex ipsa re loquere. Lib. 5, libello 8, num. 8.

316. Doce cor tuum servare, quæ docet alios lingua tua : homines enim ad loquendum perfecti videri volunt, et in operando id quod loquuntur minores sunt. *Ibid.*, num. 14.

317. Ille est vere sapiens, qui facto suo, non qui verbis alios docet. *Ibid.*, libell. 10, num. 75.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 318. Elaborandum est, ut non circa verba orator duntaxat, verum etiam circa vitam suam, diligentiam omnem statumque accommodet : nam vitæ compositio et ad suadendum, et ad boni et æqui viri existimationem adipiscendam conducit plurimum. *de Rhetor. ad Alexandr.*, cap. *Peroratio.*

CATO POET. 319. Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse; turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Lib. 1, *Distich.*, carm. 56.

CICER 320. Qualis homo ipse est, talem esse ejus orationem necesse est : orationi autem facta simillima, factis vita. Lib. 5 *Tusc. quæst.*

321. Non quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit in vita, ponderandum est. *De claris Orator.*, num. 237.

DIOGE PHILO 322. Qui præclara loquuntur, nec faciunt, citharæ similes sunt, quæ sonat aliis, ipsa nec audiens, nec sentiens. *Prosec.*

323, Ridicule faciunt, qui in psalterio sonos aptant ligno, animum ad recte vivendum non componunt. In *Sent.*, sent. 8.

SENEC 324. Aliter loqueris, aliter vivis. *De Vita beata*, cap. 18.

325. Verba rebus proba : facere docet philosophia, non dicere, ne orationi vita dissentiat. *Prosec.*

326. Maximum hoc est, et officium sapientiæ et judicium, ut verbis opera concordent. Epist. 20.

327. Hoc turpissimum est, quod nobis objici solet, verba philosophiæ, non opera tractare. Epist. 24.

328. Philosophi pronuntiatio, sicut vita debet esse composita. Epist. 40.

329. Eligamus eos, qui vita docent : qui cum dixerint quid faciendum sit, probant faciendo : qui docent quid vitandum sit, nec unquam in eo quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Epist. 52.

330. Hæc sit propositi nostri summa ; quod sentimus, loquamur : quod loquimur, sentiamus, concordet sermo cum vita. Epist. 75.

331. Non ut cætera memoriæ doctrinam tradidisse satis est, sed in opere tentanda : non est beatus, qui scit illam, sed qui facit. Epist. 75.

332. Sic discamus, ut quæ fuerunt verba, sint opera : nullos autem pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quam qui aliter vivunt, quam vivendum esse præcipiunt. Epist. 108.

333. Talis esse debet hominis oratio, qualis vita. Epist. 114.

SIXTU PHILOSO 334. Sermones tui vitam tuam commendent auditoribus. Sent. 167.

ELEEMOSYNA ET CHARITAS.

GILLEBE ANGLU 335. Quem odorem tibi spirent eleemosynæ, si in illis charitas non pollet ! serm. 32, super *Cant.* inter opera D. Bernardi.

S. INNOC 336. Nisi ramus eleemosynæ de charitatis radice procedat, non habet pinguedinem vel humorem, ut suavem vel maturum fructum producat: nam vera eleemosyna, fructus est charitatis. *De Eleemosynis*, cap. 3.

ELEEMOSYNA ET COMPASSIO.

HUGOCA 337. Eleemosyna sine compassione est cibus sine sapore. super *Isai.*, cap. 58.

### ELEEMOSYNA ET JEJUNIUM.

*Vide* Jejunium et Eleemosyna *infra*.

#### ELEEMOSYNA ET ORATIO.

S. AMBROS. 338. Oratio quæ eleemosynarum operibus adjuvitur, excedit mundum, penetrat paradisum, evolat usque ad ipsum summæ majestatis angelo conferente conspectum. Serm. 93.

S. ELIGIUS. 339. Tunc pretiosior fit oratio, cum conjuncta fuerit eleemosynæ : inefficax enim petitio est, cum precatur Dominum sterilis oratio. Homil. 11.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 340. Oportet ut sibi res utraque, scilicet oratio et eleemosyna, consentiat. Illa rogat, hæc impetrat ; illa quodammodo judicis audientiam deprecatur, hæc gratiam promeretur : illa ostium pulsat, hæc aperit ; illa prodit desiderium, hæc desiderii procurat affectum ; illa supplicat, sed supplicantem ista commendat. Homil. *de Initio Quadrag.*

S. JOANNES CHRYSOST. 341. Ignis est precatio, sed ignis iste opus habet oleo ut ad ipsa cœli convexa perveniat : cæterum oleum, quo ignis iste fovetur, non aliud est, quam eleemosyna. Serm. 3, *de Verbis Apost : Habentes eumdem spiritum.*

342. Vacuus intrat ante Deum, qui veniens ad orationem, nullam eleemosynam facit. Homil. 15, *Oper. Imperf. super Matth.*

343. Eleemosyna præparatio est orationis : ille præparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam venit ad orationem. *Ibid.*

344. Eleemosyna ante orationem præcedit, quia mediatrix est et præparatrix viæ ante faciem orationis ; ut post eleemosynam sequens oratio, præparatum locum misericordiæ inveniat apud Deum. *Ibid.*

S. PETRUS CHRYSOL. 345. Sine miseratione infirmatur oratio : oratio sine largitate lascescit. Serm. 42.

SIXTUS PHILOSOPH. 346. Orationem Deus non exaudit hominis, qui egenum non exaudit. Sent. 208.

#### ELEEMOSYNA ET PŒNITENTIA.

S. JOANNES CHRYSOST. 347. Sine plumis nequit volare pœnitentia, pennas eleemosynæ non habens. Homil. 5, *de Pœnitent.*

### FIDES ET AMOR. *Vide* Amor et Fides *supra*.

### FIDES ET DOCTRINA. *Vide* Doctrina et Fides *supra*.

### FIDES ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Fides *infra*.

#### FIDES ET MANDATUM.

348. Cum sit hominis christiani fides, fideliter Christi mandata servare, fit absque dubio, ut nec fidem habeat, qui infidelis est : nec Christum credat, qui Christi mandata conculcet. Lib. 4, *de Gubern Dei.*

#### FIDES ET OPERATIO.

S. AMBROS. 349. Strenuum esse operibus, sed affectu infidum, ita est ac si vitioso fundamento pulchra culminum velis elevare fastigia, quod quo plus strinxeris, plus corruit : quia sine munimento fidei, bona opera manere non possunt. Lib. 2, *Offic.*, cap. 2.

350. Bona fides est, cum pulchro operum renitet ornatu. Lib. 2, *de Fide ad Gratianum*, in Prolog.

351. Credere opus est opere, non sermone, non lingua. Serm. 20.

S. ANSELM. 352. Quisquis sine fide operari bona vult, impius profecto est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. IV, in illud : *Qui non operatur*, etc.

S. AUGUST. 353. Opera sunt ex fide, non fides ex operibus. *De gratia et lib. arbit.*, cap. 7.

354. Catholica fides justos ab injustis, non operum, sed ipsa fidei lege discernit. Lib. 3, *contra duas Epist. Pelagianor. ad Bonifac.*, cap. 5.

355. Sine recta fide, nulla opera laudabilia prosunt. *Ibid.*

356. Fides sine operibus neminem salvat ; et sine ipsa, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. *Ibid.*

357. Si fides sine dilectione sit, sine opere erit. Super *Psalm.* XXXI.

358. Manus tuæ inveniantur in bono opere, fige in fide *De Cataclysmo*, cap. 2

359. Fides sine operibus non salvat, et est quasi homo sine pedibus. Tract. 10, super *Joan.*

360. Nos ea quæ videntur opera bona, dicimus non esse vere bona sine fide : quoniam opera vere bona necesse est Deo placere. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 8.

S. BERNARD. & S. ISIDORUS HISPAL. 361. Frustra sibi de sola fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur. Serm. *ad Sororem suam.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 362. Jam incipe operari, et perseveres in fide ; ne sicut stultæ virgines, empturus oleum excludaris. Non in hoc confidas, quod solam lampadem habes, sed custodi illam ardentem. *Præc.*

363. Non hoc solum confidas, quod credis, sed fidem ardentem conserva, ut luceat lux tua per bona opera. *Catech.* 15.

364. Fides sine operibus, et opera sine fide, eodem modo improbantur : oportet enim fideles fidem acta ostendentem Domino offerre : nec enim patri nostro Abrahæ in justitia fides reputata esset, nisi fructum ejus filium suum obtulisset. *De Perfect. spirit.*, cap. 20.

S. EPHREM. 365. Professio fidei absque operibus, sermo est otiosus : credit enim et Christum profitetur,

sed otiose agit, cum ea minime præstet. *De Concessione.*

S. FULGENT. 366. Vita bona non veraciter dicitur, quæ perversæ credulitatis vitio depravatur : nec sufficit ad salutem fides recta credentis, si conversatio moribus turbatur obscœnis. Lib. 2, *de remiss. peccator.*, cap. 1.

GLOSS. ORD. 367. Non sufficit murus fidei, nisi confirmetur operibus bonis. Super 2 *Paralip.*, cap. 32.

368. Bona opera veræ divitiæ spiritus, ubi pura mentis sinceritate geruntur, sed sine fide nihil prosunt. Super *Proverb.*, cap. 31.

369. Opera præter fidem, vel nulla sunt, vel etiamsi bona videantur, sunt inania, quia præter viam Christi. Super illud *Joan* v : *Omnis qui credit*, etc.

370. Nemo bona facit, in quo fides non præcessit. Super *Exod.*, cap. XII, in illud : *Non sinet percussorem ingredi.*

371. Ille placet Deo, qui fidem rectam, quam habet, executione virtutum, et perfectæ operationis decorat. Super *Epist. ad Thess.*, cap. IV, in illud : *Et placere Deo*, etc.

372. Nemo potest Deo servire, qui mortua habet opera. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 9, in illud : *Ad serviendum Deo viventi.*

S. GREGOR. MAGNUS. 373. Intus sanctæ Ecclesiæ inimicus est, qui fidelem se dum affirmat vocibus, moribus negat. *Prosec.*

374. Eumque sancta Ecclesia velut infidelem æstimat, qui illam specie tenus intus positus vitio pravæ actionis impugnat.

375. Ab ipsa enim Ecclesia etiam fide discrepat, qui illi opere non concordat. Lib. 18, *Moral.* cap. 6.

376. Ille vere credit, qui exercet operando quod credit. Homil. 26, super *Evang.*

377. Nunquam sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. *Ibid.*, homil. 30.

378. Vera fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. *Prosec.*

379. Tunc veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. *Ibid.*, homil. 29.

380. Sicut rami sine virtute radicis arefiunt; ita opera quantumlibet bona videantur, nulla sunt, si a soliditate fidei disjunguntur. Lib. 3, ex *Registro*, indict. 12, cap. 33, epist. 33, *ad Theodelindam reginam Longobard.*

381. Bona opera pereunt, si a fide vera inveniantur aliena. *Ibid.*

382. Fides absque operibus justitiæ, non sufficit ad salvandum : neque vitæ justitia per se tuta est ad salutem, si sejuncta sit fides. Homil. 8, super *Ecclesiasten.*

HAYMO. 383. Frustra sibi de sola fide blanditur, qui bona operari negligit. Serm. 2, *de Ascens.*

S. HIERON. 384. Fides ficta est, quæ solo ore promittitur, et actu negatur. Super I *ad Timoth.*, cap. I, in illud : *Et fide non ficta*, etc.

HUGO CAR. 385. Opera sine fide, sunt quasi cursus extra viam in solitudine. Super *Exod.*, cap. III.

386. Credens non dicitur sapiens; nisi quod credit operetur. Super *Psalm.* CX.

S. JOANN. CHRYSOS. 387. Nullus fidei promissa percipiet, nisi professionem actibus servet. Serm. *de Fide Abraham.*

388. Sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum nutritur : sic fides non quidem ex opere nascitur, sed per opera enutritur. Homil. 18, *Oper. perf. super Matth.*

389. Fides sine operibus, figura solum absque virtute est. Homil. 8, super II *ad Timoth.*

S. JOANN. DAM. 390. Qui bono operi student, in ipso opere hoc habent ut Deo grati acceptique per fidem sint. Lib. 1 *Parall.*, cap. 11.

JOAN. TRITH. 391. Otiosa et mortua est fides, quæ sanctis et necessariis non commendatur operibus. Lib. 1, homil. 3, *ad Monachos.*

392. Ubi opera non sunt bona, fides nihil proderit credendi. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 12.

S. ISIDORI HISPAL. 393. Qui per fidem cognitionem Dei habent, et operibus obscurantur, exemplum Balaam sequuntur qui carens opere, apertos oculos habuit per contemplationis fidem. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 2, sent. 8.

394. Beatum hominem facit vita recta cum fide. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1, cent. 14.

395. Beatus est, qui et recte credendo bene vivit, et vivendo, fidem rectam custodit. *Ibid.*, cap. 2, sent. 1.

S. LEO I. 396. Sicut fides operandi ratio est, ita in operibus fidei fortitudo. Serm. 5, *de Collectis.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 397. Nemo fidelis sine bonis operibus aut est, aut esse potest sanctus. In *Apolog. pro Thaulero*, cap. 3.

S. PROSPER. 398. Bona opera si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia. Lib. 3, *de Vita contempl.*, cap. 1.

S. REMIGIUS. 399. Sicut fundamentum sine structura parietum, nihil utilitatis habet : ita quicunque fidem sine operibus habere videtur, non ideo perfectus est. Super I *ad Cor.*, cap. 3, can. 11.

SALVIANUS. 400. Cassa est operatio, si fides certa non fuerit : frustra fœnerat, qui de receptione desperat. Lib. 2, *ad Eccles. Cathol.*

401. Operi debemus credere, non opinioni : rationi, non libidini : veritati, non voluntati. *Ibid.*, lib. 4, *de Gubernat. Dei.*

402. Christianus, nisi bona opera fecerit, fidem suam penitus approbare non potest; ac per hoc quod probare non valet quod sit, sic omnino habendus est, quasi non sit. *Ibid.*

403. Sine operibus bonis, nihil sibi christianus per fidei supercilium usurpare debet. *Ibid.*

.THEODOR. 404. Non sufficit sola fides ad salutem, sad operibus indiget ad perfectionem. Super *Exod.*, quæst. 63.

THEOPHYLACTUS. 405. Tunc vivit fides, quando opera habet Deo placentia : opera tunc vivunt, quando fidem habuerint : separata autem ab invicem, mortua sunt. Super *Joan.*, cap. IX, in illud : *Vocaverunt rursus hominem*, etc.

PLATO. 406. Nunquam fieri potest, ut anima sua opera recte perficiat, propria illa sua virtute (scilicet fide) destituta. Lib. *de Republ.*

FIDES ET ORATIO.

. AUGUST. 407. Si fides deficit, oratio perit : ergo ut oremus, credamus : et ut ipsa deficiat fides qua oramus, oremus : fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Serm. 36, *de Verb. Dom.*

S. JOAN. CLIM. 408. Fides orationis est penna, qua sine in cœlum evolare non potes. Gradu 28.

FIDES ET SCIENTIA.

. JOANNES HRYSOST. 409. Ubi fides non est, ibi scientia abest. Homil. 18, super I *Timoth.*

.THEODOR. 410. Indiget fides cognitione, sicut et cognitio indiget fide : neque enim esse potest fides sine cognitione, neque cognitio sine fide : sed hanc tamen seriem inter se habent, ut cognitionem fides præcedat, subsequatur autem fidem cognitio. Serm. 1, *de Curat. græcar. affection.*

FIDES ET SPES. *Vide* Spes et Fides *infra.*

FIDES ET TIMOR. *Vide* Timor et Fides *infra.*

FORTITUDO ET CHARITAS. *Vide* Charitas et Fortitudo *supra,*

FORTITUDO ET HUMILITAS. *Vide* Humilitas et Fortitudo *infra.*

FORTITUDO ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Fortitudo *infra.*

FORTITUDO ET OBEDIENTIA. *Vide* Obedientia et Fortitudo *infra.*

FORTITUDO ET OPERATIO. *Vide* Operatio et Fortitudo *infra.*

FORTITUDO ET PATIENTIA. *Vide* Patientia et Fortitudo *infra.*

FORTITUDO ET PRUDENTIA.

411. Prudentiam fortitudo comitem habet. Lib. S. AMBROS.
1 *Offic.*, cap. 35.

412. Fortitudinis mater prudentia est : non S.BERNARD.
fortitudo, sed temeritas est quislibet ausus, quem non parturivit prudentia. Lib. 1, *de Consid.*

413. Sæpe fortitudo, si improvida fuerit, et S. GREGOR MAGNUS.
minus circa vitia circumspecta, ipsa sui præsumptione in casum ruit. Homil. 19, super *Ezech.*

414. Vis corpori prudenti moderamine destituta, præceps ruit cuncta miscens atque confundens. *De Regno ad Arcadium imperat.* S.SYNESIUS.

FORTITUDO ET SAPIENTIA. *Vide* Sapientia et Fortitudo *infra.*

FORTITUDO ET TEMPERANTIA.

415. Ille solus vir fortis debet judicari, qui LACT. FIRM.
temperans est. Lib. 1, *de Divin. Inst.*, cap. 9.

HUMILITAS ET CASTITAS. *Vide* Castitas et Humilitas *supra.*

HUMILITAS ET CHARITAS. *Vide* Charitas et Humilitas *supra.*

HUMILITAS ET DISCIPLINA.

416. Servanda est in corde humilitas, et in S. GREGOR. MAGNUS.
opere disciplina. Lib. 26 *Moral.*, cap. 19, num. 23.

HUMILITAS ET DISCRETIO.

417. Discretio esse non potest absque humili- JOAN. GERS.
tate, nec humilitas in complacentia sui, et innitendo propriæ prudentiæ conservatur. Lib. 2, super *Marc.*

HUMILITAS ET FORTITUDO.

418. Magna virtus humilitatis, sine cujus ob- S.BERNARD.
tentu, virtus fortitudinis non solum virtus non sit, sed etiam in superbiæ vitium erumpat. Serm. *de Virt. Obedient.*

419. Ne fortitudo in superbiam transeat, condienda est sale humilitatis. *Ibid.*

HUMILITAS ET JEJUNIUM. *Vide* Jejunium et Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET MISERICORDIA. *Vide* Misericordia et Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET OBEDIENTIA. *Vide* Obedientia Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET OPERATIO. *Vide* operatio et Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET ORATIO. *Vide* Oratio et Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET PATIENTIA. *Vide* Patientia et Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET PAUPERTAS. *Vide* Paupertas et Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET SAPIENTIA. *Vide* Sapientia et Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET SCIENTIA. *Vide* Scientia et Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET SIMPLICITAS. *Vide* Simplicitas et Humilitas *infra.*

HUMILITAS ET TIMOR.

S. MAXIMUS MART. 420. Qui timet Dominum, semper conjunctam habet humilitatem comitem. Centur. 1, *de Charit.*, cap. 48.

IN VITIS. PATR. 421. Semper homo humilitatem et timorem Dei ita incessabiliter respirare debet, sicut statum quem naribus attrahit vel emittit. Lib. 5, libell. 15, *de Humilit.*, num. 32.

HUMILITAS ET VIRGINITAS. *Vide* Virginitas et Humilitas *infra.*

JEJUNIUM ET CHARITAS.

JOAN. CASS. 422. Tunc gratum Deo jejunii munus efficitur, cum hoc fructibus charitatis fuerit consummatum. Lib. 5, *de Cœnob. Institut.*, cap. 35.

JEJUNIUM ET DISCRETIO.

S. FULGENT. 423. Jejuniis sic est adhibenda temperies, ut corpus nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Epist. 3, *ad Probam.*, cap. 13.

JEJUNIUM ET ELEEMOSYNA.

S. AUGUST. 424. Qui non potest jejunare, amplius debet erogare pauperibus : ut peccata quæ non potest jejunando curare, possit in eleemosynas dando redimere. Serm. 1, *Sabbat. post Dom. Quinquag.*

425. Bonum est jejunare, fratres, sed melius est eleemosynam dare. *Ibid.*

426. Si possibilitàs non fuerit jéjunandi, eleemosyna sufficit sibi sine jejunio : jejunium vero sine eleemosyna, omnino non sufficit. *Ibid.*

427. Qui vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, idest eleemosynam et jejunium, et ascendet celeriter, et audietur. *Ibid.*

S. BONAV. 428. Oratio habet duplices alas, jejunium et eleemosynam. Tit. 2, *Diætæ*, cap. 2.

429. Si jejunaveris sine eleemosyna, nihil jejunium tuum reputatur. Lib. 4, *Pharetr.*, cap. 45.

S. ELIGIUS. 430. Illud jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat. Homil. 11.

S. GREGOR. MAGNUS. 431. Illud jejunium Deus approbat, ut hoc quod tibi subtrahis, alteri largiaris, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Homil. 16, super *Evang.*

432. Bene jejunat, qui alimenta corporis (quæ sunt communia dona Creatoris) cum indigentibus percipit. *Ibid.*

433. Bene jejunat, qui ea quæ sibi subtrahit, non ventri postmodum offerenda custodit, sed pauperibus tribuit. *Ibid.*

S. HIERO[N.] 434. Laborem jejunii tui misericordiæ opera commendent, et abstinentia tua pauperum refectione sit gratior. Epist. 1, *ad Demetriad.*

HUGO CAR[D.] 435. Orationis alæ sunt jejunium et eleemosyna : jejunium quidem levem facit orationem, ut cito evolet, sed eleemosyna pinguem reddit, ne deficiat in via. Super *Tobiam*, cap. 12.

S. INNOC. I 436. Bonum est jejunium, sed melior est eleemosyna : quia quod jejunium subtrahit, eleemosyna tribuit. *Prosec.*

437. Per jejunium affligitur caro propria, per eleemosynam vero reficitur aliena. *De Eleemos.*, cap. 4.

S. JOANN. CHRYSOS[T.] 438. Si absque eleemosyna jejunes, non hoc jejunium reputatur : cum ventris servo, ac temulento, qui ita jejunat, deterior sit, tantoque pejor, quanto crudelitas deliciis nequior est. Homil. 78, super *Matth.*

JOAN. TRITH. 439. Jejunium sine eleemosyna, Deo acceptum non est. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Quare.*

S. LEO I 440. Jejunium sine eleemosyna, non tam purgatio animæ, quam carnis afflictio est. Serm. 4 *de Jejunio decimi mensis.*

441. Vera jejunia abundant fructibus largitatis, et in pauperes Christi benignis sunt fœcunda muneribus. *Ibid.*

442. Efficacissima pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque jejuniis, et velociter ad divinas conscendit aures talibus oratio elevata suffragiis. *Ibid.*, serm. 5.

443. Rationabilibus sanctisque jejuniis, nulla utilius quam eleemosynarum opera copulantur. Serm. 6 *Quadrag.*

S. MAXIM[US] EPISCOPU[S] TAURIN. 444. Jejunium christiani, egentis debet esse refectio. Homil. 3 *Quadrag.*

445. Bene jejunat quicunque esuriem suam refecti pauperis satietate sustentat. *Ibid.*, homil. 4.

S. PETRU[S] CHRYSOL[.] 446. Esurit jejünium, jejunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. *Prosec.*

447. Alget jejunium, jejunium deficit, quod non eleemosynæ vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Serm. 8.

448. Fratres, quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse jejunio. *Prosec.*

449. Sicut veris flatus, tota facit germina florere : ita misericordia tota jejunii semina produ-

cit in florem, sic in cœlestem messem totum jejunii facit fructificare virtutem.

450. Quod oleum lucernæ est, hoc jejunio pietas : sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, et moderata pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere : sic pietas facit splendere jejunium. *Ibid.*

451. Quod diei sol est, hoc eleemosyna noscitur esse jejunio. *Prosec.*

452. Sicut jubar solis clariorem perficit diem, et totam nubium dispergit obscuritatem : sic eleemosyna jejunii sanctificat sanctitatem. *Ibid.*

453. Quod est anima corpori, jejunio largitas hoc habetur. *Prosec.*

454. Sicut enim mortificatur corpus e corpore anima cum recedit : ita mors est jejunii, largitatis abscessus. *Ibid.*

455. Jejunium tunc vincit tunc viget, tunc triumphat, cum duce misericordia pugnat. *Ibid.*

456. Misericordia et pietas, jejunii sunt alæ, per quas tollitur et portatur ad cœlum, sine quibus jacet et volutatur in terra. *Ibid.*

457. Jejunium sine misericordia, simulacrum famis est, imago nulla est sanctitatis. *Ibid.*

458. Qui non jejunat pauperi, Deo fingit. *Ibid.*

459. Qui jejunans, prandium suum non erogat, sed deponit, cupiditati probatur jejunare, non Christo. *Ibid.*

460. Sine pietate jejunium, occasio est avaritiæ, non est propositum parcitatis. *Ibid.*

461. Jejunium sine misericordia non est veritas, sed figura. *Ibid.*

462. Jejunium quamvis excludat vitiorum morbos, carnis amputet passiones, criminum causas propellat; tamen sine misericordiæ unguento, sine eleemosynæ sumptu, perfectam salutem mentibus non reponit. *Ibid.*, serm. 41.

463. Jejunium sanat vulnera peccatorum, sed cicatrices vulnerum sine misericordia non emundat. *Ibid.*

464. Erit jejunium nostrum clarius, si nobis dies splendor misericordiæ dat serenos. *Ibid.*

465. Fames est avaritiæ, jejunium sine misericordia : cupiditatis pœna est, sine pietate jejunium. *Ibid.*, serm. 2.

466. Jejunium sine misericordia deficit, jejunium sine pietate jejunat. *Ibid.*

467. Est ager cultus sine semine, sine miseratione jejunans. *Prosec.*

468. Ager cultus sicut sine semine fit sterilis, ita jejunans dat menti cultum, corpori decorem, sed sine misericordia ad fructum vitæ non pervenit. *Ibid.*

469. Quod est sine rege aula regia, hoc est sine largitate jejunium. *Ibid.*

470. Jejunium lucet innocentia, radiat castitate, fulget actibus, sanctitatis toto magnificatur ornatu : sed sine misericordia gloriam non habet, mercede caret, palmam non tenet. *Ibid.*

471. Homo in lacrymas pauperum jacta semina jejunii : quia siccantur jejunii virtutes, arescunt jejunantium messes, quæ pauperum fletibus non fuerint irrigatæ. *Ibid.*

472. Perfusa non sic amne flamma extinguitur, PRUDENT. POETA.
Nec sic calente sole tabescunt nives,
Ut turbidarum scabra culparum seges,
Vanescit almo trita sub jejunio,
Si blanda semper misceatur largitas. In *Cathemerino, de Hymno jejunant.*, vers. 206.

473. Pro reficiendo paupere, etiam jejunare bonum est. Sent. 259. SIXTUS PHILOSOPH.

JEJUNIUM ET HUMILITAS.

474. Pallor et macies cum humilitate, decus est monachi. Lib. 3, num. 64. IN VITIS PATR.

JEJUNIUM ET ORATIO.

475. Jejunia multum adjuvant orationem. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 13. S. AUGUST.

476. Ostendit se homo velle impetrare quod postulat, cum se affligit jejunio. *Prosec.*

477. Ut accepta possit esse oratio, consortium vult secum habere jejunii. *De Quæst. Veteris et Nov. Testamenti*, quæst. 120.

478. Sicut sine cibo non est plena refectio, sic et jejunium sine oratione non potest animam perfecte nutrire. Serm. 1, *fer. 4, Dom.* 16 *post Pentec.*

479. Ingredi non potest jejunium et oratio in animam ab ebrietatis sordibus inquinatam. Conc. 2, *de Jejun.* S. BASILIUS MAGNUS.

480. Jejunium orationi devotionem et fiduciam donat : oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium gratiam promeretur orandi. Serm. 4, *quadrag.* S. BERNARD.

481. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium et Domino repræsentat. *Ibid.*

482. Sint jejunio, ut facile cœlos penetret, alæ duæ : orationis scilicet atque justitiæ. *Ibid.*

483. Quid jejunium proderit, si relinquatur in terra? sublevetur ergo jejunium penna quadam orationis. Serm. 4 *Quadrag. de Jejunio et orat.*

484. Oratio per jejunium facilius penetrat cœlum. Serm. 24, *ad Sororem suam.*

485. Per jejunium et orationem mens conjungitur Angelis et copulatur Deo. *Ibid.*

486. Oratio pestes mentis curat, et jejunium pestes corporis. Tit. 2, *diætæ*, cap. 4. S. BONAV.

487. Efficax est oratio præcedente jejunio. *De jejun. et Tentat. Christi*, cap. 2. S. CYPRIAN.

488. Sola oratione pinguescit, quam macies corporis pascit. Super *Tobiam*, cap. III. GLOSS. INT

S. HIERON. 489. Jejunio passiones corporis, et ratione pestes sanandæ sunt mentis : hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio. Super *Marc.*, cap. IX, can. 10, num. 92.

S. JOANNES CHRYSOST. 490. Non jejunio solum, sed et oratione opus est : expende igitur, quæso, quot quantaque bona ex utrisque junctis emanent. *Prosec.*

491. Qui enim orat et jejunat ut oportet, is multis rebus non indiget : qui vero multis non indiget, nunquam fiet avarus, sed pronior semper ad misericordiam erit.

492. Qui jejunat, levior est, et vigilanter orat, et facile Deum placat. Homil. 58, super *Matth. Oper. imperf.*

493. Qui orans jejunat, binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando prætervehitur. *Prosec.*

494. Non enim oscitat, nec extenditur, nec torpet orando, quæ multi patiuntur; sed igne ardentior et terra superior est, quare terribilis hostis dæmonibus redditur. *Ibid.*

495. Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite : sic nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione. *Ibid.*, homil. 15.

496. Jejunium est adjutorium orationis, quia oratio sine jejunio gracilis est et infirma. *Ibid.*

497. Quia virtus orationis jejunium est, nunquam separantur ab invicem, sed ubique simul ponuntur. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 498. Oratio tanto fit efficacior, quanto jejunio decorata invenitur. Homil. 15, *ad Monachos.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 499. Hoc est perfectum et rationabile jejunium, quando noster homo exterior jejunat, et interior orat. *Prosec.*

500. Facilius enim per jejunium oratio penetrat cœlum, tunc homo spiritalis effectus, Angelis conjungitur, Deoque liberius copulatur. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 44, sent. 1.

S. LEO I. 501. Grata est Deo, et terribilis diabolo jejunantis oratio. Serm. 1, *de Jejun. septimi mensis.*

ROBERTUS BELLARM. 502. Saccus et jejunium sunt alæ orationis. Super *Psalm.* XXXIV, vers. 15.

IN VITIS PATR. 503. Sicut venenata animalia fortiores herbæ, vel pigmenta expellunt : ita cogitationes sordidas oratio jejunio repellit. Lib. 3, num. 60.

JEJUNIUM ET PŒNITENTIA.

S. AUGUST. 504. Pœnitentia sine jejunio vacua est. Lib. 1, *contra Julian.*, cap. 2.

S. BASILIUS MAGNUS. 505. Pœnitentia citra jejunium irrita est. Conc. 1, *de Jejunio.*

506. A peccato afflicti sumus? per pœnitentiam curemur : pœnitentia porro remoto jejunio inanis et infrugifera est. *Ibid.*

JEJUNIUM ET SOBRIETAS.

S. PETRUS DAMIANUS. 507. Assuetum jejuniis corpus, sobrietas roborat. Opusc. 12, cap. 25.

JEJUNIUM ET VIRGINITAS.

508. Qui virginitatem servat et jejunat, sibi ipsi utilis est. Serm. 1, *de Verb. Apost. Habentes eumdem spiritum.*

JUSTITIA ET BONITAS.

509. Satis crudelis est, qui putat justitiæ non convenire bonitatem : cum una atque eadem sit ratio providentiæ, malos justitiæ bonitate compescere, bonos legis vinculo custodire. Homil. 13. S. VALE

JUSTITIA ET CHARITAS.

510. Quidquid æquitatis expers est, a charitate abhorret. Lib. 2 *Parall.*, cap. 63. S. JOA DAM.

JUSTITIA ET DISCRETIO.

511. Cum summa discretione tenenda est justitia, cum summa deliberatione inferenda est pœna, non judicando ex suspicione, sed ex omni certitudine veritatis. Serm. 14, *ad Fratres in eremo.* S. AUGU

512. Discretio in districtione tenenda est, ne dum nimis flagellare cupimus salutem perdamus. *De gradib., confess.* S. BERNA

513. Omnis correctio debet esse discreta : unde et tempus et modus, et persona quæ corrigi debet, consideranda sunt. Super II, *Reg.*, cap. XIII. HUGO CA

514. Dominus delinquentem vapulare præcipit, et tamen modum verberibus posuit; ut et in reum vindicta procederet, et vindictæ duritiam discretio temperaret. Epist. 34. S. PET DAM.

JUSTITIA ET FIDES.

515. Ubi sana fides non est, non potest esse justitia : quia justus ex fide vivit. Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 24, quæst. 1, can. *Ubi.* S. AUGU

JUSTITIA ET FORTITUDO.

516. Fortitudo est velut excelsior cæteris, sed nunquam incomitata virtus : non enim seipsam committit sibi, alioquin fortitudo sine justitia, iniquitatis materia est. Lib. 1 *Offic.*, cap. 35. S. AMB

517. Non est mediocris animi fortitudo quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, et justitiam custodit. *Ibid.*, cap. 39.

518. Fortitudo nisi eam justitta temperet, intolerabilis insolentia est, furori quam rationi propior, dominationi quam libertati. Lib. 2, *de Abraham*, cap. 10.

519. Justitia et et fortitudo sedem habent voluntatem, quia voluntas justa debet esse et fortis. Serm. 35, *de parvis Sermonibus.* S. BERN

520. Justitiæ perpetua comes est potentia, quemadmodum contra injustitiam imbecillitas comitatur. Habet. apud D. *Joan.* Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 93. DIDY ALE

HAYMO.

521. Fortitudo tunc laudabilis erit, si justa fuerit, quoniam fortiter agere, et non juste, non virtus est, sed vitium. *Prosec.*

522. Multi enim fortiter agunt in præliis, in luctaminibus, in oneribus portandis : sed quia non juste faciunt, talis fortitudo non virtuti, sed vitio deputatur. Serm. *Dom.* 20 *post Pent.*

S. LAURENT. JUSTIN.

523. Fortitudo sine justitia, iniquitatis materia est, et quo validior, eo ad nequius agendum promptior. Part. 1, *De casto Connubio*, cap. 13.

JUSTITIA ET MISERICORDIA.

S. AMBROS.

524. Manifestum est justam Dei misericordiam, misericordemque justitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis juvandisque eorum mentibus defuisse. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 3.

525. Beatus est, qui et severitatem, et mansuetudinem tenet : ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. Lib. 9, epist. 72, *ad Irenæum.*

S. ANTONIN.

526. Omnis qui juste judicat, stateram in manu gestat, et in utroque penso justitiam et misericordiam portat : sed per justitiam reddit peccatis sententiam, per misericordiam peccati temperat pœnam. Part. 3, tit. 9, cap. 1.

S. AUGUST.

527. Qui judicat sine misericordia, sine misericordia judicatur. Epist. 49, quæst. 4.

528. Plurimum interest, quo animo quisque parcat : sicuti enim est aliquando misericordia puniens, ita et crudelitas parcens. Epist. 54, *ad Macedon.*

529. Malo severa misericordia justi emendari, quam levis adulationis unctione laudari. Epist. 47.

530. Imple, christiane judex, pii patris officium, sic succense iniquitati, ut consulere humanitati memineris : nec in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem. Epist. 159, *ad Marcellin.*

531. Deus misericors et justus est : sicut conservat misericordiam in justitia, ita justitiam in misericordia. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 10.

532. Servit motus iræ rationi, quando ita præbetur misericordia ut justitia conservetur; sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur pœnitenti. Lib. 9, *de Civit. Dei*, cap. 5.

533. Misericordia sine justitia destruitur, et in crudelitatem convertitur. Serm. 6, *ad Fratr. in eremo.*

534. Semper misericordia cum severitate ligata sit, ne velut ille qui peccavit, desperatus ad suspendium pergat. *Ibid.*, serm. 14.

V. BEDA.

535. Blandus mansuetis sis, districtusque superbis. In suis *Proverb.*, verbo *Blandus.*

536. Si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica : matres fovendo, patres corripiendo exhibeatis. Serm. 23, super *Cant.*

S. BERNARD.

537. Justitia dum suum modum excedit, crudelitatis vitium gignit : et nimia pietas dissolutionem disciplinæ parturit. Lib. *Medit.*

S. [illegible]NAT.

538. Plus nocet prælatus misericors, et abjiciens rigorem disciplinæ, quam prælatus rigidus sine misericordia. Serm. 23, in *Hexam.*

539. Severitati debet adjungi pietas. Super *Luc.*, cap. III, in illud : *Facite dignos fructus*, etc.

540. Severitas justitiæ sine pietate misericordiæ Domino non est placita, nec ab eo approbata. Serm. 1 *Dom. in Palm.*

541. Nec quia Deus justus est, quis lapsus desperet, nec quia misericors est, debet nimia securitate confidere; sed sic timeat justitiam, ut quærat misericordiam; sic de misericordia confidat, ut tamen justitiam contremiscat. Homil. 13.

CASSIODOR.

542. Deus quando judicat, miseretur : quando miseretur, etiam judicat : quia neque sine judicio miseretur, neque sine misericordia judicat. Super *Psalm.* CXVIII, vers : *Misericordiæ multæ tuæ, Domine.*

CONCILIUM TRIDENT.

543. Sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas : plus exhortatio, quam comminatio : plus charitas, quam potestas. *Prosec.*

544. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est. Sess. 13, in *Decreto de reformat.*, cap. 1.

GLOSS. INTER.

545. Sententia, quæ misericordiam vetat fugienda est.

GLOSS. INT.

546. Christus est statera habens duas lances, misericordiam et justitiam : misericordia dimittendo levis justitia corrigendo et puniendo majoris est ponderis. Super *Job*, cap. 6.

GLOSS. ORD.

547. Corrigat Sapiens ut magister : compatiatur ut pater. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

548. Non tibi videatur Deus sic misericors, ut non videatur justus : nec ita justus, ut misereri non velit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2.

S. GREGOR. MAGNUS.

549. Vera virtus est, cum nec pietas sine justitia, nec sine pietate justitia exequitur, quæ separatæ ab invicem dilabuntur. Super *M*[illegible], cap. 1.

550. Peccator incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat : incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat. Lib. 32 *Moral.*, cap. 11, num. 16.

551. Sunt nonnulli ita districti, ut omnem

etiam mansuetudinem benignitatis amittant : et sunt nonnulli ita mansueti, ut perdant districti jura regiminis. *Prosec.*

552. Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem; et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *Ibid.*, lib. 19, cap. 12, num. 16.

553. Sicut in vulneribus vinum adhibetur et oleum, ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur : sic unusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis : per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foveantur. *Prosec.*

554. Miscenda est lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.

555. Virga percutimur, et baculo sustentamur : sit ergo districtio virgæ, quæ feriat : sit et consolatio baculi, quæ sustentet.

556. Sit itaque amor; sed non emolliens : sit rigor, sed non exasperans : sit zelus, sed non immoderate sæviens : sit pietas, sed non plus quam expediat parcens. Lib. 20 *Moral.*, cap. 8.

557. Disciplina, vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. *Prosec.*

558. Circa subditos suos inesse rectoribus debet et juste consolans misericordia, et pie sæviens disciplina. *Ibid.*

559. Ille bene agit quæ pia sunt, qui scit prius servare quæ justa sunt : ut collatus in proximis rivus misericordiæ, de justitiæ fonte ducatur. *Ibid.*, lib. 19, cap. 14.

560. Curandum est, ut se rectorem prælatus subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina. Part. 2, in *Pastorali*, cap. 6.

561. Tanta debet esse discretio, ut nec disciplina nimia, nec ipsa quoque misericordia sit remissa. *Prosec.*

562. Exhibenda pravis est asperitas in ostensione, charitas in mente : ut et dura ostensio delinquentem coerceat, et charitatis custodia mercedem mansuetudinis non omittat. Homil. 21, super *Ezech.*

563. Vera justitia compassionem habet, falsa vero dedignationem : quamvis et justi soleant peccatoribus recte indignari, sed aliud est quod agitur typho superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Homil. 34, super *Evang.*

564. Sic servanda est disciplinæ severitas, ne dum plusquam necesse est zelus accenditur, mansuetudo funditus amittatur. Lib. 1, in *Registro*, indict. 9, cap. 24, epist. 24, *ad Joan. episc.*

565. Magna discretionis arte servanda est, et juste consulens misericordia, et pie feriens disciplina. *Ibid.*

566. Ipsa in te dulcedo cauta sit, non remissa : correctio vero diligens sit, non severa : sed sic alterum condiatur ex altero, ut et boni habeant amando quod caveant, et pravi metuendo quod diligant : boni te dulcem, pravi sentiant correptorem. *Ibid.*, lib. 9, indict. 4, epist. 8, *ad Bonum Abbat.*

567. Misericordia vera non est, quæ a rectitudine justitiæ existit aliena : quia quæ potest per injustitiam pollui, nescit proculdubio misereri Lib. 22 *Moral.*, cap. 1.

568. Justitia non temperatur, nisi pietas ad- S. HIE
jungatur. Super *Epist. ad Tit.*, cap. 2, in illud : *Juste et pie vivamus*, etc.

569. Sic temperanda est misericordia regentis, HUGO
ut non impudita remaneat culpa delinquentis. VICTO
Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 5.

570. Si aliquando culpa exigente sonat in voce asperitas, semper tamen maneat in mente lenitas. Super *Regul. D. August.*, cap. 7.

571. Districtio debetur vitiis, compassio vero naturæ. *Ibid.*

572. Misericordia tunc vera est misericordia, S. JOA
si sic facta fuerit, ut justitia per eam non con- CHRYS
temnatur : si autem contempta justitia, misericordia observetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas. *Prosec.*

573. Justitia non est vera justitia, nisi habuerit in se misericordiam : et misericordia non est vera misericordia, nisi habuerit in se justitiam.

574. Injuste agentibus misericordiam exhibere, nec eos punire, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas. Homil. 46, super *Matth. Oper. imperf.*

575. Omnis qui recte judicat, stateram in S. ISID
manu gestat, et in utroque penso justitiam et mi- HISP.
sericordiam portat : sed per justitiam reddit peccati sententiam, per misericordiam peccatis temperat pœnam. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 52, sent. 4.

576. In judicio sine misericordia non sedeas, sed custodi discretionem justitiæ. *Prosec.*

577. Tene ergo rigorem in discussione justitiæ, misericordiam in definitione sententiæ : justitiæ examen sequatur pietas, districtionis censuram temperet indulgentia. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 16.

578. Cæcus est misericors, nisi existat etiam justus colens agrum, quem contemplari non potest. *Paræn.* 179.

579. Penes Deum neque pietas sine justitia est, S. NI
neque sine pietate justitia. *Prosec.*

TRUS YSOL. 580. Virtutes si separatæ fuerint, dilabuntur : æquitas sine bonitate, sævitia est : et justitia sine pietate, crudelitas. Serm. 145.

IOMAS INAS. 581. Nunquam Deus propter misericordiam, justitiam deserit : nec propter justitiam, misericordiam derelinquit. *Prosec.*

582. Nunquam enim aliquem judicat, vel condemnat sine misericordia, nec alicujus miseretur sine justitia. *De divin. morib.*, cap. *Rectitudo.*

ECA. 583. Ita justitiæ regula tenenda est, ut neque nimia negligentiæ communitate despecta vilescat neque severiori atrocitate gratiam humanæ amabilitatis amittat. *De Quatuor virt.*

JUSTITIA ET PRUDENTIA.

BROS. 584. Non potest justitia sine prudentia esse, neque prudentia sine justitia. Lib. 1 *Offic.*, cap. 27.

585. Nullo modo potest esse justitia sine prudentia : itaque qui justus est, prudens est. *Ibid.*, lib, 2, cap. 8.

586. Prudentia sine justitia nocet. Lib. 2, *de Abraham*, cap. 10.

ERO. 587. Adipiscamur conjunctam cum justitia prudentiam : prudentia enim sine justitia, nihil valet ad fidem faciendam. Lib. 2 *Offic.*

JUSTITIA ET SAPIENTIA.

AN. TH. 588. Justitia sapientiæ comes est ; quia nemo injustus, sapiens erit. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 16.

.HISP. 589. Excelsior est rebus omnibus sapientia : nec esse potest ulla justitia sine sapientia. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 1, sent. 1.

FIRM. 590. Necesse est justum esse sapientem : nam neque ratio, neque natura ipsa permittit, ut is qui justus est, sapiens non sit ; quoniam justus nihil utique facit, nisi quod rectum et bonum est, pravum et malum semper fugit. In *Epitome*, cap. *Nam.*

JUSTITIA ET SCIENTIA.

ERO. 591. Scientia quæ est remota a justitia ; calliditas potius, quam scientia est appellanda. Lib. 1, *de Offic.*

JUSTITIA ET TEMPERANTIA.

BROS. 592. Debet justitiam temperare moderatio, si quis se tibi curandum præbeat. Lib. 1, *de Pænit.*, cap. 1.

NARD. 593. Ipsi justitiæ ut justa sit, temperantia modum imponit. Lib. 1, *de Considerat.*

JUSTITIA ET VERECUNDIA.

TO. 594. Pudor et justitia sunt humanæ societatis fortissima vincula, quæ homines firmo nexu conjungunt atque copulant. In *Pal…o Prot…oræ.*

JUSTITIA ET VERITAS.

595. Veritas justitiam comitatur : quia nec veritas sine justitia, nec justitia potest esse sine veritate. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 16. JOAN. TRITH.

JUSTITIA ET ZELUS.

596. Erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a justitiæ studio non enervet : sic ad ultionem zelus ferveat, ne tamen pietatis limitatem fervendo transcendat. Lib. 10 *Moral.*, cap. 4. S. GREG. MAGNUS.

597. Sic servanda est disciplinæ severitas, ne dum plus quam necesse est zelus accenditur, mansuetudo funditus amittatur. Lib. 1, in *Registro*, indict. 9, cap. 24, epist. 24, *ad Joan.*, episc.

598. Hæc duo, scilicet zelus Dei et amor justitiæ, faciunt ut fama hominis mortua reviviscat. Epist. 20, *ad Crispin.* PETR. BLES.

MANSUETUDO ET PAUPERTAS. *Vide* Paupertas et Mansuetudo.

MEDITATIO ET ORATIO. *Vide* Oratio et Meditatio.

MISERICORDIA ET CHARITAS.

699. Sicut ignis sine oleo, non ardet in lampade : sic ignis charitatis sine oleo misericordiæ, non ardet in corde. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 4. S. BONAV.

MISERICORDIA ET DISCRETIO.

600. Ubi est misericordia et discretio, ibi nec superfluitas, nec induratio. In suis *Opusc.*, in admonit., cap. 26. S. FRANCIS. ASSISIAS.

MISERICORDIA ET HUMILITAS.

601. Humilitas minime vera est, cui misericordia juncta non est, nec debet humilitas dici, quæ ad compassionem fraternæ miseriæ nescit inclinari. Lib. 22 *Moral.*, cap. 1. S. [illegible] MAGNUS

MISERICORDIA ET LARGITAS.

602. Christianorum omnium bonum, misericordia et largitas. Lib. 3, *ad Ecc'es. ca…*. SALVIANUS.

MISERICORDIA ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Misericordia *supra.*

MISERICORDIA ET VERITAS.

603. Veritas sine misericordia, non potest sustineri : misericordia sine veritate, neglig n'es facit. Super *Oseam*, cap. 4. in princip. in illud *Non enim veritas*, etc. GLOSS. [illegible]

604. Viscera misericordiæ qui non amiserit, veritatem non amittit. Homil. super *P…* CXVIII. S. [illegible] CHRYS[illegible].

605. Sicut per viam veritatis mens justa : ita [illegible] S. [illegible]

per viam misericordiæ ambulat mens benigna. *Prosec.*

606. Ne unquam itinera ista diversa sunt, quasi horum bonorum singula diversus tramitibus expetantur, et aliud sit misericordia crescere, et aliud veritate proficere.

607. Non est misericors, veritatis alienus ; nec justitiæ capax est, veritatis extraneus ; nec utraque virtute utitur, qui non utraque ditatur. Serm. 7. *Quadrag.*

MISERICORDIA ET VIRGINITAS, *Vide* Virginitas et Misericordia *infra.*

OBEDIENTIA ET CHARITAS.

S. THOMAS AQUINAS. 608. Charitas sine obedientia, et obedientia sine charitate esse non potest. 2, 2, quæst. 104, art. 3.

IN VITIS PATR. 609. Dilectio sine obedientia faciet criminosum, et conscientia ægrum. Lib. 1, in *Vita S. Posthumit.*, cap. 8, regul. 9.

OBEDIENTIA ET DISCRETIO.

S. AUGUST. 610. Obedientia quæ præcipitur sit honesta, et omni discretione ornata : nam si discreta non fuerit, crudelitas æstimanda est : si honesta non fuerit, nullatenus obediatur. Serm. 7, *ad Frat. in eremo.*

611. Obedientia sine discretione, cassa est et vana ; non ex parte obedientis, sed præcipientis. *Ibid.*

612. Obedientia tunc vera, tunc sancta, tunc meritoria est, quando ditata est discretione, honestate, justitia et humilitate. *Ibid.*

OBEDIENTIA ET DOCTRINA. *Vide* Doctrina et Obedientia *supra.*

OBEDIENTIA ET FORTITUDO.

S. BERNARD. 613. Quid obedientia parit utilitatis, si fortitudo desit ? Serm. *de Virt. obed.*

OBEDIENTIA ET HONESTAS.

S. AUGUST. 614. Obedientia, quæ præcipitur, sit honesta : si honesta non fuerit, nullatenus obediatur. Serm. 7, *ad Fratr. in eremo.*

615. Obedientia honestate privata, superbia est, et venit ex utriusque parte consentientis et præcipientis. *Ibid.*

OBEDIENTIA ET HUMILITAS.

S. CÆSARIUS ARELAT. 616. Quibuslibet reliquis bonis operibus quis fuerit præditus, si istas duas virtutum alas, idest, humilitatem et obedientiam, non habuerit, in altum evolare non poterit. *Prosec.*

617. Omnis ergo anima sancta, quæ circumvolantes milvos, et diabolicos accipitres fugere, vel vitare desiderat, istas duas virtutum alas in se Deo donante custodiat.

618. Quia nec virginitas, nec vigiliæ, nec jejunia, nec ipsa oratio, nec lectio servis Dei prodesse poterit, si in eis obedientia perfecta et humilitas vera non fuerit. Homil. 36.

619. Ut currus uno equo non satis commode trahitur, nisi et alterum apponas : ita obedientiæ humilitatem conjugatam sibi deposcit. Doctrin. 1.

620. Humilitas atque obedientia in junioribus, necessitas, in senioribus dignitas est. Homil. 8, *ad Monachos.*

621. In obedientia valde est utile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda servaverit. Lib. 4, in *Regist.*, indict. 13, epist. 7, *ad Felicem episc. Sardin.*, cap. 51.

622. Magna virtus est humilis pro Christi amore obedientia, quæ cœlum aperit, et infernum sua fortitudine claudit. Homil. 20, *ad Monachos.*

623. Duæ sunt alæ, quibus terra in cœlum avolatur, humilitas et obedientia. *Ibid.*

624. Obedientia est arbor æternæ salutis, quæ crescit in horto humilitatis. *Ibid.*

625. Obedientia multas virtutes congregat, humilitas autem ne defluant congregatas servat. *Ibid.*

626. Obedientia magna virtus est, quæ menti cæteras virtutes inserit, insertasque per humilitatis ministerium custodit. *Ibid.*

OBEDIENTIA ET OPERATIO.

627. Qui vult tuta esse opera sua, vel recta in conspectu Dei, nihil obedientiæ præferat, nihil penitus anteponat, sive senior sit, sive junior. Homil. 3, *ad Monach.*

OBEDIENTIA ET PATIENTIA.

628. Obediens vere non eris, si patiens non fueris : nam vidua est obedientia, quam non patientia firmat. Serm. *Dom.* 2, *post Epiphan.*

OBEDIENTIA ET PERSEVERANTIA.

629. Obedientiæ annectenda est perseverantia ; quoniam initium boni operis quid proderit, si perseverantia desit ? Serm. *de Verb.*

OPERATIO ET CASTITAS. *Vide* Castitas et Operatio *supra.*

OPERATIO ET CHARITAS. *Vide* Charitas et Operatio *supra.*

OPERATIO ET DISCRETIO.

630. Pereunt ipsa bona, nisi cum discretione fiant. Super *Regul. D. August.*, cap. 3.

OPERATIO ET FIDES. *Vide* Fides et Operatio *supra.*

OPERATIO ET FORTITUDO.

631. Nihil valet cursus bravii, nihil qualiscun-

que operatio, nisi columna fortitudinis roboretur. *Prosec.*

632. Nihil valet ad ædificium boni operis, nisi columnam fortitudinis amplexeris : sed si columna fortitudinis fracta fuerit, totum ædificium bonorum operum ruit. Serm. 13, *ad Fratr. in eremo.*

OPERATIO ET HUMILITAS.

DOROTH. 633. Quidquid boni quisque egerit, id agat cum humilitate, ut per humilitatem conservetur quod factum fuerit. Doctr. 14.

GREGOR. AGNUS. 634. Si quælibet bona adsint opera, nulla sunt si non ex humilitate condiantur : miranda actio cum elatione, non elevat sed gravat : qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. Homil. 7, super *Evang.*

AYMO. 635. Sollicita consideratione prævidendum est, ut quotiescunque bona agimus, virtutem humilitatis in fundamento ponamus : ne si exterius inanem gloriam quærimus, interius mercede privemur. Serm. *Domin.* 12, *post Pent.*

636. Non sufficit bonum agere, nisi quis humilitatem studeat servare. *Ibid.*

AN. ITH. 637. Nulla sunt opera virtutum, si humilitatis unguento non condiantur. Lib. 2, *de Tentat. religios.*, cap. 4.

VIT. ATR. 638. Omnis labor monachi sine humilitate vanus est : humilitas enim præcursor est charitatis. Lib. 3, num. 126.

OPERATIO ET INTENTIO.

GUST. 639. Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit. In *Præfat., super Psalm.* XXXI.

NARD. 640. Major sit benevolentia, quam quod datur : quoniam tale erit opus, qualis fuerit intentio. *De Inter. domo*, cap. 45.

. INT. 641. Si bona intentio non sit, et bonum opus quod videtur, perit. Super *Job*, cap. 15.

642. Tantum boni quis facit, quantum intendit : tantum quoque mali, quantum intendit. Super *Matth.*, cap. 12.

S. ORD. 643. Si pura intentione, quæ potes, bona agis, opera sunt lucis, etiamsi non ita hominibus videatur : si autem perversa intentio est, parvum est quidquid agitur, etsi videatur rectum. Super *Matth.*, cap. VI, in illud : *Si fuerit oculus tuus simplex*, etc.

REGOR. GNUS. 644. Omni cura servandus est a malitiæ pulvere oculus cordis, ne hoc quod in actione rectum hominibus ostentat, apud semetipsum per vitium pravæ intentionis intorqueat. Lib. 1, *Moral.*, cap. 20, num. 39.

645. Mirum non est, si quis bona inchoet : sed valde mirabile si intentione recta, in bono opere perduret. *Ibid.*, lib. 12, cap. 24, num. 27.

646. Si recta intentio in operatione non tenetur, totum opus amittitur et deturpatur : si vero recte intendimus, bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum esse videatur. *Ibid.*, lib. 28, cap. 6, num. 13.

647. Si quod videtur bonum gerendum, sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. Part. 3. In *Pastorali*, cap. 1, admonit. 35.

648. Multa videntur bona, sed non sunt ; quia bono animo non fiunt, et cum perversa est intentio (quæ præcedit) pravum est omne opus quod sequitur, quamvis esse rectum videatur Lib. 1, *Dialog.*, cap. 10, verbo *Multa.*

649. Finis operis probat, qualis intentio operationis fuerit. *Ibid.*, verbo *Ita.*

650. Omne bonum quod agitur, per intentionem semper ad cœlestia levetur. Homil. super *Ezech.*

651. De bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus ; semper optemus secretum : sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto. Homil. 11, super *Evang.*

652. Nulla est lux operis, quam non præcedit rectitudo intentionis. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. 4, super illud IX : *Dominus revelaverat auriculam.*

653. Operis officium semper oportet esse intentum, et nulla interdum negligentis otii dissimulatione cessare. Super *Psalm.* CXVIII, in illud : *Et veniat super me misericordia tua.*

654. Cum manibus, etiam mentem eleves. Homil. 22, super *Epist. ad Hebr.*

655. Oculus hominis, intentio operis ejus est : si ergo intentio ejus bona est, et opus intentionis ipsius bonum est. *Prosec.*

656. Alioquin malæ intentionis, etiamsi bonum in factis opus appareat, bonum tamen jam non est, quoniam ex sua intentione, aut probatur bonum, aut reprobatur indignum.

657. Bona est intentio, quæ propter Deum est, mala vero quæ pro terreno lucro, aut vana gloria est.

658. Qui opus bonum bona intentione non faciunt, per hoc magis cæcantur opere, per quod illuminari poterant.

659. Unusquisque bonum opus, quod agit, intentione bona agit : quoniam pro mala intentione, plerumque opus bonum quod agimus, perdimus, et minus a culpa vacamus. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 27.

660. Laborandum est corpore, animi fixa in Deum intentione : sicque manus in opere implicanda est, ut mens non avertatur a Deo. In *R[illegible]la monachor.*, cap. 5.

RICHARD. A S. VICTORE. 661. Quod est corpus sine vita, hoc est opus sine intentione bona. *Prosec.*

662. Quælibet enim actio (quamvis bona videatur) quasi mortua judicatur, nisi per intentionem bonam animetur. Part. 1, tract. 1, *de Statu inter. homil.*, cap. 7.

663. Fortia opera sine intentione bona, ossa sunt arida, ossa sine anima, ossa mortua, virtutum merito vacuo, mercedisque retributione frustrata. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. 664. Intentio est tantæ virtutis, quod omnia opera ad se trahit. Opusc. 9, *de Decem præcep.*, verbo *Jam.*

665. Cum laus operis ex radice voluntatis dependeat: tanto exterius opus laudabilius redditur, quanto ex meliori voluntate procedit. *Contra retrahentes ab ingressu relig.*, cap. 12.

SENECA. 666. Non est hujus animus in recto, cujus acta discordant. Epist. 34.

OPERATIO ET OBEDIENTIA. *Vide* Obedientia et Operatio *supra.*

OPERATIO ET ORATIO. *Vide* Oratio et Operatio *infra.*

OPERATIO ET SCIENTIA. *Vide* Scientia et Operatio *infra.*

OPERATIO ET SPES. *Vide* Spes et Operatio *infra.*

ORATIO ET DOLOR.

THOMAS A KEMPIS. 667. Toties Deum oras, quoties pro peccatis tuis gemis et doles. Multum oras, si multum doles: parum oras, si parum doles. In *Manuali parvulor.*, cap. 14.

ORATIO ET FIDES. *Vide* Fides et Oratio *supra.*

ORATIO ET HUMILITAS.

HESYCHIUS. 668. Oratio et humilitas sunt adversus dæmones, perinde ac flammeus ensis. Sent. 73, centur. 2.

HUGO CARD. 669. Oratio humilis sicut bonus nuntius ad Deum intrat, et ibi mandatum peragit, quo caro pervenire nequit. Super *Proverb.*, cap. 25.

ROBERTUS BELLARM. 670. Oratio ex humilitate profecta non revertetur vacua. Super *Psalm.* XXXIV, vers. 16.

ORATIO ET JEJUNIUM. *Vide* Jejunium et Oratio *supra.*

ORATIO ET INTENTIO.

HUGO CARD. 671. Sine intentione, omnino muta est oratio. Super *Cant.*, cap. II.

672. Oratio sine pura intentione, et cordis puritate, minime placet. Super *Isaiam*, cap. 1.

673. Qui attentione orationem quærit, orationem inveniet; attentionem enim sequitur oratio. *De orat.*, cap. 143. S. N

674. Intenta supplicatio dormire cor mundum vetat. In *Hymno ad Calli cantum.* PRUI

ORATIO ET LECTIO.

675. Sine legendi studio, nemo ad Deum oratione esse valebit intentus. In *Exhort. ad monach.* S.ATH

676. Debet lectio orationi servire, præparare affectum, non horas præripere, nec succidere moras. Inter opera D. Bernardi, serm. 7, super *Cant.* GILLE ANG

677. Orationi lectio, lectioni succedat oratio: breve videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. Epist. 7, *ad Lætam.* S. HI

678. Frequens lectio et quotidiana meditatio, animæ solet magis labor esse quam carnis. Super *Ecclesiasten*, cap. 12.

679. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, frequenter et legere: orationibus mundamur, lectionibus instruimur. *Prosec.* S. ISI HISPA

680. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 8, sent. 2.

681. Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit: quæ enim nescimus lectione discimus: quæ autem didicimus, meditationibus conservamus. *Ibid.*

ORATIO ET MANDATUM.

682. Perdet orationis precem, qui Dominicam sprevit jussionem. Homil. super illud IV *Joan*: *Veniet hora*, etc. S. JO CHRY

683. Non vult orationem suam audiri, qui putaverit præcepta Dei debere contemni. *Ibid.*

684. Difficilis est ad impetrandum aditus, cum præcedit jussionis contemptus. *Ibid.*

685. Facile quod postulatur accipitur, si quod jubetur, instantissime compleatur. *Ibid.*

ORATIO ET MEDITATIO.

686. Ad hoc ut fructuosa sit meditatio, oportet ut sequatur orationis devotio. *De Scala paradisi*, cap. 10. S. A

687. Oratio sine meditatione, est tepida; meditatio sine oratione, infructuosa. *Ibid.*, cap. 11.

688. Ascendimus velut duobus pedibus, meditatione et oratione: meditatio siquidem quid desit docet, oratio ne desit obtinet. Serm. 1, *de S. Andræa.* S.BE

689. Sic orationi sancta meditatio necessaria est, omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur, aut præcedat. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 12. S. B

ORATIO ET OPERATIO.

GREGOR. MAGNUS. & HIERON. 690. Valde apud Deum utraque hæc sibi necessario congruunt, ut et oratione operatio, et operatione fulciatur oratio. *Prosec.*

691. Cor cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat : quisquis enim orat, sed operari dissimulat; cor levat, et manus non levat: qui vero operatur et non orat, manus levat et cor non levat. Lib. 18 *Moral.*, cap. 5, et S. Hieronymus, lib 2, super *Lament. Hierem.*, cap. 3.

GREGOR. MAGNUS. 692. Inanis fit oratio, ubi prava est actio. Lib. 9, in *Registr.*, in dict. 4, cap. 45, epist. 45, *Universis Episcopis.*

JOANNES CHRYSOST. 693. Sicut res aliqua sine odore potest esse, odor autem sine re aliqua esse non potest : sic opus sine oratione aliquid est, oratio autem sine operatione nihil est; et si oras, non ex fide oras. Homil. 13, *Oper. imperf.*, super *Matth.*

ORATIO ET PERSEVERANTIA.

GREGOR. MAGNUS. 694. Virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet. Lib. 32. *Moral.*, cap. 21, num. 27.

ORATIO ET PIETAS. *Vide* Pietas et Oratio *infra.*

PATIENTIA ET DOCTRINA. *Vide* Doctrina et Patientia *supra.*

PATIENTIA ET FORTITUDO.

EUSEBIUS CÆSAR. 695. Fortitudo connexa est patientiæ : vir enim patiens, fortis est animo. *Prosec.*

696. Qui patiens et fortis est, secure bona sequentis vitæ sperare potest. Epist. *ad Damas. Pap., de morte D. Hieronymi.*

THOMAS AQUINAS. 697. Quicunque est fortis, est patiens : quia fortitudo non solum sustinet molestias absque perturbatione, quod est patientiæ ; sed etiam ingerit se eis, cum opus fuerit. 1, 2, cap. 66, art. 4.

PATIENTIA ET HUMILITAS.

BERNARD. 698. Vera patientia, nisi per profundam humilitatem, nec acquiritur, nec tenetur. *De Ordine vitæ.*

BRUNO. 699. Inutilis est patientia, quam non comitatur humilitas. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. I.

FRANC. ASSISIAS. 700. Ubi est patientia et humilitas, ibi nec ira, nec perturbatio. In suis *Opusc.*, in admonit., cap. 26.

JOAN. CASS. 701. Patientia vera absque profunda cordis humilitate, nec acquiritur, nec tenetur. Collat. 18, *Abbat. Piammonis*, cap. 13.

PATIENTIA ET OBEDIENTIA. *Vide* Obedientia et Patientia *supra.*

PAUPERTAS ET HUMILITAS.

702. Beatus ille pauper, qui ducit in sponsam sibi humilitatem. Serm. *Domin.*, *infra octav. Nativit.* S. ANTONIUS DE PADUA.

703. Paupertas Deo gratiosa non est, sine humilitate. Epist. *ad Damas. Pap.*, *de Morte D. Hieron.* S. EUSEBIUS CÆSAR.

704. Humilitas nullatenus poterit absque nuditate conquiri. Lib. 12, *Cœnob. instit.*, cap. 31. JOAN. CASS.

705. Nullus profecto spiritu pauper, nisi sit humilis. *De Patient.*, cap. II. TERTULL.

706. Humilitas si paupertati conjuncta non fuerit, Deo placere paupertas non potest. *De tribus Tabern.*, cap. 2. THOMAS A KEMPIS.

PAUPERTAS ET MANSUETUDO.

707. Nisi pauper fueris, mitis esse non poteris. Lib. 5, super *Luc.*, cap. 6, in illud : *Beati pauperes*, etc. S. AMBROS.

PERSEVERANTIA ET OBEDIENTIA. *Vide* Obedientia et Perseverantia *supra.*

PERSEVERANTIA ET ORATIO. *Vide* Oratio et Perseverantia *supra.*

PIETAS ET ORATIO.

708. Efficassima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Serm. 6, *de jejun. decimi mensis.* S. LEO I.

PIETAS ET SCIENTIA. *Vide* Scientia et Pietas *infra.*

PIETAS ET TIMOR. *Vide* Timor et Pietas *infra.*

PŒNITENTIA ET ELEEMOSYNA. *Vide* Eleemosyna et Pœnitentia *supra.*

PŒNITENTIA ET JEJUNIUM. *Vide* Jejunium et Pœnitentia.

PRUDENTIA ET FORTITUDO. *Vide* Fortitudo et Prudentia *supra.*

PRUDENTIA ET INNOCENTIA.

709. Innocentia non est perfecta virtus sine prudentia : quoniam qui innocens est, nisi habuerit prudentiam, non est perfectæ consummatæque virtutis. Super *Psalm.* LXXXIII, vers ultimo : *Qui ambulant in innocentia.* S. HIERON.

PRUDENTIA ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Prudentia *supra.*

PRUDENTIA ET SIMPLICITAS. *Vide* Simplicitas et Prudentia *infra.*

PRUDENTIA ET VERECUNDIA.

710. Verecundia et prudentia duæ sunt virtutes, quæ conjunguntur : quoniam una sine altera, sæpe et multis occasio fuit mali. Super *Luc.*, cap. 1. [illegible]

PUDICITIA ET SOBRIETAS.

S. PETRUS DAM. 711. Ut non sentiat pudicitia periclitata naufragium inter fluctuantis hujus vitæ discrimina, sobrietas magistra tui corporis teneat clavum. *Opusc.* 49, cap. 3.

RECTITUDO ET SIMPLICITAS. *Vide* Simplicitas et Rectitudo *infra.*

SAPIENTIA ET DOCTRINA. *Vide* Doctrina et Sapientia *supra.*

SAPIENTIA ET ELOQUENTIA.

CICERO. 712. Sapientia sine eloquentia, parum prodest: eloquentia vero sine sapientia, nimium obest. Lib. 1, *de Invent. Rhetor.*

713. Nemo eloquentia sine sapientia florere unquam et præstare potuit. Lib. 2, *de Oratore.*

714. Eloquentiæ fundamentum est sapientia. *De perfecto Oratore,* num. 70.

715. Hæc sapientia maxime adhibenda eloquenti est, ut sit temporum personarumque moderator : nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus eodem modo dicendum arbitror. *Ibid.*

SAPIENTIA ET FORTITUDO.

CATO. 716. Cum tibi prævalidæ fuerint in corpore vires,
Fac sapias; sic tu poteris vir fortis haberi.
Lib 4, *Distich. metr.*, 26.

SAPIENTIA ET HUMILITAS.

JOAN. TRITH. 717. Vera sapientia in domicilio requiescit sanctæ humilitatis. Lib. 1, homil. 19, *ad Monach.*

S. LEO I. 718. Tota Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera voluntaria humilitate consistit. Serm. 7 *Epiphan.*

SAPIENTIA ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Sapientia *supra.*

SAPIENTIA ET VERITAS.

PLATO. 719. Nihil sapientiæ cognatus affiniusque, quam veritas inveniri potest. Lib. 6, *de Republ.*

SCIENTIA ET CASTITAS. *Vide* Castitas et Scientia *supra.*

SCIENTIA ET CHARITAS.

S. AUGUST. 720. Sicut mors animam avellit a sensibus carnis, sic charitas a concupiscentiis carnalibus : huic subservit scientia, cum est utilis, nam sine illa inflat. Epist. 29. *ad Hieronym.*

721. Scientia si in aliquo sine charitate fuerit, inflat et nocet. Lib. 1, *contra Cresconium,* cap. 23.

722. Cum ait Apostolus : Scientia inflat, charitas ædificat; quod recte aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse, cum charitas inest, sine hac autem inflare, idest, in superbiam inanissimæ quasi ventositatis extollere. Lib. 19, *de Civit. Dei,* cap. 20.

723. Adde scientiæ charitatem, et utilis erit scientia ; non per se, sed per charitatem. Tract. 27, super *Evang.*

724. Scientia cavenda est, ne inflet : scientia si sola sit , inflat. Ibi inflat scientia, ubi charitas non ædificat : ubi autem ædificat, solidata est. Serm. 23, *de Verb. Dom.*

S. BERN. 725. Cibus indigestus corrumpit corpus et non nutrit : ita et multa scientia ingesta stomacho animæ (quæ est memoria) si decocta igne charitatis non fuerit, malos noxiosque humores generat ; an non mali humores pravi mores sunt? Serm. 36, super *Cant.*

S. BON. 726. Scientia cavenda est, ne inflet : ergo amate scientiam, sed anteponite charitatem ; quia charitas ædificat, et non permittit inflari scientiam. Lib. 4 *Pharet.*, cap. 45.

S. GREG. MAGN. 727. Quem charitas ædificando non erigit, scientia inflando pervertit. Lib. 8 *Moral.*, cap. 26, num. 30.

HUGO A VICTOR. 728. Scientia, ubi non est charitas, gravat, non allevat. Super *Psalm.* ii, cap. 2.

HUGO CA. 729 Scientia sine zelo charitatis inflat, et zelus sine scientia animæ errat. Super *Prov.*, cap XVIII.

730. Scientia sine charitate, palea est levis, atque volatilis sine grano. Super *Genes.*, cap. 42.

S. JOAN. CHRYSO. 731. Damnosa est sine charitate scientia. Homil. 20, super I *Cor.*

SCIENTIA ET CONTEMPLATIO.

PHILO J. 732. Absque contemplatione juncta cum scientia, nihil præclarum geritur. *De præmiis.*

SCIENTIA ET FIDES. *Vide* Fides et Scientia *supra.*

SCIENTIA ET HUMILITAS.

S. GREG. MAGNU. 733. Vera scientia afficit, non extollit, nec superbientes quos impleverit, sed lamentantes facit. Lib. 23, *Moral.*, cap. 10, num. 17.

734. In omne quod scit, sese mens deprimat, ne quod virtus scientiæ congregat, ventus elationis spargat. Homil. 7, in *Evang.*

735. Sancti viri ut humilitatis in se virtutem custodiant, cum quædam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos student revocare, quod nesciunt. *Ibid.*

736. Scientia virtus est, humilitas etiam custos virtutis est. *Ibid.*

SCIENTIA ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Scientia *supra.*

SCIENTIA ET OPERATIO.

737. Scientia sine bona operatione, arca vacua

est. Lib. 3, in I *Reg.*, cap 4, super illud : *Si dimiseritis arcam Dei*, etc.

SCIENTIA ET PIETAS.

AMBROS. 738. A pietate ad scientiæ spiritum conscenditur : nam quamvis videatur aliquis scientiam possidere, stultus est si male vivit. Super *Apocal.*, cap. 4.

GREGOR. MAGNUS. 739. Nulla est scientia, si utilitatem pietatis non habet : et valde inutilis est pietas, si scientiæ discretione caret. Lib. 1 *Moral.*, cap. 16.

JOAN. TRITH. 740. Scientia sine pietate, virtus non est. Super *Prolog. Regulæ S. Benedict.*, cap. 1.

SCIENTIA ET ZELUS.

BERNARD. 741. Zelus absque scientia, quo vehementius irruit, eo gravius corruit, impingens nimirum atque resiliens. Serm. 49, *de Verb. Isai.*

742. Importabilis absque scientia est zelus : semper minus efficax minusque utilis invenitur, plerumque autem et perniciosus valde sentitur. Serm. 59, super *Cant.*

HUGO CARD. 743. Scientia sine zelo charitatis inflat, et zelus sine scientia animæ errat. Super *Prov.*, cap. 19.

JOAN. GERS. 744. Scientia sine zelo languens est, et zelus sine scientia præcipitans. *De Nupt. Christi*, consider. 3.

SIMPLICITAS ET HUMILITAS.

JOAN. CL. 745. Nunquam videas simplicitatem ab humilitate separatam. Grad. 24.

SIMPLICITAS ET PRUDENTIA.

AUGUST. 746. Simplicitas sine astutia, stultitia reputatur : astutia sine simplicitate, superbia approbatur. Serm. 4, *ad Fratr. in Eremo.*

GREGOR. MAGNUS. 747. Utraque necessario in admonitione Apostolus conjunxit, ut et simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret ; et rursum serpentis astutiam, columbæ simplicitas temperaret. Lib. 1 *Moral.*, cap. 2.

748. In electorum cordibus debet et simplicitatem columbæ astutia serpentis acuere ; et serpentis astutiam columbæ simplicitas temperare : quatenus nec seducti per prudentiam calleant, nec ab intellectus studio ex simplicitate torpescant. Part. 3 *Pastor.*, admonit. 12.

HIERON. 749. Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos ; et serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis. Epist. 13, *ad Paulin.*

750. Simplicitas absque prudentia, vicina stultitiæ est. Lib. 16, super *Isaiam*, cap. 59, in illud *Matth.* x : *Estote prudentes*, etc.

751. Prudentia absque bonitate, malitia est : et simplicitas absque ratione, stultitia nominatur. Lib. 2, super *Oseam*, cap. 7, super illud : *Et factus est Ephraim quasi columba.*

752. Prudentia sine simplicitate, astutia est : simplicitas sine prudentia, fatuitas est. In *Annot. super epist. ad Rom.* HUGO A S. VICTORE.

753. Non sola simplicitas sufficit ad salutem, nisi adsit prudentia. Super I *Machab.*, cap. 15. HUGO CARD.

754. Nihil tibi prudentia proderit, nisi simplicitas sibi adjiciatur. Homil. 34, *Oper. perf. super Matth.* S. JOANNES CHRYSOST.

755. Sic Dei servum decet innocentia vitæ existere simplicem, ut oporteat cum simplicitate esse prudentem. *Prosec.* S. ISID. HISP.

756. Qui prudentiam simplicitati non miscet, columba est seducta, non habens cor.

757. Sed ideo columba, quia simplex : ideoque cor non habens, quia ignara prudentiæ est. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 5, sent. 7.

758. Virtutis ac Philosophiæ regula est, simplicitas cum prudentia conjuncta. Lib. 2, epist. 131, *ad Antioch.* S. ISIDOR. PELUSIOTA.

SIMPLICITAS ET PURITAS.

759. Duabus alis homo sublevatur a terrenis, simplicitate scilicet et puritate. *Prosec.* THOMAS A KEMPIS.

760. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione : simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit et gustat. Lib. 2, *de Imit. Christi*, cap. 4.

SIMPLICITAS ET RECTITUDO.

761. Beatus Job erat vir simplex et rectus : simplex videlicet per innocentiam mansuetudinis, rectus per càutelam discretionis : simplex, quia nullum lædere, imo cunctis prodesse desiderabat : rectus, quia a nullo se corrumpi permittebat. Lib. 1, super *Prov.*, cap. II, in illud : *Custodiet rectorum salutem*, etc. V. BEDA.

762. Simplicitas sine rectitudine, dissoluta est et stulta : rectitudo autem sine simplicitate, austera existit et dura ; verum utraque virtus conjuncta perfectum reddit hominem. *Ibid.*, lib. 1, cap. 2, super illud : *Qui recti sunt.*

763. In columba et igne sanctus Spiritus apparuit : quia quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt, ut contra culpas delinquentium, etiam zelo rectitudinis accendantur. Lib. 1 *Moral.*, cap. 2. [illegible]

764. Quisquis æternam patriam appetit, simplex proculdubio et rectus vivit. Simplex videlicet opere, rectus fide : simplex in bonis, quæ exterius agit : rectus in summis, quæ in intimis sentit. *Ibid.*, cap. 12, num. 27.

765. Cognatæ sibi sunt virtutes, rectitudo et simplicitas, nec ab invicem separari queunt. In *Regula monachor.*, cap. 24. S. HIERON.

HUGO CARD. 766. Rectitudo sine simplicitate, nimis austera est, et dura : simplicitas vero sine rectitudine, dissoluta est et nimis remissa; utraque tamen virtus conjuncta, perfectum reddit hominem. Super *Prov.*, cap. 2.

SIMPLICITAS ET ZELUS.

S. GREGOR. MAGNUS. 767. Placere Deo, aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate non potest. Hom. 30, super *Evang.*

SOBRIETAS ET JEJUNIUM. *Vide* Jejunium et Sobrietas *supra.*

SOBRIETAS ET PUDICITIA. *Vide* Pudicitia et Sobrietas *supra*

SPES ET AMOR. *Vide* Amor et Spes *supra.*

SPES ET FIDES.

S. AMBROS. 768. Qui spem sine recta fide de vita æterna possidenda sibi usurpat, sine dubio semetipsum decipit : quia sine fide, spes non est. Super *Apocal.*, cap. 6.

S. AUGUST. 769. Mihi videtur magis esse fidei filius, qui novit a quo speret quod nondum habet, quam qui sibi tribuit id quod habet. *De spirit. et littera,* cap. 13.

770. Fides Deo dicata, et spes in Domino firma, tam chara et suavis est, ut parentum ac filiorum affectibus præponatur. *De quæst. Veter. et Nov. Testam.*, quæst. 11.

771. Omnis qui pie tolerat, recte credit : et omnis qui recte credit, aliquid sperat : et qui sperat, sustinet, ne ab spe cadat. *De quatuor virt. charit.*

772. Spes sine fide quomodo esse possit, non invenio, nemo enim sperat se posse assequi, quod esse non credit. Lib. 21, *Sent.*, sent. 8.

CLEMENS ALEX. 773. Sanguis fidei est spes : cum autem spes expiraverit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis fidei facultas dissolvitur. Lib. 1 *Pædag.*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 774. Sicut sine fide spes non habet firmitatem: ita sine spe fides non potest habere mercedem. *Prosec.*

775. Cessat fides, ubi quod creditum est venerit; cessat spes, ubi quod speratur, affuerit. Serm. *de Fide, spe et charit.*

776. In adversis et laboribus, si fide fueris et spe munitus, futura bona illæsa custodies. Serm. 24, super *Epist. ad Ephes.*, super illud *Matth.* II : *Præparate viam Domini.*

SPES ET OPERATIO.

S. LAURENT. JUSTIN. 777. Illa certa spes est, quæ bonis operibus comitatur : quæ autem sola existit, præsumptio nominanda est. Part. 1, *de Casto Connubio,* cap. 14.

SPES ET TIMOR.

S. ANTON. DE PADU. 778. Ne spes præsumptione corrumpatur, debet timor conjungi, qui initium est sapientiæ : ad cujus saporis dulcedinem nullus potest pervenire, nisi prius degustet timoris amaritudinem. Serm. *Dom.* 1 *Epiph.*

779. Anima duos habet pedes, quibus sustentatur, spem scilicet et timorem, quorum virtute hujus mundi dives privatus est. Serm. *Dom.* 24, *post Trinit.*

S. BERNARDIN. 780. Nihil est sperandum sine Dei timore, nec timendum sine Dei spe. Serm. 12, *fer.* 3, *post Dom.* 1 *Quadrag.*, art. 1, cap. 2.

S. BERNARD. & S. ISIDOR. HISPALEN. 781. Omnis justus spe et formidine nititur : quia nunc spes ad gaudium erigit, nunc ad formidinem terror gehennæ ducit. Serm. 2, *ad Sororem*, et D. Isidor. Hispal., lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 4.

S. BONAV. 782. Nihil nobis securius quam sub spe timere. In *Fasciculario,* cap. 7.

CASSIODOR. 783. Adjunctum est timere Dominum, et sperare in eo : quæ res mutua et insolubili societate connectitur. Super *Psalm.* XXXII, vers. 18.

GLOSS. ORD. 784. Timori spes conjungitur, quia non valet timor sine spe veniæ : Judas enim timens, sed desperans, laqueo se suspendit. Super *Psalm.* CXLVI, in illud : *Super timentes eum,* etc.

S. GREGOR. MAGNUS. 785. Timor dum premit mentem ne de præsentibus superbiat, de futuris illam spei cibo confortat. Lib. 1 *Moral.*, cap. 16.

786. Debet in spe esse non solum securitas, sed etiam timor in conversatione : ut et illa certantes foveat, et iste torpentes pungat. Lib. 29 *Moral.*, cap. 9.

787. De spe incassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit. *Ibid.*

788. Quamvis securitati timor semper longe videatur abesse, nihil est tamen securius, quam sub spe timere : ne incauta mens aut desperando se in vitiis dejiciat, aut extollendo de donis ruat. Lib. 30 *Moral.*, cap. 18, num. 35.

789. Ante districti ac pii judicis oculos quanto de se quisque sub spe humilius trepidat, tanto in illo robustius stat. *Ibid.*

790. Sub pietate Dei spes peccatoris gaudeat, sed sub districtione illius pœnitentis correctio contremiscat. Lib. 32 *Moral.*, cap. 10, num. 15.

791. Spes præsumptionis habeat etiam morsum timoris, ut ad corrigenda peccata justitia judicantis terreat, quem ad fiduciam veniæ gratia parcentis invitat. *Ibid.*

792. In peccatoris pectore incessanter debet spes et formido conjungi : quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat :

incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat. *Ibid.*, lib. 33, cap. 11, num. 16.

793. Superior et inferior mola, est spes et timor : spes quippe ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit : sed mola superior et inferior ita sibi necessario, junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. *Ibid.*

794. In peccatoris pectore, aut timor a spe, aut spes a timore nunquam dividatur. *Ibid.*

795. Qui peccatori prædicat tanta dispensatione componere prædicationem debet, ut nec derelicta spe, timorem subtrahat, nec spe substracta in solo eum timore derelinquant. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 796. Incessanter in corde tuo, spes et formido consistat : pariter sint in te timor atque fiducia, pariter spes et metus. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 5.

797. Sic spera misericordiam, ut justitiam metuas : sic spes indulgentiæ erigat, ut metus gehennæ semper affligat. *Ibid.*

S. PROSPER. 798. Ille est utilis timor, qui spe erigitur, non qui desperatione demergitur. Super *Psalm.* CXLVI, vers. ultimo.

ROBERTUS BELLARM. 799. Timor sine spe, timor servilis : spes sine timore, præsumptio est. *Prosec.*

800. Timor cum spe, charitatem veram declarat, idest, amorem verum, quo diligitur Deus. Super *Psalm.* XXXII, vers. 18.

SENECA. 801. Desines timere, si sperare desieris; spem enim metus sequitur. Epist. 5.

TEMPERANTIA ET FORTITUDO. *Vide* Fortitudo et Temperantia *supra.*

TEMPERANTIA ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Temperantia *supra.*

TIMOR ET AMOR. *Vide* Amor et Timor *supra.*

TIMOR ET CASTITAS. *Vide* Castitas et Timor *supra.*

TIMOR ET DOLOR.

HUGO CARD. 802. Dolor et timor, quasi duæ molæ sunt, inter quas molitur justus : ut fiat panis et possit comedi a Christo, et Ecclesiæ incorporari. Super *Genes.*, cap. 20.

TIMOR ET FIDES.

GLOSS. ORD. 803. Qui vere timet Deum, non potest esse sine fide. Super *Ecclesiastic.*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 804. Oportet et de Dei nos semper miseratione confidere et de nostra infirmitate formidare. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 7, verbo *Utique*.

SALVIANUS. 805. Quid tibi blandiris, o homo, quisquis es, credulitate, quæ sine timore Dei nulla est? aliquid plus dæmones habent : tu enim unam rem habes tantummodo, illi duas. *Prosec.*

806. Tu credulitatem habent non habes timorem : illi et credulitatem habent pariter et timorem. Dib. 4, *de Gubern. Dei.*

TIMOR ET GAUDIUM.

S. GREGOR. MAGNUS. 807. Cum bona in aliis cernimus, valde necesse est, ut exultationem nostræ formidini, et formidinem nostræ exultationi misceamus : quatenus et de alienis profectibus charitas gaudeat, et de suis infirmitatibus conscientia constricta contremiscat. Lib. 9 *Moral.*, cap. 33.

808. Sancti viri cum de quibusdam vitiis se ereptos hilarescunt, magno se metu, etiam in ipsa exultatione concutiunt. *Ibid.*, lib. 5, cap. 17.

809. Sancti viri sic spe exultant, ut pavore trepident : sic pavore timent, ut spei fiducia exultent. *Ibid.*

TIMOR ET HUMILITAS. *Vide* Humilitas et Timor *supra.*

TIMOR ET PIETAS.

PETR. CELL. 810. Gemma pretiosissima est pietas, sed facile ab impietate subripitur, nisi timore custodiatur. *De Panibus*, cap. 14.

S. HIERON. 811. Illa est vera sapientia, quæ Dei timori jungitur : alioquin ubi insidiæ sunt et tergiversatio, non sapientia sed versutia et calliditas appellanda est. Lib. 1, super *Hierem.*, cap. 4. in illud : *Filii insipientes sunt*, etc.

TIMOR ET SPES. *Vide* Spes et Timor *supra.*

VIRGINITAS ET DILECTIO.

S. ANTONIN. 812. Dilectio sanctam et perfectam facit virginitatem : nam virginitas sine dilectione non salvat. Part. 4, tit. 4, cap. 6. § 6.

S. BERNARD. 813. Nihil valet virginalis puritas, sine operibus charitatis. Lib. *de Passione*, cap. 32.

814. Virginitas in corpore nihil proderit, si charitas a corde discesserit. Serm. 21, [illegible].

[illegible] 815. Pretiosa possessio est virginitas lumine charitatis illustrata. Paraenes. 1, [illegible].

VIRGINITAS ET HUMILITAS.

S. AUGUST. 816. Simulare non debet virgo humilitatem, sed exhibere : nam simulatio humilitatis, major superbia est. *De sancta virginit.*, cap. 43.

S. BERNARD. 817. Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas, et quidem singularis virginitas, quam non temeravit sed honoravit fecunditas : et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fecunda virginitas, et incomparabilis prorsus fecunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Homil. 1, super *Missus*.

818. His virgo regia gemmis (scilicet humilitate

et virginitate) ornata, virtutum geminoque mentis pariter et corporis decore præfulgida, in cœlestibus cognita cœli civium in se provocavit aspectus : ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et cœlestem nuntium ad se de supernis delegaret. *Ibid.*, homil. 2.

819. Maria virginem se oblita, gloriatur de humilitate : et tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate. *Ibid.* homil. 1.

820. Virginitas in corpore nihil proderit, si humilitas a corde discesserit. Serm. 21, *ad Soror.*

S. BONAV. 821. Sine pudore et humilitate, virginitas parum valet. *De Medit. vitæ Christi*, cap. 4.

S. FULGENT. 822. Virgo Christi non potest Christo, nisi cordis humilitate conjungi : Filii enim Dei thalamus elatas virgines non recipit, et humilis sponsus a connubio suo superbas expellit. Epist. 3, *ad Probam*, cap. 18.

GRATIANUS 823. Virginitatem cum humilitate admiramur, et continentiam cum castitate, quam acceptissimam Deo dicimus. In *Decret.*, part. 1, dist. 30, can. *Hæc.*

HUGO A S. VICTORE. 824. Vide quanta virtus sit humilitas : socia est humilitatis virginitas, et socia est virginitatis humilitas; non tamen potest, si ab est humilitatis, satisfacere virginitas, potest autem etsi abes virginitas satisfacere, si habeatur vera humilitas. Serm. 83, *de Divers.*

JOAN. TRITH. 825. Præ omnibus inter virtutes cæteras decoret virginitatem humilitas : quia sine humilitate, nulla Deo placebit virginitas. *Prosec.*

826. Frustra ergo se gloriatur virginem, quæ superbiæ fastu inflata de sua mente expulit humilitatem.

827 Sine enim humilitate non est sincera virginitas; quia virginitatis ornatus, in humilitate resplendet. Epist. 3, *ad Quasdam moniales.*

PETRUS BLESENS. 828. Collactaneæ virtutes sunt, virginitas et humilitas. Serm. 35, *de Omnib. Sanct.*

VIRGINITAS ET JEJUNIUM. *Vide* Jejunium et Virginitas *supra.*

VIRGINITAS ET MISERICORDIA.

S. JOANNES CHRYSOST. 829. Nihil sane tenebrosius est, quam virginitas oleo carens. Homil. 79 *Oper. perf. super Matth.*

VIRGINITAS ET VERECUNDIA.

S. AMBROS. 830. Ubique in virgine omnes singularum virtutum est pudor ; hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Lib. 2, *de Virginib.*

831. In virgine pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem. *Ibid.*, lib. 3.

832. Virginitatis dos quædam est verecundia, quæ commendatur silentio. *De Instit. virg.*, cap. 1.

S. ODILO 833. Verecundia semper est comes individua integræ virginitatis et continuæ castitatis. Serm. 12, *de Assump. B. M.*

VITA ET DOCTRINA. *Vide* Doctrina et Vita *supra.*

ZELUS ET CHARITAS.

S. BERNARD. 834. Quo zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Serm. 49, super *Cant.*

835. Oportet prorsus vino zeli in charitate fervens æstuet, qui aliis præsidet. Lib. 5 *Florum*, cap. 4.

ZELUS ET COMPASSIO.

836. Cum aderit compassionis affectus et zelus justitiæ, necesse est ut adsit spiritus discretionis. Serm. 2 *Paschæ.*

HUGO CAR. 837. Correctionis zelus debet sequi compassionem; nam compassio sine zelo correctionis, remissum facit correctorem ; et zelus sine compassione, severum. Super *Genes.*, cap. 34.

S. JOANN. CHRYSOS. 838. Zelus veniam negans, potius furor est quam zelus ; et admonitio misericordia carens, tortura quædam est. Homil. *de Habenda cura salutis proximi.*

ZELUS ET DISCRETIO.

S. BERNARD. 839. Cum aderit compassionis affectus, et zelus justitiæ, necesse est, ut adsit spiritus discretionis, ne forte cum oporteat hunc exhiberi, ille procedat, et indiscretio ipsa confundat universa. Serm. 2 *Paschæ.*

840. Virtus discretionis absque charitatis fervore jacet, et fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. *Prosec.*

841. Laudabilis, cujus fervor discretionem erigit, et discretio fervorem regit. Serm. 23, super *Cant.*

842. Ubi vehemens æmulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. *Ibid.*, serm. 49.

HUGO CAR. 843. Ignis et gladius, zelus et discretio. Zelus si solus est, errat : discretio si sola est, inflat. Super *Genes.*, cap. 22.

ZELUS ET JUSTITIA. *Vide* Justitia et Zelus *supra.*

ZELUS ET PATIENTIA.

844. Patientia parum valet sine zelo, et minus valet zelus sine patientia. Super II *Reg.*, cap. 23.

ZELUS ET SCIENTIA. *Vide* Scientia et Zelus *supra.*

ZELUS ET SIMPLICITAS. *Vide* Simplicitas et Zelus *supra.*

VIRTUTUM ET VITIORUM CONFLICTUS. *Vide* Conflictus.

## VISIO DEI.

GLOSS. ORD. *Definitio.* Visio Dei, cognitio est. Super *Luc.*, cap. II, in illud : *Videntes eum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nemo potest amictu vestitus philosophiæ, in habitu scilicet sapientiæ sæcularis, Christum videre. Lib. 3, *de Virginibus.*

2. Nemo magis potest videre divina, nisi qui humilitatis suæ conscius, nescit extolli. *De Viduis.*

3. Non in loco Deus videtur, sed mundo corde, nec Deus circumscribitur visu. Lib. 1, super *Luc.*, cap. I, in illud *Matth.* V : *Beati mundo corde,* etc.

S. ANSELM. 4. Quid faciet Domine servus tuus ? anhelat videre te, et nimis abest facies tua. In *Prosologio,* cap. 1.

S. AUGUST. 5. Illud totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem. Epist. 112, *ad Paulinam,* cap. 9.

6. Illi qui sapiunt, conentur mente videre quod verum est. Epist. 112, *ad Paulinum,* cap. 23.

7. Nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, in Dei non subvenitur visionem. Lib. 12. *de Genesi ad litteram,* cap. 27.

8. Est illud summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur, et a se propterea cerni comprehendique non potest : quia humanæ mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur. Lib. 1, *de Trinit.*, cap. 2.

9. Tanto Deum purius cernit homo, cum se solo solum invenit. *De Spiritu et anima,* cap. 57.

10. Tanto libentius, quanto dulcius Sancti Deum aspiciunt in æterna vita, cujus aspectus pius, facies decora, eloquium dulce *Prosec.*

11. Illum videre summa felicitas est, summa jucunditas, vita æterna, et vita beata. *Ibid.*

12. Quanto flagrantius diligimus Deum, tanto certius sereniusque videmus. Lib. 8, *de Trin.*, cap. 9.

13. Quam stulti sunt, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur. Lib. 1, *de Serm. Domini in monte,* super : *Beati mundo corde.*

14. Quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis : ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo videri potest. *Ibid.*

15. Illa visio Dei tantæ pulchritudinis visio est, et tanto amore dignissima, ut sine hac, quibuslibet aliis bonis præditum atque abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere. Lib. 10, *de Civit. Dei,* cap. 16.

16. A sordibus animi quanto est quis purgatior, tanto verum Deum facilius intuetur. *De Util. credendi,* cap. 16.

17. Quidquid laboras, ut videas : tota enim merces nostra visio est. Super *Psalm.* XC, conc. 2, vers. ult.

18. Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, et sanctis ejus sociari, nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur ? In *Soliloq. animæ,* cap. 17.

19. Lux beatissima non nisi a purgatissimis oculis videri. *Ibid.*, cap. 34.

20. Deum videre vis? prius cogita de corde mundando : quidquid ibi vides quod displicet Deo, tolle. Serm. 2 *Ascens.*

21. Sine pace Deum videre nen potes. Serm. 28, *ad Fratres in eremo.*

22. Quæ merces fidei, aut quod omnino vel nomen fidei est, si modo vis videre quod teneas? *Prosec.*

23. Non debes ergo videre quod credas, sed credere quandiu non vides, ne cum videris erubescas. Serm. 1, *Dom.* 23, *post Trin.*

24. Ipsum verum non videbis, nisi in Philosophiam totus intraveris. Lib. 2, *contra Academ.*, cap. 3.

25. Noli abscondere a me faciem tuam : moriar ne moriar, ut eam videam. Lib. 1 *Conf.*, cap. 5.

26. Doleo quod te non video, et meipsum consolatur dolor. Epist. 32.

27. Deus cum absens putatur, videtur : et cum præsens est, non videtur. Epist. 112, cap. 6.

28. Qui potest Deum invisibiliter videre, ipse Deo potest incorporaliter adhærere. *Ibid.*, cap. 15.

29. Nobis fidei merces, visio Dei promittitur. Epist. 6.

30. Si credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus? Lib. 1, *de Doctr. christ.* cap. 38.

31. Credimus quod non videmus, ut videre quod credimus mereamur. *De Catechiz. rud.*, cap. 25.

32. Si videre Deum malum est, non est bonum Deus ; bonum autem est Deus, bonum est igitur Deum videre. *De duab. animab.*, cap. 12.

33. Nimis insipienter dicitur tantum amari Deum antequam videatur, quantum amabitur cum videbitur. Lib. 3, *ad Bonifac.* cap. 7.

34. Sapientia Dei videri oculis non potest. Tract. 3, super *Joan.*

35. Modo credimus, non videmus : pro ista fide præmium erit videre quod credimus. *Ibid.*

36. Quia et nos nunc diligimus credendo quod non videmus, tunc autem diligemus videndo quod credimus. *Ibid.*, tract. 75.

37. Credimus in quem non videmus, ut aliquando videamus. Tract. 4, super *Epist. Joan.*

38. Si amamus cum non videmus, quomodo amplectemur cum videbimus? *Ibid.*, tract. 5.

39. Attende quæ vides, crede quæ non vides. Non poteras videre Deum, poteras hominem : Deus factus est homo, ut in uno tibi esset, et quod videres, et quod crederes. Homil. 32, *ex Quinquag. homil.*, cap. 4.

S. BERNARD. 40. Prius formes auditum, quam lætifices visum : quid intendis oculum? aurem para. *Prosec.*

41. Videre desideras Christum? oportet te prius audire eum : immensa est ejus claritas, visus tuus angustus, et non potes ad eam : potes auditu, sed non aspectu. Serm. 28, super *Cant.*

42. Quibus Deus apparet, nil videre desiderabilius volunt, nil possunt delectabilius. *Ibid.*, serm. 31.

43. Divina inspectio eo differentior est ab aliis, quo interior : cum per ipsum dignatur invisere Deus animam quærentem se, quæ ad quærendum toto se desiderio et amore devovit. *Ibid.*

44. Visio Dei non terret, sed mulcet, inquietam curiositatem non excitat, sed sedat, nec fatigat sensus, sed tranquillat : hic vere quiescitur. *Prosec.*

45. Tranquillus Deus tranquillat omnia, et quietum aspicere, quiescere est. *Ibid.* serm. 23.

46. Visione sublimi et suavi videtur Deus ab anima humili. *Ibid.*, serm. 45.

47. Deo credidisse, vidisse est. *Ibid.*, serm. 70.

48. Beati spiritus visione satiantur, dulcedine ebriantur, charitate sociantur. In suis *Sent.*, verbo *Beati.*

49. Quid felicius, quid beatius, quam perfrui visione Dei? Serm. 10, in *Cœna Dom.*

S. BONAV. 50. Dei faciem si omnes damnati in inferno viderent, nullum dolorem, nullam pœnam, nullam tristitiam sentirent. Serm. 1, *Dom.* 2, *post Pascha.*

51. Nunquam potest videri Deus, nisi procul a visu sit mundus. Serm. 1, *de Convers. S. Pauli.*

52. Quid est quod non videant, qui videntem omnia vident? Serm. 1, *de S. Michaele.*

53. Quanto quis fuerit hic ferventior, tanto Dei postea visio erit suavior. *Prosec.*

54. Quanto nunc Deum desideramus ardentius, tanto ipsum tunc intuebimur clarius. Serm. 2, *Domin.* 2, *post Pascha.*

55. Dominus videt omnes simplici notitia generali : bonos in gratia spiritali, malos in ira judiciali, beatos in gloria æternali. Videt omnes communiter, bonos amicabiliter, malos terribiliter, beatos ineffabiliter. *Ibid.*

56. O quam dilectores suos Deus jucunde videbit! ubi nil in eis videbit, quod oculis displicebit. *Ibid.*

56. *bis.* Beati qui corporaliter, beatiores qui spiritualiter, beatissimi qui æternaliter vident Christum. Serm. 1. *Dom.* 12, *post Pent.*

57. Dei visio tam jucunda est, quod si quis in inferno existeret, et Deum videret, nullum omnino dolorem sentiret : quia dolorem magnum major delectatio absorberet. Serm. 7, *de SS. Apostolis.*

58. Tam delicata est divina visio, tanto amore dignissima, ut quidquid homo possideat, illa non habita non faciat hominem beatum, sed miserum. Serm. 3, *de uno Mart.*

59. Illum Solem justitiæ conspicere nequeunt, CASSIOD
nisi qui eum mundis et sanctis mentibus intuentur. Super *Psalm.* LVII, vers. 8 : *Non viderunt solem.*

60. Deum humanus non potest videre sensus, nisi qui splendoris ipsius fuerit claritate perfusus. Super *Psalm.* LXVI, vers. 1.

61. Deum videre non poteris, cum oculi tibi S. CYPRI
non sint, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. *De Discipl. et habitu virgin.*, cap. 7.

62. Carneis Deum videre oculis nemo sane po- S. CYRIL.
terit, quod enim corporis expers est, corporeis HIEROS
oculis comprehendi non potest. *Catech.* 9.

63. Quisquis est ex Deo, hic videt Deum. Su- DIDYM
per *Epist.* I *Joan.*, cap. I. ALEX.

64. Vere beati sunt, quorum rex est Christus, GLOSS. O
et qui æterna ejus visione perfrui merentur. Super III *Reg.* X.

65. Non videt Deum, qui terrenis inhærent. Su- GLOSS. I
per illud *Psalm.* V : *Astabo tibi et videbo.*

66. Visio Dei, cognitio Dei est. Super *Luc.*, cap. GLOSS. C
II.

67. Nemo Deum videt, nisi prius Deo appareat : sol enim sua luce facit nos videre, ita et Deus. Super illud, *Psalm.* LXII : *Apparui tibi ut viderem.*

68. Sancti omnes quando in Dei visione profi- S. GREG
ciunt : quanto magis divinitatis interna conspi- MAGNI
ciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Lib. 18 *Moral.*, cap. 27.

69. Qui perversus est, neque hoc potest videre quod est. *Ibid.*, lib. 24, cap. 6.

70. Æterna contemplatione agitur, ut omnipotens Deus, quo magis visus fuerit, eo magis diligatur. *Ibid.*, lib. 25, cap. 7.

71. Sola Dei visio, vera mentis nostræ refectio est. *Ibid.*, lib. 31, cap. 19, num. 35.

72. Quantalibet intentione adhuc peregrina mens satagat videre lucem æternam sicut est, non valet; qui hanc ei damnationis suæ cæcitas abscondit. *Ibid.*, lib. 4, cap. 23, num. 26.

73. Longe dispariliter videt creator se, quam videt creatura creatorem. *Prosec.*

74. Visio nostra vel requies, erit utcunque similis visioni vel requiei Dei, sed æqualis non erit. *Ibid.*, lib. 18, cap. 28.

75. Æterna contemplatione agitur, ut omnipotens Deus, quo magis visus fuerit, eo amplius diligatur. *Ibid.*, lib. 25, cap. 4.

76. Animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura : quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit omne quod creatum est. *Prosec.*

77. Quia ipsa luce visionis intimæ mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo, fit vero ipsa videntis anima etiam super ipsam. Lib. 2 *Dialogi*, cap. 35.

78. Animus in visione Dei raptus, videre sine difficultate potest omne quod infra Deum est. *Ibid.*

79. In cœlo omnes communi claritate Deum conspiciunt : quid est quod illi nesciant, ubi scientem omnia sciunt? *Ibid.*, lib. 4, cap. 35.

80. Omnipotentem Dominum fide videre non potest, qui sanctæ Ecclesiæ Doctoribus fidem non adhibet. Lib. 3, in I *Reg.*, cap. 1.

GREGOR. NYS. 81. Si Deus est vita, qui non videt Deum, vitam non videt. Orat. 6, *de Beatitud.*

82. Videre Deum, vita sempiterna est. *Ibid.*

83. Deum videre, vita animæ est. *De iis qui præmature arripiuntur.*

HIERON. 84. Si juxta Ecclesiasten radix sapientiæ est timere Deum, fructus sapientiæ quis est, nisi videre Deum? In *Regula monachor.*, cap. 27, *de Fide.*

GO A S. TORE. 85. Frustra cordis oculum erigit ad vivendum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum. Lib. 3, *de Anima*, cap. 6.

86. Si quæris, utrum possit Deus videri? respondeo, potest. Videri autem potest, cum vult, sicut vult : plurimis enim visus est, non sicuti est, sed quali specie illi placuit apparere. Lib. 2, *de Sacram.*, part. 18, cap. 16.

O CARD. 87. Omnes Christiani Deum fide vident, intellectu theologi, contemplatione religiosi, speculatione prælati, et ab eo sæpissime fugiunt. *Prosec.*

88. Christiani fugiunt ad temporalia, theologi ad dignitates religiosi ad negotiationes sæculares, prælati vero fugiunt ad curas sæculi. Super *Psalm.* XXX.

89. Visione Dei nihil est delectabilius. Super *Psalm.* CXLIV.

90. Omnis, qui videt Deum, humiliat se : et quanto plus videt, tanto plus se humiliat : et quanto plus se humiliat, tanto plus se Deus ei manifestat. Super *Prov.*, cap. 30.

91. Nulla pœna major, quam carere visione Dei. Super *Ecclesiasten*, cap. 4.

92. Mundo corde promittitur Dei visio ; ut qui mundum habet oculum mentis, clare videat Deum. Super *Matth.*, cap. 5.

93. Frustra ad conspectum Dei tendit, qui vitiorum contagia non declinat. Collat. 14, *Abbat. Nesterotis*, cap. 2. JOAN. CASS.

94. Is beatus est, cujus mundus et purus est animus : ab hoc enim uno Deus cerni potest. Epist. *ad Zenam.* S. JUSTIN. MART.

95. Mens hominis tenebroso corporis domicilio circumsepta, longe a Dei perspectione submota est. *De Ira Dei*, cap. 1. LACT. FIRM.

96. Mens virtutibus vacua, ad divinum non accedat aspectum. *De Casto Connub.*, cap. 19. S. LAURENT. JUSTIN.

97. Deus hic nec videri potest, visu clarior est : nec comprehendi potest, nec æstimari. In suo *Octavio.* MINUT. FEL.

98. Quem colimus Deum, nec ostendimus, nec videmus : imo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. *Prosec.*

99. In operibus enim ejus, et in mundi omnibus motibus virtutem ejus semper præsentem aspicimus : cum tonat, fulgurat, fulminat, serenat.

100. Nec mireris, si Deum non vides : Deum oculis carnalibus vis videre, cum ipsam animam tuam, qua vivificaris et loqueris, nec aspicere possis, nec tenere. *Ibid.*

101. Christus ab humili possidetur, et a mundo corde conspicitur. *Epist. ad Desiderium.* S. PAULINUS.

102. Qui Christum videre quærit, cœlum unde Christus est, non terram, intueatur. Serm. 54. S. PETRUS CHRYSOL.

103. Deum qui vult videre, visionis ejus discat tenere mensuram. *Ibid.*, serm. 61.

104. Sufficit sapienti ea quæ post Deum sequuntur cognoscere, principalem autem illam essentiam si quis velit intueri, nimio radiorum fulgore, priusquam eam videat, cæcabitur. *De profugis.* PHILO JUD.

105. Videre Deum, summum solidumque est gaudium, summum verumque gaudium, præmium bene creditur beatorum. Lib. 1, *de Vita contemplat.*, cap. 1. S. PROSPER.

106. Qui videt Deum, pacem videt; et pax super ipsum est, cui Deus semper placet. Super *Psalm.* CXXIV, vers. ultimo.

RICHARD. A S. VICTORE.

107. Vis videre Christum? disce cognoscere teipsum. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 78.

S. SYNESIUS EPISCOPUS.

108. Cum per sese Deum intueri res sit felicitatis plena, tum per phantasiam illius notitiam apprehendere, exquisitoris cujusdam intuitus est. *De Insomniis.*

THEOPHYL. ANTIOC.

109. His qui criminibus sunt innexi, nequaquam apparet Deus, nisi prius ab omni inquinamento se repurgarint. Lib. 1, *ad Autolycum.*

S. THOMAS AQUINAS.

110. Comprehendere Deum, impossibile est cuicunque intellectui creato : attingere vero mente Deum qualitercunque, magna est beatitudo. Part. 1, quæst. 12, art. 7.

111. Qui occulum contemplationis non habet apertum, Deum et quæ in Deo sunt videre non valet. 2, 2, quæst. 5, art. 1.

112. Intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit : plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate. Quia ubi est major charitas, ibi est majus desiderium : et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati, unde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit, et beatior erit. Part. 1, quæst. 12, art. 12.

113. Nemo videns Deum vivit ista vita, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis. 2, 2, quæst. 180, art. 5.

114. Hæc est angelica gloria, stare ante filium hominis Deum nostrum, et faciem ejus jugiter cernere. *De ultimo adventu Christi.*

THOMAS A KEMPIS.

115. Credere in Christum, mente cernere est : et ardenter amare, ipsum tenere est. Medit. 3, *de Advent.*, cap. 4.

116. Nulla festivitas solemnior, nulla societas jucundior, nulla delectatio major, nulla contemplatio excellentior, nulla felicitas dignior, quam Christum videre in gloria sua cœlesti. Medit. 29, *de Domin. Palmar.*, cap. 5.

S. VALER. EPISCOPUS.

117. Si videre vis Deum, require medicum, suscipe peregrinum, visita infirmum, curre ad carcerem, vincula captivitatis absolve, nodos iniquitatis incide. Homil. 1, *de bono disciplin.*

IN VIT. PATR.

118. Sicut impossibile est, ut videat quis in aqua turbida faciem suam; sic et anima, nisi purgata fuerit a cogitationibus alienis, contemplative non potest videre Deum. Lib. 5, libell. 12, num. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO.

119. Deus ille (quem mente noscimus, atque in animi notione, tanquam in vestigio reponimus) nusquam prorsus apparet. Lib. 1, *de Natura Deor.*

120. Nec Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta sit ab omni concretione mortali. Lib. 1, *Tusc. quæst.*

SEN[ECA].

121. Animus nisi purus et sanctus sit, Deum non capit. Epist. 87.

SIX[TUS] PHILO[S].

122. Intuendo Deum, videbis Deum. Sent. 426.

123. Videns Deum, facies mentem tuam qualis est Deus. *Ibid.*, sent. 427.

TRISM[EGISTUS].

124. Respirate jam, respirate, ad fontem vitæ recurrite; illumque qui vos introducet in aditum veritatis capescite. Ibi fulgidum lumen nullis immixtum tenebris, ibi nullus ebrietate delirat, sed omnes sobrii vigilant, atque mentis oculis, eum qui videri vult, acutius intuentur. *Prosec.*

125. Is nec auribus percipitur, nec cernitur oculis, neque sermone profertur : sola mens eum prospicit, sola mens prædicat. Lib. *de potest. et sap. Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 7.

126. Homo Deo devotus, quamprimum divinam prægustaverit visionem, oblivioni reliqua omnia tradit. *Ibid.*, cap. 9.

127. Impossibile est, (o fili) animam hominis in corporis fæce jacentem, divinam assumere formam : neque licet etiam Dei pulchritudinem contueri, nisi qui ante in Deum fuerit reformatus. *Ibid.*, cap. 10.

128. Quid Deo lucidius? ille quippe omnia ob eam causam fabricavit, ut eum per singula cerneres : hæc Dei bonitas, hæc ejus virtus est, illum fulgere per omnia : Deus enim in operatione conspicitur. *Ibid.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Deus*, sent. 19; *Judicium extrem.*, sent. 51; *Lux*, sent. 68; *Mortificatio*, sent. 50; *Solitudo*, sent. 8; *Virtutes theologicæ*, sent. 13, 15; *Vita æterna*, sent. 95.

## VITA ÆTERNA.

S. [...] AR[...]

*Definitio.* Æterna vita est, ex qua omnis vita pendet, et a qua in omnia : quæ qualemcunque vitam degunt, vita pro modo cujusque diffunditur. *De divinis nomin.*, cap. 6.

S. A[...]

Vita æterna est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ. 1, 2, quæst. 114, art. 2.

Vita æterna nihil aliud est, quam cognoscere Deum. Opusc. 6, super *Symbol. Apost.*, art. 1.

S[...]

Quid est beata vita? securitas, et perpetua tranquillitas. Epist. 12.

S. [...]

*Differentia.* Quantum distat inter hanc vitam et æternam! hic falsitas, ibi veritas : hic pertur-

batio, illic fida possessio : hic pessima amaritudo, illic sempiterna dilectio : hic periculosa elatio, illic secura exaltatio, : hic mors, ibi vita. Serm. 2, *Vigil. Nat.*

SENECA. Hoc inter, hanc vitam et illam æternam interest : hæc quia fulgore extrinsecus veniente percussa est, crassam illi statim umbram faciet quisquis obstiterit : illa vero suo lumine illustris est. Epist. 21.

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Civitas Dei illa Jerusalem non meatu alicujus fluvii terrestris abluitur, sed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus sanctus, cujus nos brevi satiamur haustu, in illis cœlestibus Thronis : Dominationibus et Potestatibus, Angelis et Archangelis redundantius videtur effluere pleno septem virtutum spiritalium fervens meatu. Lib. 1, *de Spiritu sancto,* cap. 20.

2. Hæc est æterna vita, vivere sine pœna, habere et gloriam. Super *Epist. ad Galat.,* cap. 6, in illud : *Metet vitam æternam.*

3. Vera vita illa est, quam speramus futuram, quæ non occasu, non temporibus terminatur : æterna est, et ideo merito vera appellata est. Super I *Tim.* VI.

4. Vita æterna justis gratis datur, pro cujus acceptione multa adversa perferunt, multas lacrymas fundunt, innumeras preces Deo afferunt; et cæteris bonis operibus seipsos exercent. *Prosec.*

5. Sed gratis tamen vitam æternam percipiunt, quia pretium vitæ æternæ, quod sunt bona opera, ab ipso accipiunt, qui dixit ; Sine me nihil potestis facere. Super *Apocal.,* cap. 21.

ANSELM. 6. Existentes in æterna vita diligunt Deum plusquam seipsos, et invicem tanquam seipsos, et Deus illos plusquam illi seipsos : quia illi illum, et se et invicem per illum : et ille se, et illos per se ipsum. Gaudium quale aut quantum est, ubi tale tantum bonum est? In *Prosologio,* cap. 25.

7. In civitate supernæ Jerusalem jura legum immobilia, optimæ consuetudines : ibi cives, non ex timore alicujus suas occultant opes, imo, gaudent, dum palam omnibus apparent. *Prosec.*

8. Nullus ibi incursus malorum, pestis nulla, violentia omnisque rapina procul inde remota : præterea locus amœnus, et magna dulcedine refertur.

9. Tenebræ ibi nullæ, lux indeficiens et circum lucens : infirmitas nulla; sanitas indefessa, nihil incommodi, omnia ad votum. *De similitud.,* cap. 44.

10. Malum quemque sic omnes boni in æterna vita habebunt odio, ut nec filius quidem pietatem habeat de patre in pœnis conspecto. *De similitud.* cap. 62.

11. Gaudium in vita æterna erit justo intus et extra, gaudium sursum atque deorsum, gaudium circum circa, ubique gaudium plenum. *Ibid.,* cap. 71.

12. Nullus ibi mœror, procul omnis dolor, nulla mœstitia, nulla indigentia, nulla necessitas, nullius boni est difficultas. *Prosec.*

13. Nunquam ibi tenebræ, nec terror nominatur gehennæ, nullius noctis tetra cæcitas, nec tumultus improbitas.

14. Nunquam ibi famis sitisque inopia, frigoris nec æstus moratur penuria, non invalitudo corporis prorsus, nec corruptio mentis; non zelus, neque contentio, nec omnino ambitio.

15. Illinc abest sollicitudo finis, et cura mortis : labor senectutis, languor ægritudinis : ibi nescitur passio aeris; et varietas temporis. In *Meditat.*

16. Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, nec ægritudinis imbecillitas? *Prosec.*

17. Nemo ibi læditur, nemo irascitur, invidet nemo. Ibi cupiditas nulla exardescit, nullum ibi desiderium, nulla pulsat ambitio.

18. Nullus ibi diaboli metus, invidiæ nullæ, terror gehennæ procul : mors neque corporis, neque animæ, sed immortalitatis munere vita jucunda. Part. 1, tit. 4, cap. 2, § 8.

19. Nullus ibi potest egredi civis, nec intrare hostis, nulla pulsat honoris ambitio, insidiæ dæmonum nullæ, sed consona cuncta, et jucunda sunt omnia. *Prosec.* S. ANTONIN.

20. Ibi nulla dissensio, nulla seditio, nulla contentio, sed omnes concordant in una voluntate quam Dei esse constituunt. *Ibid.,* tit. 5, cap. 4, § 3.

21. Æterna vita vitam temporalem vivacitate ipsa superat. *De vera Relig.,* cap. 49. S. AUGUST.

22. Tanto illud, quod valde magnum est (quod nec oculus vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere) sumemus capacius, quanto id et fidelius credimus, et speramus firmius, et desideramus ardentius. Epist. 121, *ad Probam,* cap. 8.

23. Sine intermissione orare, quid est aliud, quam beatam vitam (quæ nulla, nisi æterna est) ab illo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? *Ibid.,* cap. 7.

24. Ecclesia sine macula et ruga ex omnibus gentibus congregata, atque in æternum regnatura cum Christo, ipsa est terra beatorum, terra

viventium. Lib. 3, *de Doctr. christ.*, cap. 34.

25. Cum ex hac vita ab eo qui in his miseriis fidelis et bonus est, ventum fuerit ad beatam, tunc erit vere quod nunc esse nullo modo potest, ut sic homo vivat quomodo vult. *Prosec.*

26. Non enim volet male vivere in illa felicitate, aut volet aliquid quod deerit, aut deerit quod voluerit.

27. Quidquid amabitur aderit, nec desiderabitur quod non aderit : omne quod ibi erit, et quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit. Lib. 13, *de Trinit.*, cap. 7.

28. Nullo modo esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna. *Ibid.*, cap. 8.

29. Quid hoc bono melius, quid hac felicitate felicius? vivere Deo, apud quem est fons vitæ. *De spirit. et lit.*, cap. 22.

30. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. Ibi enim fulget quod non capit locus, ibi sonat quod non rapit tempus, ibi olet quod non spargit ventus, ibi sapit quod non minuit edacitas, ibi hæret quod non divellit satietas, ibi si quidem videtur Deus sine intermissione, cognoscitur sine errore, amatur sine offensione, laudatur sine fatigatione. *De spiritu et anima*, cap. 36.

31. Vita civitatis æternæ est quieta, pax tranquilla, felicitas perpetua, pulchritudo admirabilis, species laudabilis, jucunditas concupiscibilis, gloria desiderabilis, gaudium perenne, festivitas continua, cantica dulcissima. *Ibid.*, cap. 5. *Prosec.*

32. Sunt ibi gaudia æterna, quæ suavitatem infundunt, et corruptionem non inducunt : semper reficiunt, et nunquam deficiunt, pascunt et perseverant integra, ad fruendum se exhibent, et permanent incorrupta. *Prosec.*

33. Dulcedo illius civitatis infundit se ad suavitatem, species ad jucunditatem, visio ad delectationem.

34. Omnis pulchritudo ibi est, ubi summa pulchritudo est : quanta namque pulchritudo ibi est, ubi rerum omnium species sine defectu vigent, sine transitu permanent, sine corruptione consistunt, sine mutabilitate æternæ sunt?

35. O civitas sancta, civitas speciosa ! quidquid in te est, totum pulchrum est, suave est jucundum est : unum bonum est, et omne bonum in ipso est : si tam pulchrum est quod vere pulchrum non est, quid est quod pulchrum ?

36. Quidquid enim nominare boni possum, totum ibi est : quia omnia bona in uno sunt, et omnia unum sunt.

36 *bis*. Omnes ibi contemplantur, omnes lætantur, omnes delectantur in Deo, cujus aspectus pius, facies decora, eloquium dulce : delectabilis ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad fruendum.

37. Semper libet illum aspicere, semper habere, semper illo frui, et in illo delectari.

38. Ipse per se placet, et propter se : sufficit ad meritum, sufficit ad præmium ; nec aliquid est quod extra illum quæratur; quia totum in illo invenitur quod desideratur, et in illo totum amatur : unum namque bonum est, et omne bonum in illo est, hoc bonum soli boni habent et vident, amant et laudant laude perpetua. *Ibid.*

39. Contemplemur qui sint ipsi Angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ majestas visionis Dei : nemo enim in hac vita digne pensare potest quanta sit illa felicitas, Deum facie ad faciem videre ; quanta suavitas illud melos angelicum audire, quanta jucunditas omnium Sanctorum societatem habere. *Prosec.*

40. In illa gloria nihil libentius intueor, nihil delectabilius ad contemplandum invenio, quam intimi amoris affectum. *De Spiritu et anima*, cap. 57.

41. Qui solo beatitudinis supernæ desiderio temporalia contemnit, et nihil hujus mundi diligit, solamque æternam patriam appetit, magna mentis tranquillitate fovetur : in qua tanto Deum purius cernit homo, cum se solo solum invenit ; nihil enim Deo præsentius, et nihil eo secretius. *Ibid.*

42. Ibi est omnis felicitas, omnis suavitas, omnis jucunditas, et omnis amœnitas, omnis pulchritudo, et omnis dulcedo. *Prosec.*

43. Quidquid expedit, et quidquid delectat, ibi est : omnes videlicet divitiæ et deliciæ, omnis requies et omne solatium.

44. Ibi est jugis tranquillitas, amœna serenitas, æterna jucunditas, jucunda et decora laudatio, et plena omnium bonorum cognitio : quid enim ibi deesse potest, ubi Deus est, cui nihil deest? *Ibid.*

45. Consideremus qualis sit illa gloria, quanta lætitia, quæ solemnitas, quæ veneratio, quod tripudium civium supernorum. *Prosec.*

46. Sæpius hæc meditor, illuc ascendere nitor : suspiro, frendo ; precibus, votis ibi tendo : atque modo miro quæ sint ibi, quantaque gyro : mens hæret Christo, cor delectatur in isto : illuc versatur, gaudet et stupet, et veneratur. Jam tanto dulcius, quanto sæpius, aviditate quidem multa, sed satietate nulla : tam rara est hora, et brevis mora. *Ibid.*, cap. 60.

47. O civitas sancta, civitas speciosa, de longinquo te saluto, ad te clamo, te requiro.

48. O civitas desiderabilis ! muri tui lapis unus, custos tuus ipse Deus, cives tui semper læti.

49. Non est in te corruptela, nec defectus : nec senectus, nec ira : sed pax perennis, gloria solemnis, lætitia sempiterna, solemnitas continua.

50. Non est in te heri, nec hesternum, sed est idem hodiernum : tibi salus, tibi vita, tibi pax est infinita, tibi Deus omnia. *Ibid.*

51. Incomparabiliter superna est civitas clara, ubi victoria, veritas : ubi dignitas, sanctitas; ubi pax, felicitas; ubi vita, æternitas. Lib. 2, *de Civit. Dei*, cap. 29.

52. Quanta erit felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum ; vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus : tunc non erit nulla necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas. *Ibid.*, lib. 22, cap. 30.

53. Ibi vacabimus et videbimus, videbimus et amabimŭs, amabimus et laudabimus ; ecce quod erit in fine sine fine ; nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis? *Ibid.*

54. In æterna vita est veritas, illic fida possessio, illic sempiterna dilectio, illic secura est exultatio. *Prosec.*

55. Illic semper manet amicus, quia nullus illic admittitur inimicus; illic quidquid acceperis, ab illo servaberis, qui fecit ut ne tu transeas, et quod acceperis non amittas. *Contra Judæos*, cap. 21.

56. Talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, et nunquam satieris, imo semper satieris, et nunquam satieris. *Prosec.*

57. Si enim dixero quia non satieberis, fames erit; si dixero quia satiaberis, fastidium timeo, ubi nec fastidium erit, nec fames; quid dicam nescio, sed Deus habet quod exhibeat. Tract. 3, super *Evang. Joan.*, de cap. I.

58. Ibi est sempiterna vita sempiterne beata : ibi est amor perfectus et timor nullus : ibi est dies æternus et unus omnium spiritus : ibi summa et certa securitas, et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas, et jucunda felicitas, et felix æternitas, et æterna beatitudo, et beata Dei sine fine visio atque laudatio. In *Medit.*, cap. 17.

59. O vita vitalis, vita beata, vita sæcura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate et mutatione, vita totius elegantiæ, et dignitatis plenissima. *Ibid.*, cap. 22.

60. O vita felicissima ! o regnum vere beatum, carens morte, vacans fine : ubi continuus sine nocte dies, ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus et timor nullus, ubi dies æternus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. *Ibid.*

61. Ibi hymnidici angelorum chori, ibi societas supernorum civium, ibi dulcis solemnitas omnium ab hac tristi peregrinatione ad gaudia redeuntium. *Prosec.*

62. Ibi prophetarum providus chorus, ibi duodenus apostolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, ibi sanctorum confessorum sacer conventus, ibi veri et perfecti monachi, ibi sanctæ mulieres, quæ voluptates sæculi et sexus infirmitatem vicerunt : dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium. *Ibid.*, cap. 25.

63. Ibi intellectus est sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitatione, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo. *De diligendo Deo*, cap. 18.

64. Ibi gaudium infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo. *Prosec.*

65. Ubi juventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcessit, ubi gaudium nunquam decrescit, quoniam ibi summum bonum possidetur. *De Soliloq. animæ*, cap. 35.

65 *bis*. Summum bonum est gaudium angelorum, atque omnium sanctorum præmium vitæ æternæ, gloria spirituum, lætitia sempiterna, corona decoris, bravium felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum et externum gaudium, Paradisus Dei, Jerusalem cœlestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum : hæc est plena beatitudo, et tota glorificatio hominis. *Ibid.*, cap. 36.

66. O vita vitalis, vita sempiterna, ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. In *Manuali*, cap. 7.

67. Quid vita æterna beatius? Ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas; ibi nemo læditur, nemo irascitur, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris aut potestatis pulsat ambitio, nullus ibi diaboli metus, nullæ insidiæ dæmonum, terror gehennæ procul, mors neque corporis, neque animæ, immortalitatis munere jucunda vita, ne-

quam discordia, cuncta consona, cuncta convenientia. In *Manuali*, cap. 17.

68. Ibi erit, summa pax, summa requies, nullus labor, nullus dolor, nulla paupertas, nulla senectus, nulla mors, nulla nox, nullum cibi desiderium, nullum sitis incendium. *De triplici habitaculo*, cap. 4.

69. Ibi quidquid nos nunc latet, manifestum erit. *Ibid.*

70. Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis et sapientiæ, ut etiamsi non liceret amplius manere in ea quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis in circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemneretur. *Ibid.*

71. Currite velociter rectam viam, ipsa enim vos perducit ad patriam : ad patriam illam, cujus cives angeli sunt, cujus templum Deus, cujus splendor Filius, cujus charitas Spiritus sanctus : civitas sancta, civitas beata : ubi delectat videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo. *De Cantico novo*, cap. 10.

72. Nihil ibi nisi bonum, nihil ibi nisi honestum, nihil ibi nisi verum, nihil ibi nisi purum, nihil ibi nisi sincerum. *Prosec.*

73. Nulla ibi erit corruptio, nulla deformis pravitas, nulla ærumnosa necessitas, sed interminatæ æternitatis pulchra veritas, summa felicitas. Serm. 1, *Fer.* 6 *Paschæ.*

74. Optima vita est, quia secura est, quia æterna est, quia vera est, quia felicitas nostra est : Deum habere, Deum videre, Deum contemplari. Serm. 44, *ad Fratr. in eremo.*

75. Quid securius quam esse in ea vita, ubi non possit tibi evenire quod non vis? Lib. 2, *de Lib. arb.*, cap. 20.

76. Exardesce amore atque desiderio sempiternæ vitæ Sanctorum, ubi nec operosa erit actio, nec requies desidiosa. *Prosec.*

77. Laus erit Dei sine fastidio, sine defectu : nullum in animo tædium, nullus labor in corpore, nulla indigentia, nec tua cui subveniri desideres, nec proximi cui subvenire festines. *De Catechiz. rud.*, cap. 25.

78. Tunc perfecte incipit Christianus futuram et æternam vitam diligere, cum vitam præsentem cœperit non amare. Homil. 33, *Ex quinquag. Homil.*

79. Si curris pro hac vita centum millia, quot millia debes currere pro vita æterna? *Ibid.*, homil. 37, cap. 3.

S. BERNARD. 80. O vere felix et gloriosa satietas ! o sanctum convivium, o desiderabiles epulæ ! ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, et summum inerit desiderium. Serm. 1 *omnium SS.*

81. O vere meridies ! plenitudo fervoris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio. *Prosec.*

82. O perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies ! o lumen meridianum ! o vernalis temperies ! o æstiva venustas ! o autumnalis ubertas ! o quies et feriatio hyemalis ! Serm. 35, super *Cant.*

83. Electos tria in futuro manent. Interna satietas, æterna jucunditas, jucunda voluptas. In suis *sententiis*, verbo *Electos.*

84. Qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. Serm. 2, super *Cant.*

85. In hac vita quandiu durat, compara tibi illam quæ semper durat. Epist. 105, *ad Romanum subdiacon.*

86. Cogita quidquid vis, quidquid potes exopta ; excedit cogitatum omnem, desiderium omne exsuperat illa felicitas, æternitas illa, beatitudo illa sempiterna. In *Declamat.*

87. Præmium patriæ cœlestis est videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, habere Deum, qui est summum bonum. *Prosec.*

88. Ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa jucunditas, summa libertas, perfecta charitas, æterna securitas, et secura æternitas.

89. Ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, et omnis beatitudo.

90. Est ibi pax, pietas, bonitas, virtus, honestas, gaudia, lætitiæ, dulcedo, lux, vita perennis, gloria, laus, requies, amor et concordia dulcis. *Libro Medit.*, cap 4.

91. O civitas gloriosa, cœlestis habitatio, locus vitæ, suavitatis palatium, splendor gloriæ, gratiæ magnitudo, claritas infinita. Serm. *de Septem grad. Confess.*

92. Vita æterna est locus voluptatis, ubi torrente voluptatis potantur justi ; locus splendoris ubi justi fulgent sicut splendor firmamenti ; locus lætitiæ, ubi lætitia sempiterna super capita eorum ; locus abundantiæ, ubi nihil deest videntibus eum ; locus suavitatis, ubi apparet Dominus suavis universis ; locus pacis, ubi in pace factus est locus ejus ; locus admirationis, ubi sunt mirabilia opera ejus ; locus satietatis, ubi satiabimur cum apparuerit gloria ejus ; locus visionis, ubi videbitur magna visio ; locus ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendebit. Serm. XLI, *de Quinque negotiat.*, num. 7.

93. Vita æterna ipsa est plenitudo, ipsa est longitudo dierum, verus dies, qui non novit occasum : plenus meridies, veræ gloriæ plenitudo, æterna veritas vera æternaque satietas. Lib. 5 *Florum*, cap. 47.

ONAV. 94. Vita sanctorum in patria, est vita vitalis. Super *Psalm*. CXVII.

95. Æterna omnium bonorum erit solemnitas, facie ad faciem Deum intueri, ejus dulcedine sine fastidio satiari, ejusque visione sine defectu perfrui. Serm. 3, *de Ascens.*

96. Si stultus est, qui dat vitam suam pro obolo, merito stultior est, qui dat æternam pro aliquo transitorio. Serm. 1, *de Dom.* 12, *post Pent.*

97. Vita beata altissima est, pulcherrima, gloriosissima, dulcissima, immensissima, nulloque tempore finienda. Serm. 1, *de S. Bartholom.*

98. In gloria æterna est sanitas absque infirmitate juventus sine senectute, satietas sine fastidio libertas sine servitute, pulchritudo absque deformitate, abundantia sine indigentia, pax sine perturbatione, securitas absque timore, cognitio absque ignorantia, gloria sine ignominia, gaudium sine tristitia. Titulo 10, *Diætæ*, cap. 4.

99. In illa cœlesti aula plenitudo omnis boni in omnibus perfecte est. Ibi virgo gaudebit de sanctæ viduitatis merito ; ibi vidua exultabit de castæ virginitatis privilegio ; ibi confessor de martyris jucundabitur triumpho ; ibi martyr tripudiabit de confessorum bravio ; ibi propheta laudabitur de patriarcharum pia conversatione ; ibi patriarcha exultabit de prophetarum fide et speculatione ; ibi apostoli et angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum ; ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria et corona superiorum. In *Soliloq.*, cap. 4.

100. Ibi est fruitio perfectissima, satietas sufficientissima, sobrietas sobriissima, voluptas pudicissima, cordialis diffusio, jucundissima amplexio, medullaris transformatio, centralis quietatio, omnis amœnitas, omnis suavitas, omnis securitas, omnis libertas, aperta visio, firma tentio, consummata dilectio, continua laudatio. *De stimulo amor.*, part. 3.

101. Tot et tanta sunt ibi gaudia, quod omnes arithmetici hujus mundi non possent ea numerare ; nec geometrici mensurare, nec grammatici, rhetorici, aut theologi explicare. Lib. 7, *Compend. theolog. veritat.*, cap. 31.

102. Deus ibi erit, speculum visui, cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui. *Ibid.*

103. Ibi erit candor lucis æstivalis, amœnitas vernalis, abundantia autumnalis, requies hyemalis. *Ibid.*

104. Ibi nihil obest, nihil deest, nihil affluit, nil est extra quod appetatur, nihil intra quod fastidiatur. *Ibid.*

105. Merces sanctorum tam magna est, quod non potest mensurari ; tam multa, quod non potest numerari, tam copiosa, quod non potest finiri : tam pretiosa, quod non potest æstimari. *Ibid.*

106. Ibi affluentia virtutum, influentia deliciarum, confluentia bonorum. *Ibid.*

107. Vita æterna in duobus consistit, in necessaria præsentia omnis boni : in necessaria absentia omnis mali. *Ibid.*

108. Vitæ æternæ erit, cursus sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibi adjutorio, requies sine noctis otio, ætas sine senio. Homil. 28. S. CÆSARIUS ARELAT.

109. In æterna vita perpetua securitas manet ; quia perversitas nulla miscetur, æterna lætitia perseverat, quoniam nequaquam contrarietate aliqua constat esse violandam. Super *Psalm.* LXXXV. CASSIODOR.

110. Non potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire. *De Mortalitate*, cap. 8. S. CIPRIAN.

111. Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum æternitate vivendi ! quam summa, et perpetua felicitas ! *Ibid.*, cap. ult.

112. Quid immortalitati, in qua locus nullus omnino dolori est, et lumen est, par esse possit ? *De Eccles. Hierarch.*, cap 7, part. 3. S. DIONYS. AREOPAG.

113. Tanta est pulchritudo lucis æternæ, tanta est beatitudo et merces paradisi cœlestis, tanta dignitas beatificæ visionis super gloriosissimæ Trinitatis, quod licet non essemus eas habituri nisi per horulam unam dignum esset mille annis pro eis usque ad sanguinem laborare. *De Profess. monastica*, art. 5. DIONYSIUS CARTHUS.

114. Qui per odium et iracundiam radicem in se charitatis extinxerit, nihil in eo, unde ad æternam vitam perveniat, permanebit. Homil. 8. S. ELIGIUS.

115. Plurimum ei relinquitur, cui vita (quæ omnibus terrenis bonis præponderat) reservatur. Homil. in *Litaniis*. S. EUSEBIUS EMISS.

116. Non valent vitæ præsentis obsequia, æternæ vitæ gaudiis comparari. *Prosec.*

117. Lassescant licet membra vigiliis, pallescant licet ora jejuniis ; non erunt tamen condignæ ad futuram gloriam.

118. Futura beatitudo acquiri potest, æstimari non potest. Homil. 3, *ad Monachos*.

119. Vita æterna nec oculo potest cerni, nec tacita mentis cogitatione pertingi, quam consequi est facilius, quam enarrare. *Prosec.*

120. Cujus erit cursus sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibi adjutorio, requies sine

noctis otio, ætas sine senio : indeficiens sub vultu Dei claritas, semper nova jucunditas, et secura felicitas. *Ibid.*, homil. 6.

121. Quam jucundum erit, comite bona conscientia ad vera et solida gaudia, atque ad angelorum transire consortia, et ad illam vitam conscendere, ubi nulli erunt labores, nulli dolores, nulla damna, nulla incommoda ; et quod super omne bonum est, nulla peccata, sed æterna innocentia ! *Ibid.*, homil. 8.

S. GREGOR. MAGNUS. 122. Ibi pro sanctorum tunica, lux fulgebit æterna, ibi vestitus nullius unquam sæculis exuendus convertetur in corpus : ibi indumentum transibit in præmium, ibi angelica ista stola non jam erit amictus, non jam erit habitus, sed natura. *Ibid.*, homil. 10.

123. Erit aliquomodo in æterna vita ipsa distributionum diversitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Lib. 4, *Moral.*, cap. 31, num. 42.

124. Quando ad ipsum fontem vitæ venerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas : sed longe aberit a siti necessitas, longe a satietate fastidium, quia et sitientes satiabimur, et satiati sitiemus. *Ibid.*, lib. 18, cap. 28.

125. Quia in hac vita est discretio operum, erit in illa æterna procul dubio discretio dignitatum : ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. *Ibid.*, lib. 4, cap. 31.

126. In æterna vita una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quam vis non una sit omnibus sublimitas vitæ. *Ibid.*, num. 42.

127. Erit in beatitudine æterna culpæ memoria, non quæ mentem polluat, sed quæ arctius illam lætitiæ adstringat. *Ibid.*, num. 42.

128. Æternam vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamentes tacemus : si vero desideramus, ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. *Ibid.*, lib. 22, cap. 13.

129. Ibi supernorum civium societas sancta, ibi solemnitas certa, ibi requies secura, ibi pax vera. Homil. 81, super *Evang.*

130. In vita æterna est, lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine langore. Super *septem Psalm. Pœnit., super Psalm.* VII, vers. 14.

131. Ibi est dies æternus, et unus omnium spiritus : ibi est certa securitas, et secura æternitas, et æterna tranquillitas, et tranquilla felicitas, et felix suavitas, et suavis jucunditas. *Ibid.*, in sua *Oratione.*

132. Illi beatæ vitæ, in qua cum Deo, et de Deo vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari. In *septem Psalm. Pœnitentiales*, super *Psalm.* VII, vers. 9.

133. Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis quanta sint gaudia ; angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere ; incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari. Homil. 37, super *Evang.*

134. Illa vita nec inedia laborat, nec frigora caloresve, aut alias aeris injurias sentit. *De mortuis.* S. GR[EGOR.] NY[SS.]

135. Beata est illa vita atque immortalis, quæ sensuum libidine non fallitur in bonis dijudicandis. *Ibid.*

136. In domo cœlesti tanto quisque mansionem inveniet ampliorem, quanto in præsenti vita justius vixerit. Serm. *Dom.* 20, *post Pent.* HAY[MO.]

137. Omnium bonorum promissio vita est sempiterna. Lib. 15, super *Isaiam*, cap. LV, super illud : *Audite me, et vivet anima vestra.* S. HI[ER.]

138. Non erit ibi diminutio, vel augmentum corporis, seu finis ætatis ; puer ibi in juvenem non crescit, nec aliquis juvenis senescet : non erit ibi senectus nec senectutis defectus ; nemini conferet ibi timor pallorem, vel ira ruborem, nec labor sudorem, nec infirmitas dolorem. Lib. 4, *de Claustr. animæ*, cap. 21. HUGO VICT.

139. Civitas illa, in qua omnes Sancti tanta claritate fulgent, tanta perspicuitate translucent, quæ sua singulis corda manifestat, ex auro dicitur simili vitro mundo ; ut designetur auro clara, vitro perspicua. *Ibid.*, cap. 27.

140. Ibi, in perfecta scilicet beatitudine, nec prudentia poterit decipi, nec fortitudo frangi, nec justitia subverti, nec temperantia minui vel augeri, et erit in hac perfectione finis sine fine. *Ibid.* cap. 31,

141. Electos tria in futuro manent : interna satietas, æterna jucunditas, jucunda voluptas. Lib. 4 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 111.

142. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem. Lib. 2, *de Sacram.*, part. 18, cap. 21.

143. Erit ibi lætitia, ut nulla sit anxietas in quærendo ; erit et desiderium, ut nullum sit fastidium in fruendo : unde fruuntur nec fastidium, quo frui magis sitiunt. Super *Cant.*, cap. VIII. HUGO

144. Ibi erit vita sine morte, dies sine nocte, securitas sine timore, jucunditas sine dolore, tranquillitas sine labore, pulchritudo sine deformitate, fortitudo sine debilitate, rectitudo sine S. INN[OC.]

perversitate, charitas sine malitia, veritas sine fallacia, felicitas sine miseria. Serm. Dom *Lætare.*

JOANNES CHRYSOST.

145. O sancta civitas, ubi nulla malitia, sed tota concordia : ubi perfecta bonitas, et tota charitas : ubi justitia, et plena mansuetudo : ubi temperantia, et prudentia regnant? Homil. super *Psalm.* CXVIII.

146. Urbs cœlestis in primis regia est, et celeberrima, cujus fundamenta et portæ ex sapphiro margaritisque sunt compositæ, quæ non est in forum et palatium divisa, sed quidquid est illius urbis, aula regia est. Homil. 1, super *Matth. Oper. perf.*

147. Non est illic zelotypia, neque invidia, neque morbus, neque mors corporis, neque illa quæ est animæ : non ibi tenebræ, neque nox : semper dies, semper lux, semper claritas, pax ibi summa est, gaudium, jucunditas, voluptas. Hom. 6, super *Epist. ad Hebr.*

148. Quæ sunt virtutes futuri sæculi? vita æterna, angelica conversatio. *Ibid.*, homil. 9.

JOAN. TRITH.

149. Tanta sine dubio gloria in æterna vita perfruetur anima, ut omni creaturæ viventi inexcogitabile sit. *Prosec.*

150. Nec est ibi defectus, nec fastidium, nec tædium : est enim satietas sine fastidio, esuries sine defectu, jucunditas sine mœstitia, gaudium absque tristitia, æternitas sine fine, requies sine labore, sanitas sine dolore.

151. O quam insipiens est, qui tantæ pulchritudinis gloriam sua culpa perdiderit! Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 14.

ISIDORUS ISPALENS.

152. Qui vitæ futuræ præmia diligenter excogitat, mala omnia vitæ præsentis æquanimiter portat : quoniam ex illius dulcedine hujus amaritudinem temperat, et ex æternitate illius brevitatem hujus despicit transitoriam. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 58, sent. 5.

153. Qui vitam longam quæris, ad eam tende vitam, pro qua Christianus factus es, id est, æternam : non ad istam, de qua ad eruendum te, descendit vita æterna, id est Christus. *Prosec.*

154. Hæc est enim vita vitalis, ista vero mortalis est. *Ibid.*, cap. 61, sent. 5.

CT. FIRM.

155. Innocentiæ solius legitima et digna merces est immortalitas, quam statuit a principio Deus sanctis et incorruptis mentibus, quæ se a vitiis, et ab omni labe terrena integras inviolatasque conservant. *Prosec.*

156. Hujus præmii cœlestis ac sempiterni participes esse non possunt, qui fraudibus et rapinis conscientiam suam polluerunt. *De Ira Dei*, cap. 23.

157. Vita spiritualis, quæ terrenæ contraria est quia sempiterna est, idcirco et bona ejus sempiterna sunt. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 4.

S. LAURENT. JUSTIN.

158. Sola illa beata, vita dicenda est, quæ caret morte, non subjicitur miseriis, non perturbatur adversis, non variatur casibus, non alienis indiget adminiculis. *De Discipl. monast.* conversat., cap. 24.

LUDOVICUS BLOSIUS.

159. Ibi nulla est infirmitas, nulla corruptio, nullus metus, nulla sollicitudo, nullus mœror, nulla afflictio, nulla molestia, nulla miseria. In *Speculo spirit.*, cap. 14.

S. PROSPER.

160. Futura vita creditur beate sempiterna, et sempiterne beata. *Prosec.*

161. Ubi est certa securitas, et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas.

162. Ubi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus.

163. Ubi nec fallit quisque, nec fallitur, unde nullus ejicitur beatus, quo nullus miser admittitur. Lib. 1, *de Vita contemplat.*, cap. 2.

164. Vita æterna est Angelorum, sanctorumque hominum congregatio beata. *Ibid.*

165. Humanæ substantiæ ad Conditoris sui similitudinem sublimatæ, omnia bona quæ naturaliter accepta peccato corruperat, in vita æterna reparabuntur in melius. *Prosec.*

166. Intellectus erit sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo. *Ibid.*, cap. 4.

167. Etsi ibi erit distantia mansionum, summa tamen in illis erit unius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cœlestis una felicitas. *Ibid.*

RICHARD. A S. VICTORE.

168. Pax ibi est, requies ibi est, pax plena, requies bona, pax quieta, requies pacifica. Part. 1, *de Benjamin. minore*, cap. 30.

169. Nihil vitæ æternæ deliciis dulcius, nihil delectabilius, nihil hac suavitate salubrius, nihil præclarius atque jucundius. Part. 1, lib. 3, *de Trinit.*, cap. 17.

ROBERTUS BELLARM.

170. Summum bonum est æterna felicitas; nam felicitas sine æternitate, est felicitas misera; et æternitas sine felicitate, est æterna miseria. Super *Psalm.* xc, vers. 16.

S. THOMAS AQUINAS.

171. Vita æterna non acquiritur, nisi per pugnam. Super 1 *Timoth.*, cap. VI, lect. 2.

THOMAS A KEMPIS.

172. Ibi est pax ingens sine timore, lætitia sine mœrore, amor sine livore, scientia sine errore,

abundantia sine defectu, dignitas sine despectu, sanitas sine interitu, jucunditas sine fletu, securitas sine metu, voluptas sine vitio, satietas sine tædio, claritas sine nubilo, veritas sine ambiguo, puritas sine piaculo, libertas sine obstaculo, conscientia sine scrupulo, felicitas sine termino. Serm. 29, *ad Novit.*, divis. 4.

IN VIT. PAT. 173. Quis tam ignavi animi est? quis tam excors, quin sexentas temporarias mortes subire in animum inducat, ut beatam et ab omni interitu remotam vitam hæreditario possideat? Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 25.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 174. Noster animus a mundo digressus speculabitur veritatem illius superni, existetque immortalis, felix dominusque orbis : qualis status est beatitudo magna et absoluta animis humanis. Lib. 12, *Theolog.*, cap. 22.

175. Beatis vivere maxime est expetibile, et horum vita est beatissima. Lib. 9, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 9.

CICERO. 176. Tempus est nos jam de illa perpetua, non de hac exigua vita cogitare. Lib. 10, *Epist. ad Atticum*, epist. 7.

177. Beata vita semper stabilis est, nec amitti potest : nam si amitti vita beata potest, beata esse non potest. *Prosec.*

178. Non enim in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis esse vita beata dici solet : neque appellatur omnino vita beata, nisi confecta atque absoluta. Lib. 2, *de Finibus*.

179. O præclarum diem, cum ad illud divinorum animorum concilium cœtumque proficiscar! *De Senect.*

180. In vacuitate omnis ægritudinis, vita beata posita est. Lib. 5 *Tusc. quœst.*

181. Quod si sola beata vita glorianda, et prædicanda, et præseferenda est; nihil est aliud quod prædicandum, et præseferendum sit. *Ibid.*

182. Perspicuum est in perpetuis plenisque gaudiis vitam beatam existere. *Ibid.*

PLATO. 183. Si purus animus decesserit, nihil a corporis contagione secum trahens, ad divinum quoddam et immortale proficiscitur, quo cum pervenerit, omnino felix evadit. In *Dialogo Phœdonis*.

184. Magnum est præmium, spes futuræ felicitatis. *Ibid.*

185. Quos constiterit singulari quadam atque eximia virtute vitam instituisse, hi sunt qui terrenis locis liberantur atque solvuntur, tanquam carceribus quibusdam, superiorem vero illam puramque Regionem, quæ terræ supereminet, in qua ad incolendum sedes sunt constitutæ, perveniunt. *Ibid.*

186. Quicunque juste et pie vitam traduxerit, jucunda spes cor ejus fovens, ad felix quoddam solium comitatur. Lib. 1, *de Republ.*

187. Cum ex humilibus magnos, et insignes viros evasisse conspicatus es : eos in morte e miseria in magnam felicitatem conscendisse putes. Lib. 10, *de Legibus.*

188. Cum ex hoc carcere, hisque vinculis evolaveris justus, tum eo pervenies, ubi nulla erit molestia, nulla sollicitudo, nulla senectus : ubi tranquilla vita, omnium malorum nescia, immobili quadam et sempiterna quiete serena. In *Dialogo Axiochi.*

189. Quid homini potest dari majus, quam gloria, laus et æternitas? Lib. 3, epist. 21, *ad Cornelium Prisc.* PLINIUS

190. Gloriæ nullus finis est, proximique Deo. *Suasor.* 2. SENECA

191. Facilis est ad beatam vitam via, ipsis diis adjuvantibus. Lib. 2, *de Ira*, cap. 13.

192. Vivere omnes beate volunt, sed ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant. *De vita beata*, cap. 1.

193. Beata vita non aliter naturæ contingere potest, quam si primum sana mens est, et in perpetua possessione sanitatis suæ. *Ibid.*, cap. 3.

194. Hoc inter hanc vitam et illam æternam interest : hæc quia fulgore extrinsecus veniente percussa est, crassam illi statim umbram faciet quisquis obstiterit : illa vero suo lumine illustris est. Epist. 21.

195. Scias beatam vitam esse in excelso, sed volenti et perseveranti penetrabilem. Epist. 64.

196. Cur, o viri terrigenæ, præcipites in mortem ruitis, cum vobis haudquaquam desit immortalitatis consequendæ facultas? *Prosec.* TRISMEGI

197. Revocare jam vosmet, qui laboratis inopia, ignorantiæ tenebris involuti : discedite ab obscuro lumine, asciscite immortalitatem, corruptionem fugite. Lib. *Potest. et Sap. Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 1.

198. Quisquis ad id, quod decet, mente utitur, nihil ab immortalibus discrepat, quin etiam corporis solutus compedibus, ducetur in chorum Beatorum atque deorum. *Ibid.*, cap. 12.

Vide etiam tit. *Desiderium*, sent. 22 ; *Differentia*, sent. 11 ; *Labor*, sent. 50 ; *Molestia*, sent. 40 ; *Mundus*, sent. 103 ; *Obedientia*, sent. 145 ; *Paradisus*, per totum ; *Patria*, sent. 44, 52 ; *Regnum cœleste*, sent. 10 ; *Remuneratio*, sent. 40 ; *Requies*, sent. 50 ; *Virtus*, sent. 136; *Virtutes theolog.*, sent. 56 ; *Vita humana*, sent. 9.

## VITA HUMANA.

S. ANTO DE PAD *Etymologia.* Vita dicta est propter vigorem, vel eo quod vi teneat. Serm. *Dom.* 21, *post Trinit.*

S. AMBROS. *Definitio.* Vivere vita est virtute vivere, beatæque vitæ actus habere in hujus corporis vita. *De Paradiso*, cap. 9.

S. THOMAS AQUINAS. *Divisio.* Vitæ præsentis felicitas est duplex : una secundum vitam activam, alia secundum vitam contemplativam : una quidem perfecta, alia vero imperfecta. 2, 2, quæst. 186, art. 3.

SENECA. In tria tempora vita dividitur : quod est ; quod fuit ; quod futurum est. Ex his quod agimus, breve est ; quod acturi sumus, dubium ; quod egimus, certum. *De Brevitate vitæ*, cap. 10.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto majore oneratur sarcina peccatorum ? *De Bono mortis*, cap. 2.

2. Vitæ hujus principium, mortis exordium est nec prius incipit augeri ætas nostra, quam minui. *Prosec.*

3. Cui si quid adjicitur spatii temporalis, non ad hoc accedit, ut maneat ; sed in hoc transit, ut pereat. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 8.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. Heu ! quanta dementia in via lassari, et viam nolle finire. Serm. *Dom.* 6 *post Pascha.*

S. AUGUST. 5. Pereant omnia hæc vana, et inania : vita hæc misera est, et mors incerta. Lib. 6 *Conf.*, cap. 11.

6. Vita, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum. *De vera Relig.*, cap. 11.

7. Nulla vita est, quæ non sit ex Deo : quia Deus utique summa vita est, et ipse fons vitæ. *De vera Relig.*, cap. 11.

8. Non aliqua vita, in quantum vita est, malum est, sed in quantum vergit ad mortem. *Ibid.*

9. Labores et pericula et exitia hujus transitoriæ vitæ, si pro eadem vita quandoque finienda subeuntur, ut mors ejus non omnino auferatur, sed paululum differatur : quanto magis pro æterna subeunda sunt, ubi mortem nec natura sollicite cavet, nec ignavia turpiter timet, nec sapientia fortiter sustinet ? Epist. 45, *ad Armentarium.*

10. Nonne cernis, hæc vita miserabilis et egena, quam vehementes habeat, quantumque sibi obliget amatores suos ? qui tamen periculo ejus sæpe turbati, citius eam finiunt, eo ipso quod finire formidant, et mortem dum declinant, accelerant : veluti si quisquam fluvio rapiendus irruat, latronem bestiamve fugiendo : jactant in mare tempestate sæviente aliquando et alimenta, et ut vivant, projiciunt unde vivant, ne cito finiatur quo vel in labore vivitur. *Prosec.*

11. Quantis laboribus agitur, ut longiore tempore laboretur ? Multi cruciatus suscipiuntur certi, ut pauci dies adjiciantur incerti : et nonnunquam ipsis doloribus victi, continuo moriuntur, quos mortis timore suscipiunt : et cum omnino non eligant vitam finire ne doleant, sed dolere ne finiant, accidit eis ut doleant et finiant. *Ibid.*

12. Vita humana, sempiterna esse non potest, quia mortalis est : nec diuturna, quia tota brevis est : nec de ipso brevi spatio sui secura, quia semper incerta est. *Ibid.*

13. Multi aliquando vitam dolore finierunt, quam ne finirent, dolere voluerunt. *Ibid.*

14. Habet hoc magnum malum, ac vehementer execrandum et horrendum nimius amor vitæ istius, quod multi dum volunt paulo diutius vivere, graviter offendunt Deum, apud quem est fons vitæ : atque ita dum ab eis frustra, qui necessario futurus est vitæ finis metuitur, illinc prohibentur, ubi sine fine vivitur. *Ibid.*

15. Vita misera, etiamsi posset esse perpetua, nullo modo, beatæ vitæ, etiam brevissimæ comparanda est : et tamen isti amando miserrimam atque brevissimam, perdunt beatissimam ac sempiternam : cum in hac ipsa, quam male diligunt, hoc velint, quod in altera perdunt : quia utique in ista nec miseriam diligunt, nam beati esse volunt ; nec brevitatem, nam eam finiri nolunt : sed tantum quia vita est, sic amatur, ut sæpe propter eam (licet miseram et brevem) beata et sempiterna amittatur. *Ibid.*

16. An dignum est, vel ferendum, cum contemnuntur omnia quæ amantur in mundo, ut vita post paululum finienda, saltem ipsum paululum teneatur in mundo, et non contemnatur mundus, ut obtineatur vita quæ sine fine apud illum est, per quem factus est mundus ? *Ibid.*

17. Vita si diligitur, ibi acquiratur ubi nulla morte finitur. Epist. 45, *ad Armentarium.*

18. Omnes in hac vita mortales sumus, et dies hujus vitæ ultimus omni homini est semper incertus. *Prosec.*

19. Veruntamen in infantia speratur pueritia, et in pueritia speratur adolescentia, et in adolescentia speratur juventus, in juventute speratur gravitas, et in gravitate speratur senectus, utrum contingat incertum est, est tamen quod speretur.

20. Senectus autem aliam ætatem, quam speret, non habet ; incertum est, ipsa senectus quandiu sit homini : illud tamen certum est nullam remanere ætatem, quæ possit succedere senectuti, quia noluit Deus. Epist. 110, *ad Eradium.*

21. Est quædam vita hominis carnalibus sensibus implicata, gaudiis carnalibus dedita, carnalem fugitans offensionem, voluptatemque consectans. *Prosec.*

22. Hujus vitæ felicitas, temporalis est : ab hac vita incipere, necessitatis est ; in ea persistere, voluntatis. Epist. 120, *ad Honorat.*, cap. 2.

23. Naturale nobis est velle vivere, male autem vivere non est jam naturæ, sed perversæ voluntatis, quam juste pœna subsequitur. Lib. 7, *de Genesi ad litt.*, cap. 27.

24. In hac vita est falsitas, hic perturbatio, hic pessima amaritudo, hic periculosa elatio. *Prosec.*

25. Hic timetur ne qui erat amicus, efficiatur subito inimicus : hic quidquid est bonum, timetur ne pereat, hic denique mors. *Contra Judæos*, cap. 21.

26. Paucorum dierum est tota vita hominis, etiamsi læta duris non miscerentur, quæ plura et longiora sunt certe, quam dura, et ideo breviora et pauciora sunt dura, ut durare possimus. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2, vers. 24.

27. In regione mortuorum (id est in hac vita mortali) est labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium. Super *Psalm.* LXXXV, vers. ultim.

28. Vita vitæ mortalis, spes est vitæ immortalis. Super *Psalm.* CIII, conc. 4, vers. 34.

29. Si vita nostra ibi est, ubi est veritas : non est vita nostra sub sole, ubi est vanitas. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 12.

30. Magna Dei misericordia, in hoc quod diem vitæ tibi incertum fecit, ut nescias quando hinc emigrabis, quotidie speras te aliquando conversurum. Super *Psalm.* CXLIV, vers. 8.

31. Alia est vita terrena, alia vita cœlestis, alia vita pecorum, alia vita hominum, alia vita angelorum. *Prosec.*

32. Vita pecorum terrenis voluptatibus æstuat, sola terrena conquirit, in hæc prona atque projecta est : vita Angelorum sola cœlestia.

33. Vita hominum media est inter angelorum et pecorum. Si vivit homo secundum carnem, pecoribus comparatur : si vivit secundum spiritum, angelis sociatur. Tract. 18, super *Evang. Joan.*, de cap. 5.

34. Ad hoc debet unicuique prodesse vivere, ut detur illi semper vivere : nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere ? quia nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. *Ibid.*, tract. 45, de cap. 10.

35. Mors ista vitalis et vita mortalis, licet multis sit respersa amaritudinibus, proh dolor ! quam plurimos suis capit illecebris, et quam multos suis falsis promissionibus decipit. *De Meditat.*, cap. 21.

36. Vita hæc, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superborum, plena miseriis et erroribus, quæ non est vita dicenda, sed mors. In *Medit.*, cap. 21.

37. Vita humana, vita fragilis, vita caduca, vita quæ quanto magis crescit, tanto magis decrescit ; quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit. Vita fallax et umbratica, plena laqueis mortis. In *Soliloq. animæ*, cap. 2.

38. Via vita ista est : quando finitur via, non omnibus una hora finitur, unusquisque habet horam, quando finiatur via. Via vita ista dicta est : finisti istam vitam, finisti viam. Serm. 1, *de Verbis Domini.*

39. Quid est diu vivere, nisi diu torqueri ? quid est aliud diu vivere nisi malos dies malis diebus addere ? *De Verbis Domini*, serm. 17.

40. Diu vivere quid est aliud nisi ad finem currere ? habuisti hesternum diem, habere vis et crastinum : sed cum dies iste transierit, et crastinus, minus illum habes. *Ibid.*, serm. 39.

41. Non magnum est diu vivere, aut semper vivere ; sed magnum est beate vivere. *Ibid.*, serm. 64.

42. Hæc vita horrenda est et laboriosa, fragilis et fastidiosa, caduca ac misera, deceptrix atque dolosa, ærumnis ac scandalis plena. Serm. 65, *ad Fratr. in eremo.*

43. Vita mortalium tota pœna est. Lib. 21, *de Civit.*, cap. 14.

44. Homo non vivit ut vult ; nam si ut vellet viveret, beatum se putaret : sed nec sic tamen esset, si turpiter viveret. *Ibid.*, lib. 14, cap. 24.

45. Ex amore suo quisque vivit vel bene, vel male. Lib. 5, *contra Faust.*

46. Illi vivunt, pro quibus ut vivant, mortuus est qui vivebat. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 15.

47. Non quandiu volumus, vivimus. Tract. 43, super *Joan.*

48. Melius est non vivere, quam vivere sine vita. Lib. *Medit.*, cap. 39.

49. In magno hujus vitæ diluvio circumstantibus agitamur procellis. *Ibid.*, cap. 37.

50. Cupis ut longa sit vita tua, licet mala sit, imo fac ut bona sit, et noli timere ut brevis sit. Homil. 1, *ex quinquag. Hom.*, cap. 2.

51. Viia humana tota brevis est. *Ibid.*, homil. 28, cap. 7.

52. Vita bona, longa est. *Ibid.*, homil. 1, cap. 1.

53. Quisquis es amator longæ vitæ, esto po-

tius bonæ vitæ : nam si male vivere volueris, longa vita non erit verum bonum, sed erit longum malum. *Ibid.*, cap. 2.

54. Longam vitam vis habere, bonam non vis. Villam, uxorem, domum caligam non vis habere malam, et vis habere vitam malam : mala vita est, qua animam perdis. *Ibid.*, homil. 25, cap. 5.

S. BASILIUS MAGNUS.

55. Ipsa vita humana, quam ingressi sumus, misera est, laboribus plena, doloribus, periculis, ærumnis, tentationibus. Super *Psalm.* CXXV.

S. BERNARD.

55. *Bis.* Via vita dicitur, per quam quilibet natus properat ad finem. Super *Psalm.* I, vers. 1.

56. Hæc vita qua vivimus, magis mors est quam vita : nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Serm. 17, super *Qui habitat.*

57. Amittunt vitam odibiles vitæ, fugit vita quos odit, et quos vita fugit, mori necesse est. Serm. *de Triplici custodia linguæ.*

58. Non vivit, qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus : quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, et appropinquare usque ad portas mortis. *Prosec.*

59. Non parva res est, scire vivere : sed magnum aliquid, imo maximum est.

60. Dicitur vulgo, qui se bene pascit, bene vivit : sed mentita est iniquitas sibi; quia non bene vivit, nisi qui bonum facit.

61. Tu bene vivis, si vivis ordinabiliter, sociabiliter, et humiliter : ordinabiliter tibi, socialiter proximo, humiliter Deo. Serm. 1, *de SS. Apostolis Petro et Paulo.*

62. Quanto est peccatoris vita longior, tanto culpa numerosior. Lib. *Medit.*, cap. 2.

BOETIUS.

63. Nullo modo præsens vita facere beatos potest, quæ miseros transacta non efficit. Lib. 2, *de Consolat. philos.*, prosa 4.

S. BONAV.

64. Vapor sive fumus videtur magnum quid, dum ascendere incipit : sed cum adesse creditur, evanescit : sic vita dum florere videtur, modica febre extinguitur. Serm. 1, *de Invent. S. Crucis.*

65. Ille ordinate vivit, qui vivit prudenter, temperanter, et obtemperanter. *De Reduct. artium ad theolog.*

66. Nostrum vivere nihil aliud est, quam ad mortem transire. In *Soliloq.*, cap. 3.

67. Non multum curandum quandiu, sed quam bene vivatur. *Ibid.*

68. In hac vita, quandiu durat, compara tibi vitam illam, quæ semper durat. *Ibid.*

69. Dum vivis in carne, morere mundo, ut postea Deo vivere incipias. *Ibid.*

70. Optima vivendi forma eligenda est, quam reddat assuetudo jucundam. In *Speculo discipl.* in prologo.

71. Vita mea naviganti similis est, sive dormiam, sive vigilem, semper vado festinus ad mortem. In *Soliloq.*, cap. 3.

72. O vita præsens quam multos decipis, quæ dum fugis, nihil es : dum videris, umbra es : dum exaltaris, fumus es! *Prosec.*

73. Dulcis es stultis, amara sapientibus : qui te amant, non te cognoscunt; qui te fugiunt, ipsi te intelligunt.

74. Aliis te promittis longam, ut decipias : aliis brevem, ut in desperationem inducas. *Ibid.*

S. CÆSAR. AREL AT.

75. Nemo se circumveniat, quia nemo sibi soli vivit, nemo sibi soli moritur. Homil. 18.

CASSIODOR.

76. Quantum vita protenditur, tantum humana fragilitate peccatur. Super *Psalm.* XXIV, vers. 12.

S. EUCHER.

77. Cupiditas vitæ est istud, quod nos delectatione rei præsentis innexuit. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

78. Abjiciantur illa omnia, quæ præsentem hanc vitam faciunt brevem occupationi, longam doloris. *Ibid.*

79. Non multum refert, quando finiant vitam temporariam, qui transeunt in æternam. *Ibid.*

80. Præstat vitam propagasse cum paucioribus, quam perdidisse cum pluribus. *Ibid.*

S. EUSEBIUS CÆSAR.

81. Vita mundi non est vita, sed mors; vita fallax, vita onusta tristitiis, imbecillis et umbratica, vita mendax. *Prosec.*

82. O vita plena laqueis, vita fragilis, vita momentanea et caduca!

83. Quanto magis crescit vita, tanto magis homo decrescit. Epist. *ad Damas. Papam de morte D. Hieronymi.*

FRANCISCUS TITELM.

84. Brevis est hujus vitæ duratio, et nulla spes reditus. In *Annot.*, super cap. 14, *Job.*

S. FULGENT.

85. Via hominis est vita ejus : qui male vivit, viam tenet erroris : qui bene vivit, per viam graditur veritatis. Serm. 5, *de Epiph.*

GLOSS. ORD.

86. Hominibus vita est approbatio et demonstratio uniuscujusque nostrum voluntatis et consilii. Super *Job*, cap. 2.

S. GREGOR. MAGNUS.

87. Vitæ præsentis fluctus trahit quem levat ; et valde demens est, qui in unda volvitur, et plantam figere conatur. Lib. 22 *Moral.*, cap. 2.

88. Hoc ipsum nostrum vivere, quotidie a vita transire est : quia infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem *Ibid.*, lib. 11, num. 27.

89. Hi vitam carnis quasi permanentem diligunt, qui quanta sit vitæ sequentis æternitas non attendunt. *Ibid.*, lib. 8, cap. 8.

90. Præsens vita vilescere, id est, tædere incipit, cum Conditoris amor dulcescere cœperit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 23.

91. In hac vita sunt quædam laboriosa, quædam vacua, quædam vacua simul et laboriosa. Amore Conditoris præsentis vitæ tribulationibus exerceri, laboriosum quidem est, sed vacuum non est. Amore sæculi voluptatibus solvi, vacuum quidem est, sed non laboriosum. Amore vero ejusdem sæculi adversa aliqua pati, ei vacuum simul est, et laboriosum. Lib. 8 *Mor.*, cap. 5, num. 8.

92. Vita in carne, flos in fœno est. *Ibid.*, lib. 11, cap. 26, super illud *Job* XIV : *Qui quasi flos egreditur.*

93. Laboriosa est vita temporalis, levior fabulis, velocior cursore, instabilitate fluitans, imbecillitate nutans. Super *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* VI, in prologo.

94. Vitæ temporali nulla est fortitudo, nulla propositi constantia, nulla a turbationibus requies, nulla a laboribus reclinatio. *Ibid.*

95. Magna profunditas, vita mortalis, in qua nihil est certum, nihil vitale, nihil tutum, nihil tranquillum. Magna profunditas in qua peccator obruitur, impius immergitur, justus turbatur. *Ibid.*, super *Psalm.* VI, vers. 1.

96. Vita nostra naviganti similis est : is namque qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit; et impulsu navis ducitur : ita nos sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, sive ambulantes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Lib. 6, in *Registro*, indict. 15, cap. 190, epist. 26, *ad Andream.*

97. Quid infelicius? vivebam olim Deo, mortuus sæculo; nunc e contrario, mortuus Deo, mundo vivo. In *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* VII, vers. 4.

S. GREGOR. NAZ.

98. Vita hominis non marcidarum opum possessione, sed sapientia servatur. *Prosec.*

99. Peccant autem illi, qui majoribus nostris melius fuisse traditum vivendi genus dicunt, nec intelligunt quantum superet sapientia opum abundantiam : et quod tantum est clarior, quantum argentum umbra sua illustrius. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

S. GREGOR. NYSS.

100. Vita præsens est tanquam via quædam, nos ducens ad id quod speramus. *De Mortuis.*

S. GREGOR. THAUMAT.

101. Mortalium vita conteritur, die diei succedente, annique partibus et conversionibus, solisque cursibus certis ac definitis nunc accedentibus, nunc sensim recedentibus. Super *Ecclesiasten*, cap. 1.

S. HIERON.

102. Nemo tam fractis viribus, et sic decrepitæ senectutis est, ut non putet se unum adhuc annum esse victurum. Epist. 11, *ad Geruntiam.*

103. Humanæ vitæ brevitas, damnatio delictorum est. Epist. 21, *ad Paulum concordiensem.*

104. Omnis vita mortalium, quasi somnium est; quæ in similitudinem florum atque fœni, eodem pene tempore siccatur atque deperit. Epist. 17, *ad Cyprian.*

105. Nihil ita decipit humanum genus, quam quod dum ignorat spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittit. *Ibid.*

106. Nullus tam senex est, et sic decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur. *Ibid.*

107. O angustum et satis anxium tempus vitæ mortalis! ubi cum initio nominatur et finis, initium nostrum cum fine suscipimus. Epist. 6, *ad Amicum.*

108. Breve est vitæ istius curriculum : hoc ipsum quod loquor, quod dicto, quod scribo, quod relego, de tempore meo mihi aut crescit, aut deperit. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. 6, in illud : *Tempore enim suo metemus.*

109. Hæc non est vera vita, quæ in suo non permanet statu. Et hab. in *Glossa ord.*, super I *ad Timoth.*, cap. VI, in illud : *Ut apprehendam veram vitam.*

110. Vita ista præsens, brevis est, mala est, incerta est. Super *Psalm.* XXXVIII, cap. 48.

HUGO A S. VICTORE.

111. Vita humana, vita laboriosa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena, vita domina malorum, quam humores tumificant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aer morbificat, escæ inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit, diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro delectatur. Lib. 4, *de Anima*, cap. 5.

112. Vita humana quasi circuitus quidam est, qui post excursum actionum temporalium, illuc tandem redit per mortem, unde prodiit per nativitatem. Super *Thren.*, super illud : *Vocasti quasi ad diem*, etc.

113. Bona vita fidem dat verbis, mala vita ipsam veritatem faciat ambiguam. Super *Regul. D. Aug.*, cap. 9.

HUGO CAR.

114. Quotidianus ortus et occasus solis, quid aliud est quam mundi interitus? quia autem per occultas vias oritur et occidit, quid aliud demonstrat, nisi quod humana vita labitur, dum nescitur? Super *Ecclesiasten*, cap. 1.

115. Similis est vita nostra ludo scaccorum, ubi a bene ludentibus diabolo illuditur : sicut enim uno tractu male facto, vel non facto, ludus amittitur, vel totum lucrum : sic uno opere male fac-

to, vel neglecto totius vitæ nostræ fructus perditur. *Ibid.*, cap. 9.

116. Vita nostra quasi tela est : quia sicut tela filis, ita vita diebus profluit. Super *Isai.*, cap. 34.

117. Non est possibile, qui hanc amat vitam, vitam vivere crucifixam. Super *Joan.*, cap. 6.

IDIOTA. 118. Vita præsens laboribus et tribulationibus plena est : nam cum luctu agitur, et cum lacrymis amittitur. *Prosec.*

119. Tanta ejus est tribulatio, ut nec vita sit dicenda, sed potius mors, vel quippiam aliud morte deterius; cum vix aliquis pertranseat sine tribulatione, vel unicum diem. Lib. 2, *de Contemplat.*, cap. 2.

120. Tota vita præsens, et misera, amaritudinibus respersa est, laboribus inquieta, sollicitudinibus turbulenta, et languoribus plena. *Ibid.*, lib. 5, *Contemplat. de Morte*, cap. 6.

121. Quanto plus vivimus, tanto magis vita nostra minuitur. *Ibid.*, cap. 10.

JOAN. CASS. 122. Omnis longævitas vitæ præsentis, cum ad illam futuræ gloriæ perennitatem respexeris, evanescit. Lib. 22, *Cœnob. inst.*, cap. 11.

S. JOANNES CHRYSOST. 123. Vita præsens nullo carceri præstare videtur. Homil. 14, super *Matth. Oper. perf.*

124. Infelix est vita humana et misera, quæ quotidie ad non esse tendit : non enim est omnium nasci, crescere, et senescere. Homil. super *Psalm.* CXLII.

125. Hæc vita pelagus est, late longeque protensum. Homil. 82, super *Matth. Oper. perf.*

126. Pigra est humana vita, et ad perditionem proclivis : non propter naturæ suæ opificium, sed propter voluntatis desidiam. Homil. 17, super *Joan.*

127. Duas nobis vitas Deus constituit, præsentem et futuram : præsentem in certamen posuit, futuram in certaminis præmium. Homil. 27, super *Joan.*

128. Vitæ improbitas operatur innumera mala, bestias facit ex hominibus, et bestiis stupidiores : nam quæ in singulis bestiarum ingeniis sunt, ea sæpe in uno homine congregat et totum subvertit. Homil. 47, super *Acta Apost.*

129. Propria hujus vitæ sunt, edere, bibere, dormire, crescere, esurire, sitire, nasci, mori. Super epist. *ad Galat.*, cap. 1.

130. Ad præsentem vitam nimium affici, alienum est a professione et militia christiana. Serm. 13, super *Epist. ad Philip.*

131. Scena quædam est vita præsens, ac somnium. Homil. 15, super I *Tim.*

132. Vita præsens nidus est hirundinum, ex festucis et luto coagmentatus. Homil. 50, *ad Popul. Antioch.*

133. Fabula quædam est et somnium, vita. *Ibid.*, homil. 55.

134. Vita præsens, plena malis *Ibid.*, homil. 69.

135. Dedit tibi vitam Deus, ut se coleres; tu eam incassum et inutiliter consumis. Homil. 57, super *Joan.*

136. Nihil habet humana vita, nisi lacrymas; et opprobria, et convicia, et tristitias, et negligentias, et labores : et morbos, et senectutem, et peccata, et mortem. Homil. 22, *ad Popul. Antioch.*

137. Talis vita nostra est, fratres, qui fluxam et caducam vitam agimus; tale terræ ludibrium, ut cum non simus, nascamur; cum nati sumus, rursus dissolvamur. *Prosec.* S. JOANNES DAMASC.

138. Insomnium sumus instabile, spectrum quoddam quod teneri non potest, transeuntis avis volatus, navis in mari vestigium non habens, vapor, ros matutinus, flos pro tempore nascens atque marcescens. Lib. 1 *Parall.*, cap. 10.

139. Vixeris hic et nunc, velut et nunc moriturus hic. *Considerat. super Peregrini testamento*, consid. 1. JOAN. GERS.

140. Vita humana quovis freto procellosior est. Lib. 8, *de Nugis. Curial.* in prolog. JOAN. SAR.

140 *bis*. Nihil felicius, quam bene vivere. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 7. JOAN. TRITH.

141. Vita omnibus viventibus res optabilissima est. *Ibid.*, cap. 2, text. 8.

142. Bona vita, semper gaudium habet. *Ibid.*, cap. 2.

143. Periculosum est in tali statu vivere, in quo quis mori non velit. In cap. 4. *Regulæ S. Bened.*, verbo *Ira*.

144. In vita hominis finis quærendus est : quoniam Dominus non respicit, quales ante viximus, sed quales circa vitæ finem erimus. *Ibid.*, verbo *Prima*.

145. Tota vita nostra quantumlibet longæva, comparata æternitati, momento etiam brevior est. Lib. 1, *de Tent. Relig.*, cap. 1.

146. Vita præsens non manet, sed transit : non durat, sed evanescit : non stat, sed perit. *De vanit. et miser. humanæ vitæ*, cap. 2.

147. Nihil humana vita fragilius. *Ibid.*

148. Hæc vita impiis longa et grata est, in oculis autem justorum amara et brevis. *Prosec.* S. ISIDORUS HISPALENS.

149. Et licet vita ista brevis sit mora tamen sibi fieri creditur : quia quantumlibet breve sit temporis spatium, tamen etsi viventi parum est, non amanti procul dubio longum est.

150. Qui vitæ præsentis longitudinem non de suo spatio, sed de ejus fine considerat, quam sit brevis et misera, satis utiliter pensat.

151. Vita enim præsens, quia ipsis suis incrementis deficit, brevis est. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 61, sent. 2.

152. Ex ipso esse brevis vita præsens ostenditur, ex quo non permanet, sed finitur. *Prosec.*

153. Tela enim consummatur filis, et vita hominis expletur diebus singulis.

154. Quod diu in hac vita vivitur, quæritur utrum augmentum, an rectius detrimentum dicatur : sed quomodo posset recte dici augmentum, quod per dimensiones ætatum ad mortis tendit detrimentum ? *Ibid.*, sent. 3.

155. De mora vitæ istius tædium patitur justus, eo quod ad desideratam patriam tarde perveniat, et vitæ præsentis ærumnam segnius amittat. *Ibid.*, sent. 7, etc.

S. JUSTIN. MART. 156. Qui bene vivere vult, is nec videat multa, nec studeat audire, nec si audiat, aut videat, audire aut cernere se existimet. Epist. *ad Zenam.*

LACT. FIRM. 157. Hæc vita temporalis, quia brevis est, idcirco et bona ejus, et mala brevia sint, necesse est. Lib. 6, *de Divin. inst,*, cap. 4.

S. LAURENT. JUSTIN. 158. Nihil aliud est bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere, a quo existit vita. *De ligno vitæ*, tract. 4, *de Charit.*, cap. 6.

159. Hæc præsens vita, quæ temporum spatiis volvitur, variisque casibus variatur, illius vitæ atrium est. *De discipl. monast. conversat.*, cap. 24.

S. LEO I. 160. Vita hæc nostra in medio insidiatorum, in medio præliorum est : si nolumus decipi, vigilandum est; si volumus superare, pugnandum est. Serm. 1 *Quadrag.*

161. Quantumlibet caste et sobrie mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur, et nitor mentium ad Dei imaginem conditarum, non ita a fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, et non semper indigeat expoliri. Serm. 5 *Quadrag.*

S. NILUS. 162. Omnis generis perturbationibus et ærumnis misera hæc vita obruta est. Habet. apud D. Joan. Damascen. lib., 1 *Parall.*, cap. 57.

PETR. BLES. 163. Brevissimus est hujus vitæ temporalis cursus, finis autem horribilis et incertus. Epist. 15, *ad Episc. Carnotens.*

164. Vitæ brevitas miseris est in remedium, qui hoc ipso quod cito moriuntur, tolerabilius cruciantur. *Ibid.*, serm. 5.

165. Vivere et non dare operam ut recte vivatur, vitam perdere est. *Ibid.*, tract. *de Inst. episc.*

S. PETRUS CHRYSOL. 166. Vere via est vita præsens, in quam venit et vadit homo, quæ delictis est lata, diffusa fluctibus, criminibus spatiosa. Serm. 44.

PHILO JU[D.] 167. Tota humana vita somnus est et somnium. *De somniis.*

168. Nulli minus sciunt vitam instituere, quam mali : sicut nulli melius, quam sapientes. Lib. *Quod omnis probus liber sit.*

169. Qui maxime longævus fuit, quantillum temporis vixit, si ad æternitatem id conferas ? Lib. *de Joseph.*

S. PROSPER 170. Sicut torrens pluvialibus aquis collectus, redundat, perstrepit, currit, et currendo decurrit, id est, cursum finit, sic est omnis iste cursus mortalitatis humanæ vitæ. *Prosec.*

171. Nascuntur homines, vivunt atque moriuntur; rursusque morientibus, alii oriuntur, succedunt, accedunt, recedunt. Super *Psalm.* CIX, vers. ultimo.

172. Præsens vita dies est belli, quia vel foras, vel intus nunquam deest adversitas, cui debeat repugnari. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 8.

S. SYNESIU[S] EPISCOPUS 173. Vita, quæ secundum mentem est, finis est hominis. Epist. 136, *ad Herculian.*

S. THOMA[S] AQUINAS. 174. In hominibus vita uniuscujusque hominis videtur esse id, in quo maxime delectatur, et cui maxime intendit. 2, 2, quæst. 179, art. 1.

THOMAS A KEMPIS. 175. Vanitas est longam vitam optare, et de bona vita parum curare. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 1.

176. Ah stulte ! quid cogitas te diu victurum, cum nullum diem habeas hic securum ? *Ibid.*, cap. 23, sect. 7.

177. Diu vivere et vitam non emendare, pœnam est accumulare. In *Soliloq. animæ*, cap. 6, sect. 2.

178. Vita justorum Angelis similis, vita carnalium bestiis æqualis, vita superborum dæmonibus comparatur. In *Valle lilior.*, cap. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET[A] 179. Tempora longa tibi noli promittere vitæ,
Quocumque ingrederis, sequitur mors, corpus ut umbra.

Lib. 4, *D stichor.*, metr. 74.

CICERO. 180. Vita sancta hominum ex ante factis spectatur. Lib. 2, *de Arte rhetor. ad Herenn.*

181. Qui nihil habet in vita jucundius vita; is cum virtute vitam colere non potest. *Ibid.*, lib. 4.

182. Optima vivendi ratio est eligenda : eam jucundam consuetudo reddet, omnes bene vivendi rationes in virtute sunt collocandæ. *Ibid.*

183. Magna consolatio est, cum recordaris te recte vereque vixisse. Lib. 6, epist. 21, *ad Toranium.*

184. Non potest jucunde vivi, nisi sapienter, honeste, justeque vivatur; nec sapienter, honeste, juste nisi jucunde. Lib. 1, *de Finib.*, num. 57.

185. An id exploratum cuiquam potest esse, quomodo sese habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperam ? *Ibid.*, lib. 2, num. 92.

186. Ars est, Philosophia vitæ. *Ibid.*, lib. 3, num. 4.

187. Non potest jucunde vivi, nisi cum virtute vivatur. Lib. 3 *Quæst. Tuscul.*, num. 49.

188. Quis est tam stultus (quamvis sit adolescens) cui sit exploratum, se ad vesperam esse victurum ? *De Senect.*, num. 67.

189. Ille vult diu vivere, qui diu vixit : quid est in vita hominis diu ? mihi quidem nec diuturnum quidquam videtur in quo est aliquod extremum : cum id advenit, tum illud quod præterit effluxit : tantum remanet, quantum virtute et benefactis consecutus sis. *Ibid.*

190. Quid habet hæc vita commodi ? quid non potius laboris ? *Ibid.*

DIOGENES. 191. Frustra vivit, cui ut bene vivat, nulla cura est. In *Sent.*, sent. 10.

MIMUS PUB. 192. Heu ! quam pœnitenda incurrunt homines vivendo diu. In suis *Sent.*, sent. 166.

193. Homo vitæ accommodatus, non donatus est. *Ibid.*, sent. 173.

194. Male vivunt, qui se semper victuros putant. *Ibid.*, sent. 240.

195. Non maximi quidem æstimandum est vivere, sed bene vivere. *In Dialogo Critonis.*

196. Vitæ istius usura ad aliquod tempus ei, qui vere sit vir, non est optanda : neque sane quidquam vitæ desiderio teneri debet, sed harum rerum cura Deo est committenda. *De Rhetor.*

197. Illud studiose considerare unusquisque debet, qua ratione tempus illud vitæ sibi ad vivendum tributum, quam optime possit traducere, et bonis moribus atque institutis se componere. *Ibid.*

198. Hunc esse optimum modum vitæ constituendæ scias, ut et justitiam, et omnem aliam virtutem exerceamus; et ita vivamus, ut et ita moriamur. *Ibid.*

199. Justa anima et vir justus, bene vivet : mala autem, male. Atqui qui bene vivit, felix est atque beatus : qui vero male, infelix atque miser. Lib. 1, *de Republ.*

200. Quisque ita omnem vitam instituat, ut felicem laudabilemque sui memoriam ad posteros transmittat. *Epist. ad Dionys.*

201. Frequentibus hominum sermonibus jactatur, vitam hanc nostram esse peregrinationem, et consentaneum est. *In Dialogo Axiochi.*

PLINIUS II. 202. Vita hominum altos recessus, magnosque latebras habet. Lib. 3, epist. 3, *ad Coreliam. Hispullam.*

203. Quid tam circumcisum, tam breve, quam hominis vita, etiam longissima? Lib. 3, epist. 7, *ad Caninium Rufum.*

204. Quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur. *Ibid.*

205. O vita misero longa, felici brevis ! Lib. 3, *Controv.* 18 SENECA.

206. Præceperunt veteres optimam sequi vitam, non jucundissimam : ut rectæ ac bonæ vitæ non dux, sed comes voluptas sit. *De vita beata*, cap. 8.

207. Ego nego quemquam posse jucunde vivere nisi simul et honeste vivat. *Ibid.*, cap. 10.

208. Omnis vita servitium est. *De tranquillit. animi*, cap. 10.

209. Male vivet quisquis nesciet bene mori. *Ibid.*, cap. 11.

210. Humanius est deridere vitam, quam deplorare. Ille qui ridet, spei bonæ aliquid relinquit : qui autem luget, stulte deflet, quæ corrigi posse desperat. *Ibid.*, cap. 5.

211. Vita, si scias uti, longa est. *De Brevit. vitæ*, cap. 2.

212. Vivere tota vita discendum est ; et quod magis fortasse miraberis, tota vita discendum est mori. *Ibid.*, cap. 7.

213. Non est quod quemquam propter canos, aut rugas, putes diu vixisse : non ille diu vixit, sed diu fuit. *Ibid.*, cap. 8.

214. Tu occupatus es, vita festinat : mors interim aderit, cui velis nolis vacandum est. *Ibid.*

215. Maxima vitæ jactura, dilatio est : illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præsentia, dum ulteriora promittit. *Prosec.*

216. Maximum vivendi impedimentum, est expectatio quæ pendet ex crastino : perdis hodiernum, dum quod in manu fortunæ positum est, disponis; quod in tua, dimittis. *Ibid.*, cap. 9.

217. Hoc iter vitæ assiduum ; et citatissimum, quod dormientes vigilantesque eodem gradu facimus, occupatis non apparet, nisi in fine. *Ibid.*

218. Omnis vita supplicium est. *De Consolat. ad Polybium*, cap. 28.

219. Plena et infesta variis casibus vita est. *De Consolat. ad Marciam*, cap. 16.

220. Non est bonum vivere, sed bene vivere. Lib. 3, *de Benef.*, cap. 31.

221. Si prolongetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem ; quoniam mora non fit beatior vita, sed longior. *Ibid.*, lib. 5, cap. 17.

222. Dum differtur vita, transcurrit. Epist. 1.

223. Tu ita vive, ut nihil mali committas. Epist. 3.

224. Vive, ut convenit. *De consolat. ad Marciam*, cap. 18.

225. Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. Epist. 4.

226. Læti dicamus : Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi : crastinum si adjecerit Deus, læti recipiamus. *Prosec.*

227. Ille beatissimus est, et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat : quisquis dixit, Vixi, quotidie ad lucrum surgit. Epist. 12.

228. Nemo, quam bene vivat; sed quandiu, curat : cum omnibus possit contingere ut bene vivant : ut diu, nulli. Epist. 22.

229. Una est catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ. Epist. 26.

230. Considera quam pulchra res sit, consummare vitam ante mortem, deinde expectare secure reliquam temporis sui partem. Epist. 32.

231. Recognosce singulos, considera universos : nullius non vita spectat in crastinum. Malum infinitum est : non enim vivunt, sed victuri sunt, omnia differunt. Epist. 45.

232. Tota brevis est vita nostra, punctum est quod vivimus, et adhuc puncto minus, sed hoc minimum specie quadam longioris spatii natura divisit. Epist. 49.

233. Mors me sequitur, fugit vita. *Ibid.*

234. Doce non esse positum bonum vitæ in ejus spatio, sed in usu. *Ibid.*

235. Doce posse fieri, imo sæpe fieri, ut qui diu vixit parum vixerit. *Ibid.*

236. Id ago, ut mihi instar totius vitæ, sit dies : nec tanquam ultimum rapio, sed sic illum aspicio, tanquam esse vel ultimus possit. Epist. 61.

237. Ut satis vixerimus, non anni, nec dies faciunt, sed animus. Epist. 61.

238. Non vivere bonum est, sed bene vivere : itaque sapiens vivit, quantum debet, non quantum potest : videbit ubi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus : cogitat semper qualis vita, non quanta sit. Epist. 70.

239. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. Epist. 71.

240. Tamdiu discendum est, quemadmodum vivas, quandiu vivis. Epist. 76.

241. Vita non est imperfecta, si honesta est : ubicunque desines si bene desinis, tota est, sed et fortiter desinendum est. *Prosec.*

242. Non est res magna vivere, omnes servi tui vivunt, omnia animalia : sed magnum est honeste mori, prudenter, fortiter. Epist. 77.

243. Vita, si moriendi virtus abest, servitus est. *Ibid.*

244. Quomodo fabula, sic vita : non quandiu, sed quam bene acta sit, refert. *Prosec.*

245. Nihil ad rem pertinet quo loco desinas; quocumque voles, desine, tantum bonam clausulam impone. *Ibid.*

246. Non ut diu vivamus curamus, sed ut satis, natura ut diu vivas, fato opus est; ut satis, animo. *Prosec.*

247. Longa est vita, si plena est : impletur autem cum animus sibi bonum suum reddidit, et ad se potestatem sui transtulit. Epist. 93.

248. Quid octoginta anni hominem juvant per inertiam exacti? non vixit iste, sed in vita moratus est, nec sero mortuus est, sed diu : octoginta annis vixit, imo octoginta annis fuit. Epist. 93.

249. Hoc agamus, ut quemadmodum pretiosa rerum, sic vita nostra non pateat, sed multum pendat : actu illam metiamur, non tempore. *Ibid.*

250. Quemadmodum in minore corporis habitu, potest homo esse perfectus; sic et in minore temporis modo potest esse vita perfecta. *Ibid.*

251. Quæris quid sit amplissimum vitæ spatium? usque ad sapientiam vivere : qui ad illam pervenerit, attigit non longissimum finem, sed maximum. *Ibid.*

252. Non est beatior, qui diutius vixerit : rectius vivat oportet, ut beatius vivat : si rectius non potest, ne beatius quidem. *Epist.* 92.

253. Dimidium vitæ edormitur, adjice labores luctus, et pericula, et intelliges etiam in longissima vita, minimum esse quod vivitur. Epist. 99.

254. Vita nec bonum, nec malum est; boni ac mali locus est. *Ibid.*

255. Nihil differamus, sic formemus animum, tanquam ad extremum vitæ ventum sit : quotidie cum vita, paria faciamus. *Prosec.*

256. Maximum vitæ vitium est, quod imperfecta semper est, quod etiam aliquid ex illa differtur. Epis. 101.

257. Cui vita sua quotidie tota est, securus est. *Ibid.*

258. Discendum est quam bene vivas referre, non quandiu : sæpe autem in hoc esse bene, ne diu. *Ibid.*

259. Non est delicata res, vivere : sed confragosum hoc iter. Epist. 107.

260. Fluunt dies, et irreparabilis vita decurrit : una felicitas est, bona vita. Epist. 123.

261. Res sordida est, trita ac vulgari via vivere. Epist. 122.

262. Male vivunt, qui se semper victuros putant. In suis *Proverb. in fine positis.*

263. Volunt homines ita præceptum esse ut vivunt; non ita vivere, ut præceptum est. *Ibid.*

SIXTUS ILOSOPH. 264. Finem vitæ existima, vivere secundum Deum. sent 191.

265. Non est secundum Deum vivere, nisi pudice, et bene, et juste quis agat. *Ibid.*, sent. 387.

266. Hominum infidelium vita opprobrium est. *Ibid.*, sent. 387.

LERIUS AXIMUS. 267. Humanæ vitæ conditionem præcipue primus et ultimus dies continet : quia plurimum interest, quibus auspiciis inchoetur, et quo fine claudatur. Lib. 9. *Dictor. memorabil.*, cap. 12.

Vide etiam tit. *Ætas*, sent. 68; *Conversionis dilatio*, sent. 19, 20, 21, 22; *Fatum*, sent. 19; *Finis*, sent. 29; *Incipere*, sent. 84, 85, 86, 87, 88; *Instabilitas*, sent. 42, 43; *Judicium extremum*, sent. 47; *Luctus*, sent. 66; *Miseria*, sent. 45; *Mors* in genere, sent. 161, 162, 275, 276, 277, 314; *Multitudo*, sent. 22; *Mundus*, sent. 28; *Peccatorum remissio*, sent. 43; *Reddere rationem*, sent. 5; *Sanctitas*, sent. 87; *Sensus* in genere, sent. 1; *Timor mortis*, sent. 60; *Tribulatio*, sent. 26, 27; *Vita æterna*, sent. 153, 154; *Voluptas*, sent. 84.

VITÆ ÆTERNITAS. *Vide* Æternitas.

## VITIUM.

AUGUST. *Definitio.* Vitium est qualitas, secundum quam malus est animus. *De perfectione justitiæ*, ratiocinat. 4.

BASILIUS AGNUS. Vitium nihil aliud est, quam defectus virtutis. In *Constit.*, cap. 2.

JOANNES AMASC. Vitium nihil quidquam aliud est, quam boni secessio, quemadmodum est caligo lucis abscessus. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 30.

MAXIMUS MART. Vitium est oblivio bonorum naturalium ad animam intellectivam pertinentium. Centuria 1, *de Virtute et vitio*, cap. 57.

N. GERS. Vitium in genere est mala inclinatio creaturæ rationalis ad operationes naturæ suæ incongruas vituperabiliter exercendum, aut a bonis desistendum. Part. 4. In *Descript. terminorum.*

THOMAS QUINAS. Vitium uniuscujusque rei est, quod non sit disposita secundum quod convenit suæ naturæ. 1, 2, quæst. 71.

ICERO. Vitiositas est habitus aut affectio in tota vita inconstans, et a seipsa dissentiens. Lib. 4, *Tusc. quæst.*, num. 29.

BASILIUS AGNUS. *Differentia.* Omne vitium est animæ ægritudo, virtus vero sanitatis rationem obtinet. Homil. 9. In *Hexamer.*

HARD. A VICTORE. Aliud est vitium, et aliud est peccatum. Vitium est ipsius naturalis boni, etiam invitus defectus: peccatum vero est tentantis mali spontaneus consensus. *Prosec.*

Vitium est corruptio naturæ, ex qua fit prona et cupida illius etiam mali sæpe, cui tamen consentire nolit : peccatum vero est perversio industriæ, per quam sæpe illi etiam malo sponte consentit, cui facile resistere potuit. Part. 1 tract. 2, *de Statu interioris hominis*, cap. 8.

S. ISIDORUS HISPAL. *Productio et comparatio.* Sic vitio vitium gignitur, sicut virtus virtute concipitur. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 33, sent. 2.

BOETIUS. Sicuti corporum languor, ita vitiositas quidam est quasi morbus animorum. Lib. 4, *de Consolat. Philosoph.*, prosa 4.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Docet vitia nescire, qui docet causas nescire vitiorum. Lib. 1, *de Virginibus.*

2. Qui subjectus est vitiis, multis se dominis addixit, ut servitio ei exire vix liceat. Lib. 2, *de Jacob*, cap. 3.

3. Cavenda prima sunt vitia, ne in plura deinde graviora proserpant. Super *Psalm.* I.

S. ANSELM. 4. Virtus virtuti accumulata prodest, sic vitium appositum vitio obest. *De Similitud.*, cap. 54.

5. Vitium destruit naturam, consumit invidia, inflammat concupiscentia, incestat luxuria, dehonestat gula, confutat ebrietas, detractio lacerat, ambitio supplantat, discordia dissipat, ira perturbat, levitas dejicit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, favor extollit, calumnia pungit. In *Medit.*

6. Omnia vitia propriæ voluntati deserviunt. *De Similitud.*, cap. 36.

S. AUGUST. 7. Vitium non aliunde malum est, nisi quia naturæ adversatur ejus ipsius rei, cujus est vitium. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 14.

8. Non ab homine vinci potest, qui vitia sua vicerit. *De vera Relig.*, cap. 46.

9. Perpetienda sunt vitia multitudinis, ut curentur; et prius toleranda, quæ sedanda est pestilentia. *De moribus Eccles.*, cap. 32.

10. Virtute privari, atque in vitium deficere, damnabile est. Lib. 9, *de Trinit.*, cap. 10.

11. Mens veritatis capax non est, nisi vitiis libera. *De agone Christiano*, cap. 13, in titulo.

12. Difficile est ut dum perverse homines vitia devitant, non in eorum contraria pervicaciter currant. Lib. 9, *de Genesi ad litt.*, cap. 8.

13. Vitium est quædam sterilitas, et quasi fames animorum. *De beata vita, in disput. primæ diei.*

14. Quandiu vitiis imperatur, plena pax non est; quia et illa quæ resistunt, periculoso debellantur prælio, et illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 27.

15. Nullum vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia. *Ibid.*, cap. 12.

16. Vitia sunt frænanda, cohibenda, sananda :

sed dum curantur, infesta sunt. Lib. 2, *contra Julian.*, cap. 3.

17. Non satis est ut moriantur vitia, nisi marcescant corporis luxus. *Ibid.*, cap. 5.

18. Omnia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus metuenda est. Super *Psalm.* LIX, conc. 2, vers. 14.

19. Neque vitiis oppressos, sed ipsa vitia oderimus. *De quantit. animæ*, cap. 34.

20. Nullius vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 13.

21. Omne vitium eo ipso quo vitium est, contra naturam est; si enim naturæ non nocet, nec vitium est. *Ibid.*

22. Non recte in vitio displicet, nisi quia vitiat quod in natura placet. *Ibid.*

23. Quæcunque natura cum vitio, ad eam quæ sine vitio est, ut corrumpat, accedit; eo ipso non accedit æqualis, sed infirmior vitio suo. *Ibid.*

24. Quia vitium naturæ adversatur, tantum additur malitiæ vitiorum, quantum naturarum integritati minuitur. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 14.

25. Vituperatio vitiorum, ipsarum etiam quarum sunt vitia naturarum, decus dignitatemque commendat. *Ibid.*, cap. 15.

26. Uni virtuti duo vitia opponi solent. Epist. 29.

27. Aliquando vitium vitio tollitur, ut amore laudis, amor pecuniæ : aliquando vitium cedit, ut plura succedant. Epist. 29.

28. Anima vitiis corrumpitur. *De Fide et Symb.*, cap. 10.

29. Nonnunquam apertissima vitia, aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes. Lib. 21, *de Civit. Dei*, cap. 16.

30. Unum vitium cætera omnia non consequuntur. Lib. 4, *de Baptismo contra Donat.*, cap. 20.

31. Acceditur ad vitium corruptionis, vitio consensionis. Lib. *ad Donat.*, cap. 20.

32. Nihil aliud in vitio recte displicet, nisi quia detrahit vel minuit, quod in natura placet. Lib. 4, contra *Julian.*, cap. 3.

33. Tanto pejora sunt vitia, quanto virtutum specie celantur. In suis *Prov.*, verbo *Tanto.*

34. Vitiis dediti non possunt virtutibus ditari. *Ibid.*, verbo *Vitiis.*

35. Expertis vitiorum illecebris, difficilius quam incognitis caremus. Lib. 3, super *Esdram*, cap. 20.

S. BERNARDIN. SEN. 36. Qui sunt in vitiis assueti, quanto sunt antiquiores, tanto sunt stultiores. Serm. 14, *Dom. post Pent.*, art. 1, cap. 5.

S. BERNARD. 37. Familiare magis nobis est carnis nostræ servire vitiis, quam actiones et passiones ejus ordinare. Serm. *fer.* 4, *Hebdom. pœnosæ.*

38. Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo excitantur. *Prosec.*

39. Parum est semel putasse, sæpe putandum est, imo (si fieri possit) semper : quia semper quod putari oporteat (si non dissimulas) invenis.

40. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, et non magis suppressa : velis nolis intra fines tuos habitat Jebusæus : subjugari potest, sed non exterminari. Serm. 58, super *Cant.*

41. Vitiosus conscientias vitiorum non refugit; et ubi omnes sordent, unius fœtor minime sentitur. Lib. 1, *de Consid.*, *ad Eugen. Pap.*

42. Vitium si patet, fit ex magno pusillum : si latet, fit ex minimo magnum. *De Inter. domo*, cap. 37.

43. Melius est ut vites vitium, quam ut emendes : ne forte cum incurreris, revocare non possis. *Ibid.*

44. Anima mole carnis pressa, sicut difficile ad virtutem surgit, ita facile in vitia cadit. *De ordine vitæ.*

45. Vitium cum nihil esse credatur, quam privatio virtutis, tamen vastitas ejus et enormitas tanta nunnunquam quasi sentitur, ut obruat et opprimat : fœditas tanta, ut inquinet et inficiat : adhæsio tam pertinax consuetudinis, ut vix a se eam natura excutiat. *De vita solitar.*

46. Omnis vitii frustra siccatur rivus, si fons non fuerit obturatus. *Ibid.*

47. Extrema servitus est vitiis servire. Lib. 5, *de Consolat. philos.*, prosa 2. BOETI

48. Tanto est homo a Deo longius, quanto in vitiis profundius. Serm. 3, *Dom.* 2 *Quadrag.* S. BO

49. O quam miserabilis est vitiorum submersio ! vanitas cor rapit, curiositas seducit, cupiditas allicit, voluptas deducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat tristitia. Serm. 1 *fer.* 4 *Pent.*

50. Hostis antiquus multa quæ sunt vitia secundum veritatem palliat sub specie virtutum. Super lib. 2 *Sent.*, dist. 21, art. 2, quæst. 3.

51. Quot vitia habuerit homo, tot habet dæmones. Homil, 23. S.CÆS ARE

52. Vitiorum servus, Dominum non meretur habere sanctorum. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Tuus sum ego.* CASSI

53. Succumbere et cedere vitiis, extrema est servitus : sicut ea vincere, sola est libertas. Lib. 2 *Stromat.* CLE AL

54. Fuga vitii aditum virtuti efficit. Lib., *contra Manich.* DID AL

55. Cætera vitia crescunt vitiis, vanitas virtutibus. *Epist. Parænetica ad Valerian.* S. EU

EUSEBIUS CÆSAR. 56. Nullum sit unquam cum vitiis fœdus, sed vitium odiatur. *Epist. ad Damas. Papam.*

EUSEBIUS EMISSEN. 57. Quantum a vitiis recesseris, tantum virtutibus propinquabis. Homil. 3 *Epiphan.*

58. Qui in securitate vitiis deditus est, in libertate captivus est. Homil. in *Litaniis.*

59. Vitia quæ utrumque hominem impetunt, utriusque labore vincenda sunt, atque expugnanda. Homil. 8, *ad Monachos.*

60. Uniuscujusque malum vitii in suum recurrit auctorem : suam linguam maliloquus maculat, suum cor obtrectator exulcerat, suæ mentis, lumen iracundus obcæcat, suam animam invidus velut quadam rubigine pestifero livore corrumpit. *Ibid.*, homil. 9.

RANCISCUS TITELM. 61. Nullum vitium meum est, nisi quod voluntas mea facit esse meum. In *Annot. super Psalm.* XVIII.

GILLEBERT. ANGLUS. 62. Injuria est, si tibi suavius fragrant vitia, quam virtutum lillia. Serm. 27, super *Cant.*

GLOSS. INT. 63. Vitia solas animas quærunt. Super illud *Gen.* XIV : *Da mihi animas.*

64. Vitia minima sæpe reservantur, ut virtutes maximæ in humilitate habeantur, et vitia maxima premantur. In *Josue*, cap. 16.

GLOSS. ORD. 65. Expertis vitiorum illecebris difficilius caremus, quam incognitis. Super II *Esdræ*, cap. V.

GLOSS. INT. 66. Vitia vitiis succedunt, quæ si non omnia simul sint, omnia tamen simul sunt in mente : et si non omnia ostendit, omnia facere appetit. Super *Job*, cap. XX.

GLOSS. ORD. 67. Vitia extinguenda sunt, non caro. *Ibid.*, cap. XXX.

GLOSS. INT. 68. Dulcia sunt vitia dum fiunt, sed postea amara. Super *Joel*, cap I.

S. GREGOR. MAGNUS. 69. Sicut bonus odor ex virtute est, sic fœtor ex vitio. Lib. 14 *Moral.*, cap.. 26, num. 28.

70. Eos sua victoria oppressit, qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt. *Ibid.*, lib. 19, cap. 13.

70 *bis*. Vitia virtutum specie palliata, blanda quidem superficie inchoant, sed aspera contrarietate mentem perturbant. *Ibid.*, lib. 3, cap. 19 super illud *Job* II : *Si bona suscepimus*, etc.

71. Sæpe quodlibet vitium impudenti præsumptione committitur, et sæpe quod omni culpa fit gravius) etiam de commisso vitio superbitur. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12, num. 15.

71 *bis*. Vitium ab ipsa mox radice secandum est, ut cum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne proventu vigeat, ne usu roboretur. *Ibid.*, lib. 24, cap. 13, num. 28.

72. Plerumque vitia colore virtutum tincta : tanto nequiora sunt, quanto et esse vitia minime cognoscuntur. *Ibid.*, lib. 31, cap. 10, super illud *Job* XXXVIX : *Frustra laboravit*, etc.

73. Tanto tardius mens vitium suum deserit, quanto per virtutis speciem decepta, præmiorum etiam de eo retributionem quærit. *Ibid.*, lib. 32, cap. 17, num. 23.

74. Tanto tardius mens vitium suum deserit, quanto hoc quod perpetrat non erubescit. *Ibid.*

75. Cum vitium virtus creditur, sine metu culpa cumulatur. Part. 3 *Pastor*, cap. 1, admonit. 17.

76. Sunt quædam vitia, quasi per quamdam sibi cognationem propinqua : sicut dissolutio spiritus, appetitus gulæ, et immunditia luxuriæ, sicut multiloquium fallacia, atque perjurium. Homil. 12, super *Ezech.*, super illud : *Et dabis contra eam castra*, etc.

77. Quid detestabilius in vitiis, quam luxuriæ motus, furti crimen, turpis lucri appetitus, iræ impetus, amaritudo tristitiæ sæcularis, desidia acediæ, appetitus vanæ gloriæ, tumor superbiæ ? Lib. 4, in I *Reg.*, cap. I.

78. Dum vitium simplices quasi virtutem indicant, in se absconditum hostem portant. *Ibid.*, cap. 4.

79. Quid sunt vitia, nisi languores animarum ? *Ibid.*, lib. 6, cap. 8.

80. Promptum et proclive est vitium, etiam nullo trahente. Hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 12. S. GREGOR. [illegible]

81. Vitium omne ad virtutem collatum, aut deficit, aut excedit. *De vita Moysis.* S. GREGOR. NYSS.

82. Vitia non decipiunt, nisi sub specie umbraque virtutum. Epist. 7, *ad Lætam.* S. HIERON.

83. Nemo sine vitiis nascitur : optimus ille est, qui minimis urgetur. Epist. 9, *ad Salvinam.*

84. Turpiora sunt vitia, cum virtutum specie celantur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

85. Vicina sunt vitia virtutibus. Epist. 12, *advers. Vigilant.*

86. Fuganda sunt omnibus modis, et abscindenda vitia : languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a ventre, a civitate seditio, a domo discordia, et a cunctis rebus intemperantia. Epist. 22, *ad Rufin.*

87. Qui vitia non habet, irreprehensibilis appellatur : qui virtutibus pollet, ornatus est. Epist. 41, *ad Ocean.*

88. Ita se natura habet, ut blanda vitia existimentur. Epist. 58, *ad Gaudent.*

89. Vitia, quæ ignorantia et errore committuntur, cum non sit voluntas in crimine, error tamen in culpa est. Epist. 17, *ad Cyprian.*

90. Tibi non tam expellenda sunt : quæ utique non recipere facilius est, quam semel suscepta deponere. *Prosec.*.

91. Nec eorum tanta dulcedo est, ut ea debeamus præferre virtutibus, cum nec in omnibus sit delectationis illecebra, et a plerisque ea etiam quæ videntur dulcissima, respuantur.

92. Duo sunt ex omnibus vitia, quæ maxime homines decipiunt sui voluptate, gula scilicet ac libido, quæ deponere eo difficilius est, quo eis uti dulcius.

93. Aliorum vitiorum est longe diversa ratio, quæ cum nihil habeant jucunditatis, tamen multum amaritudinis habent, quæque cum ad vitandum sunt faciliora, raro a quibus vitentur, invenies.

94. Quid invido delectationis præstat ? quid alter ab odio mercedis accipit ! quid iracundo furor suus confert? similiter curre per singula, invenies tot animæ tormenta quot vitia, quæ utique eo facilius vinci possunt, quo nulla illiciunt nos voluptate. Epist. 1, *ad Demetriad.*

95. Nullus unquam in mente tua ullius sit vitii locus : nihil in te superbum, nihil arrogans, nihil denique fastidiosum. *Ibid.*

S. HILARIUS 96. Vitia corporis non sunt sinenda coalescere, sed in exordiis statim enecanda. Super *Psalm.* CXXXV.

HUGO A S. VICTORE. 97. Vitium non vincitur, nisi sollicite causa et opportunitas vitii caveatur. Super *Regul. D. August.*, cap. 6.

98. Quisquis perfecte appetit incentiva vitiorum fugere, ab aspectu et vicinitate ipsorum se debet alienum facere. *Ibid.*

99. Felix anima cui vitia serviunt, virtutes obediunt. Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 9.

HUGO CARD. 100. Sunt qui vitia superant, sed sub ipsis superbiendo succumbunt. Super *Gen.*, cap. II.

101. Vitia complexa sunt, et se mutuo juvant. *Ibid.*, cap. 14.

102. Sicut vitium est prius infundere, quam infundi : ita vitium est semper infundi, et nunquam infundere. *Ibid.*, cap. 46.

103. Tot Deos habet peccator, quot vitia. Super *Psalm.* LXXX.

104. Valde cavendum est vitium, quod de victoria surgit vitiorum. Super *Psalm.*, CXIII.

105. Tot dæmonibus debitor est, qui vitiis subjectus est. Super *Sapient.*, cap. XVI.

S. INNOC. III. 106. Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto qui peccat major habetur. *Prosec.*

107. Multa sunt levia subditis, quæ gravia sunt prælatis, et multa sunt laicis venialia, quæ clericis sunt mortalia. Serm. 1, in *consecrat. Pontific.*

JOAN. CASS. 108. Causæ vitiorum, sicut in omnibus immorantur, ita ab omnibus ignorantur. *De Cœnob. Inst.*, lib. 5, *de spiritu Gastrim.*, cap. 2.

109. Impossibile est extingui ignita corporis incentiva, priusquam cæterorum quoque principalium vitiorum fomites radicitus excidantur. *Ibid.*, cap. 11.

110. Magis exercitio usuque humano cessante efferantur in nobis vitia, nisi fuerint ante purgata. *Ibid.*, lib. 8, cap. 17.

111. Tria sunt, quæ faciunt homines a vitiis temperare, aut metus gehennæ, sive præsentium legum ; aut spes atque desiderium regni cœlorum ; aut effectus boni ipsius, amorque virtutum. Collat. 11, *Abbat. Chæremonis*, cap. 6.

112. Vitiorum extirpationem nullus obtinere posse se credat, qui non prius ipsas causas atque materias, pro quibus in illa collapsus est, omni spiritus fervore succiderit. Collat. 20, *Abbat. Pinufii*, cap. 10.

S. JOANN. CHRYSOS. 113. Vitium momentaneam habet voluptatem, dolorem vero perpetuum : virtus e contra laborem brevem, fructum vero cum hilaritate indesinentem. Homil. 4, *de fide Annæ.*

114. Unusquisque vitiosus omni bestia comprobatur immanior. Homil. 4, super *Matth. Oper. perf.*

115. Innata vitia nullis cedunt remediis. Homil. 22, *ex Divers. in Matth.*

116. Voluptate vera fruitur, qui præ omnibus fugit vitium, virtutemque sectatur. Serm. 1, super *Epist. ad Rom.*

117. Nihil turpius aut informius anima viis obnoxia. Homil. 22, *ad Popul. Antioch.*

JOAN. S. 118. Vitia sola servitutem inducunt, hominemque personis et rebus indebito famulatu subjiciunt : et licet servitus personæ quandoque miserabilior pareat, vitiorum servitus longe semper miserior. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 25.

JOAN TRITH. 118. *bis.* Qui vitiis dominatur, ille nobilis est. In cap. 2, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Caput.*

S. ISIDOR. HISPALEN. 119. Recedens homo a Deo, statim vitiorum traditur potestati ; ut dum patitur infesta vitia, revertendo unde ceciderat, resipiscat. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 32, sent. 1.

120. Si sancti toto animi nisu contendunt superare vitia, nec extinguunt : quid agent hi, qui non solum non odiunt vitia, sed toto ea amore sectantur? *Prosec.*

121. Satis delicate se palpat, qui vitia sine labore vult superare : dum peccati legem, quam sibi deserviendo vitiis fecit, sine violentia doloris resecare non possit. *Ibid.*, sent. 2.

122. Perfecte renuntiat vitio, qui occasionem evitat in perpetrando vitio. *Prosec.*

123. Nam si velis tantumdem vitia non perpetrare, et data occasione perpetraveris : tu tibi et reus et judex es, qui et commissa damnas, et damnata committis.

124. Se autem judice reus est, qui vitia et accusat et perpetrat. *Ibid.*, sent. 4.

125. Quædam vitia dum non perfecte vitantur, suos in se faciunt relabi auctores : nam si unum vitium districte vitetur, et alia negligantur, inanis labor est. *Prosec.*

126. Non enim potest in unius observatione virtutis fortiter perdurare, cujus alia vitia dominantur in corde. *Ibid.*, sent. 5.

127. Nonnunquam hominem sua vitia persequuntur, quia nimirum qui prius volendo ea sibi fecit socia, postea sentit etiam nolens stimulosa. *Ibid.*, sent. 6.

128. In cordibus sæculariter viventium, invicem sibi succedunt vitia : ut dum unum abierit, succedat aliud. *Ibid.*, cap. 33, sent. 4.

129. Aliquando utiliter peccatur in minimis vitiis, ut majora vitia utilius caveantur. *Ibid.*, sent. 5.

130. Veraciter sanantur vitia, quæ virtutibus et non vitiis excluduntur. *Prosec.*

131. Quorumdam autem quædam latentia vitia, tunc apparent, quando a aliis vitiis desinunt. *Ibid.*, sent. 5.

132. Interdum virtutes vitia gignunt, dum aliquando pro tempore opportuno minime relaxantur : sicque fit, ut quæ loco congruo virtutes sunt, incongruo vitia deputentur. *Ibid.*, cap. 34, sent. 2.

133. Quædam vitia species virtutum præferunt; ideoque perniciosius suos sectatores decipiunt, quos sub velamine virtutum tegunt. *Ibid.*, cap. 35, sent. 3.

134. Qui delabuntur ad vitia, non statim a magnis incipiunt, sed a modicis assuescunt, et sic in maximis proruunt. *Ibid.*, cap. 36, sent. 2.

135. Tunc hostes, qui intra nos sunt, a nobis fortius superantur, quando prius quæ intra nos sunt vitia extinguuntur : nam frustra foris agit bellum, qui intus habet periculum. *Ibid.*, cap. 42, sent. 11.

S. LAURENT. JUSTIN.

136. Tunc turpia sunt vitia, quando sub virtutis velamine teguntur. *De ligno vitæ*, tract. 12, *de Humil.*, cap. 3.

137. Vitiis virtutum oppositione resistendum est. *De casto Connub.*, cap. 7.

LUDOVICUS BLOSIUS.

138. Quid jucundius, quid facilius, quam a vitiis alienus bene vivere? quid vero magis inamœnum et laboriosum, quam Deo derelicto, vitiis servire? In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 33.

S. NILUS.

139. Qui vitia cupit exscindere, radicem evellat. Orat. 3, *de Avarit.*

S. PETRUS CHRYSOL.

140. Nescit vincere vitia corporis, virtutis cingulum qui deponit. Serm. 22.

141. Vitia non nosse, felicitas est : nosse, periculi : vicisse, virtutis est. *Ibid.*, serm. 116.

142. Quod ignis aridæ est segeti, hoc vitia corpori sunt humano : quæ sola securius separatione vincuntur, necantur ignorantia, et nescita feliciter evanescunt. *Ibid.*

143. Omnia vitia ad suorum semper intendunt et prosiliunt læsionem. *Ibid.*, serm. 172.

S. PETRUS DAMIANUS.

144. Certe satis ignobile est, sub vitiorum carnalium vivere servitute, qui regii obtinemus generis dignitatem. Serm. 9, *de S. Benedicto.*

PHILO JUD.

145. Vitium a divino choro exulat. Lib. 1 *Legis Allegor.*

146. Vitium suapte natura late patet, ideo vulgo notissimum : virtus autem ita rara est, ut vix paucis contingat. *De Abraham.*

147. Aliena a vitiis tuum animum, ut a nullo ex his detentus emergas super omnia. *De Migrat. Abraham.*

148. Vitium vinci se, turpe non putat, assuetum ignominiæ : at virtus hoc probrum fugitat, cui maxime gloria competit, cujus innato amore aut vincere vult, aut certe invicta permanere. *De Abraham.*

149. Omne bonum mortuum est incandescentibus vitiis. Lib. *de Eo quod deterius potiori insidiari soleat.*

150. Ne mireris tanquam fortunatum, sed potius ut infelicem misereare, cui virtutum sterilitas, vitiorum ubertas perpetua contigit. *De confusione linguar.*

S. PROSPER.

151. Nihil homini prodest aliqua vitia superasse, si alicui, quod neglexerit superare, subjaceat. Lib. 3, *de Contemplat.*, cap. 20.

ROBERTUS BELLARM.

152. Vitia et habitus mali, sunt hostes hominis. Super *Psalm.* VI, vers. 7.

SALVIANUS.

153. In tantum vitiose ab omnibus vivitur, ut prope nullus Christianorum sit, qui non jugiter naufragare videatur. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

154. Quid est aliud modo pene omnis cœtus Christianorum, quam sentina vitiorum? *Ibid.*

155. In hanc morum probrositatem prope omnis plebs reducta est, ut in cuncto populo Christiano genus quodammodo sanctitatis sit, minus esse vitiosum. *Ibid.*

156. Simul atque homines destiterint esse divites, desinunt esse vitiosi. *Ibid.*, lib. 6.

157. In omnibus Galliis, sicut divitiis primi fuere, sic et vitiis : nusquam improbior voluptas nunquam inquinatior vita; nusquam corruptior disciplina. *Ibid.*, lib. 7.

158. Nonne novum hoc monstri genus est, esse aliquos, etiam in morte vitiosos? *Ibid.*

S. THEOPH.

159. Nihil anima, quæ vitiis, servire non vult, vehementius ac robustius. Serm. *B. de Provident.*

S. THEOPH.

160. Si recedamus a vitiis, penitus interibunt,

ALEX. et eorum fraudulenta dulcedo siccabitur. *Epist. Paschal.* 3.

161. Vitia nisi coerceantur, superbiunt, et obedientes sibi ad inferna detrudunt. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. 162. Vitia carnalia, quæ sub intemperantia continentur, etsi sint minoris culpæ, sunt tamen majoris infamiæ. 2, 2, quæst. 142, art. 4.

THOMAS A KEMPIS. 163. Dum parva latent vitia, tempestive adhibenda sunt remedia : ne urticæ crescentes, bona semina premant. Serm. 1, *ad Novit,* divis. 4.

164. Nisi tibi vim feceris, vitium non superabis Lib. 1, *de Imitatione Christi,* cap. 22, sect. 5.

165. Major labor est resistere vitiis et passionibus quam corporalibus insudare laboribus. *Ibid.,* cap. 25.

166. Qui vitiose agit, generat sibi malum finem, perdit honorem, destruit quietem, invenit dolorem, auget tristitiam, tollit boni saporem. In *Hortulo Rosar.*, cap. 4, sect. 1.

167. Dæmonum est servus, qui consentit vitiis. *Ibid.*, cap. 4, sect. 3.

168. Qui contra vitia disputat, et vitiis non resistit, bona semina inter spinas jactat. *Ibid.*, cap. 12, sect. 5.

S. VALER. EPISCOPUS. 169. Difficile est, ut ad ea quæ præparavit Dominus credentibus in se, tibi perveniendi sit aditus, nisi onustum vitiis pectus exoneres. Homil. 2, *de Arcta vita.*

170. Non ille sine triumpho parvo diem transigit, qui castitatis vitiis animo purificatus incedit. *Ibid.*, homil. 10, *de Bono Martyr.*

171. Sicut quanta sunt in homine vitia, tanta sunt et vulnera : ita quanta sunt certamina, tanta sunt et præmia. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 172. Vitia corporis, ea quidem quæ in nostra sunt potestate, reprehenduntur : ea vero quæ non sunt, non increpantur. Lib. 3, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.

173. Omnis modum superans vitiositas, vel ferina est, vel morbosa. Lib. 7 *Moral.*, cap. 5.

CICERO. 174. Totus es in vitiis, turpiter audes facere, nequiter studes dicere, vivis invidiose, loqueris odiose. Lib. 4, *de Arte Rhetor.*

175. Nihil cognovi ingratius vitio, in quo nihil mali non insit. Lib. 8, *Epist. ad Atticum,* epist. 4.

176. Non tam est enitendum, ut dona quæ nobis data non sunt, sequamur, quam ut vitia fugiamus. Lib. 1, *de Offic.*, num. 114.

177. Est proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. Lib. 3 *Tusc. quæst.*

MIMUS PUB. 178. Amici vitia si feras, facis tua. In suis *Sent.*, sent. 10.

179. Ex vitio alterius, sapiens emendat suum. *Ibid.*, sent. 106.

PLATO. 180. Duo sunt in animo maxima vitia, ignorantia et pravitas. in *Dialogo Sophistæ.*

PLINIUS. 181. Occurrendum augescentibus vitiis, et medendum est. Lib. 9, epist. 37, *ad Paulin.*

SENECA. 182. Est magnificum, quod te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas; sed magnificentius, quod tuos. In *Panegyr. de Trajano Augusto.*

183. Nemo sine vitio est : ille iracundus est, ille libidinosus est. Lib. 4, *Controv.* 25.

184. Facilis in proclivia vitiorum decursus est. Lib. 2, *de Ira,* cap. 1.

185. Difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt : facile est autem teneros adhuc animos componere. *Ibid.*, cap. 18.

186. Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt. *Ibid.*, cap. 28.

187. Repellenda sunt vitia, quæ enervant animum, cum venerint. *De Vita beata,* cap. 13.

188. Scire debemus non locorum vitium esse, quo laboramus, sed nostrum : quid prodest fugere, si non effugit? sequitur seipsum et urget gravissimus comes. *De Tranquillit. animi,* cap. 2.

189. Serpunt vitia, et in proximum quemque (ut in pestilentia) transiliunt, et contactu nocent. *Ibid.*, cap. 7.

190. Omnia vitia penitus insidunt, nisi dum surgunt oppressa sint. *De Consolat. ad Marciam,* cap. 1.

191. Nihil adhuc consecutus es, si multa effugisti, te nondum. Lib. 1, *quæst. in Præfat.*

192. Consueta vitia serimus, nisi reprehendimus. In *Proverb.*

193. Vitia non tantum cum foris peccant, invisa sunt : sed cum in se retorquentur. Lib. 5, *de Benef.*, cap. 7.

194. Fortasse vitium, de quo quereris, si te diligenter excusseris, in sinu invenies. *Ibid.*, lib. 7, cap. 28.

195. Ut corporum, ita animorum molliter vitia tractanda sunt. *Ibid.*, cap. 30.

196. Hoc tibi ante diem mortis præsta, ut moriantur in te vitia. Epist. 27.

197. Non multum prodest vitia sua projecisse, si cum alienis rixandum est. Epist. 28.

198. Quid interest, quot domini sint? si servitus vitiorum una est : hanc qui contempsit, in quantalibet turba dominantium liber est. *Ibid.*

199. In vitia alter alterum trudimus. Epist. 41.

200. Multorum, quia imbecilli sunt, latent vitia. Epist. 42.

201. Vitia persequere sine modo, sine fine : nam illis nec finis est, nec modus. Epist. 51.

202. Omnia vitia in aperto leviora sunt, sed tunc perniciosissima scias esse, cum simulata sanitate subsidunt. Epist. 56.

203. Intelligas tua vitia esse, quæ putas rerum. Epist. 50.

204. Facilius est initia vitiorum prohibere, quam impetum regere : facilius sustuleris illa, quam rexeris : si ipsis permisisti incipere; cum causis suis crescent, tantique erunt, quanti fient. Epist. 85.

205. Non pronum iter est tantum ad vitia, sed præceps. Epist. 97.

206. Si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est. Epist. 104.

207. Nulli non initium vitii est verecundum et execrabile, sed ob hoc latius funditur : non obtinebis, ut desinat, si incipere permiseris; excluditur facilius quam expellitur. Epist. 116.

208. Intrantibus vitiis resistamus, quia facilius non recipiuntur, quam exeunt : quia non est regredi facile, optimum est omnino non progredi. *Ibid.*

209. Sunt virtutibus vitia confinia, et perditis quoque ac turpibus recti similitudo est. Epist. 120.

210. Omnia vitia contra naturam pugnant. Epist. 122.

211. Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium, submove vitia. Epist. 94.

212. Esto vitiorum fugax, aliorum vero neque curiosus scrutator, neque acerbus reprehensor. *De quatuor virt.*

213. Consueta vitia serimus, nisi reprehendimus. In suis *Proverb.*

IXT. PHIL. 214. Perniciosum est servire vitiis : quia quot vitia habet anima, tot et dominos. Sent. 67.

RISMEGIS. 215. Vitia omnia convalescunt, vulnerantque animam, quæ infecta iisdem atque vitiata, quasi venenis intumescit. *De volunt. divina*, cui titulus. *Asclepius*, cap. 8.

Vide etiam tit. *Adolescentia*, sent. 34; *Confessio*, sent. 47, 48, 49; *Conversio*, sent. 68; *Correctio*, sent. 106; *Desiderium*, sent. 32; *Displicere*, sent. 10; *Jactantia*, sent. 25; *Imitatio*, sent. 13; *Infirmitas*, sent. 28; *Laus*, sent. 89; *Medium*, sent. 10; *Mores*, sent. 94; *Natura*, sent. 16, 17; *Negligentia*, sent. 22; *Occasio*, sent. 8, 9; *Opus*, sent. 78; *Pax*, sent. 43; *Peccatorum defensio*, sent. 64; 65, 66; *Pænitentia*, sent. 76; *Profectus*, sent. 140; *Recidivatio*, sent. 51, 64; *Reddere rat.*, sent. 10; *Relinquere*, sent. 14, 15; *Rex*, sent. 30; *Sapientia*, sent. 100; *Sensus quinque*, sent. 37; *Servitus*, sent. 35, 37, 50; *Studium*, sent. 37; *Superbia*, sent. 102; *Supplicium*, sent. 35; *Tentatio*, sent. 94, 95, 96; *Tractio.*, sent. 8; *Via*, sent. 114; *Virtus*, sent. 29, 46, 124, 125, 269; *Vulnus*, sent. 55.

## VITIORUM ET VIRTUTUM CONFLICTUS.

*Vide* Conflictus.

## VOCATIO DEI.

*Definitio.* Vocare Dei, est, cogitantem de fide adjuvare, aut eum compungere, quem sciat audire. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 8, in illud : *Illos et vocavit.* S. AMBROS.

Vocare Dei, est nos amando, et eligendo respicere : respondere nostrum est, amori illius bonis operibus parere. Super *Job*, cap. XIII, in illud : *Vocabit me*, etc. GLOSS. ORD.

*Divisio.* Quatuor sunt vocationes, prima est naturæ de utero ad lucem, secunda gratiæ, tertia solutionis, quarta retributionis. Lib. 2 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 33. HUGO A S. VICTORE.

Tres sunt vocationum modi, primus ex Deo est, secundus per hominem, tertius ex necessitate. Collat. 3 *Abbatis Paphnutii*, cap. 4. JOAN. CASS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Illos non vocat Deus, qui se justos dicunt, non usurpatores justitiæ; sed peccatores vocat. Lib. 5, super *Luc*, cap. V, in illud : *Non veni vocare justos*, etc. S. AUGUST.

2. Puto quod eos vocet prius Spiritus sanctus, qui ingrediuntur ex toto corde certamen, et ordinant semetipsos ad sustinendum in omni luctatione adversarii, donec devincat eum. Epist. 1, *ad Fratres.* S. ANTONIUS ABBAS

3. Nemo potest perfecte diligere quo vocamur, nisi oderit unde revocamur. *De Vera Relig.* cap. 46. S. AUGUST.

4. Qui spreverunt voluntatem Dei invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem. *Ad Artic. sibi falso impositos*, respons. 16.

5. Si quis contempserit vocationem Dei, excæcatur ad damnationem. Super *Psalm.* IX.

6. Non cessavit Deus vocare, aut vocatum neglexit instruere, aut instructum cessavit perficere, aut perfectum neglexit coronare. Super *Psalm.* CII.

7. Vocat undique Deus homines ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis. Super *Psalm.* CII, vers. 8.

8. Vocat te nunc Deus, exhortatur te nunc, expectat donec resipiscas, et tu tardas? Super *Psalm.* CXLIV, vers. 8.

9. Vocat vos Jesus : solus autem ille non vocatur a Domino, qui in hoc sæculo non laborat. *De Verbis Dom.*, serm. 18.

10. Deus vocavit nos, cum aversi essemus. *De verb. Apost.*, serm. 16.

10 *bis.* Vocat te Oriens, et tu attendis Occidentem. Serm. 7, *de Verb. Dom.*

11. Qui vocatus a te, secutus est vocem tuam, non me derideat ab eo medico ægrum sanari, a quo sibi præstitum est ut non ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret. Libro 2 *Conf.*, cap. 7.

12. Christus dictis et factis, ad credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit. Lib. 2, *de Lib. arb.*, cap. 2.

13. Deus per creaturam sibi servientem, aversum vocat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 19.

14. Vocasti et clamasti, et rupisti surditatem meam. Lib. 10 *Conf.*, cap. 27.

15. Cum secundum propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur, vocato datur gratuitum bonum, cujus boni est vocatio ipsa principium : non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quod per unum hominem peccatum intravit in mundum. Lib. 2, *ad Bonifac.*, cap. 7.

16. Reluctanti prius aditus divinæ vocationis ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante, spiritus virtutis accenditur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 6.

17. Quicunque electi sunt a Deo, sine dubio etiam vocati : non autem quicunque vocati, consequenter electi. *De corrept. et grat.*, cap. 7.

18. Si cor esset qualitercunque suspirans in ineffabilem gloriam, sæculum non amaremus; et ad eum qui nos vocavit pia mente perpetuo pulsaremus. Tract. 40, super *Joan.*

19. Dicatur Deo : Vocasti nos, invocamus te : ecce audivimus vocantem, audi te invocantes. *Ibid.*

20. Homo non amet viam; totum amarum sit, præter illum qui vocat. Tract. 9, super *Epist. Joan.*

S. BASILIUS MAGNUS. 21. Homo, si gehennam metuis, si regnum affectas : ne vocationem sperne. Homil. 13, *de Baptismo.*

V. BEDA. 22. Quam pauci, qui vocationi divinæ obedientes, ad regna cœlorum perveniunt! *De substant.*

S. BERNARD. 23. Quidquid es, quidquid potes, debes vocanti te. Serm. 2, *de verbis Apost.*

24. Vocationes tres sunt. *Divina*, sicut in Paulo; *humana*, in quinque millibus conversis ad vocem Apostolorum; *necessaria* in primo eremita Paulo. In suis *Sent.*, verbo *Vocationes.*

25. Vocat te magni consilii Angelus; quid aliena consilia præstolaris? quis enim fidelior, quisve sapientior illo? In *Declamat.*

S. BONAV. 26. O summa et inenarrabilis pietas Domini Dei nostri! nolentem redire vocat, ut redeat : et ut revertatur, revocare non cessat. Serm. 1, *de S. Matth.*

27. O quantum tenentur Deum laudare, Deum amare, Deum prædicare, qui ad hoc vocati sunt, ut Deum agnoscant, ut Christiani fiant. Serm. 2, *de Uno Mart.*

28. Omnino quantum in se est inhonorat eum a quo vocatus est, quisquis in ejus servitio in tristitia permanet et rancore. Lib. 3 *Pharetræ*, cap. 43.

29. O insania nostra mirabilis! o infirmitas miserabilis! o vesania detestabilis! vocamur ad requiem, et sequimur laborem : invitamur ad solatium, et quærimus dolorem. In epist. *de* 25 *Memorialib.* in prologo.

30. Qui vocantis gratiam non agnoscit, indignum se vocationis fructu constituit. *In Speculo discipl.*, part. 1, cap.

31. Vocatio Domini omne meritum præcedit, CASSIOD nec invenit dignum, sed facit. Super *Psalm.* v, vers. ult.

32. Præclara prorsus et gloriosa vocationis S. CYPRI electio. *De Judaica incredulit.*, cap. 6.

33. Confusio maxima est post primam vocatio- DIONYSI nem, qua vocavit nos Deus, et non homo, de ali- CARTHU quo alio curare aut sollicitari, nisi quod possit nobis prodesse ad conversationem hac vocatione condignam. *De Professione Monast.*, art. 19.

34. In quo vocatus es opere, firma anchoras ac S. EPHR funes, ne in pelagus paulatim navis tua impellatur : et tunc docebit te experientia quali pace in portu vocationis tuæ constitutus fruereris. *Adhort.* 4.

35. Ad negotiandum vocatus es; ne deperdas margaritam, ne thesaurum tuum deprædetur inimicus, ne navis demergatur una cum onere, et vacuus revertaris ad propria. In illud : *Attende tibi*, cap. 8.

36. In quacunque quis ætate fuerit vocatus, si S. FULGE benignitatem vocantis Domini non spernat, necesse est denarium vitæ perennis accipiat. Epist. 7, *ad Venantiam.*

37. Bona voluntas Dei præcedit nostram, ut GLOSS. vocet ad pœnitentiam. Super illud *Psalm.* v : *Bonæ voluntatis tuæ.*

38. Peccantes sustinet Deus diu, et dat bona, et vocat multis modis. Super illud *Psalm.* CII : *Dominus longanimis.*

39. Gratia vocantis præcedit, et excitat liberta- GLOSS. tem voluntatis. Super illud *Thren.* v : *Converte nos, Domine.*

40. Quisquis a Deo vocatur, solvat moras, surgat a somno, faciat quod jubetur. Super *Matth.*, cap. 1.

41. Vocat Deus justos, ut magis proficiant : peccatores, ut corrigantur. Super illud *Matth.* IX : *Non veni vocare justos*, etc.

42. Vocatione impletur prædestinatio. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 9.

43. Ad æternam gratiæ vocationem electi omnes S. GRE luce sapientiæ se illustrante, collecti sunt. Lib. 2 MAGN *Moral.*, cap. 16, num. 22.

44. Ecce Deus homines vocat per se, vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat per Apostolos, vocat per Pastores, vocat per miracula, vocat per flagella, vocat aliquando per prospera, vocat aliquando per adversa. Homil. 36, super *Evang.*

45. Tunc qui laborat vocatur, quando bene agenti desiderium æternitatis infunditur : et ad vocantem se accedit, quando ad contemplativæ vitæ quietem venit. Lib. 5, in I, *Regum*, cap. 4.

HAYMO. 46. Quod omnes vocati sumus, novimus : utrum autem ad electorum sortem pertineamus, adhuc ignoramus. *Prosec.*

47. Tanto argo solliciti esse debemus in bono opere, quanto inexcusabiles nos esse scimus de vocatione. Serm. *Dom.* 21, *post Pent.*

HUGO CARD. 48. Vocat Deus sex modis. Interius, per inspirationem; exterius per Scripturas; superius, per promissiones : inferius, per comminationes; anterius, per beneficia; posterius, per flagella. Super *Gen.*, cap. 28.

49. Vocat nos Deus per flagella, per beneficia, per prædestinationem, per inspirationem, per prædicationem. Super *Job*, cap. 14.

50. Tanto graviori improbitate Dominus a nobis contemnitur, quanto contemptus adhuc vocare non dedignatur. Super *Hierem.*, cap. 3.

51. Nescit diabolus consilium divinæ vocationis : quando enim convertuntur peccatores, stupescunt, et admirantur. Super *Ezech.*, cap. XXXII.

IDIOTA. 52. Nulli se Deus negat, nullum spernit; sed omnes manu amica vocat, et recipit. Lib. 1, *Contemplat. de Amore Dei.*

53. Quemadmodum inspiratione Domini vocati, ad viam salutis accurrimus : ita etiam magisterio ipsius, et illuminatione deducti, ad perfectionem summæ beatitudinis perveniamus. Collat. 3, *Abbat. Paphnutii.*

S. JOANNES CHRYSOST. 54. In initio credere et parere vocanti, nostræ est bonæ mentis : at postquam jacta fuerint fidei fundamenta, jam opus est auxilio Spiritus sancti. Serm. 1, *de verb. Apost.* : *Habentes eumdem spirit.*

55. Tametsi Deus nos vocet expectat tamen ut sponte accedamus, ac tum nobis suum exhibeat auxilium. *Ibid.*

56. Si te religionis tuba vocet, statim progredere, et multa cum alacritate descendas ad certamina. Homil. 67, *ad Populum Antioch.*

57. Magnifica plane est vocatio, quæ ad res magnificas est destinata. Serm. 9, super *Epist. ad Ephes.*

58. Deus nos vocat ad cœlum, nos autem nosipsos in gehennam impulimus. Homil. 23, super *Epist. ad Hebr.*

59. Dei vocatio nullum cogit, nec mentem eorum qui virtutem volunt contemnere, ullo modo violentat : sed hortatur quidem ac consulit, et omnibus modis bonos esse persuadet; si vero aliqui reluctentur, nullo modo cogit. Homil. 81, super *Matth. Oper. perf.*

60. Statim ut susceperis flammam, curre : nescis enim utrum brevi extinguenda sit, ne forte in tenebris te deserat. Gradu 3. S. JOAN. CL.

61. Semper hodie clamat, hodie nos Deus semper admonet, et crastinum expectamus? *De vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 3. JOAN. TRITH.

62. Per typica ad vera, et per temporalia ad æterna, et per carnalia ad spiritalia, et per terrena ad cœlestia vocat Deus. Lib. 4, *Advers. hæres.*, cap. 28.

63. Multi cupiunt convolare ad gratiam Dei, sed timent carere oblectamento mundi : provocat quidem eos amor Christi, sed revocat cupiditas sæculi. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 22, sentent. 1. S. ISIDORUS HISPAL.

64. Nonnisi vocata, ad Deum appropiare mens debet, ne repulsa cum pudore sternatur. *De Casto connub.*, cap. 19. S. LAURENT. JUSTIN.

65. Tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto incertior est de vocatione. *De Ligno vitæ*, tract. 12, *de Humilit.*, cap. 4.

66. Vocatus non repente assensum præbeat, sed prius certificari de ipsa vocatione conetur, utrum a Deo si infusa, an aliunde immissa. *De Obedient.*, cap. 26.

67. Vocatus aspiratione cœlesti, absque cunctatione renuntiet vitiis, ac consuetudinibus malis. *Ibid.*

68. Singularis profecto est vocatio, quæ in beneficiorum cœlestium agitur speculo. Lib. 2, *de Spirit. resur.*, cap. 22.

69. Vocatus est a Christo ille, cui dictum est, Sequere me : hic secutus est Christum, quoniam vocatus est a Christo. *Prosec.*

70. Qui autem non sequuntur Christum, quomodo vocantur a Christo? non vocantur, sed permittuntur. *De Compunct. et complanct.*, cap. 1.

71. Qui affectum suggeris : da effectum. Epist. 102, *ad Radingens Abbat.* PETRUS BLESENS.

72. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum. Serm. 22. S. PETRUS

73. Deus suscipit pauperes, sed divites non repellit : habentessuscipit, et ad se attrahit non habentes, Abraham fuit dives, dives Job, David dives : et quid Abraham beatius quid, fortius Job, quid David sanctius? *Ibid.*, serm. 28.

74. Christus quod Matthæum vocat, non est ulla pecuniæ ratio, sed est ratio tota virtutis. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. 75. Ecce Deus vocat, et non audis? promittit, et contemnis? thesaurizas tibi iram in Dei iræ. Serm. 56, *de S. Martino*.

BEAT. MAURITIUS ABB. CLUNIAC. 76. Felix tu, si tamen perstiteris, quem Pater trahit, quem Filius suscipit, cui Spiritus Dei inspirat. *Prosec.*

77. Festina igitur, veni ad invitantem te Salvatorem tuum, audi salvatricem vocem ejus, qua tibi loquitur. Lib. 5, epist. 6, *ad Humbert. archidiacon.*

PHILO JUD. 78. Quo devenisti o anima? pro qualibus bonis qualia eligesti mala? a Deo vocata es, ut fieres virtutis particeps, vertis te ad vitium. Lib. 2 *legis Allegor.*

S. PROSPER. 79. Nisi ipso vocante, docente, salvante nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur. Epist. *ad Rufin.*, cap. 4.

80. Gratia nihil ei, quem vocat, confert, nisi oculos in eo aperuerit voluntatis. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 27.

81. Vocati qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur. *Ibid.*, cap. 28.

RICHARD. A S. VICTORE. 82. Vocanti Domino appropinquat, qui dignis pœnitentiæ fructibus Deum de die in diem placat. Part. 1, *de potest. ligandi et solvendi*, cap. 17.

83. Qui exteriora diligunt, qui sola terrena cogitant, vocem Dei audire nequeunt. Part. 2, super *Psalm.* XXV.

SALVIANUS. 84. Ille nos beneficiis vocat ad probitatem, nos ruimus in improbitatem; ille beneficiis suis provocat ad compunctionem, nos ruimus in dissolutionem; vocat ille ad castitatem, et nos ruimus in impuritatem. Lib. 6, *de Gubern. Dei.*

85. Nihil a nobis Deus onerosum, nil grave exigit, cum nos vocat: non enim nos ad aratra, aut ad ligones vocat, non ad scindendas terras, neque ad vineas pastinandas. *Prosec.*

86. Non ergo nos ad laborem vocat Dominus, sed ad refectionem: vocat ad castitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem, quæ utique omnia non onerant, sed ornant. *Ibid.* lib. 7.

THEOPHYLACTUS. 87. (Nullus potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.) Hoc autem dicit, non ut libertatem tollat arbitrii, sed ut ostendat, quod multa habeat opus cooperatione a Deo is, qui crediturus est. Super *Joan.*, cap. 6.

S. THOMAS AQUINAS. 88. Vocatio refertur ad auxilium Dei, interius moventis et excitantis mentem. 1, 2, quæst. 113, art. 1.

89. Non est laudabile, sed magis vituperabile, post vocationem interiorem, vel exteriorem, vel verbo, vel scripturis, factum disserere, et quasi in dubiis consilium quærere. *Contra retrahentes ab ingressu Relig.*, cap. 9.

90. Virtutem Spiritus sancti vel ignorat, vel ei resistere nititur, qui a Spiritu sancto motum vocationis diuturnitate consilii detineri contendit. *Ibid.*

THOMA A KEMP. 91. Ad serviendum venisti, non ad regendum: ad patiendum et laborandum scias te vocatum, non ad otiandum, vel fabulandum. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 17, sect. 3.

92. Felix hora, quando Jesus vocat de lacrymis ad gaudium spiritus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 8.

93. Quam felix eris, si internæ Dei vocationi sine mora gratulanter occurreris. *De fideli dispensat.*, cap. 3.

S. VALER. EPISCOP. 94. Omnem hominem Deus, non solum ad libertatem vocavit, sed etiam in summa rerum dignitate constituit. Homil. 3, *de Arcta vita*.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SIXT. PI. 95. Relinquens quæ possides, sequere verbum Dei. Sent. 125.

Vide etiam tit. *Conversionis dilatio*, sent. 18; *Liberum arbitrium*, sent. 127; *Obviatio*, sent. 14; *Patientia Dei*, sent. 45.

## VOLUNTAS IN GENERE.

CASSIOD. *Etymologia.* Voluntas dicta est a volatu; quoniam animus quo vult nimia velocitate transfertur. Super *Psalm.* XIII, vers. 2.

S. ATHA. MAGNU. *Definitio.* Quid est voluntas? voluntas est intelligentis, et rationalis substantiæ appetitus ad id, quod animum suaviter afficit. *De Definit.*

S. ANAST. Voluntas est in natura intellectuali et rationali appetitio ejus, quod gratum est et jucundum. In *Libro viæ ducis*, cap. 2, *de Voluntate.*

S. AUGU. Voluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Lib. 1 *Retract.*, cap. 15.

Voluntas est, qua et peccatur, et recte vivitur. Lib. 1 *Retract.*, cap. 9.

S. JOAN. DAM. Voluntas est rationalis et vitalis appetitus ex iis, duntaxat quæ naturalia sunt, pendens. Lib. 2, *de Fide Orthod.*, cap. 22.

Voluntas est rei cujuspiam rationalis appetitio, atque cupiditas. *Ibid.*

Voluntas est rationalis et naturalis, atque a libera potestate manans appetitio. *Ibid.*

PLATO. Voluntas est desiderium cum recta ratione, vel appetentia rationi consentanea. *De Definit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAGNUS. 1. Nihil aliquid ditius offertur Deo bona voluntate. *Prosec.*

2. Quippe bona voluntas in anima est origo omnium bonorum, et omnium mater virtutum; quam qui habere incipit, secure habet quidquid ei ad bene vivendum opus est. *De adhærendo Deo*, cap. 11.

MBROS. 3. Ubi voluntas, ibi merces voluntatis : ubi necessitas, ibi obsequium necessitatis : melior ergo voluntas, quam necessitas. Lib. 2, epist. 2, *ad Simplicianum*.

NSELM. 4. Velle ergo sapientis est, parere et servire insipientis.

5. Sicut velle dicimus eum, qui facit, ut alius velit, ita etiam dicimus eum velle, qui non facit, ut alius velit, sed approbat quod vult. Lib. 1, *Cur Deus*, cap. 10.

6. Sicut est bestiarum nihil velle cum ratione, ita hominum debet esse nihil velle sine ratione. *De Conceptu virginali*.

7. Nemo rectitudinem voluntatis deserit, nisi volendo : si ergo invitus dicitur nolens, nemo deserit illam invitus. *Prosec.*

8. Ligari enim homo potest et invitus; quia nolens potest occidi; velle autem non potest invitus quia non potest velle nolens velle : nam omnis volens, ipsum suum velle vult. In *Dialogo, de Lib. arb.*, cap. 5.

9. In homine quandiu ipsa voluntas recta est, nec servit, nec subjecta est cui non debet. *Ibid.*

10. Nulla est justa voluntas, nisi quæ vult quod Deus vult eam velle. *Ibid.*, cap. 8.

11. Nihil liberius recta voluntate, cui nulla vis aliena potest auferre rectitudinem. *Ibid.*, cap. 9.

12. Voluntas bona est, quæ Dei voluntati subjecta est; et tunc Dei voluntati subjecta est, quando id vult, quod Deus vult illam velle debere. *De similitud.*, cap. 158.

13. Tunc justa sive recta voluntas dicitur, quando id quod Deus vult eam velle debere, amplectitur. *Ibid.*

14. Non semper velle debemus quod Deus vult, sed hoc velle debemus quod Deus vult nos velle debere. *Ibid.*, cap. 159.

NTONIUS PADUA. 15. Mala arbor est mala voluntas : cujus radix cupiditas, truncus obstinatio, rami perversa opera, folia verba ventosa, fructus mors æterna. Serm. *Dom.* 8 *post Trinit.*

AUGUST. 16. Quid tam inimicum bonæ voluntati est, quam libido ? Lib. 1, *de Lib. arbit.*, cap. 13.

17. Nemo vult aliquid nolens. *Ibid.*, lib. 2, cap. 14.

18. Voluntas aversa ab incommutabili et communi bono, convertitur ad proprium, aut ad exterius, aut ad inferius. *Prosec.*

19. Ad proprium convertitur, cum suæ potestatis vult esse : ad exterius, cum aliorum propria vel quæcunque ad se non pertinent, cognoscere studet : ad inferius, cum voluptatem corporis diligit. Lib. 2, *de Lib. arbit.*, cap. 19.

20. Improba voluntas, malorum omnium causa est. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 17.

21. Velle quod non deceat, idem ipsum miserrimum est. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 5.

22. Voluntas ut plena sit, oportet ut sana sit : erit autem sana, si medicum non refugiat. Epist. 204, *ad Armentar.*

23. Voluntas bona misericorditer impenditur, ut mala voluntas homini dirigatur. Epist. 204, *ad Donat.*

24. Nesciens sibi vult male, dum non non putat sibi obesse quod vult : sed tamen male sibi vult, quando id vult quod obsit sibi. Lib. 14, *de Trinit.*, cap. 14.

25. Voluntas cujusque totam intelligentiam, totamque memoriam capit, dum toto utitur quod intelligit et meminit. *Ibid.*, lib. 10, cap. 11.

26. Nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Lib. 3, *de Lib. Arbit.*, cap. 3.

27. Malorum omnium causa, improba voluntas est. *Ibid.*, cap. 17.

28. Voluntas non est nisi in bonis; nam in malis flagitiosisque factis cupiditas proprie dicitur, non voluntas. *De Serm. Domini in monte*, lib. 2.

29. Cum se voluntas relicto superiore ad inferiora convertit, efficitur mala : non quia malum est, quo se convertit, sed quia perversa est ipsa conversio. Lib. 12, *de Civit. Dei*, cap. 6.

30. Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens : quia nec illa effectio est, sed defectio. *Ibid.*, cap. 7.

31. Bellum gravius et amarius cogitari non potest, quam ubi voluntas sic adversa est passioni, et passio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiæ finiantur, et ubi sic confligit cum ipsa natura corporis vis doloris, ut neutrum alteri cedat. *Ibid.*, lib. 19, cap. 28.

32. Recta voluntas est bonus amor, et voluntas perversa malus amor. *Ibid.*, lib. 14, cap. 7.

33. Vacare non potest voluntas bona. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2, vers. 22.

34. Tu nihil aliud vis, quam ut tibi bene sit : nam in eo quod amas, vis ut bene tibi sit; et in eo quod times, non vis ut male tibi sit. *Prosec.*

35. Bonum est quod vis, sed tolera quod non vis, ut assequaris quod vis. Super *Psalm.* LXXVI, vers. 17.

36. Sic homo ab humanis in divina dirigitur,

cum voluntati humanæ, voluntas divina præponitur. Tract. 53, super *Evang. Joan.*, de cap. XII.

37. Nihil ditius bona voluntate Deo offertur. *Prosec.*

38. Bona voluntas Deum ad nos deducit, et nos in eum dirigit.

39. Per bonam voluntatem Deum diligimus, Deum eligimus, ad Deum currimus, ad Deum pervenimus, et possidemus.

40. Per bonam voluntatem ad Dei similitudinem reformamur, et ei similes efficimur.

41. Ita amabilis est Deo bona voluntas, ut ipse in corde habitare non velit, in quo bona voluntas non fuerit.

42. Bona voluntas Dei summæ majestatis Trinitatem ad se inclinat : sapientia namque ad cognitionem veritatis illam illuminat, charitas ad desiderium bonitatis inflammat, Paternitas in ea custodit quod creavit ne pereat. In *Manuali*, cap. 25.

43. Voluntas prona faciendi, reputatur pro opere facti. *De honest. mulier.*, cap. 5.

44. Totum habet, qui bonam voluntatem habet : ipsa est quæ potest sufficere, si cætera non sint. Si autem sola desit, nihil prodest quidquid habitum fuerit : sola sufficit, si adsit. Homil. 8, *Ex quinquaginta Homil.*

45. Hostis interior est mala voluntas. Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 2, can. *Paratus.*

46. In voluntate nostra est constitutum, ut fruamur vel careamus vero bono. Quid enim tam in voluntate, quam ipsa voluntas sita est ? Lib. 1, *de Lib. arbit.*, cap. 12.

47. Dum volumus, si ipsa voluntas deest nobis non utique volumus : quod si fieri non potest, ut dum volumus, non velimus adest utique voluntas volentibus. *Prosec.*

48. Nec aliud quidquam est in potestate, nisi quod volentibus adest : voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. *Ibid.*, lib. 3, cap. 3.

49. Diabolus perversa voluntate ex bono Angelo diabolus factus est. Lib. 7 *Conf.*, cap. 3.

50. Cujus voluntas superat omnia, nulla ex parte quidquam sentit invitus. Lib. 2, *de Gen. ad litt.*, cap. 29.

51. Voluntas tanto est liberior, qaanto sanior : tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ, gratæque, subjectior. Epist. 89, quæst. 2.

52. Sicut voluntati Dei tribuitur humana natura nullo dubitante laudanda, sic hominis voluntati culpa tribuitur nullo recusante damnanda. Epist. 105.

53. Qui nequiter vult vivere, tanto miserior esse convincitur, quanto facilius mala ejus voluntas impletur. Epist. 121, cap. 5.

54. Sanata voluntas potest, quod infirma non posset. Epist. 144.

55. Mala voluntas efficiens est operis mali, malæ autem voluntatis efficiens est nihil. Lib. 12, *de Civit. Dei*, cap. 6.

56. Lætitia deserti boni in peccato, testis est voluntatis malæ. *Ibid.*, lib. 19, cap. 13.

57. Nisi injustus voluntatem mutaverit, bonum operari non potest. *Contra Adimant.*, cap. 26.

58. Tam nobis cognita est voluntas nostra, quam vita. *De duab. animab.*, cap. 10.

59. Nonnisi voluntate peccatur. Nobis autem voluntas nostra notissima est : neque enim scirem me velle, si quid sit voluntas ipsa nescirem. *Ibid.*

60. In potestate est quod in voluntate esse non debet. *De fide contra Manich.*, cap. 9.

61. Sive iniquitas, sive in justitia ; nisi esset in voluntate, non esset in potestate. Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 78.

62. Væ voluntati malæ, si mala est, Pax bonæ voluntati, si bona est : sive autem mala sit, sive bona sit, voluntas est : bonam voluntatem sequitur corona, malam sequitur pœna. Lib. 2, *de Actis cum Felice*, cap. 12.

63. Voluntas nostra, etiam cum bona est, quantum valeat, quantas vires habeat, quibus tentationibus cedat, si nos non fallimus, nescimus. Lib. 4, *de Anima et orig.*, cap. 7.

64. Illi sunt in pace Christi, qui sunt bonæ voluntatis. Porro sicut in benevolentia, bona voluntas : sic in malevolentia, mala voluntas est. Lib. 4, *de Baptismo contra Donat.*, cap. 7.

65. Voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis ; ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Lib. 1, *ad Bonif.*, cap. 3.

66. Bona voluntas, quæ se abstrahit a peccato, fidelis est. *Ibid.*

67. Non potest captiva voluntas nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem. *Ibid.*, lib. 4, cap. 3.

68. Velle et nolle, proprie voluntatis est. *De grat. et Lib. arb.*, cap. 3.

69. Nec opera bona voluntas mala, nec mala opera facit voluntas bona. Lib. 1 *contra Julian.*, cap. 8.

70. Sicut voluntas mala ipsa est origo peccati, id est, a voluntate mala peccatum exortum est, et peccati origo voluntas mala est : ita nisi voluntas mala, non est cujusquam ulla origo peccati. *Ibid.*, lib. 3, cap. 5.

71. Voluntas sancta justitiam sancta cogitatio-

ne concipit. Lib. 1 *Oper. imperf. contra Julian.*, cap. 78.

72. Voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur. *De perfect. Justit.*; cap. 19.

73. Ut peccata vitentur non fit, nisi voluntas adsit : tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit. *De Nat. et grat.*, cap. 18.

74. Voluntatem malam nullum præcessit malum. Lib. 2, *de Nuptiis*, cap. 28.

75. Homo fit beatus vel miser suæ voluntatis affectu, quæ omnium factorum, meritorumque mensura est. Epist. 49, quæst. 4.

RNARD. 76. Voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas. Epist. 77, *ad Hugonem de S. Victore.*

77. Quid prodest ei velle, et scire quæque disponere prout necesse est, si quod scit et vult, non potest ? Lib. 4, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

78. Quid tam pœnale quam semper velle quod nunquam erit, et semper nolle quod nunquam non erit ? *Ibid.*, lib. 5.

79. Bona voluntas in animo, est origo omnium bonorum, et omnium mater virtutum : e converso mala voluntas est origo omnium malorum, et vitiorum. *De vita solit.*

80. Voluntas in eis quæ ad Deum sunt, cum vult quod potest, laudanda est : cum vult quod non potest et plusquam potest, regenda est : cum non vult quod potest, excitanda est et provocanda. *Prosec.*

81. Voluntas sæpe, si non frænatur, impetum facit et agitur in præceps : sæpe, si non excitatur, dormit et tardat, et obliviscitur quo tendebat, et facile declinat. *Ibid.*

82. Vis quod non vis, et non vis quod vis, a teipso condemnaberis. Nolenda vis, volenda non vis. *De Inter. domo*, cap. 24.

83. Sola voluntas est, quæ totius operis ornat effectum : sine qua étiam nec bene aliquid agitur, etiamsi bonum esse videatur. *Serm. de virtute obedient.*

BONAV. 84. Velle et non posse est miserum, nolle et posse est iniquum, velle et posse est felicissimum. Super *Psalm.* CXXXIX.

85. Continue pace gaudet, qui voluntatem suam voluntati divinæ conformare studet. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 76.

86. Voluntas quandoque sine opere sufficit ad meritum, ubi facultas et opportunitas operis non subest. Lib. 2, *de Profectu Relig.*, cap. 23.

ULGENT. 87. Mala voluntas suo merito gratiam charitatis, aut accipit, aut amittit. Lib. 1, *de Verit. prædest.*

GLOSS. ORD. 88. Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei : nec sufficit misericordia Dei, si non sit voluntas hominis. Super illud *Rom.* IX : *Non est volentis*, etc.

89. Voluntas ut ad vera credenda moveatur, non sibi sufficit, nisi per gratiam Deus opituletur. *Ibid.*, cap. 10. GLOSS. INT.

90. Voluntas uniuscujusque, arbor bona vel mala est : et sicut arbor radicatur in terra, sic voluntas in anima. Super illud *Matth.* VII : *Non potest arbor bona*, etc. GLOSS. ORD.

91. Non sufficit bene velle, nisi sequatur et facere. Super *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* VII, vers. 6. S. GREGOR. MAGNUS.

92. Solum volueris, et bonum hoc cœleste emptum erit. Orat. 3, *de S. Lavacro.* S. GREGOR. NAZ.

93. Apud Deum, cui nota sunt omnia, etiam antequam fiant, voluntas perfecta faciendi reputatur pro opere facti. Epist, 1, *ad Demetriad.* S. HIERON.

94. Voluntas infructuosa est, habentibus eam sine facto. Super II, *ad Cor.*, cap. VIII, in illud : *Et facto perficite.*

95. Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia, ubi non rationi voluntas subjicitur. Lib. 10, *de Trin.* S. HILARIUS.

96. Voluntas semper apud Deum solet magis, quam necessitas coronari. Lib. 7 *Cœnob. inst.*, cap. 22. JOAN. CASS.

97. Sicut peccatum sine voluntate opus non facit, ita justitia ex opere non consummatur, nisi voluntas affuerit. Hom. 52, super *Matth. Oper. imperf.* S. JOANNES CHRYSOST.

98. Voluntas sine opere frequenter peccat. *Ibid*

99. Si voluntas necessitati consentiat, non solum non concupiscat, sed etiam abstineat se ab omni re mala, nihilque faciat, neque loquatur, neque cogitet quod displiceat Deo. *Ibid.*, hom. 52.

100. Prava voluntas radix est malorum. Homil. 17, super I *Cor.*

101. Velle et non velle, animæ est. Super *Epist. ad Galatas*, cap. V.

102. Voluntates bonæ sic suaves sunt apud Deum, quemadmodum odoriferi flores. Homil. 39, super *Matth. oper. imperf.*

103. Voluntas aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo : opera autem testimonia sunt veritatis. *Ibid.*, homil. 46.

104. Ubi voluntas parata est, nihil est quod obstet. Lib. 3 *Parall.*, cap. 26. S. [illegible]

105. Victima Dei est bona voluntas. *Ibid.*

106. Voluntas libera potestate appetit, vult, quærit, considerat, deliberat, judicat, afficitur, eligit. Lib. 2, *de fide Orthod.*, cap. 22.

107. Voluntas ab omni inordinata affectione purganda est, ut nihil velit, nisi quod recta ratio volendum suggerit ; nihil reprobet, nisi [illegible]

quod illa secundum veritatis judicium sibi interdicit. Part. 1, *de Regione claust.*, tract. 2, reg. 2, art. 3.

108. Infirmatur voluntas, quæ differtur. Epist. 10, *ad Nicol. presbyt.*

S. ISIDORUS HISPAL. 109. Malignantium hominum voluntas nequaquam potest impleri, nisi Deus dederit potestatem. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 57, sent. 4.

S. LAURENT. JUSTIN. 110. Voluntati nec leges imperant, nec principes dominantur. *De ligno vitæ, tract.* 6, *de Obedient.*, cap. 4.

111. Quid deformius in universitate naturæ esse deprehenditur, quam hominis mali inordinata voluntas, quæ nec judicium timet, nec Dei justitiam reveretur ? *Prosec.*

112. Hæc Dei mandata negligit, et innumera Redemptoris beneficia parvipendit.

113. Non temporalem, non æternam mediatur evadere pœnam : horret quidquid pium, quidquid honestum est.

114. Hæc omni bellua sævior, omnique serpente venenosior invenitur.

115. Cum deterius labitur, cum horribilius delinquit, securior stat. *De discipl. monast. conversat.*, cap. 6.

S. LEO I. 116. Pessimus animæ cibus est, velle quod non licet. Serm. 9, *de Jejun. septimi mensis.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 117. Tantus thesaurus est bona voluntas, ut totus mundus ei æquiparari non possit. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 33.

BEAT. MAURITIUS ABB. CLUNIAC. 118. Nihil tantum Deo placet, nihil tantum diabolo displicet, nisi bona voluntas. Lib. 5, epist. 6, *ad Humbert. archidiacon.*

THOMAS A KEMPIS. 119. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur, et optime ei concordet. *Prosec.*

120. Sit mihi unum velle et nolle tecum, nec aliud posse velle, nisi quod tu vis et nolis. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 15 sect. 3.

IN VIT. PATR. 121. Voluntas hominis murus est æneus. Lib. 5, libell. 18, *de Discret.*, num. 60.

122. Mala voluntas, diaboli est manubrium. Lib. 7, cap. 25, num. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 123. Voluntas secundum naturam boni est, præter naturam vero mali ; vult natura quidem bonum, præter naturam vero, et ex mentis quadam eversione, malum. Lib. 2, *Ethic. ad Eudomium.*

SENECA. 124. Tarde velle, nolentis est. Lib. 2, *de Benefic.* cap. 5.

125. Voluntas non lateat, sed aperiatur, ut luceat. *Ibid.*, cap. 25.

126. Voluntas ipsa rectum petens, laudanda est : etiamsi illam alius gradu velociori antecessit. Lib. 5, *de Benef.*, cap. 2.

127. Neminem mihi dabis, qui sciat quomodo quod vult cœperit velle. Epist. 37.

128. Si vis eadem semper velle, vera oportet velis. Epist. 65.

129. Ea debes velle, quæ et Deus vult. Sent. 126. SIXT.

Vide etiam tit. *Difficultas*, sent. 13 ; *Discordia*, sent. 25 ; *Gratia*, sent. 133 ; *Oblatio*, sent. 1, 40 ; *Rectitudo*, sent. 43.

## VOLUNTAS DEI.

*Definitio.* Voluntas Dei non aliud invenitur esse, quam virtus : quidquid autem vult, potest ; qui quantum vult, tantum potest, quia non aliud est in illo velle, quam posse. Lib. 1, *ad Monimum*, cap. 12. S. FUL

Voluntas Dei est, ut nihil ei, sed ipse omnibus præponatur. Super *Prov.*, cap. 11. HUGO

Voluntas Dei, Deus est : quia non ipse aliud est, aliud voluntas ejus, sed hoc est illi velle, quod ipse est. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 8, sent. 5. S. ISID

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Voluntas Dei irrita esse non potest. Lib. 1, de *de Vocat. gent.*, cap. 5. S. AM

2. Non solum Filius voluntatem Patris, sed etiam Pater Filii voluntatem : una igitur est voluntas, quia una voluntas est, ubi una operatio. Lib. 2, *de fide ad Gratianum*, cap. 3.

3. Voluntas Dei ; mensura rerum est. Lib. 2, *Hexam.*, cap. 2.

4. Voluntas Dei immobilis est. Super *Psalm.* XCI.

5. Quando vult Christus capitur, quando vult elabitur, quando vult suspenditur, quando vult non tenetur. Lib. 4, super *Lucæ*, cap. IV, in illud : *Et ejecerunt illum extra civitatem.*

6. Disce Deo esse subjectus, ut non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum. *Ibid.*, lib 10, cap. XXII in illud : *Non mea voluntas sed tua fiat.*

7. Voluntas hominis temporalis est, voluntas divinitatis æterna, non alia voluntas Patris, alia Filii : una enim voluntas, ubi una divinitas. *Ibid.*

8. Tunc profectus adest, si quod agendum est, cum Dei voluntate agatur. Super *Epist. ad Rom.* cap. I in illud : *Obsecrans si quomodo*, etc.

9. Homo timens Deum, voluntatem ejus in Scripturis sanctis diligenter inquirit. Lib. 3, *de Doctrina christiana*, cap. 1. S. AU

10. Qui spreverunt voluntatem Dei invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem. *Ad artic. sibi falso impositos*, respons. 16.

11. Voluntas Dei est aliquando ut sanus sis, aliquando ut ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est volontas Dei ; et quando ægrotas, amara est

voluntas Dei, non recto corde es : quare ? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam : illa recta est, sed tu es curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te, et rectum habebis cor. Super *Psalm.* xxxv, vers. 11.

12. Sic homo ab humanis in divina dirigitur, cum voluntati humanæ voluntas divina præponitur. Tract. 53, super *Evang. Joan.*, de cap. 12.

13. Facit Deus quidquid bene vult, quidquid juste vult : quidquid autem male fit, non vult : et nemo resistit omnipotenti, ut non quod vult faciat. Lib. 1, *de Symbolo fidei ad Catechum.*, cap. 1.

14. Non vis bonus implere voluntatem Dei, et de te malo impletur voluntas Dei. *Ibid.*, lib. 4, cap. 1.

15. Voluntas Dei creatura non est, sed ante creaturam ; quia non crearetur aliquid, nisi Creatoris voluntas præcederet. Lib. 11 *Conf.*, cap. 10.

16. Non cogeris invitus ad aliquid ; quia voluntas tua non est major potentia tua. *Ibid.*, lib. 7, cap. 4.

17. Ad ipsam Dei substantiam pertinet voluntas ejus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 2.

18. Voluntas Dei extra ejus substantiam non est, unde simul et semper vult omnia quæ vult. *Ibid.*, lib. 12, cap. 15.

19. Voluntas Dei omnium quæ sunt est causa : sienim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Lib. 1, *de Gen. contra Manich.*, cap. 2.

20. Voluntas Dei causa est cœli et terræ, et ideo major est voluntas Dei quam cœlum et terra. *Ibid.*

21. Qui dicit, quare voluit Deus facere cœlum et terram ? majus aliquid quærit quam est voluntas Dei, nihil autem majus inveniri potest. *Ibid.*

22. Si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo. *Ibid.*

23. Quando Deus aliquid vult, ideo nos cogimur ut velimus, quia ille vult, cujus voluntatis nec excellentiam fas est recusare, nec omnipotentiam licet evitare. Epist. 65.

24. Omnipotentis voluntas Dei semper invicta est. In *Enchiridio*, cap. 102.

25. Non voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus. *Ibid.*, cap. 6.

26. Deus quasdam voluntates suas utique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas. *Ibid.*, cap. 101.

27. Voluntas Dei mala esse nunquam potest, quia etiam cum mala irrogat, justa est : et profecto quia justa est, mala non est. *Ibid.*, cap. 95.

28. Certa et immutabilis, et efficacissima est voluntas Dei, nihil enim vult quod non possit. *Ibid.*, cap. 95.

29. Homo quia maluit suam facere quam Dei voluntatem, de illo facta est voluntas Dei. *Ibid.*, cap. 17.

30. Dei voluntas est super omnia. Lib. 6, *de Gen. ad lit.*, cap.

31. Dei voluntas rerum necessitas est. *Ibid.*, cap. 15.

32. Voluntas Dei causa rerum est. *Ibid.*, cap. 18.

33. Dei voluntas non potest sibi esse contraria. *Ibid.*

34. Æquius est ut nos Dei, quam ut ille nostram voluntatem sequatur. *De catechiz. rud.*, cap. 14.

35. Qui contradicit Deo, quiescere non potest, hoc est, non invenit quietem ; nisi in ejus voluntate sine ulla contradictione consentiat. *Annot. in Job*, cap. 39.

36. In Dei voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat. Lib. 5, *de Civit. Dei*, cap. 9.

37. Multa quidem fiunt a malis contra voluntatem Dei, sed tantæ est ille sapientiæ, tantæque virtutis, ut in eos fines, quos justos esse præscivit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adversa. *Ibid.*, lib. 22, cap. 1.

38. Seipso homo Dei voluntate contempta, nisi perniciose uti non potest. *Ibid.*, lib. 13, cap. 21.

39. In cœlesti Republica, Dei voluntas lex est. *Ibid.*, lib. 2, cap. 19.

40. Gratia Dei amorem nobis divinum inspiravit, et nos suæ voluntati subditos fecit. *Contra Fortunatum*, disput. 2.

41. Faciamus voluntatem Patris, voluntatem Filii, voluntatem Spiritus sancti ; quia Trinitatis hujus una voluntas. Tract. 22, *super Joan.*

42. Rectus corde est sequens voluntatem Dei. *Ibid.*, tract. 25.

43. Præpone tuæ voluntati voluntatem Dei. *Ibid.*, tract. 52.

44. Quando facimus voluntatem Dei, tunc fit voluntas ejus in nobis. Homil. 42, *Ex quinquaginta Homil.*

45. Non iniquum est quod Deus vult, aut æquum potest esse quod non vult. *Ibid.*, homil. 32, cap. 3.

46. Lex creaturis, voluntas Dei est. Lib 3, *Recognit.* S. CLEMENS PAPA.

47. Fiat voluntas tua. Non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult. *De Orat. Dom.*, cap. 7. S. CYPRIAN.

48. Voluntas Dei est, quam Christus et fecit et docuit. *Ibid.*

S. DOROTH. 49. Quicunque voluerit non dissimulate voluntatem Dei facere, nunquam illum patietur Deus labi, sed semper eum diriget in voluntatem suam. Doctr. 5.

S. EDMUND. 50. Voluntas Dei non est aliud, quam nostra sanctificatio. In *Speculo Eccles.*, cap. 2.

GLOSS. ORD. 51. Placere Deo non poterit, quod non ad normam voluntatis ejus correctum fuerit. Super *Levit.*, cap. II.

52. Omnes qui adversantur voluntati Dei, dæmones sunt. Super *Josue*, cap. II.

53. Cum voluntas hominum consenserit voluntati Dei, tunc omnia quæ bona sunt perficiunt homines. Super *Job*, cap. II.

GLOSS. INT. 54. Bona voluntas Dei præcedit nostram, ut vocet ad pœnitentiam. Super illud *Psalm.* V : *Bonæ voluntatis tuæ.*

GLOSS. ORD. 55. Christus quando voluit, et de qua voluit matre natus est : et quando voluit, et quomodo voluit mortuus est : et quando voluit, et quomodo voluit resurrexit et ascendit ad cœlum. Super *Prov.*, cap. 31.

56. Voluntas Dei in terris sicut in cœlo, spiritù consilii regitur. Super *Matth.*, cap. VI, in illud : *Fiat voluntas tua*, etc.

57. Voluntas Dei semper sit; sed oramus ut libertas nostri arbitrii societur per gratiam suæ voluntati. *Ibid.*

58. Voluntas Dei dicitur, sive ipsa qua vult, quæ in Deo est : sive illud quod vult. Super *Epist. ad Rom.*, XII, in illud : *Quæ sit voluntas Dei.*

59. Exurgamus obediendo divinæ voluntati; tunc enim Deus nobis surgit, cum nos ei surgimus. Super illud *Psalm.* III : *Exurge, Domine*, etc.

S. GREGOR. MAGNUS. 60. Quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non est : quia dum in bonum usum mala facta vertuntur, ejus consilio militant, etiam quæ ejus consilio repugnant. Lib. 6. *Moral.*, cap. 12.

S. GREGOR. NAZ. 61. Velle Dei, opus est perfectum. Orat. 8, *ob Patrem episc.*

S. GREGOR. NYS. 62. Voluntas Dei salus hominum est. Orat. 4, *de orat. Domin.*

S. HIERON. 63. Si vere Christum diligimus, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quam quod illum velle cognoscimus. Epist. 14, *ad Celantiam.*

HUGO A S. VICTORE. 64. Multi voluntatem Dei peragunt, unde mutare contendunt, et consilio ejus resistentes obsequuntur : quia hoc ejus dispositioni militat, quod per humanum studium resultat. In *Summa* sent., tract. 1, cap. 13.

65. Deus vult esse malum, et in eo non nisi bonum vult : quia bonum est malum esse; et non vult ipsum malum, quia bonum non est ipsum malum, sed vult bonum tantum. Lib. *de Saram.*, part. 4, cap. 13.

S. JOAN. CHRYSO. 66. Voluntatem Dei non facere, laqueus diaboli est. Homil. 6, super II *Timoth.*

67. Jubente Deo, voluntati ejus parent et cedunt omnia. Homil. 2, super *Gen.*

68. Duplex est in Deo voluntas. Prima et secunda. Prima, qua eos perire non vult, qui peccant; secunda vero, qua perduntur, qui mali facti sunt. Serm. 1, super *Epist. ad Ephes.*

69. Quod fit juxta Dei voluntatem, quamvis videatur improbum esse; tamen omnino Deo gratum est et acceptum. *Prosec.*

70. Quod autem fit præter Dei voluntatem, ac secus quam ille vult fieri, quanquam æstimatur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum et iniquissimum. Orat. 1, *advers. Judæos.*

S. JOAN. 71. Quicunque voluntatem Christi addiscere volunt, suam prius voluntatem studiose mortificare debent. Grad. 26.

72. Mira dispensatione sæpe voluntatem suam a nobis abscondi Deus vult : sciens quod si hanc didicissemus, non illi obtemperaremus, pluraque vulnera susciperemus. *Ibid.*

S. JOAN. DAMA. 73. Violentia Deo non inest, sed bona voluntas semper ipsi adest. Lib. 3 *Parall.*, cap. 100.

74. Nihil in Christo quidquam coactum consideratur, sed omnia voluntaria : volens enim fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est. Lib. 3, *de Fide orthod.*, cap. 20.

75. Voluntas divina rerum omnium est præpotens. *De duabus Christi voluntat.*

S. IREN. 76. Principari debet in omnibus, et dominari voluntas Dei. Lib. 2, *Advers. hæres.*, cap. 65.

LACT. F. 77. Qui voluntatem Dei sequitur, qui divinam legem observat, Deo charus est. *De Ira Dei*, cap. 7.

LUDOVI. BLOSI. 78. Nihil melius postulare, nullamque præstantiorem orationem fundere potes coram Deo, quam ut petas fieri voluntatem ejus. In *Speculo spirit.*, cap. 9.

S. PROS. 79. Nulla voluntas potentior est Dei voluntate, contra quam cum aliquid fieri sinit, misericordiam suam justitiamque demonstrat. *Prosec.*

80. Sicut enim vult, ut homo non peccet : ita vult peccanti parcere, ut revertatur et vivat : ita etiam vult in peccatis perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat.

81. Ac sic quidquid elegeris, o homo, non deerit, Domino, unde suam de te compleat voluntatem. Super *Psalm.* CX, vers. 2.

82. Nihil partitur inquietum, in quo nihil est a Dei voluntate diversum. Super *Psalm.* CXLVII, vers. 3.

83. Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium, spiritualiumque motionum. Apud D. August.

ALVIANUS. 84. Fieri voluntatem nostram a Deo cupimus, cum Dei voluntatem nos facere nolimus. *Prosec.*

85. Volumus ut voluntati nostræ Deus jugiter pareat cum omnes nos voluntati ejus jugiter repugnemus. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

.THEODOR. 86. A Dei voluntate dependet mens hominum. Lib. 4, super *Epist. ad Rom.*, cap. IX.

THOMAS A KEMPIS. 87. Non potest esse nisi bonum quidquid de me feceris. Si me vis esse in tenebris, sis benedictus; et si me vis esse in luce, sis benedictus : si me dignaris consolari, sis benedictus; et si me vis tribulari, sis æque semper benedictus. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 17, sect. 1 et 2.

RBANUS IV PAPA. 88. Voluntas Dei est bona, beneplacens et perfecta : bona in se, placens in affectibus, beneplacens proficientibus, et perfecta perfectis, et nihil amplius quærentibus. Super *Psalm.* L, vers. 19.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 89. Voluntas divina, hominis ore enuntiata, est oraculum. Lib. 1, *Controvers.*

RISMEGIS. 90. Voluntas Dei, ipsa summa est perfectio : ut pote cum voluisse et perfecisse eodemque temporis puncto compleat. *De volunt. divina*, cui titulus *Asclepius*, cap. 4.

91. Voluntas Dei est bonitas omnis, hæc eadem bonitas omnium rerum est ex divinitate ejus. *Ibid.*, cap. 8.

92. Voluntas Dei caret initio, quæ eadem est, et ubique est sempiterna. *Ibid.*, cap. 9.

93. Voluntas consilio nascitur, et ipsum velle est ex voluntate : neque enim non impense aliquid vult, qui est omnium plenissimus, et ea, quæ vult, habet. Vult autem omnia bona, et cogitat et vult, hoc est autem Deus. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Potestas Dei*, sent. 52; *Quærere Deum*, sent. 142; *Renuntiatio in genere*, sent. 21; *Trinitas*, sent. 30; *Voluntas propria*, sent. 4, 16.

## VOLUNTAS PROPRIA.

. ANSELM. *Definitio.* Propria voluntas est, quæ Dei voluntatem sibi advocatam habere non potest. In *Dialogo de veritate*, cap. 13.

.BERNARD. Voluntas propria est, quæ non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum : sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Serm. 3, *Paschæ.*

. BONAV. Voluntas illa propria dicitur, cui assentimur, et cui se liberum inclinat arbitrium. *De septem donis Spiritus sancti in specie, de Dono fortitudinis*, cap. 3.

Propria voluntas est illa, quæ omnino divino imperio non ligatur, vel superiori regulæ non adhæret. Super *Regul. Fratr. Min.*

S. ANSELM. *Comparatio.* Sicut corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli Deo, non homini. *De similitudin.*, cap. 8.

Sicut propria voluntas Dei, fons est et origo totius boni : ita propria voluntas hominis, totius est exordium mali. *Ibid.*, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Stultus nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplician.*

S. ANSELM. 2. Quicunque propria voluntate utitur, ad similitudinem Dei per rapinam utitur, et Deum propria dignitate et singulari excellentia privare, quantum in ipso est, convincitur. *De Incarn.*, cap. 4.

3. Propria voluntas, quia Dei voluntati non subjicitur, sed supra eam extollitur, ob hoc recte superbia dicitur. *De similitud.*, cap. 7.

4. Propria voluntas aut est in delectatione, aut in exaltatione, aut in curiositate. *Ibid.*, cap. 10.

5. Propria voluntas est velut quædam adultera regina, quæ se cuidam regi adultero conjunxit, ex quo tres filias habuit, scilicet, delectationem, extollentiam et curiositatem. *Prosec.*

6. Hæc regina propria voluntas est omnium inobedientium domina, quæ ideo vocatur adultera, quia separatur a Deo, cui esse deberet conjuncta, et diabolo conjungitur, a quo deberet esse disjuncta. *Ibid.*, cap. 37.

7. Omnia vitia propriæ voluntati deserviunt. *De similitudinibus*, cap. 36.

8. Dæmones conantur unicuique nostrum ingerere propriam voluntatem. Epist. 2, *ad Fratres.*

S. ANTON. ABBAS. 9. Universi nos velut gurgite immersi sumus, et velut ebrii musto consistimus, cum unusquisque nostrum propria distrahitur voluntate. *Ibid.*, epist. 5.

S. AUGUST. 10 Mala voluntate quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. Lib. 13, *de Trin.*, cap. 5.

11. Unicuique propria voluntas est causa suæ damnationis, vel salvationis. In *Manuali*, cap. 25.

12. Tolle te, tolle inquam te a te, impedis te : si tu te ædificas, ruinam ædificas. *De verb. Apost.*, serm. 15.

13. Cesset voluntas et ecce infernus clauditur. Serm. 31, *ad Fratr. in eremo.*

14. Grandi ruinæ patet voluntas propria, si Dei voluntati se extollendo præponat. Hab. In

*Glossa ordin.*, super II *Genes.* : *Præcepitque ei dicens*, etc. Et apud Aug., lib. 8, *de Gen. ad lit.*, cap. 15.

15. Nulla res alia mentem cupiditatis comitem facit, quam propria voluntas. Lib. 1, *de Lib. arb.*, cap. 11.

16. Nulla re fit mens serva libidinis, nisi propria voluntate. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1.

17. Si neque sua, neque aliena natura quis peccare cogitur, restat ut propria voluntate peccetur. *Ibid.*, cap. 1.

18. Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed ferrea mea voluntate. Lib. 8 *Conf.*, cap. 5.

19. Anima rationalis propria voluntate avertitur a bono incommutabili, eaque aversione vitiatur. Epist. 120, cap. 31.

20. Voluntate propria quisque malus est. Lib. 2, *de Civit. Dei*, cap. 4.

21. Ea esse dicitur voluntas propria, quæ est contra voluntatem Dei. *Contra Serm. Arianor.*, cap. 7.

S. BERNARD. 22. Rogo et obsecro vos Fratres, fugite angulos propriæ voluntatis. Serm. 1, *de Septem panibus.*

23. Nihil sic spiritum discretionis extinguit, quomodo voluntas propria, subvertens corda hominum, et rationis oculos claudens. *Serm.* 2, *Paschæ.*

24. Emenda sunt tria mentis aromata ; affectus compassionis, rectitudinis zelus, et spiritus discretionis, nummo propriæ voluntatis. *Ibid.*

25. In corde duplex est lepra, propria voluntas et proprium consilium : lepra utraque nimis pessima, eoque perniciosior quo magis interior. *Ibid.*, serm. 3.

26. Cesset voluntas propria, et infernus non erit. *Ibid.*

26 *bis.* Voluntas propria quo furore Dominum majestatis impugnet, audiant et timeant servi propriæ voluntatis. Primo seipsam subtrahit et subducit ejus dominatui : secundo omnia quæcunque Dei sunt, tollit et dirigit : deinde (horribile dictu) et ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit. *Ibid.*

27. Crudelis plane et omnino execranda bestia, fera pessima, rapacissima lupa, et leæna sævissima, voluntas propria. *Ibid.*

28. Caveamus a propria voluntate, tanquam a vipera pessima et nequissima. Serm. *de Duplici baptismo.*

29. Totius humilitatis summa in eo videtur onsistere, si voluntas nostra subjecta sit voluntati divinæ. Serm. *Quomodo voluntas nostra divinæ voluntati subjici debeat.*

30. Quis est ille tam infelix, qui id nolle audeat, quod certus est Deum velle : aut quod certus eum nolle, id velle præsumat? *Ibid.*

31. Via peccatorum, est propria voluntas. Serm. 35, *de parvis sermon.*

32. Propria voluntas naturæ docet non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, non obedire prælato. Serm. 19, super *Cant.*

33. Grande malum propria voluntas; qua fit ut bona tua tibi bona non sint. *Ibid.*, serm. 71.

34. Nihil odit aut punit Deus præter propriam voluntatem. Serm. 3, *de Resur.*

34 *bis.* Unde sunt scandala, unde turbatio, nisi quod propriam sequimur voluntatem? Serm. *Quomodo voluntas divinæ voluntati subjici debeat.*

35. Qui sponte jugum suave, et onus leve charitatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile sustinet invitus. Tract. *de diligendo Deo*, verbo *Sed.*

36. Iste non secundum Deum, sed secundum se vivit, qui, si poterit, est cum quibus vult, pergit quo vult, et quantum vult ridet et jocatur inter quos, et ubi et quando vult. Quidquid naribus suave est, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid cæteris sensibus carnis suæ jucundum, exercet ac sequitur. *De ordine vitæ.*

37. Propria voluntas Deum impugnat, et adversus eum extollitur; paradisum spoliat, et ditat infernum; sanguinem Christi evacuat, et ditioni diaboli subjugat mundum. Serm. *de verbis Sapientiæ.*

38. Voluntas propria docet naturæ non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, non obedire prælato. Lib. 5 *Florum*, cap. 10.

39. Quid prodest sub unius ordinatione viventibus, quod facultates suas abjiciunt, si proprias voluntates non relinquunt? cum sit præstantius voluntatibus renuntiare, quam rebus. In *Speculo disciplinæ*, part. 1, cap. 4. S. BON

40. Tota religionis perfectio in voluntatis propriæ abdicatione consistit. *Ibid.*

41. Voluntas propria boni virtutem infirmat. *Ibid.*

42. Certe nil plus nocet, quam spreto aliorum consilio, ut propria voluntas præcipit, ambulare. Epist. *ad Augustin. de miraculis D. Hieronymi.* S. CYRI HIEROS

43. Voluntas propria dicitur, quæ sic est volentis, quod nec voluntati Dei, nec ordini est conformis. *De Profess. monast.*, art. 13. DIONYS CARTH

44. Vere humilis atque obediens semper abominatur propriam voluntatem ut seductricem. *Ibid.*, art. 19.

S. DOROTH. 45. Cum perstamus in voluntate nostra, tunc fortior est diabolus, tunc magis nocet, tunc amplius operatur : tunc sub prætextu boni nobis magis insidiamur, nec novimus quomodo ipsi pereamus. Doctrina 5.

46. Quomodo Dei voluntatem vel cognoscere, vel quærere possumus, cum nobis ipsis credimus, cum propriam voluntatem in cunctis sequimur? *Prosec.*

47. Quo pacto sustinere quempiam possit, vel ab aliquo persuaderi, qui propriam sequitur voluntatem? *Ibid.*

48. Interitus est, Justitia cum voluntate propria commixta, summum periculum, maximus pavor : tunc omnino periclitatur, imo perit infelix. *Prosec.*

49. Quis enim valeat huic persuadere ut credat, qui per se videns quid præstet, quid magis utile sit, maxime tamen adducitur ut propriæ voluntati inhæreat? *Ibid.*

50. Qui proprii sensus et voluntatis est, nunquam ulli parere potest, nec adhærere proximi utilitati. *Ibid.*, doctr. 19.

S. EPHRÆM. 51. Nihil gravius est quam a propria superari voluntate, et non ex divinæ voluntatis præscripto vitæ suæ rationes dirigere. *De recta vivendi ratione*, cap. 38.

52. Noli propriæ subservire voluntati, sed divinæ magis voluntati te submitte. *Prosec.*

53. Quanto quis propriam voluntatem rescindit atque submittit, tanto amplius proficit.

54. Quanto autem quis in voluntate sua propria persistit obstinatior, tanto majorem sibi injuriam detrimentumque acquirit. *De vita spirit.*, cap. 12.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 55. Ille magnum acquirit meritum, qui propriæ valedicit opinioni, ut non suæ, sed alienæ sit obtemperans voluntati. In suis *Opusc.*, serm. 5.

FRANCISCUS TITELM. 56. Vere insipientia magna est, et aperta stoliditas, quæ semel propria voluntate et affectu planxisti, ea propria voluntate resumere. In *Annot. super Psalm.* XXXVII.

S. GREGOR. MAGNUS. 57. Quid est humanæ menti angustius, quam voluntates proprias frangere? Lib. 32 *Moral.*, cap. 17.

S. HIERON. 58. Quid unquam tam superbum, quid tam ingratum videri potest, quam adversus ejus vivere voluntatem, a quo ipsum vivere acceperis? Epist. 34, *ad Celantiam.*

59. Cum dixeris quod vis, audies quod non vis. Epist. 22, *ad Rufin.*

60. Omnes homines vitiis nostris favemus; et quod propria facimus voluntate, ad naturæ referimus necessitatem. Epist. 25, *ad Amandum.*

61. Pravi cordis est, propriam facere voluntatem. Lib. 4, super *Hierem.*, cap. 18, super illud : *Nunc ergo dic viro*, etc.

62. Religiosus, dum non tenetur obedientiæ vinculo in æqualitate fraternæ societatis, quasi bos lasciviens discurrit per desideria propriæ voluntatis. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 14. HUGO A S. VICTORE.

63. Quos perversos propria fecit voluntas, devotos reddit per correptionem aliena potestas. *Ibid.*, cap. 15.

64. Clauduntur oculi eorum, qui voluntatem propriam sequuntur. Super *Gen.*, cap. 3. HUGO CARD.

65. Hostis noster est propria voluntas, ad quam expugnandam mittit Dominus contumelias, ignominias, persecutiones. Super *Ecclesiasten*, cap. 9.

66. Voluntas propria atrocissimus inimicus est, per quem omnes alii inimici pugnant, et sine quo alii nihil valent. Super *Sapient.*, cap. 10.

67. Propriæ voluntati dimissus evadet præceps : hæc enim est origo omnium malorum, sequi propriam voluntatem. Super *Ecclesiasten*, cap. 8.

68. Multis experimentis edocti tradunt, Monachum ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrænare posse, nisi prius mortificare suas didicerit voluntates. *De Cœnob. Inst.*, lib. 4, *de Inst. renunt.*, cap. 8. JOAN. CASS.

69. Difficile est in cœnobio diutius permanere eum posse, qui prius voluntates suas non didicerit superare. *Ibid.*

70. Qui mente est humili, voluntatem suam semper ut seductricem detestatur. Grad. 25. [illegible]

71. Qui suam voluntatem facere disponit, irritat Dominum : et qui sua postposita, alienæ se subjicit voluntati, Altissimum placat. Lib. 7, *de Nugis Curial.*, cap. 23. [illegible]

72. Monachus, qui non dimisit propriam voluntatem, non est quod dicitur, imo irritator Dei est. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2. [illegible]

73. Primum instrumentum monachi, est abdicatio propriæ voluntatis, sine quo nullus Monachus est. *Ibid.*

74. Relinque voluntatem propriam, si vis fieri monachus. *Ibid.*

75. Quisquis Deo offerre sacrificium acceptabile voluerit, nihil pretiosius propria voluntate habebit. *Ibid.*

76. Damnabile in monacho est, si adhuc propriam non desinit perficere voluntatem. *Ibid.*

77. Acceptabile sacrificium est Deo, oblatio propriæ voluntatis. *Ibid.*

78. Nihil pejus in monacho, quam semel relictam resumere voluntatem. *Ibid.*, cap. 2, text. 33.

79. Nihil detestabilius in monacho reperitur propria voluntate : quippe alterius, non suo regendus est imperio, et subesse venit, non præesse. In cap. 3, *Regul. S. Bened.*, verbo *Nihil.*

80. Valde magnum est, nec quidquam Deo offerre homo pretiosius potest, quam si propriam voluntatem ob ejus amorem derelinquit. *Ibid.*, in cap. 4, verbo *Quis.*

81. Grande malum propria voluntas, si non fuerit fræno cohibita rationis. *Ibid.*, in cap. 5, verbo *Voluntas.*

82. Nihil in inferno plus ardebit propria voluntate. *Ibid.*, verbo *Acceptabilis.*

83. Nihil adeo corrumpit hominem, quam voluntas propria. *Ibid.*, in cap. 7, grad. 1, verbo *Corrupti.*

84. Offerat unusquisque pro Dei amore quod potest; ille procul dubio plus omnibus obtulit, qui voluntatem propriam mactavit. Lib. 1, homil. 20, *ad Monachos.*

S. LAURENT. JUSTIN.

85. Voluntas propria tanto gravius corruit, quanto magis sibi ipsi relinquitur. *De ligno vitæ*, tract. 6, *de Obedient.*, cap. 1.

86. Voluntas propria est peccatorum origo, criminum fomes, et omnium malorum incentivum. *Prosec.*

87. Nemo sine hac corruit, nullus cum ipsa stetit. *Ibid.*

88. Gravissimum a se onus rejecit, qui suam repulit voluntatem : pria enim voluntas, Deo semper inimicatur. *Prosec.*

89. Dominari toto posse conatur, rationis judicium extorquet, suo faciens arbitrio militare.

90. Non majoribus acquiescit, non reveretur, non obtemperat, nulli subesse potest.

91. Semper proeax est, effrænata in locutione, incomposita in moribus, inordinata in affectionibus, ignara sui, et a proximi dilectione aliena. *De discipl. Monast. conversat.*, cap. 7.

92. Nihil sic humilitati adversari cognoscitur, sicut propriæ voluntatis ambitiosa libido. *De Humilit.*, cap. 19.

93. Propria voluntate nil arbitrandum est esse deterius, nihilque homini perniciosius. *De Obedient.*, cap. 27.

94. Importabile est onus obedientia superbienti, et humili voluntas propria. *De Compunct. et compl.*, cap. 2.

95. Maximum impedimentum est ad perfectionem ascendere cupientibus, proprio incumbere sensui, propriamque velle perficere voluntatem. *Prosec.*

96. Quæ persæpe privata affectione seducitur, inconsulta deliberatione fallitur, et a regio itinere obliquatur. *De Perfect. gradib.*, cap. 10.

97. Nihil gravius premit, quam voluntas propria : quæ adversa ab incommutabili bono et conversa ad proprium arbitrium, et bonum privatum, aut exterius, aut interius peccat. *De ligno vitæ*, tract. 6, *de Obedientia*, cap. 3.

LUDOVICUS BLOSIUS.

98. O quam multi Religiosi sunt martyres infructuosi, dum propria voluntate pleni, sibi ipsis per propriam quæsitionem, propriumque judicium duces sunt sine merito. In *Apolog. pro Thaulero*, cap. 6.

99. Cogita quanta sit insania, modo ita prava desideria, voluntatemque propriam sequi, ut postea necesse sit indicibilibus tormentis cruciari. *Epist. ad Clement. Levantium.*

PETR. BLES.

100. Nulli prælato aut subdito voluntatem propriam sequi licet. Epist. 131, *Ad quemdam Prior.*

101. Tolle propriam hominis voluntatem, jam non erit peccatum, non erit gehenna. *Ibid.*, serm. 2 *Quadrag.*

102. Per solam voluntatem propriam peccamus, quæ etiam adeo audax est et impudens, ut in suum armetur auctorem. *Ibid.*

103. Propria hominis voluntas primo offerenda est Deo, ut non sibi vivat homo, nec sibi quippiam velit, sed Domino. *Ibid.*, serm. 32, *de S. August.*

S. PETRUS DAMIANUS.

104. Nullum aliud onus est gravius homini, quam homo ipse : quis tyrannus crudelior, quæ sævior potestas homini, quam hominis ipsius propria voluntas? *Prosec.*

105. Nunquam sub ea quiescere, nunquam sedere licet : et quo amplius te ad obediendum sibi noverit fatigari, eo magis urget, instigat, et onerat, pietatis immemor, misericordiam nesciens.

106. Hoc proprium propria voluntas habet, ut quo obediens obedientior fuerit sibi, eo amplius eum crudelioribus vinculis internectat.

107. Sola diligitur, cum sola digna sit odio, principium iniquitatis, mortis infusio, destructio magna virtutum. Serm. 9, *de S. Benedicto.*

108. Primus ille parens usus, imo abusus propria voluntate, cum beate se voluit, perdidit semetipsum. *Prosec.*

109. Depulsus ergo ab illa felici hæreditate, exilium sortitus est pro patria, mortem pro vita, pro gloria ignominiam.

110. Si vis ergo tu ad tuam hæreditatem reverti, tuam abnega propriam voluntatem : abnegatio enim voluntatis, hæreditatis est recuperatio. Serm. 47, *de Exalt. S. Crucis.*

S. PROSPER.

111. Quid eis prodest, quod facultates suas abjiciunt, qui voluntates proprias non relinquunt? cum sit longe præstantius voluntatibus propriis

abrenuntiare, quam rebus. Lib. 2, *de vita Contplat.*, cap. 17.

S. THOMAS AQUINAS. 112. Nulla alia re fit mens hominis serva libidinis, nisi propria voluntate. 1, 2, quæst. 80, art. 1.

113. Nihil est homini amabilius libertate propriæ voluntatis. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 10.

THOMAS A KEMPIS. 114. Sæpe pœnitet in fine, quod male acquiritur, et extorquetur propria voluntate. Serm. 2, *ad Novit.*

115. Sicut nil ditius bona voluntate, nec quietius spontanea subjectione, sic nil deterius propria voluntate. *Ibid.*, serm. 7, divis. 1.

116. Fili relinque te, et invenies me : alioquin quomodo poteris esse meus et ego tuus, nisi fueris ab omni propria voluntate intus et foris spoliatus? Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 37.

117. Propriam voluntatem maxime odit Deus; non est enim ipsi quidquam acceptum, quod voluntate propria fuerit vitiatum. *De tribus Tabernac.*, 3, sect. 11.

IN VITIS PATR. 118. Tamdiu erit lis in homine, quandiu manserit in propria voluntate. *De exercit. spirit.*, cap. 12.

119. Non impugnant nos dæmones, quando voluntates nostras facimus : quia voluntates nostræ dæmones factæ sunt. Lib. 5, *Libell.* 10, de discret., num. 62.

120. Voluntas propria et consuetudo ejus dejicit hominem. In *sent. in fine positis*, sent. 76.

Vide etiam tit. *Cadere*, sent. 164; *Mortificatio*, sent. 88, 133; *Obedientia*, sent. 44, 145; *Relinquere*, sent. 57; *Renuntiatio sui*, sent. 24; *Tentatio*, sent. 62; *Voluptas*, sent. 33.

## VOLUPTAS.

COLLECTOR. *Etymologia*. Voluptas dicitur, quasi volutans.

HUGO A S. VICTORE. *Definitio*. Voluptas est, cum quadam lubrica suavitate ad illicita fœdæ mentis inclinatio. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 10.

CICERO. Voluptas est sublatio animi sine ratione, opinantis se magno bono frui, cum magno malo fruatur. Lib. 2, *de Finibus*.

SENECA. Voluptas est res humilis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda. Lib. 7, *de Beneficiis*, cap. 2.

S. JOANNES DAMASC. *Divisio*. Voluptatum aliæ animi sunt, aliæ corporis. *Prosec.*

Voluptates animi, sunt eæ omnes, quibus animus sejunctim a corpore fruitur : quales sunt eæ, quæ ex disciplinis et contemplatione sentiuntur.

Voluptates corporis sunt eæ, quarum corpus una cum anima particeps est, sicut quæ ex cibis et venereis rebus capi solent. Lib. 2, *de fide Orthod.*, cap. 13.

PETR. CELL. *Differentia*. Voluptas spiritus et voluptas carnis inter se differunt : nam illa mundat, ista inquinat : illa Deo copulat, ista a Deo separat : illa semper sine fastidio, ista plena tædio. *De Panibus*, cap. 12.

S. BONAV. *Productio*. Ex securitate nascitur voluptas. Super *Ecclesiasten*, cap. IX.

S. JOAN. CLIM. Genitrix malorum omnium, est voluptas malitiæ conjuncta. Gradu 26.

SENECA. In ipsis voluptatibus, causæ doloris oriuntur. Epist. 91.

S. JOANNES DAMASC. *Comparatio*. Cani similis est voluptas : o homo, si eam propellas, fugit : si alas, remanet. Lib. 3 *Parall.*, cap. 28.

LACT. FIRM. Sicut vita perpetua in virtute est, ita mors in voluptate. *De Divinis instit.*, lib. 6, *de Vero cultu*, cap. 21.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Voluptas periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur : quam dulce, quod a periculo incipit, et in periculis desinit; prius dolori, quam voluptati. Lib. 1, *de Virgin.*

2. Voluptates sæculi, escæ quædam sunt : et quod pejus est, escæ malorum, escæ tentationum. *De bono mortis*, cap. 6.

3. Quomodo voluptas ad paradisum revocare nos potest, quæ sola nos Paradiso exuit? Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellensem Eccles.*

4. Modum nescit ponere voluptas. Lib. 6, *Hexam.*, cap. 8.

5. Movet voluptates caro, et ipsa voluptatibus commovetur. *De Noe et Arca*, cap. 15.

6. Nihil prodigæ satis est voluptati : semper famem patitur sui, qui alimentis perpetuis nescit impleri. Lib. 7, super *Luc.*, cap. XV, in illud : *Facta est fames*, etc.

S. ANTONINUS. 7. Otiositas et voluptas sunt arma hostis antiqui, ad miseras animas captivandas. Part. 2, tit. 9, cap. 14, § 1.

8. Voluptas carnalis propter vehementiam delectationis in tantum hominem absorbet, ut eum sensibus subjiciat, ut quidquid aliud audit vel cogitat, sibi desipiat, nimium affectus delectatione carnali. Part. 4, tit. 4, cap. 6, § 1.

9. Voluptas carnalis cum nimis appetitur, appetentem sic glutinando ligat, ut raro aut nunquam ab ea dissolvatur, nisi divina gratia maxime per flagella carnaliter affecto succurrat. *Ibid.*

S. ANTONIUS ABBAS. 10. Pro certo, filioli, dico vobis, quod omnis homo illectus in voluptatibus suis, et prostratus a cogitationibus propriis, et congaudet eis, complexus est a maligno, seminavitque in corde. Epist. 2, *ad Fratres*.

S. ANTONIUS DE PADUA. 11. Cum arriserit tibi carnis voluptas, non in ea delecteris : ingreditur enim blande, sed in novissimo mordet ut coluber. Serm. *Dom.* 2, *post Epiph.*

S. AUGUST. 12. Transitus voluptas est. Lib. 10 *Conf.*, cap. 31.

13. Appetere voluptates corporis, et vitare molestias, ferinæ vitæ omnis actio est. Lib. 1, *de Lib. arb.*, cap. 8.

14. Nemo est qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem. In *Octoginta tribus quæst.*, quæst. 36.

15. Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepta tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. In *Exposit. super Epist. ad Rom.*, proposit. 42.

S. AUGUST. & S. AMBROS. 16. Ad exquirenda delectationum genera, astuti sunt qui appetentes sunt voluptatum. Lib. 2, *contra Julian.*, cap. 5, *de Paradiso.*

S. AUGUST. 17. Nobis reluctantibus redivivæ plerumque voluptates resurgunt. *Ibid.*, cap. 5.

18. Voluptas transit, peccatum manet : præteriit quod delectabat, remansit quod pugnat. Tract. 41, *super Evang. Joannis,* de cap. 8.

19. O quam parva concubitus hora, qua perditur vita æterna! *Prosec.*

20. Quod ergo emolumentum affert corpori, quodve tribuit lucrum, quod tam cito ducit animam ad tartarum? *De conflictu vitiorum et virtut.*, cap. 24.

21. Infelix commercium, pro tam brevi gaudio, cœlesti privari regno! *De Contemptu mundi*, cap. 7.

22. Non vos impediat voluptas carnis a voluptate cordis. *De verbis Dom.*, serm. 34.

23. Impudicus quærit latere, timet apprehendi: sic enim amat voluptatem, ut plus timeat dolorem. *De verb. Apost.*, serm. 17.

24. Omnis voluptas sæculi transitoria est. Homil. 37, *Ex quinquaginta homil.*

25. Qui gaudent in mortiferis voluptatibus, esse sine dolorum timore non possunt. Lib. 11, *de Gen. ad litt.*, cap. 5.

26. Voluptate carnali major in corporis voluptatibus nulla est; ita ut momento ipso temporis, quoad ejus pervenitur extremum, pene omnis acies et quasi vigilia cogitationis obruatur. Lib. 14, *de Civit. Dei*, cap. 16.

27. Solius carnalis voluptatis causa libidini consentire peccatum est. Lib. 1, *ad Bonifac.*, cap. 16.

28. Aqua in puteo, voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa. Tract. 15, super *Joan.*

29. Gaudet quisque voluptate, et capit de corpore voluptatem. *Ibid.*, tract. 32.

S. BASILIUS MAGNUS. 30. Voluptas hamus est diaboli ad exitium trahens, mater peccati, stimulus mortis, nutrix æterni vermis : quæ ad breve quoddam tempus peccantem saginat, post autem felle amarius digeritur. Conc. 13, *de Baptism.*

31. Servire voluptatibus nihil aliud est, quam Deum facere suum ventrem. Quæst. 19, *quæst. diffuse explicat.*

S. BASILIUS SELEUC. 32. Voluptas, gehennæ via est. Orat. 27.

V. BEDA. 33. Expertis vitiorum illecebris, difficilius quam incognitis caremus : minorisque laboris est incognitam carnis cavere voluptatem, quam rejicere cognitam. Lib. 3, super *Esdram*, cap. 20.

S. BERNARD. 34. Infelix homo, qui voluptatem corporis colit! Serm. 3, *Advent.*

35. Funiculus triplex difficile rumpitur, curiositatis, voluptatis, et vanitatis. Serm. 1 *Annunt. B. M.*

36. Insidiatur voluptas sanitati, et tam subtili malignitate persequitur, ut vix eam quis vel possit cavere, vel noverit. *Prosec.*

37. Quod si voluptati servitur, non sanitati, hoc jam de natura non est, sed sub natura, quæ morti manus dat, cum magistram constituit voluptatem. Serm. *de Triplici genere bonorum.*

38. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, id est propriæ voluntatis, quæ quasi radix est : duæ filiæ sunt, vanitas et voluptas, clamantes : Affer, Affer. Hæ nunquam satiantur, nunquam dicunt, Sufficit. Serm. *de Verbis libri Sapientiæ.*

39. Quæ voluptas, ubi totum sibi vindicat amaritudo? Epist. 310.

40. Crebro dum quis necessitati debita reddere studet, voluptatis vitio deservit : sub velamine necessitatis cadit in laqueum voluptatis. *De inter. domo*, cap. 30.

41. Deus meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo? In *Formula honestæ vitæ.*

42. Quid vilius, o nobilis creatura, imago Dei, Creatoris similitudo, quid vilius, quam carnem tuam illecebris carnalibus deturpare, et pro brevi voluptate torrentem perdere voluptatis? Serm. *de Septem Grad. Confess.*

BOETIUS. 43. Voluptatum appetentia, plena est anxietatis : satietas vero, pœnitentiæ. *Prosec.*

44. Quantos illæ morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quemdam fructum nequitiæ fruentium solent referre corporibus! Lib. 3, *de Consolat. philos.*, prosa 7.

45. Tristes esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelligit. *Ibid.*

46. Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes :
Apiumque par volantum,

Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

*Ibid.*, lib. 3, metr. 7.

S. BONAV. 47. Præterit voluptas quæ delectat, manet quod pungit : manet vindex in conscientia, manet recordatio, quæ torquet. Super *Joan.*, cap. VIII, in illud : *Omnis qui facit peccatum*, etc.

48. Torrens cito crescit, cito transit : sic voluptas peccati. Serm. 1, in *Sabbat. sancto.*

49. O quam infelix mercator ! o quam gloriosum quod amittitur, scilicet anima ! quam grave quod mercatur ! quam vile quod appetitur ! quam infelix commercium, fœda voluptate ardorem mercari sempiternum ! Serm. 9, in *Rogat.*

50. Hamus diaboli est reatus æternæ mortis, quem abscondit sub esca momentaneæ voluptatis. Serm. 2, *fer.* 4 *Pent.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 51. Voluptuosi ita sunt intenti voluptati, ut desideria sua expleant : sicut pecora in camporum pascuis demorantur, ut ventri serviant. Super *Psalm.* VIII.

51 *bis*. Fecit quispiam peccatum, ut aliquam caperet voluptatem : remanet quod damnat, præterit quod delectat. *Prosec.*

52. Serpens ille revocavit morsum, reliquit venenum : consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertransit. Homil. 4.

S. CYPRIAN. 53. Lata et spatiosa itinera vitæ lethalis, illecebræ et mortiferæ voluptates sunt. *De discipl. et habitu virg.*

54. Voluptatem vicisse, voluptas est maxima. *De Bono pudicit.*, cap. 5.

55. Malum omne facilius vincitur, quam voluptas : quia illud quidquid est, horridum, hoc blandum est. *Ibid.*

56. Per omne nefas voluptates emuntur. *De jejun. et tent. Christi.*, cap. 6.

57. Minus voluptatibus stimulatur, qui non est ubi frequentia est voluptatum. *De singularit. cleric.*, cap. 3.

S. CYRILLUS ALEX. 58. Ad voluptatem effusos esse, eique tantummodo servientes, nihil est aliud quam belluarum imitari naturam. Homil. 5, *de Festis Paschal.*

59. In cœno volutari, terrenæ voluptatis est. *Ibid.*, homil. 10.

S. EPHRÆM. 60. Qui timorem sibi vendicat, carnis voluptatem non admittit. *De timore Dei.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 61. Voluptas transacta non satiat, sed suo usu magis exercetur ejus cupiditas, quam finitur : ac solum sectatorem suum nunquam consumenda consumit. Homil. 3, *Epiphaniæ.*

62. Remanet quod damnat, præterit quod delectat : consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertransit. Homil. 3, *de Pascha.*

S. FRANCISC. ASSISIAS. 63. Voluptas brevis, pœna perpetua. In suis *Opusc.*, colloq. 33.

GILLEBERT. ANGLUS. 64. Ebibit animam voluptans exundans. Serm. 20, super *Cant.*, apud. D. Bernard.

GLOSS. ORD. 65. Voluptas insatiabilis est, et habita famem, non satietatem parit. Super *Oseam*, cap. 4.

66. Odit malum, qui non solum voluptate non vincitur, sed odit opera voluptatis. Super illud *Amos.* V : *Odire malum.*

67. Voluptates suis importunis cogitationibus guttur mentis, ne bonum desiderium ad cor possit intrare, quasi aditum vitalis strangulant flatus. Super *Luc.*, cap. 8.

68. Minoris laboris est incognitam cavere carnis voluptatem, quam rejicere cognitam. Super II *Esdræ.* V.

S. GREGOR. MAGNUS. 69. Cum majores ipsi voluptati deserviunt, minoribus lasciviæ fræna laxantur. Lib. 2 *Moral.*, cap. 10.

70. Qui nunc male se in voluptatibus dilatat, eum post in suppliciis pœna coangustat. *Ibid.*, lib. 14, cap. 4.

71. Cum voluptatis perfectio quæritur, concussus eneriviter animus, hinc inde et sollicitus et excæcatus occasionem nequissimæ expletionis rimatur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 23, num. 33.

72. Voluptas lubrica tentat in prosperis : hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda : ut eo quisque erubescat prava committere, quo a Deo meminit gratuito bona percepisse. *Ibid.*, lib. 30, cap. 9, num. 18.

73. Voluptas ipsa quæ ex prosperitate nascitur, ejusdem prosperitatis est consideratione ferienda : quatenus hostis unde oritur, inde moriatur. *Ibid.*, num. 18.

S. GREGOR. NYSS. 74. Voluptas quæ consistit in rebus corporeis, est hominum deceptio. Homil. 2, super *Ecclesiasten.*

HAYMO. 75. Corda Sanctorum voluptates nullæ emolliunt. Super *Apocalyps.*, cap. 12.

S. HIERON. 76. Omnis caro concupiscit quidem ea quæ carnis sunt, et quibusdam illecebris ad mortiferas animam voluptates trahit : sed nostrum est voluptatis ardorem majore Christi amore restinguere. Epist. 9, *ad Salvinam.*

77. Quidquid facit seminarium voluptatum, venenum puta. Epist. 10, *ad Furiam.*

78. Quid mihi et voluptati quæ brevi perit ? nolo illi subjacere. Epist. 22, *ad Eustoch.*

79. Contra naturam est, copiis voluptatum sine voluptate perfrui. Lib. 2, *advers. Jovin.*

80. Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas. *Ibid.*

81. Origenes voluptates in tantum fugit, ut zelo Dei (sed tamen non secundum scientiam,

ferro truncaret genitalia. Epist. 19, *ad Pammach. et Ocean.*

82. Semper voluptas famen sui habet, et transacta non satiat. Epist. 24, *ad Damas. Pap.*

83. Quidquid illud quod inflammare corpus potest, quod fomentum suggerit voluptati, castitatis amore fugiendum est. Epist. *ad Demetriad.*

84. Etsi vita nostra tendatur per mille annos, et ad extremum illum totius diem ætatis, quotidiana deliciarum voluptate veniamus, quale hoc quæso diu est, et quod fine deletur? *Prosec.*

85. Quid illius voluptatis fructus est, qui statim ut cessaverit, videbitur tibi non fuisse? *Ibid*

86. Ille judicandus est miser, qui voluptatibus per illecebras volutatur. Epist. 6, *ad Amicum*

87. Voluptas insatiabilis est, et quanto magis capitur, tanto plus utentibus se famem creat. Lib. 1, super *Oseam*, cap. IV, super illud : *Et non saturabuntur.*

88. Voluptas pervertit sensum, animumque debilitat. *Ibid.*

89. Carnis voluptas, quæ appetenti dulcis visa est, statim ab experto sæpe reprobatur. Homil. 8, super *Ecclesiasten*, in illud : *Affluam deliciis.*

HUGO A S. VICTORE. 90. Qui carni secundum voluptatem indulget, de jumento facit Deum suum. In *Annot. super Epist. ad Rom.* in illud : *Video aliam legem.*

91. Voluptas virtutes dissipat, corpus emollit, naturalia bona dissolvit, otium quærit. Lib. 4, *de Propriet. rer.*, cap. 19.

HUGO CARD. 92. Voluptas est gladius carnis, quem fugere debemus. Super lib. *Judic.*, cap. VIII.

93. Voluptas brevis est, quia nec per momentum satiat. Super *Proverb.*, cap. 6.

94. Voluptas carnis præsens non satiat, futura cruciat, præterita non delectat. *Prosec.*

95. Vile quid ergo est, et tamen pro ea datur anima sanguine Christi comparata. *Ibid.*

96. Voluptas parum durat, sed cruciatus æternus est. Super *Ecclesiasten*, cap 11.

97. Carnis voluptas modica ægritudine, vel molestia tollitur et tabescit. Super *Sapient.*, cap. 5.

98. Qui se voluptati dedicat, perdit et substantiam, et fidem et mores. Super *Ecclesiastic.*, cap. 25.

S. INNOC. III. 99. Voluptates gulosus degustat, et luxuriosus exercet. Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 26.

S. JOANNES CHRYSOST. 100. Voluptas quidem brevis est, ac temporaria : dolor autem perpetuus, et fine carens. Homil. 1, super *Gen.*

101. Brevis et absurda est voluptas, continuum menti dolorem inserit, conscientiæque fiduciam aufert, confusione captum perfundens. Homil. 20, super *Gen.*

102. Temporalis voluptas perpetuum parere solet dolorem, et sine carentia tormenta. *Ibid.*, homil. 22.

103. Quænam sæcularium voluptatum utilitas? hodie sunt, cras elabuntur : hodie flos pulcherrimus, cras aridus pulvis : hodie ignis ardens, cinis exsinctus. Homil. 43, super *Joannem.*

104. Quasi torrens omnia subvertit voluptas. Homil. 27, super *Acta Apost.*

105. Peccatum cum admittitur, quamdam parit voluptatem; cum autem consummatum est, tunc subingreditur tristitia, et ne minimum voluptatis manet. Homil. 16, super I *Cor.*

106. Qui in vera voluptate vivit, is virtute fruitur, is sine dubio dives est, et vere liber. *Ibid.*, homil. 22.

107. Quid aliud est voluptas, quam curarum, formidinis, ignominiæ vacatio, et omnibus invictum esse? *Ibid.*

108. Vitium non tantum voluptatis habet, quantum virtus, imo omni caret voluptate : et antequam fruatur, insania est, non voluptas, postquam vero eam consecutus quis est, quam primum ipsa exstinguitur. *Ibid.*

109. Voluptas vera et christiana in principio omni caret perturbatione, et ad finem usque floret ac viget, vel potius nullus est hujus voluptatis terminus. *Ibid.*

110. Veri Philosophi, etiam in vinculis, in carcere, in catena, voluptate vera fruuntur. *Ibid.*, homil. 38.

111. Sic accidit, ut in voluptate, præstantissima pars voluptuosi serviat, imperet autem abjectissima. *Ibid.*, homil. 39.

112. Voluntas prava voluptatis malæ studium parit. *Ibid.*

113. Non menti solum, sed etiam ipsi corpori inimica et infensa est voluptas : ex forti debile reddit, e solido enervatum, morbidum e sano, tenue ex compacto, ex florente et formoso deforme, olidum ex fragranti, ex mundo impurum, ex absoluto doloribus undique refertum, ex utili inutile, ex recenti vetus, ex robusto flaccidum, ex celeri tardum, ex sano languens, ex recto claudum. *Ibid.*

114. Nec corpus, nec cibi diaboli sunt, sed voluptas sola : per quam mille mala malignus ille patrat Satan. *Ibid.*

115. Non morbidam solum, sed et deformem, eam quæ pulchra erat, voluptas facit. *Ibid.*

116. Per voluptatem, formam, quæ se decet, mulier amittit, et ornamentum omne perdit : nam flaccida caro fit, turgentes et velut sanguine suffecti oculi, æquo plus crassum, carnosumque corpus. *Ibid.*

117. Non est voluptas quod putatur, sed amari-

tudo et fallacia et hypocrisis et fabula. Serm. 13, super *Epist. ad Ephes.*

118. Cani similis est voluptas : si pellas, fugit : si nutrias, permanet. Homil. 22, *ad Popul. Antioch.*

119. Corpus voluptatibus fovens, animam suam occidit. *Ibid.*

120. Deliciæ et voluptates hujus sæculi, meretrix turpissima atque obscœnissima est, cujus facies fœda, horrida, aspera, amara, crudelis et deceptrix est. Homil. *Quod nemo læditur.*

121. Voluptuosa vita quid potest esse miserius ? Serm. *Contra gulam.*

122. Ubi voluptas, ibi morbi et calumniæ et insidiæ. Homil. 7, *de Pœnit.*

123. Quæ potest esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi periculum, ubi conscientiæ tribunalia, ubi accusationes, ubi judicis ira, ubi gladius et carnifex, ubi barathrum est? Homil. 8, *de Verbis Isaiæ.*

ANNES ASC. 124. Omnis voluptas, quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est. Lib. 4, *de Fide orthod.*, cap. 24.

125. Malorum metropolis, est voluptas. Lib. 3 *Parall.*, cap. 28.

GERS. 126. Vis voluptuose vivere? non voluptatibus est adjiciendum, sed detrahendum; voluptuosum fieri non in exterioribus situm est. In dialog. *de Castit. ecclesiasticor.*, act. 4.

127. Mallem membratim laniatus mori, quam illecebrosæ voluptati consentire. Lib. *de Consol. theolog.*, prosa. 3.

AN. TH. 128. Minus voluptatibus accenditur, qui non est ubi voluptatum copia habetur. Epist. 9, *ad Nicol. presbyt.*

DORUS ALENS. 129. Cedit labori voluptas, animum autem vacantem cito præoccupat. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 19, sent. 5.

130. Sæpe occasio peccandi voluptatem facit ; sæpe quos voluptas non potuit, assiduitas superavit. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 4.

IDORUS SIOTA. 131. Satius ac præstabilius est, a laboribus ad requiem, quam a voluptate ad cruciatum proficisci. Lib. 2, epist. 174, *ad Theodos. presbyt.*

.FIRM. 132. Degustatis male jucundis voluptatbus, vix divelli ab his possunt, qui facilius recta sequerentur, si de earum suavitatibus non attigissent. Lib. 6, *de Divin.*, cap. 24.

133. Cum virtus habeat amaritudinem, et sit dulcis illecebra voluptatis, vincuntur plurimi, et abstrahuntur ad suavitatem. *De Ira Dei*, cap. 19.

134. Voluptas quæ spectat ad visum, multiformis est : nam quæ percipitur ex rerum pretiosarum pulchritudine, avaritiam concitat : quæ autem capitur de specie mulierum, in alteram rapit voluptatem. In *epitome*, cap. *Cohibenda.*

135. Voluptas omnis communis animalibus, virtus solius est hominis : illa vitiosa, hæc honesta : illa secundum naturam, hæc adversa naturæ, nisi anima immortalis esset. *Ibid.*, cap. *Dicam.*

136. Voluptatum illecebris, animi sublimis deprimitur ad terram. *Ibid.*, in fine *Epitomes.*

137. Voluptate sub specie bonorum deliniti et falsi feruntur in præceps, et mala pro bobis amplectuntur. Lib. 1, *de Divin. inst.*, cap. 1.

138. Voluptas carnalis communis est cum belluis, et honesti vim non habet, et satietatem affert, et nimia nocet, et processu minuitur ætatis. *Ibid.*, lib. 3, cap. 11.

139. Voluptas vera est, quæ comes et socia virtutis est : hæc est non caduca et brevis, sicut illæ quas appetunt, qui corpori ut pecudes serviunt : sed perpetua, et sine ulla intermissione delectans. *Ibid.*, lib. 6, cap. 21.

140. Mortis fabricatrix est voluptas. *Ibid.*, cap. 22.

141. Cavenda sunt voluptatum oblectamenta tanquam laquei et plagæ. *Ibid.*, in fine.

142. Voluptas tam mortalis est, quam corpus, cui exhibet ministerium. *De ira Dei*, cap. 23.

143. Appetentia nimia voluptatis et periculum parit et insaniam generat, et (quod est maxime cavendum) mortem incurrit æternam. In *Epitome*, cap. *Cohibenda.*

144. Oculorum voluptas percipitur ex rerum pulchritudine, aurium de vocibus canoris et suasionibus, narium de odore jucundo, saporis de cibis dulcioribus. *Ibid.*

145. In saporis et odoris voluptate hoc periculum est, quod trahere ad luxuriam consueverit. *Ibid.*

146. Licet sæpe in medio carnalium Deus protegat vitam electorum, tamen satis rarum est, ut quisquam inter voluptates sæculi positus, a vitiis maneat illibatus. *De ligno vitæ*, tract. 2, *de Continent.*, cap. 4. S. LAURENT. JUSTIN.

147. Toties anima Christum negat, quoties carnis substernitur voluptati. *De Triumphali Christi agone*, cap. 9.

148. Quis hostis in quemquam ita contumeliosus fuit, sicuti in quosdam voluptates suæ ? *De ligno vitæ*, tract. 2, *de Sobriet.*, cap. 2.

149. Serviunt plurimi voluptatibus, non fruuntur : et mala sua, quod malorum est ultimum, amant. *Ibid.*

150. Brevia et caduca sunt terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æternitatem vocatos, a semitis vitæ conantur avertere. Serm. 2, *de Anniv. die assumpt. ejus ad Pontific.* S. [illegible]

151. Fragilitas humanæ conditionis, facile in

delicta prolabitur : et quia nullum sine delectatione peccatorum est, cito acquiescitur deceptoriæ voluptati. Serm. 6, *Epiphan.*

152. Major est virtutum, quam vitiorum voluptas. Serm. 8, *de Jejun. septimi mensis.*

S. MAXIMUS MART.

153. Mortis quidem mater est voluptas : voluptatis autem mors est labor, tum spontaneus, tum præter voluntatem susceptus. Centur. 2, *de Virt. et vitio*, cap. 55.

S. NILUS.

154. Quid ad voluptates obscœnas colliquescunt, cogitent illi voluptatis brevitatem et pœnæ magnitudinem. *Parænes.* 166.

155. Beatus qui voluptates calcat, metuunt enim dæmones cum eo certamen suscipere. *Ibid.*, *parænes.* 227.

156. Voluptatis finis est dolor. *Ibid.*, in *Lib. ascetico.*

157. Homo voluptuarius super ventrem ingreditur, serpens ad voluptates perfruendas. *Ibid.*

S.PAULINUS

158. Voluptates vere sirenæ sunt, illecebræ cupiditatum, et blandimenta vitiorum. *Prosec.*

159. Habent enim in specie lenocinium, in gustu venenum : quarum usus in crimine, pretium in morte numeratur. Epist. *ad Jovium.*

PETRUS BLESENS.

160. In voluptatibus carnis cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat. Epist. 15, *ad episc. Carnotens.*

161. Nihil est fœdius voluptate, nihil est inquietius, nihil a naturali tranquillitate remotius. *Prosec.*

162. Hæc nimirum lues sordidissima contaminat carnem, et mentem effœminat : si quid vero in homine honestum et virile est, totum obruit et enervat. *Ibid.*, *de Charit.*, cap. 7.

PETR. CELL.

163. Ubi major et amplior voluptas corporum, ibi verum est exilium animarum. Lib. 4, Epist. 10.

S. PETRUS DAMIANUS.

164. Quidquid carni voluptuosum videtur et blandum, ut revera diaboli viscarium perhorresce. Opusc. 49, cap. 2.

PHILO JUD.

165. Omnibus malis obnoxius est homo voluptati deditus. Lib. *de Mundi opific.*

166. Ratio voluptatibus inescata, ex regina fit subdita, et serva ex domina, et exul ex cive, et mortalis quæ immortalis antea fuerat. *Ibid.*

167. Voluptas tanquam lasciva meretricula amatorem appetit, quem postquam inescarit, facile mentem subjugat. *Ibid.*

168. Voluptatis amicus supra ventrem gradiatur, perfectis autem ventrem totum eluit. Lib. 2, *Legis allegor.*

169. Voluptas inimico est sensui : quamvis sint, qui putant amicissimam. *Ibid.*

170. Peccarem in Deum amatorem virtutis si voluptatis amator fierem. *Ibid.*

171. Plurimos sui studiosos propugnatoresque voluptas habet. Lib. *de Mundi opific.*

172. Voluptas prius appellat pertentatque sensus, per quos, id quod principale est, mentem illicit. *Ibid.*

173. Voluptatis serpentinæ proprium est, fraudare ac decipere. Lib. 2, *Legis allegor.*

174. Corrumpit mentem voluptatis usus. *De Agricultura.*

175. Voluptates ferocientes persæpe canum more adblanditæ, repente mutatæ morsum infigunt insanabilem. *De Gigant.*

S. PR

176. Periculosum est animæ dimitti in voluptatibus suis. *De Promissionib.*, part. 2, cap. 22.

177. Virtutis amico vitiosa est et amara, voluptas. Lib. 2, *de vita Contemplat.*, cap. 5.

178. Qui gaudent in mortiferis voluptatibus, sine doloris timore esse non possunt. *Apud D. Augustin.*, sent. 289.

S. SY EPIS

179. Novi hominem me esse, non Deum, ut ad omnem voluptatem rigidus sim atque immobilis : neque item belluam, ut corporis voluptatibus indulgeam. In suo *Dione.*

TER

180. Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluntatis ? *De Spectacul.*, cap. 29.

THAI MO

181. Voluptatum penuria, parens est tristitiæ : voluptati vero nulla non perturbatio conjuncta est. *Hecatontade* 1, sent. 35.

182. Liber conditus es, et in libertatem accersitus : pigeat igitur impuris voluptatibus servire. *Ibid.*, hecatontade, 2, sent. 16.

183. Impossibile est misericordiam a Deo assequi eum, qui seipsum negligit, et voluptatibus servit. *Ibid.*, sent. 64.

184. Voluptatis amor multa laboris assiduitate in exilium mittitur. *Ibid.*, hecatontad. 3, sent. 10.

S. T A

185. Omnis impetus voluptatis, quodam languore torpescit, quando mens nostra fuerit virtutis hospitium. *Epist. Paschal.* 3.

IN P

186. Docet nos Dominus sobrios ac frugales esse, nos autem miseri per delicias defluimus in voluptates. Lib. 10, cap. 144.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARI

187. Auctor omnium miras excitat voluptates hominibus, qui ingenue philosophantur. Lib. 1, *de Partib. animal.*, cap. 5.

188. Nisi cum injuria nemo voluptatem assequi potest. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 7.

189. Vulgus quidem et importunissimi voluptatem, et deditam voluptatibus vitam, amant ; quod mancipii simile penitus esse videtur, pecorum vitam deligendo. Lib. 1, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.

190. Difficilius est voluptati repugnare, quam

iræ : at circa difficilius semper et ars fit, et virtus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3.

191. In universis cavendum maxime a voluptate : hoc modo removentes a nobis voluptatem, minus peccabimus. *Ibid.*, cap. 9.

192. Multitudo decipitur ob voluptatem ; ipsa namque bonum quidem nec est, bonum tamen esse apparet. *Ibid.*, lib. 3, cap. 4.

193. Voluptas non bonum omnino esse putatur. *Ibid.*, lib. 7, cap. 2.

194. Vir temperans fugit ipsas voluptates. *Ibid.*

195. Voluptates impedimento prudentiæ sunt, atque quo magis hisce quispiam gaudet, eo magis impeditur. *Ibid.*

196. Nemo dum est in voluptate, mente quidquam prospicere potest. *Ibid.*

197. Turpes atque infames voluptates afferunt detrimentum. *Ibid.*

198. Juventus ad voluptatem propensior est. *Ibid.*, cap. 14.

199. Deus una semper simplicique gaudet voluptate. *Ibid.*

200. Sine operatione voluptas non fit, et omnem operationem perficit ipsa voluptas. *Ibid.*, lib. 1, cap. 4.

201. In voluptatibus viventes efficiuntur facile contemnendi, ac multas præbent occasiones opprimendi sui. Lib. 5, *Polit.*, cap. 10.

202. Nonnulli ferunt voluptatem in numerum bonorum non venire. Lib. 2 *Magnor. moral.*, cap. 7.

203. Voluptatibus illicitis delectari, easque vehementius amare, belluarum est. Lib. 3 *Moral.*, cap. 10.

204. Qui in expetendis voluptatibus modum deserant, minusque quam oportet, iis delectentur, raro existunt. *Ibid.*, cap. 11.

POET. 205. Morbi mali causa est quandoque voluptas. Lib. 4, *Distichor.*, metr. 51.

ERO. 206. Omnibus in rebus, voluptatibus maxime, finitimum fastidium est. Lib. 3, *de Oratore*, num. 100.

207. Voluptas maxime inimica est virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat. 90. *Oratoriar. partit.*

208. Voluptates repudiandæ sunt, et molestiæ non recusandæ. Lib. 1, *de Finibus*, num. 33.

209. Corporis voluptas, si præterita etiam delectat, non intelligo, sed fluit et avolat, sæpiusque relinquit causas pœnitendi. *Ibid.*, lib. 2, num. 106.

210. Majores sunt voluptates animi, quam corporis. *Ibid.*, num. 107.

211. Voluptatem bestiis concedamus : aliud aliquid homini, scilicet summum bonum reperiendum est. *Ibid.*, num. 109.

212. Virtutes jacere omnes necesse est, voluptate dominante. *Ibid.*, num. 117.

213. Quid est non miserius solum, sed etiam fœdius et deformius, quam voluptatis ægritudine afflictus debilitatusque jacens? Lib. 4 *Tusc. quæst.*, num. 35.

214. Imitatrix boni est sæpe voluptas, malorum autem mater omnium. Lib. 1, *de Legibus*, num. 47.

215. Non est consentaneum, qui invictum se a labore præstiterit, vinci a voluptate. Lib. 1, *de Offic.*, num. 68.

216. Nulla capitalior pestis, quam corporis voluptas, hominibus a natura est data. *De Senect.*, num. 39.

217. Nihil est tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptas. *Ibid.*, num. 41.

218. Esca malorum voluptas est, qua homines capiuntur, ut hamo pisces. *Ibid.*, num. 44.

219. Voluptate animi nulla certe potest esse major. *Ibid.*, num. 50.

220. Nullum scelus, nullum malum, nullum facinus est, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impellat. *Prosec.*

221. Stupra et adulteria, et omne tale flagitium nullis aliis illecebris incitari solent, nisi voluptatibus. *De Senect.*

222. Cum homini Deus nihil mente præstabilius dederit, huic divino muneri ac dono nihil est tam inimicum quam voluptas. *Prosec.*

223. Neque enim libidine dominante temperantiæ locus esse, neque omnino in voluptatis regno virtus consistere potest. *Ibid.*

224. Impedit consilium voluptas rationi inimica, ac mentis perstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. *Ibid.*

225. Sicut turpes sunt, qui efferunt se, cum fruuntur venereis voluptatibus : sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. Lib. 4. *Tusc. quæst.*

226. Si voluptatis alicujus imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis. In suo *Enchirid.*, cap. 55. EPICTETUS

227. Sed et rem examina, et tibi ipse deliberandi præbe spatium : deinde utriusque temporis memento; cum ejus quo voluptate perfrueris, tum ejus quo percepta jam voluptate dolebis. *Ibid.*

228. Voluptas cito perit. In *Sentent.*, sent. 1. PERIANDER CORINTH.

229. Voluptati victum succumbere, maxima est inscitia. In *Dialogo Protagor.* PLATO.

230. Voluptas effrænis non minus quam dolor mentem e suo statu dimovet. Lib. 3, *de Republ.*

231. Voluptates animos emolliunt atque enervant. Lib. 1, *de Legibus.*

232. Voluptas continuo dolorem consequatur. Tom. 1, syzygia 1, in *Dialogo Phædonis.*

PLINIUS II. 233. Qui voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie faciunt. Lib. 5, epist. 5, *ad Maxim.*

234. Fruendis voluptatibus crescit carendi dolor. Lib. 8, epist. 5, *ad Geminium.*

SENECA. 235. Cuique vera voluptas erit, voluptatum contemptio. *De vita beata*, cap. 4.

236. Quo die infra voluptatem fueris, et infra dolorem eris. *Ibid.*

237. Voluptas quiddam est humile, servile, imbecillum, caducum : cujus statio ac domicilium, fornicæ et popinæ sunt. *Ibid.*, cap. 7.

238. Voluptas tunc, cum maxime delectat, extinguitur nec multum habet loci : itaque cito implet et tædio est, et post primum impetum marcet. *Ibid.*

239. Voluptas venit transitve celerrime : eo enim pervenit, ubi desinat; et dum incipit, spectat ad finem. *Ibid.*

240. Tam bonis quam malis voluptas inest, nec minus turpes dedecus suum, quam honestos egregia delectant. *Ibid.*, cap. 8.

241. Voluptas vera non est merces, nec causa virtutis, sed accessio : nec quia delectat, placet : sed quia placet, delectat. *Ibid.*, cap. 9.

242. Quid mihi voluptatem nominas? hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus ac belluis laxior est. *Ibid.*

243. Tu voluptatem complecteris, ego compesco : tu voluptate frueris, ego utor : tu illam summum bonum putas, ego nec bonum : tu omnia voluptatis causa facis, ego nihil. *Ibid.*, cap. 10.

244. Qui voluptatem sequitur, videtur enervis, fractus, degenerans a viro, perventurus in turpia. *Ibid.*, cap. 13.

245. Voluptates quo magis implentur, eo magis inexplebiles sunt. *Ibid.*

246. Qui sectatur voluptatem, omnia postponit, et primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit : nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit. *Ibid.*, cap. 14.

247. Nec patriæ quidem bonus tutor, aut vindex est, nec amicorum propugnator, si ad voluptates vergit. *Ibid.*, cap. 15.

248. Cito nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit et transit, et pene antequam veniat, aufertur. *De Consolat. ad Polybium*, cap. 29.

249. Voluptas fragilis est, et brevis : fastidit objecta, quo avidius hausta est, citius in contrarium recidens : cujus subinde necesse est, aut pœniteat, aut pudeat. Lib. 7, *de Benef.*, cap. 2.

250. Voluptas est res humilis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda. *Ibid.*

251. Omnium rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugare debet, periculo crescit. *Ibid.*, cap. 9.

252. Si vis esse in perpetua voluptate, non voluptatibus adjiciendum, sed detrahendum. Epist. 21.

253. Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem : et quodcunque investitium gaudium est, fundamento caret. Epist. 23.

254. Crede vanas esse voluptates, breves, pœnitendas. *Ibid.*

255. In præcipiti est voluptas, ad dolorem vergit, nisi modum teneat : modum autem tenere in eo difficile est, quod bonum esse credideris. *Ibid.*

256. Dimitte istas voluptates turbidas, magno luendas supplicio : non venturæ tantum, sed et præteritæ nocent. *Ibid.*

257. Improbarum voluptatum, etiam post ipsas pœnitentia est : non sunt solidæ, non sunt fideles : etiamsi non noceant, fugiunt. Epist. 27.

258. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ sunt? Epist. 39.

259. Voluptatibus se immergunt, quibus in consuetudinem adductis, carere non possunt : et ob hoc miserrimi sunt, quod eo perveniunt, ut illis, quæ supervacua fuerant, facta sint necessaria. Serviunt itaque voluptatibus suis, non fruuntur : et mala sua (quod malorum ultimum est) amant. Epist. 39.

260. Indurandus est animus, et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Epist. 51.

261. Non est emolliendus animus; si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati. *Ibid.*

262. Voluptates præcipue exturba, et invisissimas habe : quia latronum more, in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. Epist. 51.

263. In ipsis voluptatibus causæ doloris oriuntur. Epist. 91.

264. Voluptas, bonum pecoris est, non hominis. Epist. 92.

265. Voluptas ultro dissolvit, et omne robur emollit. *Ibid.*

266. Indulgere voluptati, initium omnium malorum est. Epist. 110.

267. Voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non ut illam peteremus, sed ut ea sine quibus non possumus vivere, gratiora nobis illius fierent accessione. Epist. 116.

268. Si voluptas suo veniat jure, luxuria est. *Ibid.*

269. Voluptas humilis res, et pusilla est, et in nullo habenda pretio. Epist. 123.

BIL. 270. Voluptuosum Deus non exaudit. Sent. 64.

Vide etiam tit. *Adolescentia*, sent. 44; *Caro*, sent. 71; *Compunctio*, sent. 13; *Crimen*, sent. 53; *Diabolus*, sent. 123; *Fornicatio*, sent. 24; *Fraus*, sent. 14; *Laqueus*, sent. 16; *Libido*, sent. 49, 55, 69; *Locus*, sent. 20; *Meretricium*, sent. 35; *Mors*, sent. 165; *Mundus*, sent. 167; *Necessitas*, sent. 10; *Nimietas*, sent. 37; *Nutrimentum*, sent. 32, 33, 34, 35, 37; *Occupatio*, sent. 39; *Obedientia*, sent. 129; *Obviatio*, sent. 8; *Perversitas*, sent. 15; *Religiosus*, sent. 118; *Relinquere*, sent. 41; *Rex*, sent. 90, *Resurrectio a peccato*, sent. 65, 152; *Sollicitudo*, sent. 19; *Spectaculum*, sent. 29; *Suavitas*, sent. 34, 39; *Temperantia*, sent. 33, 34; *Vanitas*, sent. 56; *Vinum*, sent. 70.

## VOTUM.

NIN. *Definitio*. Votum est promissio melioris boni, animi deliberatione firmata. Part. 2, tit. 11, *de Voto*, cap. 2.

AV. Votum est conceptio melioris propositi, animi deliberatione firmata. In *Speculo animæ*, cap. 3.

OR. Votum est promissio alicujus rei, quæ pietatis nomine dedicitur, et sacris destinetur. Orat. 2, *de Orat. Dominica*.

A S. RE. Votum est attestatio quædam promissionis spontaneæ, quæ ad solum Deum, et ad ea quæ Dei sunt magis proprie refertur. Serm. 53.

Vovere est testificatione promissionis spontaneæ Deo se obligatum ac debitorem statuere. *Ibid.*

ERS. Votum est liberalis et gratuita obligatio in laudem Creatoris, et in recognitionem suæ providentiæ facta. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Justitia.*

JUD. Votum intelligitur proprie devotio, quando quis non sua tantum, sed etiam seipsum eorum dominum, Deo donum dedicat. Lib. *de Somniis.*

MAS AS. Votum est voluntaria promissio Deo facta de meliori bono. 2, 2, quæst. 88, art. 2.

Votum (si propria ejus spectetur natura) nihil aliud est, nisi sponsionis quoddam genus, quo quispiam ætatis aut saltem rationis maturæ deliberatione et proposito antegressis, aliquod excellens bonum, quod in sua libera potestate situm est, Deo sponte promittit. 2, 2, quæst. 88.

A S. RE. *Divisio*. Votorum aliud occultum est, et coram Deo tantum : aliud manifestum, etiam coram homine. *Prosec.*

Occultum votum fractum, peccatum est : manifestum fractum, peccatum et scandalum est. Serm. 53,

ARD. Triplex est votum : baptismi, quod esse debet in omnibus; ordinis, scilicet in clericis; religionis, scilicet in religiosis. Super *Psalm.* LV.

### SENTENTIÆ PATRUM.

1. Nullatenus reprehendendus est qui quod bonum est, vovit, sed qui non reddit quod vovit. *Prosec.* S. ANSELM.

2. Certum quippe est, quia qui bonum vovet, ipso voto Deo placet : qui ergo aliquid boni vovit, non pœniteat, quia fecit unde Deo placeat : sed festinet reddere quod vovit, ut plus placeat. Epist. 1, *ad Helinandr.* Super illud *Psalm.* LXXV : *Vovete et reddite*, etc.

3. Certus esse debes cum teipsum Deo totum vovisti et reddidisti, quod solvisti omnia minora vota quarumlibet actionum, quæ prius sine jurejurando, et fidei obligatione promisisti. Epist. 11, *ad Richardum monachum.*

4. Quanto votum est solemnius, tanto est majoris meriti. Part. 2, tit. 11, *de Voto*, cap. 2, § 3. S. ANTONIN.

5. Qui declinat a bono proposito, et post votum tendit ad vomitum, hic ore blasphemiæ, et linguæ malleo contundit Christum. *Serm. in die Parasceves.* S. ANTONIUS DE PADUA.

6. Scire debemus et nequaquam ignorare, quod quæcunque promittimus Deo, non ea deinde nostra esse, sed Dei : et si inde quid defraudamus, ea non nos sumere jam tanquam nostra, sed ut Dei, sacrilegio compilare. *De Passione et cruce Domini.* S. ATHANASIUS MAGNUS.

7. Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. *Prosec.* S. AUGUST.

8. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quo esses inferior : quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit ut non debeatur, quod cum lucro redditur.

9. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo : non enim talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses si nihil tale vovisses : minor enim tunc esses, non pejor, modo autem tantum (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior, si persolveris.

10. Non te vovisse pœniteat, imo gaude jam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset : aggredere itaque intrepidus, et dicta imple factis, ipse adjuvabit, qui vota tua expetit : felix est necessitas, quæ in meliora compellit. Epist. 45, *ad Armentarium.*

11. Cum quisque non reddit quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit, tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vovendi necessitatem. *De Bono viduit.*, cap. 11.

12. Si nondum Deo vovisses, exhortaremur profecto ut voveres : quia vero jam vovisti, exhortamur ut perseveres. *Ibid.*, cap. 19.

13. Post voti professionem perseveranter frænandum et vincendum est quod libet, quia jam non licet. *De Bono viduit.*, cap. 11.

14. Virginali et viduali continentia expetita et electa, et voti debito oblata, jam non solum capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est. *Ibid.*, cap. 9.

15. Quod cuiquam antequam vovisset, licebat, cum id se nunquam facturum voverit, non licebit, si tamen id voverit, quod vovendum fuit. Lib. 1, *de Adulterinis conjug.*, cap. 24.

16. Vovisse ac reddidisse laudis est. *De sancta virginit.* cap. 14.

17. Arripias curesque reddendum, quod Deo te vovisse nosti, qui et debita exigit, et promissa persolvit : quid ergo aliud tibi suadendum fuit, aut quid melius ab homine fieri potest, quam ut ei se restituat, à quo institutus est. Epist. 45, *ad Armentarium.*

18. Quisque quod vovere voluerit, voveat : illud tamen attendat, ut quod voverit, reddat. Super *Psalm.* LXXV, vers. penul. : *Vovete et reddite.*

19. Unum sit ex professione tua, vovisse : aliud ex adjutorio Dei perficietur, reddere. *Ibid.*

20. Melius est non vovere et reddere, quam vovere et non reddere : sed debet esse impiger animus ut et voveat et reddat, ne cum se minus idoneum putat ad reddendum, piger sit ad vovendum : plane nunquam reddet, si de suo putaverit redditurum. Super *Psalm.* CXXXII, vers. 1, *Vovete et reddite.*

21. Non coacte, sed sponte, et usque ad mortem vivere sine proprio, profiteri voluisti : promittere tuum fuit, sed dimittere non est tuum. Serm. 5. *ad Fratr. in eremo.*

22. Melius est non vovere, quam post vota promissa, ipsa non tenere : multo et melius est non promittere, quam fidem promissam non adimplere : pejus insuper fuerit, si non reddideris quod promisisti, quam si votum nunquam emisisses. *Ibid.*, serm. 62.

23. Sunt quædam quæ etiam non voventes debemus, quædam etiam quæ nisi voverimus, non debemus, sed postquam ea Deo promisimus, necessario reddere constringimur. Hab. in *Decret. Gratiani,* part. 2, caus. 17, quæst. 1, can. *Sunt.*

24. Reddite quod vovitis, quia vos ipsi estis, et ei vos redditis a quo estis. Epist. 45.

25. Non Deo quisquam quidquam recte voveret, nisi ab illo acciperet, quod voveret. Lib. 17, *de Civit. Dei,* cap. 4.

26. Conjugati ex consensu vovere possunt; quod tamen alterum sine altera, vel alteram sine altero vovere fas non est. Lib. 1, *de Adult. conjug.*, cap. 24.

27. Quæ rectissime voventur, cum homines voverint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine ulla conditione voverunt. *Ibid.*

28. Illæ quæ virginitatem Deo vovent, sine nuptiis non sunt. Tract. 9, super *Joan.*

29. Stulta vota frangenda sunt. In suis *Prov.*, verbo *Stulta.*

30. Primam necessitatem sua cuique facit in promittendo voluntas : secundam præcipientis auctoritas : tertiam, præcepti dignitas. *De præcepto et dispens.*

31. Nullum sacrilegii crimen reperitur deterius, quam in voluntate semel oblata Deo reaccipere potestatem. Epist. *ad quemdam.*

32. Hæc sunt tria (scilicet, obedientia, paupertas, et castitas) veræ Religionis insignia, quæ hominem Deo et Angelis reddunt conformem, cœlestis patriæ civem conscribunt et hæredem. Serm. 2, in *Cœna Dom.*

33. Octo sunt, quæ votum impediunt, pudor, timor, desperatio, præsumptio, error, oblivio, ignorantia, negligentia. Super *Psalm.* CXXXI.

34. Vovere est voluntarium, sed reddere necessarium : quia alioquin homo est falsus in promisso. Super *Ecclesiasten,* cap. 5.

35. Regularis vel Religiosus, votum continentiæ et castitatis, votum obedientiæ et humilitatis, et votum indigentiæ sive paupertatis, debet profitendo labiis distinguere, et toto tempore vivendo servare. Serm. *de Dedicat.*

36. Votum Religionis sine exercitatione perfectæ virtutis, non est perfectio, sed perversio; non perfectionis sublimitas, sed simulatio æquitatis. In *Apolog. pauper.*, resp. 1, cap. 3.

37. Vota incauta laudabiliter solvenda sunt : nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, caus. 22, quæst. 4, can. *Diffinitio.*

38. Fractio voti enormius est peccatum, quam violatio juramenti. *In Hymno de tempore feriali ad Matutin.*

39. Nulli Christiano licet dubitare, quin multo melius, salubrius, perfectius, ac Deo placentius sit facere opera bona ex voto, quam sine voto. *Prosec.*

40. Qui bona agit ex voto, offert arborem cum fructibus Deo. *De Profess. monast.*, art. 3.

41. Religiosa persona implere debet fideliter vota sua ex puro Dei amore, potius quam intuitu præmiorum, aut timore suppliciorum. *Ibid.*, art. 14.

42. Obedientiæ votum aliis duobus votis est dignius atque sublimius. *Ibid.*, art. 14.

SEBIUS SENUS. 43. Multum est quod ad eremum veniendo promisimus Deo, sed multa sunt, quæ speramus a Deo. Homil. 8, *ad Monachos*.

ANCIS. ISIAS. 44. Magna promisimus, majora promissa sunt nobis : servemus hæc, suspiremus ad illa. In suis *Opusc.*, colloquio 33.

NCISCUS ELM. 45. Vota illa, quæ ex voluntaria obligatione facta sunt, quibus nos ipsos Deo addiximus, sic solvenda sunt, ut negligere omnino non liceat, quin iram Dei promereatur omissio. In Annot., super *Psalm.* XLIX, vers. 15.

S. ORD. & REGOR. GNUS. 46. Qui vota vovit, sed pro infirmitate solvere non valet, ei ex peccati pœna hoc agitur, ut volenti bonum posse subtrahatur : cum vero ea quæ obsistit culpa detergitur, fit protinus ut votum possibilitas sequatur. Super illud, *Job* XXII : *Vota tua reddes*. Et Greg. Magn. lib. 16 *Moral.*, cap. 9, *Job* XXII : *Vota tua reddes*.

IANUS. 47. Stulta vota frangenda sunt. In *Decret.*, part. 2, caus. 22, quæst. 4, can. *Pejerabis*.

REGOR. GNUS. 48. Quanto citius malum votum impleri permittitur, tanto celerius punitur. Lib. 15 *Moral.*, cap. 12, super illud *Job* XX : *Cum habuerit quæ concupierat*, etc.

49. Cum quis suum aliquid Deo vovet, et aliquid non vovet, sacrificium est : cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. Homil. 20, super *Ezech.* super illud : *Ibi lavabunt holocaustum*.

50. Considera judicium Dei quod mereatur, qui semetipsum Deo vovit, et continuo mundi desideriis irretitus, mentitus est quod vovit. Lib. 1, in *Registro*, indict. 9, cap. 33, epist. 33, *ad Venantium Cancellar.*

51. Si inter homines solent bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis pollicitatio, quam cum Deo quis pepigit, solvi sine vindicta non poterit ? Hab. in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 27, quæst. 1, can. *Viduas*, § *Si enim*.

REGOR. IAZ. 52. Promissio per votum facta, opere adimpleatur : multo esset satius, nec vovere quidquam, nec promittere, quam post votum, negligere votum. Super *Ecclesiasten*, cap. V.

IERON. 53. Redde quod præsente Deo spopondisti : incerta est vita mortalium, ne ante rapiaris, quam tuam impleas sponsionem. Epist. 46, *ad Rusticum*.

54. Ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum. Lib. 1, *adversus Jovian.*

55. Majoris gratiæ est, offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris. *Ibid.*

56. Melius est non promittere, quam promisa non facere : quia displicent Deo, et inter insipientes computantur, qui vota non explent. Super *Ecclesiasten*, cap. 5, super illud : *Cum votum voveris*.

57. Bene non fit, etiamsi de bono fit, illud votum in quo vovetur quod non licet, vel quod non expedit. Serm. 53, *de Divers.* HUGO A S. VICTORE.

58. Vovisti Deo virginitatem tuam, et post votum perdidisti : virginitas autem semel amissa, reparari, aut recuperari non potest. Quid ergo reddes Deo pro eo quod vovisti, et irrecuperabiliter perdidisti ? audi, redde pœnitentiam tuam, redde contritionem, redde humilitatem. *Ibid.*

59. Hoc si voves, imo quia voves, non enim bonus esse potes, si non hoc voveris, redde quod vovisti : et ipsum quod vovisti : quia si aliud reddere volueris pro isto, Deus non accipit quodcunque fuerit illud. Si voves et reddis, accipiet : si non voves, vel post votum reddere nolueris, tollet. Si ergo reddis, pro dato remunerabit : si non reddis, pro non dato condemnabit. *Ibid.*

60. Votorum est aliud occultum, et coram Deo tantum, aliud manifestum, etiam coram homine. Occultum votum fractum, peccatum est ; manifestum votum fractum, peccatum et scandalum est. *Ibid.*

61. Hodie multi in tribulatione promittunt Domino, quod postea non solvunt, cum tamen votum in tribulatione factum non minus obliget. Super *Exod.*, cap. VIII. HUGO CARD.

62. Homines inter se nonnunquam aut falluntur, aut fallunt : Deus autem ab homine falli non potest : quidquid promiseris exigit, quidquid voveris inquirit. Serm. *de Fide, spe, et charitate*. S. JOANNES CHRYSOST.

63. Non debes votum destruere, cujus te pignus conspicis retinere.

64. Non potest ad præmium tendere, qui professionem noluerit adimplere : nec accipere poterit quod promittitur, nisi ante impleverit quod jubetur. *Ibid.*

65. Si aliud gesseris quam voveris, et fidei nomen perfida voluntate dissolveris, destinato supplicio necesse est subjungaris. *Ibid.*

66. Facile votum implebit, qui charitate divina plenus fuerit. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 1. JOAN. TRITH.

67. Vovere quidem, vel dimittere, in te fuit : sed non reddere votum in te non est. *Ibid.*

68. Fac de necessitate virtutem, qui voluntatem mutasti in necessitatem. *Ibid.*

69. Redde quod vovisti, et duplicem [illegible] habebis. *Ibid.*

70. Est libera voluntas ante professionem, sed necessaria fit post voti emissionem. *Ibid.* cap. 2.

71. Considerate nunc, fratres, qüoniam nisi opere compleveritis quod promisistis, non servi Dei, non amici, non monachi, sed irrisores coram omnipotente Domino eritis judicandi. Lib. 1, homil. 1, *ad Monachos.*

72. Sunt quædam, quæ etiam non voventes Domino debemus ; et sunt quædam, quæ nisi voverimus, non debemus; sed postquam ea Domino promisimus, necessario reddere constringimur. *Ibid.*

73. Non licet vobis, nec potestis votum semel emissum revocare. *Ibid.*, homil. 20.

74. Majoris est laudis, excellentoris est meriti, et abundantioris præmii, ratione voti bonum opus ex obedientia facere, quam si fiat sine voto ex propriæ voluntatis libertate. Lib. 2, *ad Monachos*, serm. 7.

75. Antequam Deo promitteres, liber eras, et tui arbitrarii : postquam autem promisisti, Dei esse cœpisti; jam tibi non licet dimittere, quod juris Dei est. *De ruina monast. ordin.*, cap. 4.

76. Facit promissio debitum, quod voluntas deliberaverat vovendum. Epist. 2, *ad Adolescent.*

S. ISIDORUS HISPALENS.

77. Multi obliviscuntur voti, quia capiuntur illecebris vanitatis. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 22, sent. 1.

78. Qui sæculo renuntiare disposuit, transgressionis reatu astringitur, si votum mutaverit. *Prosec.*

79. Atrociter enim in discussione divini judicii arguendi sunt, qui quod professione spoponderant, implere opere contempserunt. *Ibid.*, sent. 13.

80. Firma est Sacramenti tui fides, fac bonum quod spopondisti, non sis in verbis facilis, et in opere difficilis. *Prosec.*

81. Coram Deo facile aliquid non promittas; sine consideratione virium nihil voveas, quod non potes facere non pollicearis.

82. Multum Deo reus eris, si non reddis quod voveris.

83. Displicent Deo, qui vota sua non implent.

84. Inter infideles computantur, qui quod voverunt, non impleverunt.

85. Melius est enim non promittere, quam promissa non reddere. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 10.

86. In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti, non facias. *Prosec.*

87. Impia est promissio, quæ scelere impletur. *Ibid.*

S.ISID.PEL.

88. Deo munus minime promisisse, periculo vacat : at cum aliquid voveris, id minime præstare, condemnatione dignum est. Lib. 1, epist. 461, *ad Theanum.*

S. I[...]

89. Ambigi non potest crimen magnum admitti, ubi et propositum deseritur, et consecratio violatur. *Prosec.*

90. Si humana pacta non possunt impune calcari, quid eos manebit, qui corruperint fœdera sacramenti? Epist, 92, *ad Rustic. Narbonens. episc.*, cap. 15.

S. MA[...] M.

91. Perjurus est, qui mendaciter jurat in nomine Domini : qui promittens Deo se studiosam vitam acturum, a promissione sua aliena sectatur. Centur. 4, *de Virt et vitio*, cap. 67.

PETR[...]

92. Vovete et reddite : convertisti in necessitatem tuæ libertatis arbitrium, nec sine animæ periculo et famæ dispendio votum tuum detrectare poteris aut differre. *Prosec.*

93. Nam oblatum exigit, qui non exegerat offerendum.

94. Non est aliud votum protrahere, quam luxuriare in Christo.

95. Nec enim promissiones Dominus acceptat, nisi propter promissionis effectum.

96. Festinantius ergo age, ne voti tui executionem mors inopinata præveniat. Epist. 11, *ad Quemdam cleric.*

97. Voluntas in necessitatem translata est, et vinculo professionis arctaris reddere vota. *Prosec.*

98. Quandoque in arbitrio fuit, jugum Domini non recipere : semel autem susceptum non licet abjicere. *Ibid.*, epist, 131, *ad Quemdam prior.*

99. Votum religiosæ professionis acceptum semel, nulla occasione est postea irritandum. *Ibid.*, epist. 132, *ad Quemdam abbat.*

S. P[...] DAM[...]

100. Qui non reddit quod vovet, quasi Deum provocat et irridet. Serm. 70, *de Dedicat. Eccles.*

101. Spopondisti, et sponsionem violare non metuis? vovisti, et votum solvere negligis? Opusc. 42, dissertat. 2, cap. 2.

PETR[...] MAG.

102. Vota stultorum frangenda sunt. Lib. 4, *Sent.*, dist. 38.

PHIL[...]

103. Magnum hoc votum appellatur, seipsum dedicare, nihil enim quisquam possidet seipso pretiosius. Lib. 1, *de Victimis.*

S. PR[...]

104. Quisque bene cogitat quæ voveat Deo, et quæ vovendo persolvat, seipsum voveat et reddat : hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo. *Apud August.*, sent. 15.

RUP[...] A[...]

105. Qui votum fecerit, et voverit et spoponderit, voti tenorem (quantus esse debeat) intimare contendit. Lib. 2 super *Levit.*, cap. XLVI.

106. Gravissimum et valde periculosum est, non reddidisse quodcunque voveris. *Ibid.*

SIDONIUS SCOPUS. 107. Certum est non minus vitiorum, quam hostium esse captivum, qui non etiam inter mala tempora, bona vota servaverit. Lib. 3, epist. 4 *ad Felicem.*

THOMAS QUINAS. 108. Laudabilius et meritorium est, quippiam ex voto facere, quam sine voto. 2, 2, quæst. 88, art. 5.

109. Inter omnia Religionis vota, obedientiæ votum maximum est, per quod Deo homo offert totam suam voluntatem, quæ omnibus corporis et fortunæ bonis longe præstantior est. *Ibid.*

110. Si inter homines bonæ fidei solent contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis pollicitatio, quam quis pepigit cum Deo, solvi sine vindicta non poterit? *Ibid.*, quæst. 189, art. 3.

111. In tantum fertur obligatio voti, in quantum se extendit voluntas et intentio voventis. *Ibid.*, art. 4, in corpore.

112. Ad vovendum nos invitat Deus, non præcipit ut voveamus, sed ut vota reddamus. *Prosec.*

113. Vovere enim, voluntati consulitur sed post voti emissionem redditio necessario exigitur. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 12.

114. Majus aliquid meretur apud Deum, qui ex voto aliquid facit, quam qui illud facit sine voto. *Ibid.*

115. Nullus qui non est sui juris potest emittere votum. Super 4 *Sent.*, dist. 38, art. 1 ad 3.

VALER. SCOPUS. 116. Nihil votis suis præstitit, cui necesse est invito reddere quod promisit. Homil. 4, *de Promissis.*

117. Quicunque se Domino votum promisisse novit, statim reddat : certe qui solvendo non sufficit, non promittat. *Ibid.*

118. Tunc probas nihil te Domino de tua oblatione fraudasse, si justitiæ partes colas, integritatem diligas, sanctitatem quam promisisti exhibeas. *Ibid.*

119. Nihil futuro judicio debet, qui quotidie vota persolverit. *Ibid.*

BANUS I PAPA T MART. . ad omscathol. 120. Gravius puniuntur, qui votum fecerunt, et votum non perfecerunt, quam illi qui sine voto mortui sunt, et tamen bona egerunt opera. In *Decret. Gratiani*, part. 2, caus. 12, quæst. 1, can. *Scimus*, § *Quicunque.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 121. Sancte vota reddunto. Lib. 2, *de Legibus*, num. 21.

122. Magna est voti sponsio, qua obligamur Deo. *Ibid.*, num. 41.

123. Est jusjurandum affirmatio religiosa : quod autem affirmando Deo teste promiseris, id tenendum est. Lib. 3, *de Offic.*



CLEOBUL. LIND. PHIL. 124. Voto nihil pretiosius. In *Dictis sapient.*, ex græco, dist. 19.

PLINIUS II. 125. Nemini religiosius (quod juraverit) est custodiendum, quam cujus maxime interest non pejerare : magnum hoc erat, cum promitteres : majus postquam præstitisti. In *Paneg. de Trajano Aug.*

126. Digna sunt vota, quæ si suscipiantur, semper solvantur. *Ibid.*

SENECA. 127. Vota homines parcius facerent, si palam essent facienda. Lib. 2, *de Benef.*, cap. 1.

128. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. Epist. 107.

SIXT. PHIL. 129. Fidelem te esse professus, spopondisti pariter non peccare Deo. Sent. 225.

Vide etiam tit. *Dispensatio*, sent. 6, 21; *Meritum*, sent. 44; *Monialis*, sent. 9, 10, 11; *Obedientia*, sent. 229; *Oblatio*, sent. 94; *Promissio*, fere per totum: *Reddere*, sent. 2; *Religiosus*, sent. 123; *Sæculum*, sent. 51; *Sequi Christum*, sent. 123; *Virginitas*, sent. 92, 93.

## VULNUS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Ecce vulnera mea non abscondo : medicus es, æger sum. Lib. 10 *Conf.*, cap. 28.

2. Morbos et vulnera curare pauci homines bene facere possunt. *De Morib. Eccles.*, cap. 28.

3. Non tibi deputatur ad culpam, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Lib. 3, *de Lib. Arb.*, cap. 19.

4. Non tanquam sani prætereundi sunt, quorum vulnus in abdito est. Epist. 104.

5. Cavendum est ne cum rem dubiam emendari volumus, majora vulnera faciamus. Epist. 239.

6. Anima dolet, dum corpus vulneratur. Epist. 120, cap. 13.

7. Christus post resurrectionem voluit ut essent in corpore suo vestigia vulnerum, tanquam tituli gloriarum. Epist. 49, quæst. 1.

8. Medici cum alligant vulnera, apte id faciunt, ut vinculi utilitatem quædam pulchritudo etiam consequatur. Lib. 1, *de Doctr. christiana*, cap. 14.

9. In corporibus animalium, nihil est aliud morbis et vulneribus affici, quam sanitate privari. In *Enchirid.*, cap. 11.

10. Carnalis substantiæ vitium est vulnus, aut morbus. *Ibid.*

11. In corpore melius est vulnus cum dolore, quam putredo sine dolore. *De Nat. boni*, cap. 20.

12. Modeste vetusta vulnera pertractemus, et cauti simus, ne inter manus medici deficiat qui curatur. *De utilitat. jejunii*, cap. 9.

13. Christus est totus medicus vulnerum nostrorum. Tract. 3, super *Joan.*

14. Christus ibi vulnera tua curavit, ubi sua diu pertulit. *Ibid.*, etc.

15. Medici ferramentum putredinem tollit, et quasi videtur vulnus augere : minus dolebat vulnus, quam dolet modo cum secatur. *Ibid.*, tract. 9.

16. Vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere non timui. Lib. *Medit.*, cap. 3.

17. Cutis quæ superducta vulneribus morbum celaverat, sanie erumpente putruit. *Ibid.*

18. Plus dolet vulneratus cum curatur, quam si non curaretur : sed ideo plus dolet accedente medicina, ut nunquam doleat succedente salute. Tract. 9, super *Epist. Joan.*

19. Nihil perversius quam de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, et de ligatura ejus erubescere. Homil. 50, *ex Quinquag. Homil.*, cap. 4.

20. Festinemus vulnerata curare, reparare perdita. *Ibid.*, homil. 16.

21. Deus tegat vulnera, non tu : nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. *Prosec.*

22. Medicus tegat et curet, emplastro enim tegit : sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Super *Psalm.* XXX, enarrat. 2.

23. Non quæris medicum, ut vulneres te; sed cum vulneraveris te, quæris qui sanet te. Serm. 5, super *Evangel. de Verbis Domini.*

24. Utiliter malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus apponitur, et cito ad sanitatem vulnus reducitur, quod putrescere longa abusione non sinitur. Serm. 1, *fer.* 4, *post* 3 *Dom. Quadrag.*

25. Calidis vulneribus solent medicamenta celerius subvenire : itaque non expectemus mortifera securitate vulnera ipsa putrescere, ne iterum vulnera vulneribus augeamus, sed continuo ad medicum recurrentes, salutem recipere festinemus. Serm. 1, *fer.* 4, *post* 4 *Domin. Quadrag.*

26. Quando in corpore vulnus accepimus, si statim medicamenta requirimus, cito sanitatem recipere poterimus : si autem moram fecerimus, necesse est ut tardius ad sanitatem plaga ipsa redeat, aut aliqua fœda cicatrix in corpore remaneat. *Ibid.*

27. Christus vulnera portavit in cœlum, ipsa iterum reportabit ad judicium. Serm. 7, *de Vigilia Ascens.*

S. BERNARD. 28. Devotus miles non sentit sua, cum benigni ducis contuetur vulnera. Serm. 61, super *Cant.*

29. Plaga recens dolore non caret; neque enim occaluit vulnus, nec in tam brevi versum in insensibile est. Lib. 1, *de Consid. ad Eugenium Pap.*

30. Vulneri vetusto et neglecto callus obducitur et eo insanabile, quo insensibile fit. *Ibid.*

31. Cum dolore abscindenda sunt vulnera, quæ leviter sanari non possunt. Serm. 18, *ad Sororem.*

32. Si operam medicantis expectas, oportet ut vulnus detegas tuum. Lib. 1, *de Consolat. philos.*, prosa. 4. BOETIU

33. Clamat clavus, clamat vulnus, quod misericordiæ non est numerus. Serm. *de Exalt. S. Crucis.* S. BONA

34. Patet amor cordis per vulnera corporis. *Ibid.*

35. O cor pessimum, imo diabolicum! quare magis delectaris in vulneribus peccati, quam in vulneribus Jesu Christi? Part. 1, *in Stimulo amoris*, cap. 2.

36. O infelix homo! de ipso vulnere non erubescis, et de ligatura vulneris erubescis : peccatum enim vulnus est, pœnitentia ligatura vulneris est. Homil. 13. S. CÆSAR AREL

37. Vix de foris aliquod potest esse remedium, quando intus est vulnus inclusum. *Ibid.*, homil. 4.

38. Quæ silentio conteguntur, difficile curantur. Lib. 3, *Recognit.* S. CLEM PAPA

39. Si erubescat ægrotus vulnus medico detegere; quod ignorat, medicina non curat. Session. 14, cap. 5, *de Confess.* CONCI TRIDEN

40. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat; et in altis recessibus viscerum, virus inclusum, dum servat, exaggerat. *Prosec.* S. CYPRI

41. Aperiendum vulnus est et secandum, et putaminibus amputatis medela fortiore curandum.

42. Vociferetur et clamet licet, et conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem. *De Lapsis*, cap. 7.

43. Facilis cura est, ubi plaga perspicua est : et cito ad sanitatem medela subveniente perducitur vulnus, quod videtur. *De zelo et livore*, cap. 3.

44. Vulneri sane tam putrido, et antiquarum cicatricum fœtori non inveniebatur medicamentum conveniens, nisi unguento sanguinis Christi plaga vetus liniretur. *De Passion. Christi.*

45. Sicut corpori vulnerato medicamenta, sic animæ peccatorum vulneribus sauciatæ, medicina necessaria sunt jejunia. Homil. 3. S. ELIG

46. Animarum vulnera tanto sublimiora sunt et immedicabilia, quanto natura animæ subtilior est corpore. *Ibid.*, homil. 9.

47. Sæpe ex parva negligentia, ingentia atque incurabilia fiunt vulnera. *De Perfect. monachi.* S. EPHR

48. Ubi cœperit semel curatum vulnus, et jam clausum, intus sub pelle reputrescere, plerumque majus est periculum, quam fuerit in primo vulnere. In *Annot. super Psalm.* XXXVII, vers. 5. FRANC TITELM

SS. ORD. 49. Immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. Super illud *Ezech.* 7 : *Et non parcit.*

GREGOR. MAGNUS. 50. Qui uno vulnere non prosternitur, idcirco bis terque percutitur, ut usque ad intima quandoque feriatur. Lib. 2 *Moral.*, cap. 15, super illud *Job* I : *Ut nuntiarem tibi.*

51. Vulnera clausa plus cruciant : quia cum putredo, quæ intrinsecus fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. *Ibid.*, lib. 7, cap. 26, super illud *Prov.* 25 : *Sicut urbs patens.*

52. Miles Dei supernæ gratiæ fretus auxilio, sic vulnera infirmitatis suæ curat, ut aliena non deserat. *Ibid.*, lib. 31, cap. 17.

53. Totum sese insidiantis hostis vulneribus detegit, qui nulla se munitione custodiæ circumcludit. Lib. 7 *Moral.*, cap. 17, num. 25.

54. Peritus medicus prius sana membra, quæ circa vulnus sunt, laudando palpat, et postmodum putridum sine vulneris feriendo transfigit. *Ibid.*, lib. 24, cap. 9, num. 23.

55. Quid est virtus, nisi medicamentum? et quid est vitium, nisi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum ; ut qui virtute percutimur, vitio curemur. *Ibid.*, lib. 33, cap. 11, num. 17.

56. Quid horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, et dolores vulnerum nunquam finire? Homil. 6, super *Ezech.*

57. Medicus medicamentum vulneri apponit, et ea quæ purgata sunt refovet, et ea quæ putrida inveniuntur, mordet. *Ibid.*, homil. 18, super illud II *Cor* IX : *Ex abundantia est enim mihi*, etc.

58. Sic vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare quod sanum est : ne si plusquam res exigit, ferrum impresseris, noceas qui prodesse festinas. Lib. 9, in *Registro*, indict. 3, cap. 8, epist. 8, *ad Bonum abbatem monasterii Lyrinensis.*

59. Vulnera corporum pro ipsorum corporum natura et robore vigorem exigunt medicinæ. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. IV, super illud : *Quia absque retractione morietur.*

60. Omnipotenti medico nihil est insanabile, qui sicut medetur sine pretio, ista salutem restituit verbo. *Prosec.*

61. Desperarem de vulnere, si non præsumerem de omnipotente. In *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* IV, vers. 1.

62. Qui conspectis vulneribus usum medicaminis subtrahunt, eo mortis, auctores fiunt, quo minus quem poterant curare noluerunt. Part. 3. *Pastoral.* cap. 1, admonit. 15.

63. Si a circumspectionis sollicitudine cor destituitur, vulneribus aperitur. *Ibid.*, admonit. 33.

REGOR. 64. Non plaga percuti, grave est : sed ob plagam nequaquam refrænari, longe est gravissimum. Orat. 8, *ob Patrem episc.* NAZ.

65. Vide ne tacitum vivat sub pectore vulnus. Epist. 4, *ad Rustic.* S. HIERON.

66. Cavendum est vulnus, quod dolore curatur. Epist. 9, *ad Salvinam.*

67. Aliorum vulnus nostra sit cautio. Epist. 10, *ad Furiam.*

68. Summæ sanitatis est, acerba vulnera sustinere. Epist. 6, *ad Amicum.*

69. Amatori præliorum, ornamenta sunt vulnera. *Ibid.*

70. Grandi plagæ, alta et prolixa opus est medicina. Epist. 22, *ad Susannam lapsam.*

71. Si erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. Super *Ecclesiasten*, cap. X, super illud : *Si momorderit serpens*, etc.

72. Quot patimur vulnera, tot meremur et coronas. Super *Psalm.* XCIII, vers. 18.

73. Duabus ex causis solent cicatrices putrescere : vel quia non perfecte curantur vulnera, vel quia nociva non plene vitantur. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 6. S. INNOC. III

74. Cogita, o homo, renovatum vulnus pejus dolere post curam : ideo sanitate indignus est, qui post curam semetipsum vulnerat. Homil. 2, *de Lapsu primi hominis.* S. JOANNES CHRYSOST.

75. Non est tam grave pugnantem vulnerari, sed post vulnus desperare, vulnusque negligere. Homil. 80, *ad Popul. Antioch.*

76. Non est perniciosum in prælio vulnerari, sed post vulnus acceptum, desperatione curandi, medelam vulneri denegare. Epist. 6, *ad Theodor. laps.*

77. Vulnus donec superne tectum latuerit, et profunda penetraverit, nulla ratione curatur. Serm. 18, super *Epist. ad Ephes.*

78. Scio plerosque non ita vulneribus, ut verborum plaga sauciari : nam illud quidem vulnus corpus suscipit, hoc autem anima. Homil. 31, super *Acta Apost.*

79. Non sola corporis vulnera, dum negliguntur, inducunt mortem, sed etiam ipsius animæ. Epist. 5, *ad Theodor. lapsum.*

80. Qui obstat quo minus vulnus curetur, non minori quam qui inflixit, imo etiam graviori supplicio afficitur. Homil. 14, super II. *Cor.*

81. Dum adhuc recens, atque in sanguine est vulnus, facile curari solet : nam quæ diuturna et neglecta, atque obducta vetustate sunt, difficillime sanantur, ingentique labore et ferro et cauterio et igne visibili, ut curari possint, indigent. Grad. 5. S. JOAN. [illegible]

82. Tardius sanatur vulnus, quod jam putres- [illegible]

HISPALENS. centibus membris longo post tempore curationibus adhibetur. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 23, sent. 10.

83. Vulnera mentis aperta, cito exhalant : clausa nimis exulcerant. *Ibid.*, cap. 29, sent. 27,

84. Vulnus iteratum tardius sanatur. Apud Bedam, in suis *Scintillis*, cap. 9.

85. Vulnus, quamvis grave sit, si apertum est, evaporat : valde [illegible] vulnus incl[illegible]us quæ superducta vulneribus mo[illegible] [illegible]aveverat, sanie [illegible] magis id tegis, tanto maxime [illegible]ges : aperi ergo hoc grato animo, et non te excruciat. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 7.

S. [illegible]. 87. Dæmones curatione nostrorum vulnerum vulnerantur. Serm. 1 *Quadrag.*

88. Sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligens est adhibenda curatio. Serm. 5 *Quadrag.*

S. NILUS. 89. Quo diutius manet, eo magis vulnus computrescit. Orat. 2, *de Luxur.*

90. Qui in multitudine versatur, assiduis vulneribus afficitur. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIAN. 91. Insuperabilis miles est, cui virtus ex vulneribus crescit. Serm. 32, *de S. Apollinare.*

92. Timido manus medici vulnus auget ægroti. Opusc. 57, cap. 1, dissertat. 1.

S. THEODOR. 93. Magna vulnera, magnis remediis indigent. Super *Psalm.* L, vers. 1.

S. THOMAS AQUINAS. 94. Natura humana semper habuit cum vulnere, vulneris medicinam. Part. 3, quæst. 31, art. 7.

THOMAS A KEMPIS. 95. Plus invenies in vulneribus Jesu Christi, quam in possessione totius mundi. Medit. 22, *de Christi Pass.*, cap. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 96. Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris. Lib. 4, *Distichor.*, metr. 81.

CICERO. 97. Contemnere vulnus, consuetudo docet. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

SENECA. 98. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori casu sanguinem ostentant. *De divina provid.*, cap. 4.

99. Ad suspicionem vulneris tyro pallescit, audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se sæpe vicisse sanguinem. *Ibid.*

100. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebro medicamenta tentantur.

101. Ulcera animi magis, quam corporis sananda sunt. In suis *Proverbiis, in fine positis*, litt. V.

SIXTUS PHILOSOPH. 102. Levius est omne vulnus, quam verbum. Sent. 175.

Vide etiam tit. *Error*, sent. 47; *Medicina*, sent. 72; *Pulchritudo*, sent. 65; *Recidivatio*, sent. 9; *Salus animæ*, sent. 108; *Salus corporis*, sent. 4; *Tentatio*, sent. 230; *Vitium*, sent. 171.

## ZELUS, ZELOTYPIA.

S. ALBE[RTUS] MAGN[US]. *Definitio.* Zelus animarum verus et perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis bonis operibus, pro salute animarum laborat. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtutibus*, cap. 27.

S. ANTO[NINUS]. Zelus est quidam fervor mentis, quo quis debet incitari ad proficiendum cum melioribus. Part. 1, tit. 6, cap. 2, § 6.

Zelus est fervor animi, quo mens abjecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur. *Ibid.*

S. BO[NAVENTURA]. Zelus est amor nolens habere consortium in amato. In *Prologo*, super lib. 1. *Sentent.* dubio 3.

HUGO VICTO[RINUS]. Zelus est fervor animi ad compassionem naturæ, et ultionem culpæ, et devotionem gratiæ proni. Super *Joelem*, in illud : *Zelatus est Dominus.*

Zelus est dum pro amore justitiæ, defensorem ultro se offert animus, calumniam veritatis pati non sustinens. Lib. 3, *de Arca Noe*, cap. 5.

HUGO [...]. Zelotypia proprie, est amor viri in uxorem, pro quo non potest sustinere, ut alii loquatur, vel munuscula mittat vel accipiat. Super *Numer.*, cap. 5.

S. TH[OMAS] AQUI[NAS]. Zelus non est aliud, quam quidam motus animi bonus, vel malus, tendentis in statum proximi, et importat fervorem amoris. Super I *ad Cor.*, cap. II, lect. 1.

Zelus est proprie effectus amoris magis, quam odii. 1, 2, quæst. 28, art. 4, ad. 3.

Zelus est vehemens motus amantis in rem amatam. *Ibid.*

S. A[...]. *Differentia.* Est zelus ad vitam, et est zelus ad mortem : ad vitam zelus est, divina præcepta servare, et amore Domini ejus custodire mandata. Serm. 18, super *Psalm.* CXVIII, vers. 3.

S. BE[NEDICTUS]. Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo, et ducit ad infernum, ita est zelus bonus, qui separat a vitiis, et ducit ad vitam æternam. In *Regula*, cap. 72.

S. [...]. Est zelus malus, et zelus bonus : zelus malus vitat omne consortium, sed zelus bonus vitat tantum malos. In *Exposit. Prologi* super lib. 1, sentent. Dubio 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. A[...]. 1. Josias zelo ut vicit superiores, ita et vos filii zelum Dei sumite ; exquirat vos Dei zelus, et devoret. Lib. 2 *Offic.*, cap. 89.

2. Qui zelum Dei habet, pro Christo nec suis parcit. *De Isaac,* cap. 8.

3. Zelum habere dabet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ castitatem. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 18, vers. 3.

4. Bonus zelus et utilis in sacerdote est, præcipue ne negligens, ne remissus sit. *Prosec.*

5. Melius est enim unius aut duorum damnatione plurimi liberentur, quam duorum absolutione plures periclitentur. *Ibid.*

6. Zelus Dei gratia est, qui exquirit, qui supervenit, qui se juste infundit pectori. *Ibid.*

7. Zelus Dei vita est : sicut enim in Adam devoraverat hominem mors prævalens, ita zelus devoravit quem vivificavit in Christo. *Ibid.*

8. Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis pater, fratres, sorores sint. *Ibid.*

9. Zelo fidei populus gentilium, vitam sibi acquisivit æternam, quam negligentia atque desidia, Judæorum populus amisit. *Ibid.*

10. Contulit se zelus ad gentes, cujus tanta est gratia, ut electionis prærogativam vicerit, et eruditionis industriam : et apprehendens populum ineruditum, fecit esse meliorem. *Ibid.*

11. Zelus charitas est, et durus : durus zelus, quem vitæ hujus nulla vincit illecebra : durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo. *Ibid.*

12. Angeli sine zelo nihil sunt, et substantiæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent. *Ibid.*

13. Zelus Dei aurum est igne probatum : hic est fidei vapor, devorationis fervor, qui nos velut in suavem cibum Christo remollit, et format. *Ibid.*

14. Zelo vindicatur Hierusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur. *Ibid.*

S. ANTONIN. 15. Ira virtualis, seu Zelus placat Deum, auget meritum, excitat proximum. Part. 1, tit. 6, cap. 11, § 2.

S. AUGUST. 16. Zelare dicitur Deus, cum creaturam suam, quam non vult perire, sæpe castigat, corripit atque flagellat, et flagellando, ad se reducit. *De Essentia divinit.,* verbo *Zelare.*

17. Qui non zelat, non amat. *Contra Adimantum,* cap. 13.

18. Mites jucundantur, qui non amaro zelo bene operantes æmulantur. Super *Psalm.* CIV.

19. Zelus ille bonus est de amore veniens, non livore. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 30.

20. Quis comeditur zelo domus Dei ? qui omnia quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit : si emendare non potest, tolerat, gemit. *Prosec.*

21. Vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te.

22. Vides alios inebriari velle, quod non decet, prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere.

23. Si amicus est, admoneatur leniter ; uxor est se verissime refrænetur : ancilla est, etiam verberibus compescatur : fac quidquid potes pro [illegible] sanitatis est, [illegible] domus tuæ comedit me. [illegible] Epist. 6, *ad Amicum.*

24. Unumquemque ergo Christiani [illegible] sunt vulmus Dei comedat, in qua domo Dei membrum est. Tract. 10, super *Evang. Joan.* de cap. 2.

25. Malignæ mentis homines, tartareo zelo pleni sunt, lividi non in corpore, sed in corde. *De Ovibus,* cap. 8.

26. Zelus Dei non habet mentis livorem, sed zelus Dei est providentia, quæ non sinit eos quos subditos habet, impune amare quod prohibet. Lib. 1, *contra Adversar. legis,* cap. 20.

27. Quod zelus incitat, metus increpat. Lib. *Meditat.,* cap. 2.

28. Zelo domus Patris Salvator ejecit impios de templo : zelemus et nos domum Dei, et quantum posssumus, ne quid in ea pravum geratur, insistamus. Super *Joan.,* cap. 2, in illud : *Zelus domus tuæ,* etc. V. [illegible]

29. Zelantes aliqui sunt, qui contra aliorum delicta tam impudenter quam inaniter æstuant, et seipsos tam insipienter quam inutiliter palpant. Serm. 4, *Advent.* S. BERNARD.

30. Maxime prælatos decet zelus ex dulcedine devotionis diligens justitiam, ex fervore æmulationis odio habens iniquitatem. Serm. 1, *Nativit.*

31. Hic est zelus justitiæ, quo adversus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti, erga eam quam contemni videmus justitiam Dei. Serm. 2 *Paschæ.*

32. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Serm. 20, super *Cant.*

33. Zelus tuus sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus ; nec torporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. *Ibid.*

34. Ille qui justitiæ zelo semper est accensus, qui veritatem ubique zelat, qui sapientiæ fervet studiis, amore Christi compungitur. *Ibid.*

35. Zelus qui immittitur, misericordiæ est : zelus qui intenditur, judicii est. *Ibid.,* serm. 69.

36. Zelus pietatis suaviter ardet, efficaciter expiat. *Ibid.*

37. Ita foris exerce zelum disciplinæ, ut lenitatem interius in mente. Lib. *de* [illegible] *Dom.,* cap. 19.

S. BONAV. 38. Zelo regulato debent esse fervidi electi Dei, exemplo sanctorum Patrum. Super *Joan.*, cap. 2.

39. Zelus justitiæ quasi coccus bis tinctus, duplici charitatis colore rutilat, amoris nempe Dei et proximi. *De sex alis Seraph.*, cap. 3.

40. Zelus disciplinæ dormire non debet. *Ibid.*

41. Verus justitiæ zelator primo cavet ne malum aliquo modo faciat vel doceat : secundo ne licentiet vel concedat, tertio ne foveat vel diligat fieri, quarto ne dissimulet et taceat quasi nesciens, quanto ne inultum esse patiatur. *Ibid.*

S. DIADOCH. 42. Zelus pietatis, non habendo quemquam odio, sed arguendo, ostenditur. *De Perfect. spirit.*, cap. 6.

DIONYSIUS CARTHUS. 43. Zelo divini honoris ac fraternæ salutis simus semper accensi. Super *Epist. Jacobi*, cap. 5, art. 7.

GLOSS. ORD. 44. Zelus bonus, eique congruens est maxime, qui a diabolo in potestatem redactos eripere et salvare satagit. Super *Isaiam*, cap. 9.

S. GREGOR. MAGNUS. 45. Apud misericordem judicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, cum per fervorem zeli, ex ejus amore peccatur. Lib. 11 *Moral.*, cap. 5, num. 9.

46. Cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ut ira quæ instrumento virtutis menti dominatur, non quasi domina præeat ; sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo nunquam recedat. *Ibid.*, lib. 5, cap. 31.

47. Fortis zelus, qui nunc in mente doctoris agitur, in die extremi judicii, inter eum et animam, quam a vitiis zelatur, testis est : ut etsi audire is qui docetur noluerit, doctor tamen pro zelo quem exhibet, de auditoris negligentia reus non sit. Homil. 12, super *Ezech.*

48. Rectitudinis zelo contra vitia accendamur : Phinees ante oculos deducatur, qui coeuntes gladio transfigens, castitati populum reddidit, et iram Dei iratus placavit. *Ibid.*, homil. 15.

49. Nullum est tam gratum Deo sacrificium, quam zelus animarum. Super *septem Psalm. Pænit.*, super *Psalm.* IV, vers. 14.

50. Sunt multi fidelium, qui imperito zelo succenduntur ; et sæpe dum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt, eorum infirmitati consulendum est, et ratione et mansuetudine sunt placandi. In *Registro*, lib. 9, indict. 4, epist. 39, *ad Theotistam Patriciam.*

51. Zelatur Dominus iu salutem eorum, quos zelatur : ut quos non potuit ejus servare clementia, servet æmulatio. Super *Nahum*, cap. 1.

S. HIERON. 52. Zelus vicinus invidiæ est. Lib. 2, super *Epist. ad Galat.*, cap. IV, in illud : *Æmulantur vos*, etc.

53. Zelus in bonam partem accipi potest, cum quis nititur quæ meliora sunt æmulari. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. V in illud : *Manifesta sunt opera carnis*, etc.

HUGO CA[RD.] 54. Nihil tantum movet hominem ad furorem et vindictam, sicut zelus, quando vult punire injuriam factam sponsæ suæ. Super *Ezech.*, cap. XXXVI.

S. JOAN[N.] CHRYSO[ST.] 55. Qui zelotypia laborant, et bonum pacis amittunt, etiamsi magis affluant divitiis, etiamsi sumptuosas habeant mensas, etiamsi clari fuerint ac nobiles, miserrimi omnium sunt. Homil. 38, super *Gen.*

56. Cravo malum est zelotypia, et cui evenit, desinit in insipientiam. *Ibid.*, homil. 56.

57. Zelant mansuetum invidi, modestum superbi, probum improbi, mitem tumidi. *Prosec.*

58. Innocentem zelat inimica fraternitas, invidet bono, pati simplicem non potest, modestum persequitur, probum non diligit. Serm. *de Joseph vendit.*

59. Ex magno amore nascitur zelus, et quod non est, illud sæpe suspicatur. Homil. 1, super *Matth. Oper. imperf.*

60. Nihil ita zelotypum est, ut pauperum genus. Homil. 22, super II *Cor.*

JOAN. TRITH[EM.] 61. Zelotypæ sunt animæ, quæ immodico dilectorum amore flagrant, et non aliunde nascitur zelotypia, quam ex vehementi dilectione. *Ibid.*, homil. 23.

61 *bis*. Zelus Dei omnibus est jure præferendus : sic enim observanda est amicitia hominis, ut zelo Dei nunquam præferatur. Part. 1, *de Regione claustr.*, tract. 2, reg. 2, art. 7, radice 7.

S. ISIDO[R.] HISPA[L.] 62. Zeli studium, dum plus est quam oportet in iracundiæ vitium transit. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 34, sent. 5.

LACT. FI[RM.] 63. Necesse est bono ac justo displicere quæ prava sunt, et cui malum displicet, moveri justitiæ zelo, cum id fieri viderit. *De Ira Dei*, cap. 17.

S. LAURE[NT.] JUSTIN[IAN.] 64. Quisquis alios ex rectitudinis zelo monere vult, semetipsum ne tentetur, consideret, quia homo est. *Prosec.*

65. Si autem pietatis zelo, compatitur delinquenti, caveat ne potius pusillanimitate, quam compassione reticeat. *De casto Connub.*, cap. 7.

66. Rectus et commendabilis zeli iste est ordo, ut quisque prius se, deinde corripiat cæteros. Serm. *de Vita solitar.*, cap. 4.

S. LEO 67. Assumite religiosæ sollicitudinis pium zelum, et contra sævissimos hostes animarum, omnium fidelium cura consurgat. Serm. 5, *de Jejun. septimi mensis.*

ORIGEN. 68. Nullam zelotypiam amatorum suorum pa-

titur anima, quæ dæmonibns prostituta est. Homil. 8, in cap. xx, *Exodi*.

RUS ITIUS CLUN. 69. Tanto amplius comedat vos zelus domus Dei, quanto ampliorem in ea locum ipso auctore tenetis. Lib. 6, epist. 17.

) JUD. 70. Zelotypia molestissimus affectus, graves calamitates secum afferre solet. Lib. 2, *de Special. legib.*

RD. A TORE. 71. Zelus falsus est, si nostram potius, quam divinam injuriam vindicemus : et si erga eos qui nobis ingrati sunt, vel minus chari, amplius accendamur. Part. 1, super *Cant.*, cap. IX.

ODOR. 72. Cum te diligerem, utebar zelo : ubi vero te repuli, zelum extinxi : est igitur zelus amoris index. Quæst. 39, super *Exod.*

73. Habe primo zelum super teipsum, et tunc juste zelare poteris etiam proximum tuum. Lib. 2, *de Imit. Christ.*, cap. 3, sect. 1. THOMAS A KEMPIS.

74. Zelus quidem animarum laudandus est, si sit discretus, rectus, purus, nullaque vanitate infectus. In *Dialog. Novit.*, cap. 4, sect. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

75. Zelum de Deo tantum habeas, non contra homines. In suis *Proverb.* in fine positis. SENECA.

Vide etiam tit. *Devotio*, sent. 11 ; *Salus animæ*, sent. 115, 123, 124.

FINIS TOMI QUARTI.

na universalis. v. 4
# 13704

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA

13704